

PROPHETA  
EZECHIEL

LVDOVICI LA


VATERI MINISTRI

TIGVRINI HOMILIIS

*seu Commentariis expositus.*

Chronologia sub finem adiuncta est, ad intelligenda non solum huius Prophetae  
verum etiam Ieremiae ac Danielis recondita vaticinia.

*Duorum Indicium Prior continet res & sententias: Posterior verò loca utriusque  
Testamenti quae in his Commentariis aut ipse Author interpretatur aut ap-  
positè ad sensum suum accommodat.*



*Anchora sacramenti iactatos unica Christus*


*Fundat, & est omni tempore sola salus.*

ANCHORA  
JOANNIS CRISPINI  
M. D. LXXI.



Ob. 6. III - 684





GENEROSISSIMO DOMINO,

ET PIETATE CAETERISQVE

VIRTUTIBVS VERE ILLUSTRIS, D. GASPARI

Colignio, Colignij Comiti, Magno Franciæ Amiralio,

Theodorus Beza Geneuensis Ecclesiæ Mini-

ster, gratiam ac pacem à Do-  
mino.



*Extus agitur annus, generosissime Domine, ex quo tibi magni illius D. Caluini prælectiones in Ezechielem consecraui, opus quidem imperfectum, & ex ipsius parentis rogo penè, ut inquit ille, abreptum, de quo tamen si cum multorum scriptis compareretur verè dici possit πλεονήμισον πάντως. Sed quò perfectiora sunt illa veluti fundamenta, eò auidius adhuc optaui excitari nobis quempiam à Domino qui tantum inchoatum & discium absolueret: qua de re quum iam desperarem, ecce cōmodum ad nos allata sunt excudenda integræ in eundem Prophetam Homilia, quæ desiderium hoc meum si non penitus at certè maxima ex parte expleuerunt. Sunt enim ab homine, & pietate & eruditione præstanti profecta, qui etsi breuitatem & simplicitatem sectatus est, ut videatur velut indices rerum potius quàm iustas homilias scripsisse, id tamen adhibuit in scribendo iudicium ut neque sit aliena consecutus, neque lectorem incertū ac suspensum dimittat, quas duas esse vel præcipuas boni interpretis virtutes arbitror. Is est D. Ludouicus Lauaterus, ex coniunctissimæ nobis Ecclesiæ Tigurinae Ministris vnus, idemque frater mihi plurimum obseruandus, qui quum eas ad me vnà cum literis misisset, mutua illius in me amicitia fretus, rursum te mihi censui appellandum. Putaui enim me superioris operis Caluiniани consecratione, quòd id integrum*

## E P I S T O L A

*non esset, ad reliqua persolvenda obstrictum teneri, quod quia  
 praestari in eo genere nullo modo potest, ver suram feci quod in-  
 opes solent: Et ita quidem, ut spero, feliciter, ut hoc velut  
 ἀντιβαλλόμενον non adeo parvi sis aestimaturus quin tibi abundè sa-  
 tisfactum putes. Vna enim Et eadem merx est, Et ex eodem  
 prorsus loco petita. Vnam, inquam, doctrinam, unum eundem-  
 que spiritum in utroque comperies, qui consensus mirificè te, sat  
 scio, delectabit. Jam verò quod ad utriusque de tua generositate  
 iudicium, tuique observationem attinet, ita quidem ille noster  
 te coluit ut quem inter gentis nostrae proceres pluris faceret, ha-  
 beret prorsus neminem: at iste proculdubio, (sicut Et boni om-  
 nes) quo plura ab illius obitu edidisti earum virtutum exēpla  
 quibus te Deus Opt. Max. maximo piorum omnium bono exor-  
 navit, eò magis te nobiscum suspicit Et admiratur. Quòd si me-  
 ritò sunt ἀδωρα τῶν ἐχθρῶν δῶρα, vicissim etiā equū est gratissima eorum  
 esse vel leuissima munera à quibus observari te sentias. Quae  
 verò iam olim fuerit Tigurina Ecclesia in gentem Gallicam  
 voluntas, testari potest Confessio à magno illo beatae memoria vi-  
 ro Vtrico Zuinglio, Francisco primo Regi dicata, quam si lege-  
 re illum Et intelligere passi essent qui tum apud eum pluri-  
 mum poterant Deus bone quae quantaque damna, quas cala-  
 mitates, quas miseras Gallia effugisset? Sed aliter visum est  
 iusto peccatorum ultori. Ab eo verò tempore quum Deo visum  
 esset Gallis pro religione exulibus hanc civitatem ut perfugium  
 concedere, ea semper fuit inter utriusque Reip. Pastores con-  
 cordia Et consensus quamvis saepe molitus sit satan hoc sacrum  
 vinculum abrumpere, ut authorem huius coniunctionis Deum  
 esse res ipsa luculenter comprobarit. Itaque per scripta est ab  
 utrisque illa in re sacramentaria consensus, quae sicuti non-  
 nullos vehementissimè turbavit, ita quantopere plerisque in  
 unitate fidei cōtinendis profuerit, vix commemorari potest. Pari  
 postea studio conscripta est Tiguri illa dogmatum fidei confessio  
 cui quum non Helveticae modò civitates omnes Evangelium  
 profitentes, unica tantum certis de causis excepta, itidemque Rhe-  
 tica, adeoque Scotica Ecclesia, ac Geneuensis etiam hac res-  
 publica subscripsissent, commodè sanè atque adeò singulari*

THEODORI BEZÆ

Dei providentia euenit in illa nuper Rupella celebrata vniuersaligentis Gallicæ Synodo, vt Gallicæ quoque Ecclesiæ suam cum his omnibus gentibus consensionem mutuo datis acceptisque literis testarentur. Sed & flagrantibus bellorum ciuiliū incendiis, noui quanta fuerit harum Ecclesiarum de nostra gente sollicitudo, quæ vt neque militem neque pecuniam, id non ferente temporum ratione, contulerint, at certè præcipuo illo Christianorum præsidio, assiduis videlicet precibus ac gemitibus laborantes iuuare, & miserorum qui huc profugerant inopiã benignissimè subleuare non destiterunt. Hac autem commemoro partim quòd te confidam qui asperrimis illis temporibus, longè maximam istorum malorum molem sustinuisisti, summa cum voluptate intellecturum à quibus maximè sis adiutus, (quamuis occulta sint nec admodum præ aliis tam speciosa hæc præsidia, apud eos quidem qui quanti hæc sint momenti non satis norunt:) partim vt munus quod per se tibi Sacros libros in mediis etiam bellicis tumultibus volutanti gratiosum fore scio, vel eo tamen nomine iucundius euadat, quòd & ab Ecclesiæ nobis modis omnibus coniunctissima Pastore, & ab homine pio ac erudito, priuatimque virtutum tuarum vel præcipuo admiratore proficiatur. Quod autem huius operis præcipuum est rerum videlicet ab hoc diuinissimo Propheta proditarum & istis commentariis explicatarum magnitudinem nunc non attingam, partim quòd eas tibi bene iam perspectas confidam quem Dominus si quem alium nostra memoria, earū etiam usu multo exercuit, partim quòd eas longè præstet ex interpretis ipsius scriptis intelligi.

Bene vale generosissime Domine, cum generosissima coniuge, liberisque omnibus, totaque adeò Ecclesiæ, quæ domi tuæ fouetur. D. Iesus respiciat te ab alto magis ac magis, teque à malorum insidiis tutum & incolumem, Ecclesiæ suæ totius bono, conseruet. Geneuæ, viij Cal. Septembris, anno vltimi seculi cl. Io lxxi.



LVDOVICVS LAVATERVS  
TIGVRINVS CANDIDO,

LECTORI S.



VVM posteriores Prophetæ, quos in maiores & minores distinguunt, omnes, excepto Ezechiele, in Ecclesia Tigurina publicè plebi à nostris præceptoribus expositi & postea in lucem producti essent: non semel optavi, ut ad hunc quoque qui solus restabat, pari diligentia interpretandum aggredierentur. Quoniam verò frustra diu multumque expectavi, ego tandem ad eius explicationem conuersus, quantum studio atque diligentia efficere potui, dedi operam ut ad me meosque auditores aliquis ex hac interpretatione fructus rediret. Neque contentus fui excellentissimum hunc Prophetam pro mea mediocritate exponere, sed amicorum suavis rogatusque potissima concionum mearum capita, scripto complexus sum. Idque eò lubentius, ut à publicarum priuatarumque ærumnarum tristi cogitatione, hac scriptione animum meum abducerem. Et profectò re ipsa expertus sum, diligentem huius Prophetæ tractationem, multorum malorum remedia mihi præstitisse: idemque dicere possum quod D. Hieronimus in præmio octavi Commentariorum in hunc Prophetam scribit: Quid aliis profit in Prophetas nostra dictatio, inquit, Dei iudicii est, eorumque conscientia, qui omissis declamationibus ac plausu & compositione verborum, cupiunt scire quid eorum sermo vel narret præteritum vel præsens arguat, vel prædicat esse venturum: nobis interim prodest. Dum enim hoc facimus, & nihil aliud cogitamus, in modum furti explanationes aggredimur: & dierum miserias, noctium studio compensamus: pascitur animus & obliuiscitur seculi calamitatum: quod in extremo iam fine positum ingemiscit & parturit: donec qui tenet de medio fiat: & pedes statuæ quondam ferrei, fragilitate digitorum fictilium conterantur, &c. Porro distinxi hunc librum in Homilias. Sic autem eas appello, cum sint potius siluæ quædam homiliarum. Erunt fortassis qui dicturi sint paraphrasin potius in hunc Prophetam, quàm homilias scripsisse. Verùm hoc

## EPIST. L. LAVATERI.

hoc potissimum cōsilio in his breuitati studui, ne si opus in immēsum excresceret studiosos sacrarum Literarum ab aliorum qui in hūc librū scripserunt, vtilibus Cōmentariis legendis auocarem. Qui hunc Prophetam suæ fidei commissis hominibus interpretādum suscipient, pro ratione circumstantiarum facillē quædam his nostris addere, quædam detrahere poterunt. Multa enim his homiliis inserui, quæ ad linguarum collationem, phrasas, & alia id genus pertinent. Extant etiam multorum doctrinā & pietate præstantium virorum loci communes, ex quibus quæ vno verbo passim annotauimus, copiosè peti possunt & iusta methodo ac populari dicendi ratione explanari. Cæterum vt ostenderem me de singulis, si operæ precium fore putassem, vberius scribere potuisse, inserui conciones prolixas de peste & fame, quæ tamen ipsæ quoque, vt legenti facillē apparebit, paucis multa complectuntur. In singulis his meis homiliis, hanc viam & methodum sequutus sum. Principio pono textum ex versione Santis Pagnini, quæ mihi ad Hebraicam veritatem quam proximè videtur accedere. Quanquā in ipsa postea explicatione verborū, Munsteri versionē nō rarō posui, qua ideo frequentius vtor, quòd Hebraicis Latina cōiungat. Deinde singularū concionū scopum vel summam ostendo: cui partes subiicio, in quas singulæ conciones commodè distribui posse videntur. Mox singularum partium explicationem, locos similes & dissimiles, & si quid huius generis occurrat, pro virili examino. Quòdque in sacrarū Literarū enarratione præcipuū est, singula ad vsum refero: vt lectores in vera pietate & bonis moribus instruantur. Quòd verò eādē rē sæpe repeto, lectori molestū esse nō debet. Nam quia ipse Spiritus sanctus, vnam eandēque rem in hoc libro, sæpe iisdem, sæpe mutatis verbis repetit, ipsa orationis series me quoque coegit de eadem re idem sæpe dicere, id quod cōmodius & vtilius visum fuit, quam si lectorē ad superiora subinde remissem. Quantum verò in eruendo Prophetæ abstruso sensu, & ad vtilitatem legentiū accommodando, profecerim, viris doctis, piis & candidis iudicandū libenter relinquo. Hoc verè testari possem, quòd si sensum propriū non vbique assequutus sum, interpretationē tamen quam afferō piā esse, & sacris Literis consentaneā. Sensum certè sciens & volens, nusquam corrumpti, vt illi faciunt, qui vel sua sponte, vel precio conducti, ad falsorū dogmatum defensionem, Literas sacras contra conscientia detorquent. Scio non defuturos homines bonos, qui vitio mihi vertent, quòd ego Prophetā tot mysteriis & difficultatibus refertum explicandum delegerim, parum memor Horatiani præcepti: Sumite materia vestris, qui scribitis æquā Viribus: & præsertim cū tot veterum & recētorum cōmentariis in hunc librum extent, quibus ego neque eruditione neque aliis donis villo pacto cōparandus sim: dicent me actū agere, quod vetatur prouerbio: quæ enim ab illis allata nō sint, à me nequaquā posse afferri. Fateor

## EPIST. L. LAVATERI.

ingenuè & libenter, me ad hunc Prophetá legisse ex veteribus, Cómentarios D. Hiero. & D. Theodoretis: ex mediæ ætatis scriptoribus, Lyranii annotationes: ex recentioribus qui nostra memoria scripserunt, Oecolápadii, Pellicani, Caluini cómmentaria, Bibliádri item scholia ex ore prælegentis excepta, Vatabli quoque & Munsteri, neque non pauca ex illis defumpisse. Non enim sum ex illorum numero, qui cùm ex aliorum laboribus multa impudenter decerpant: tamen eorum nullá faciunt mentionem, nisi quando eos reprehédere volunt. Tamen si verò post tot tàmque præstantes viros, hos meos Cómentarios scripserim, spero tamé me nō omnino operá lusisse. Etenim quàm breues sint veterū annotationes in hunc & alios libros sacros, norunt qui eos legerunt: etiam recētiore, quátumuis docti. Et exercitati in Scripturis, tamen aliorū quoque industria & diligentia non pauca reliquerunt. Ad hæc mutantur tempora & mores hominū, vt nō parū intersit scripta veluti pharmaca quædam ad illorum vsus accommodari. Vltimus, cuius in hunc librū quos quidém ego vidi, commentarii prodierunt, est Ioannes Calvinus, cuius eximia laus est in ecclesia Dei, sed tātum ad 20. vsque caput sua persequutus est: neque ipsemet scripsit illa quæ extant, sed ab aliis diligentibus quidém & doctis viris, collecta sunt: reliqua morte præuentus non potuit absolueret. Deinde ego aliam tractandi rationem aliūque ordinem, rudibus aptioré sequor, vt illis qui illū diligenter legerunt, meus tamen labor superuacaneus videri non debeat. Quod verò dogmata attinet, amplector confessionē ecclesiarū Helueticarum, cui totus ferè Christianus orbis se nunc coniūxit. Rogo autem atque obtestor omnes quotquot in hos meos rudes & impolitos Cómentarios incident, eos legant diligenter, méque liberè admoneant, si quid in eis desiderent: tã enim abest, vt hac sua libertate me offensuri sint, vt spondeam me gratias illis acturum, libentérque eorumque sententiam auditorum, méque docilem illis præbiturum esse. Fucis verò illis, qui cùm ipsi nihil laude dignum faciant, tantum aliorum labores arrodunt, meliorem precor mentem, eosque hortor, vt si hæc nostra illis displicent, ipsi meliora in medium proferant. Postremo loco, de hoc quoque monendum lectorem putavi, me Geneuæ hūc librū excudendum curauisse, partim quòd noster typograph<sup>o</sup> vtilioribus libris hoc tēpore excudēdis esset occupatus, partim vt hic liber, qui in Gallicis tumultibus natus esset, Geneuæ excusus ad Gallia fideles quibus pacem vix tandem redditam verè gratulor & veræ fidei incrementa atque constantiam ex animo precor, commodius posset propagari. Vale.

Tiguri ex musæo nostro, mense Iunio, anno *cl. l. lxxi.*





# IN LIBRUM VEL PROPHETIAM EZECHIELIS

Προλεγόμενα.



V O D bonum foelix faustumque fit, prophetiam Ezechielis pro mei ingenij mediocritate interpretabor. Præmittam autem sequentia hæc capita, quibus studiosi pietatis ad vtilem eius lectione præparentur: primùm vitam Prophetæ: deinde quare ipsum Deus excitavit, quid, quibus, & quo tempore vaticinatus sit: tertio, quis sit ordo huius libri vel prophetiæ: quarto, quæ styli qualitas: quinto, quis sit vsus ipsius, quamque accommodatus sit nostris temporibus. His enim ordine & perspicue explicatis, totum hunc librum melius intelligemus.

## I. Prosopographia Ezechielis.

De Ezechiele propheta pauca leguntur in sacris Literis. Nomen hoc non absq; <sup>Nomē Pro-</sup> Diuina providentia ei impositum videtur: Ezechiel enim secundū etymologiam <sup>phetæ.</sup> significat fortitudinem Dei. Deus certè illi dedit, vt forti & intrepido animo populum & principes reprehenderet, ipsiq; mala illa quæ ipse Deus (qui fortis, robustus & Dominus exercituum passim in Scripturis dicitur) immissurus erat propter ipsorum impietatem & scelera, denuntiaret. In 1. cap. pater ipsius dicitur Buzi fuisse. Quis autè & qualis ille fuerit, non est expressum, nisi quod sacerdos appellatur. Fuit itaq; Ezechiel, sicut & magnus propheta Samuel & Jeremias, ex sacerdotali prosapia. Sacerdotes verò nō solum apud Hebræos, sed gentes quoq; in magno fuerunt pretio. Tribus Leuitica, ex qua sacerdotes creabantur, priuilegio quodā diuinitus ad sacrum ministerium delecta fuerat. Nā Exo. 32. c. cum Moses vidisset <sup>Ex qua tribu oriundus fueris.</sup> populū, qui in idololatriā lapsus erat, suum factū defendere & seditiosè agere, conuocauit subditos, & imperauit eis, vt de seditiosis, idololatriis (illis nimirū qui arma capiebant, & factū defendebant) pœnas sumerēt. Leuitæ Mofi se statim adiungentes imperata fecerunt. Deus itaq; hanc eorū virtutē amplissimo hoc præmio ornauit, vt loco primogenitorū, qui ipsi consecrati erant, pro ministris suis eos assumeret, & dispersionē eorum, quā Iacobus patriarcha mox moriturus prædixerat, Ge. 49. in maximā dignitatem cōuerteret. Iosephus historicus in vita sua, Quemadmodum apud alios aliæ, inquit, nobilitatis rationes cēsentur, ita apud Hebræos sacerdotali genere oriundum esse, argumentum est illustris nobilitatis. Obiter quoq; annotandum est, sacerdotes in veteri Testamento legitimas vxores & liberos habuisse. Quòd Ezechiel vxorem habuerit, constat ex 24. c. vbi vxor eius subitò expirasse legitur. In nouo quoque Testamento, Apostolos, & posteris tēporibus Ecclesiarū ministros, vxores & liberos habuisse planè constat. Iustinianus Imperator laudat Epiphaniū Constantinopolitanū episcopū hoc nomine, quòd ortus sit sacerdotali genere. Clarissimi viri Gregorius Nazianzenus, Spiridon, Polycrates, perhibente Eusebio in Ecclesiastica historia, patres episcopos habuerunt.

# I N E Z E C H I E L E M

Hebræi tradunt prophetas quoque fuisse eos patres quorum nomina ponuntur, quod ea facilitate reicitur, qua ab eis affertur. Ezechiel quia patre sacerdote natus fuit, proculdubio à puero sacris Literis incubuit. Nam hodie quoq; pueros Iudæorum, in discenda lege sedulo dicunt occupari: qua in re Christianis sunt diligentiores. Quàm studiosus fuerit legis observator Ezechiel, hinc colligitur, quod cap. 4. commemorat, se tota vita ab omni cibo polluto sollicitè abstinuisse. Videre & audire potuit Jeremiam, & eius amanuensem Baruchum, Zephaniam, Uriam, Danielelem prophetas, & Huldam prophetidem: omnes enim vno eodemq; ferè tempore floruerunt. Iosephus scribit à Nabuchadonofore cum Ioachimo in captiuitatem abductum esse, quo tēpore etiam Daniel abductus fuit. Daniel 3. c. dicitur, tertio anno regni Ioachimi abductus, nimirū quo à Nabuchadonofore regnum accepit, & tributarius ei factus est, qui fuit annus 11. quo primū Ioachimus regnare cœpit. D. Hiero. & alij qui eum secuti sunt, dicunt Ezechielem cum Iechonia sponte in exilium migrasse, qui in tempore propemodum cōsentiunt. Eodem enim anno Ioachim & Iechonias abducti leguntur. In Chaldæa à Deo spiritum prophetiæ accepit vt & captiuus & Hierosolymitanis ciuibus, atq; exteris gētibus prophetaret. Quomodo verò munus sibi iniūctū, per tot rerū discrimina, fortiter exequutus sit, quæ certamina illi fuerint cum senioribus populi & falsis vatibus, in explicatione huius libri apparebit. Numeratur inter maiores prophetas, cum Isaiâ, Jeremiâ & Daniele, qui ideo nomen adepti sunt, quòd magnis & prolixis, reliqui verò minores dicuntur, quòd paruis libellis, suas prophetias complexi sint. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Hieronem, Ezech. inter prophetas admirandum esse scribit & subtilissimum. In apologetico, magnorum vocat inspectorem, & mysteriorum ac visionum interpretem. Quam diū vixerit, item quando, vbi, aut quomodo interierit, in sacris Literis nō commemoratur. Athanasius in libro de humanitate Verbi, eiusq; corp. aduentu, Ezechiel quidem passus est, inquit, at non pro populo, sed quia euentura populo prædicabat. Epiphanius in libro de vita & obitu Prophetarum scribit, quòd dux populi ab eo reprehensus de cultibus idolorum in Babylone eum occiderit. Isidorus scribit, à duce populi Israel interfectum, propterea quòd pontificali seueritate corripere ab eo ob impietatem sacrilegij. Author imperfecti operis in Matth. 25. cap. Hom. 46. ostendit genus supplicij, dicens hunc prophetam super lapides tractum excerebratum esse. Certum est plerosque Prophetas ab hominibus suis interfectos esse. Potuisset Deus eos defendere contra tyrannos, sed magnas ob causas id non fecit. Mors enim talium virorum, primū est testimonium doctrinæ, quam sanguine suo quasi consignant. Nisi seriò sensissent quod professi sunt, periculis à cōfessione sua fuissent deterriti. Deinde Deus ostendit per hos testimonium de futuro iudicio, & vita æterna. Certum enim est Isaiam, Jeremiam, Ezechielem & similes, Deo verè piacere, cum autem interfici finit eos, testatur aliud iudicium superesse, in quo æterna gloria ornandi sint: Deus item cōfirmat nos exemplis illis in omnibus nostris ærumnis, in quibus cogitandum est nos, vt ad Hebr. 12. dicitur, nondum restitisse vsque ad sanguinem, nondum nobis idem accidisse quod Jeremiæ, &c. Sunt & aliarum causarum, quæ ab aliis sæpe recitatae sunt. Isidorus de vita & morte quorundam sanctorum cap. 39. sepultum esse dicit à populo in agro Mahurim in sepulchro Sem & Arphaxat. Plura in sacris Literis de Ezechiele non leguntur. Quod Petrus de Natalibus, ipsum aquæ inambulasse scribit, & esuriētibus piscium copiam præstitisse, apud probatos scriptores non inuenio. De aliis quoque præstantibus viris pauca extant, quod ideo fieri existimo, ne in homines oculos cōuertamus, sed ad ipsum Deum cuius serui fuerunt. Veteres martyrum & aliorum sanctorum vitas prolixè descripserunt, quibus narrationibus posteritas abusa est, nā sanctos illos homines admirari, & diuinis honoribus prosequi cœpit, oblita Dei optimi maximi, cui illi fideliter inferuierant. &c.

Educatio.

Ezechiel in captiuitate abductus.

Ezechiel propheticò spiritu donatus.

Fuit ex numero maiorum Prophetarum.

Mors Ezechielis.

Cur Deus seruos suos ab impiis interfici sinat.

Pauca extant in Scripturis de Ezechiele.

## PRÆFATIO

### II. *Quare Ezechiel à Deo excitatus sit, quid, quibus & quo tempore prophetarit.*

Iudæi qui abducti erant in captiuitatem, impatienter ferebant exilium: qui verò Hierosolymis remanserant, securi erant & confidentes, vtrinque fremebant contra Ieremiã. Prodit itaq; Ezechiel, & idem docet quod illea: criter reprehēdit pertinaces ob scelera, supplicium paratum illis denunciat, hortatur eos ad seriam pœnitentiam, pios consolatur vaticinia contexens de populi reductione, deq; totius politrix restitutione, & hostiũ interitu, atq; ita asserit Ieremiæ autoritatem. Cæterum vt omnia plenius intelligamus, operæpretium facturus esse videor, si integram historiam paulò altius repetiuero. Iosias egregius princeps regnavit in Iuda annos 31. anno 8. regni sui, qui ætatis 16. fuit, cœpit quærere Dominum. Cùmq; anno regni sui 12. cœpisset repurgare Templum & urbem ab idolorum sordibus: verumq; Dei cultum restituere: mox anno 18. reperit librum legis quem publicè recitari iussit. Anno regni eius 13. Ieremias exorsus concionari vsq; ad excidium urbis, suo munere functus est, & postea quoq; in vniuersum annis circiter 42. Quæcunq; contra verbum Dei inuecta erant Rex sustulit, nõ curans præscriptionem longi temporis, vel quod à maioribus suis prudenter instituta dicerentur. Sub illius regno pax & vera religio floruit. Filij verò eius & populi sceleratissimi erant, clam, vt ex Sophonia propheta apparet, idololatriam exercebāt: sperabantq; sublato rege, veterum religionem restituendam. Interea Neca rex Ægypti Assyriis bellum illaturus, petiit trāsitum per regnum Iuda, quem cùm Iosias pertinaciter ei negaret, volens nimium subditorum commodis consulere, prælio victus est, & accepto vulnere in campo Mageddo, paulò post obiit. Neq; dubitandum est, quin multi vociferati sint Iosiam iustas debitãsq; suæ idolomachix pœnas Deo persoluisse. At Hulda prædixerat eum in pace colligēdum ad patres suos, ne futura mala oculis suis aspicere cogeretur. Ab illo enim tempore regnũ Iuda miserè vexatum fuit, tantum abest vt sublato Rege, consequuti sint, quæ sperarāt. Populus in cæsi regis locum statim Ioachasum filiũ substituit, inconsulto Necaone rege Ægypti, qui rediens è Syria victor, eum euocatum in Ribla, cùm tribus mensibus regnasset, iniectis vinculis in Ægyptum abduxit: ibi quidam mœrore eum contabuisse, alij à Rege interfectum esse scribunt. Populo verò magnum tributum rex Ægyptius imperauit, in locum Ioachasi idẽ fratrem illius Ioachinũ substituit, impium verbi Dei contẽptorem. Iste enim Vriã prophetam ex Ægypto, quo vt lateret profugerat, retractum occidit, historia extat Ier. 26. cap. Idem ille, sermones Ieremiæ cultello conscissos cremauit. Anno tertio vel quarto regni eius, Nabuchadonosor Magnus patri in regno Babylonico succedens, Syriacum bellum instaurauit, & cum Necaone iuxta Euphratem ad Carchamis confligit, illõq; interfecto totam mox Syriam Pelusium vsq; subegit. Quarto deinde anno regni sui, qui Ioachimi octauus fuit, Iudæis quoque bellum intulit, Regemque coegit pacem pecunia mercari. Is integro triennio imperata tributa persoluit, postea negato tributo, ad Ægyptios defecit. Reuersus itaque Nabuchadonosor cum exercitu eum cepit, & vt Theodoretus & alij scribunt, interfectum de muro præcipitari iussit, & inséputum relinqui, alij verò in itinere cùm in Babylonem abduceretur, volunt mortuum esse. Vt sit, iuxta Ieremiæ prophetæ vaticinium, asini sepulturam habuit, cùm regnasset annis vndecim. In libro Regum dicitur dormiuisse cum patribus suis, sed non in pace, vt L. yranus annotat. Illo ipso tẽpore, multi & præsertim qui aliqua dignitate præditi erant, in captiuitatem Babylonem abducti sunt, in quorum numero, vt liber paralip. testatur etiam Daniel, & vt Iosephus scribit lib. 10. antiquitatum Iudaicarum cap. 8. Ezechiel fuit. Rex Nabuchadonosor, Ioachin qui etiam Iechonias dictus est, Iosiaæ nepotẽ patris Ioachimi loco regno præfecit,

Iosias rex.

Ioachas.

Ioachim.

Ioachin vel  
Iechonias  
nepos Iosias.

## IN EZECHIELEM

in quo administrando cum se malè gessisset, (Theodoretus scribit ipsum seditionem concitasse) post menses tres & dies decem (tamdiu enim regnavit) misso exercitu Hierosolymam obsedit. Ieremias consuluit ut deditionem facerent, nam abductos in exilium Deo curæ fore, & post septuaginta annos reducendos in patriam. Hoc consilium sequutus Rex, fecit deditionem. Quare ipse & mater atque vxores ipsius, multique alij, vna cum thesauris Templi & Regis in Babylonem abducti sunt.

Zedechias.

Reliquiis populi, Mathanias qui item Zedechias appellatus est, Iosia filius à Nabuchadonosore rex datus est. Is pessimè se gerebat, violato enim iureiurando, tributum reddere noluit, sed cum Ægyptiis fœdus iniit, & qualis rex erat, tales etiam erant eius subditi. Ieremias interea & Regem & populum hortatus est ad seriam pœnitentiam, disertèque prædixit, fore ut vrbs capiatur, & ipsi crudeles suæ impietatis pœnas daturi sint. Illi verò his comminationibus nihil moti, pseudopropheta, qui urbem in hostium potestatem venturam negabant (hoc enim aduersari diuinis promissionibus) se regendos præbebant. Ieremiæ 28. cap. legitur, quod Hananias in Templo coram sacerdotibus & populo dixerit, Iechoniam & alios, omnia item vasa quæ Chaldæi auexerant, post biennium reducenda esse. In ipsa quoque Chaldæa pseudopropheta erant, qui captiuos bona spe completerent. Ieremiæ 29. cap. legitur Achabum quoque & Zedechiam intra biennium populo liberationem promississe. His se fortiter opposuit Ieremias, scribens captiuis per legatos quos Zedechias rex ad regem Babylonicum mittebat, ne paterentur sibi imponi: certum enim esse quòd Hierosolymitanos dira maneat supplicia, & captiuitas 70. annis duratura sit. Utq; rem ita habere intelligant, fore ut Achabus & Zedechias, quibus ipsi auscultent, Nabuchadonosori pœnas daturi sint. Semeias alius pseudopropheta, scribebat ex captiuitate ad pontificem Sophoniam. Sacerdotes & populum, ut opprimerent Ieremiam qui suis prædictionibus animos populi fregerat. Huic prædixit Ieremias, quod prole caricurus esset. Ad hoc accesserunt indubiè, ut in huiuscemodi casibus fieri solet, vulgi voces & clamores. Ij enim qui in vrbe remanserant gloriabantur se esse defensores patriæ atque religionis, quam ab ipso Deo & maioribus suis accepissent: se fretos diuinis promissionibus, hoste armis repulsuros. Eos qui se dedidissent hosti, ignauos, perfidos & leues esse, qui verbis vani hominis fracti ad hostes defecerint. His & alijs pseudoprophetarum & vulgi clamoribus, illi qui suasu Ieremiæ in captiuitatem Babylonicam sponte migrauerant, vehementer perturbabantur. Cùmque intelligeret illos qui Hierosolymis remanserant, urbem & omnes suas facultates retinere, & mala illa de quibus Propheta prædixerat eis nequaquam euenire, vehementer eos pœnituit, quòd hosti urbem dedidissent, execrabantur Prophetam tanquam proditorem et impostorem. Diuinitus itaque excitatus est propheta Ezechiel, qui pseudoprophetarum tam in Babylone quam Hierosolymis mendaces promissiones & populi stultas voces refutaret: de euerfione vrbs & vastatione regni, deque Regis, procerum & populi miserabili interitu vaticinaretur: populum afflictum erigeret atque consolaretur: id quod Ezechiel non minore diligentia in Chaldæa fecit, quàm Ieremias Hierosolymis hætenus fecerat. Quomodo autem prædictionibus ipsius euentus responderit, ex fine Ieremiæ, & libri posterioris Regum, atq; Paralip. intelligitur. Nabuchadonosor collecto exercitu, urbem 18. mensibus obsidione cinxit, tandemque ea expugnata regium Templum totamque urbem exussit, eosque qui fami & hostium cædi superfuerunt, captiuos abduxit, vasaque omnia non solum aurea & argentea, sed & columnas areas in Babylonem cum alijs omnibus asportauit.

## P R Æ F A T I O.

### III. Ordo huius libri & partes.

Propheta in hoc suo libro hunc seruat ordinē, à 1. capite vsque ad 4. ostendit quomodo à Deo ad munus propheticum cœlesti visione vocatus, instructus, ordinatus & missus sit, vt partim Iudæis qui iam abducti erant in Chaldæam: partim illis qui in patria remanserant: partim hostibus quoque populi Dei, quæ ventura essent, denuntiaret, totumque Dei populum captiuū consolaretur. A 4. cap. vsque ad 25. cap. varias visiones & conciones describit, quas habuit de idololatria & sceleribus Iudæorum, item de pœnis quibus à Deo affiendi erant. Continetur autem his 21. capitibus, orationes vel prophetiæ 17. in tot enim docendi causâ cōmodè possunt diuidi: quanquam cum his nolo digladiari, qui in conciones pauciores vel in plures hæc capita redigunt. 4. cap. vaticinatur urbem obsidendam & fame premendam. 5. cap. populum capiendum & dispergendum. 6. cap. & 7. regionem vastandam. 8. scelera quæ in vrbe & ipso Templo fiebant recenset. 9. cap. & 10. excidium vrbs & Templi inflammationē describit, 11. 12. & 13. animaduersionem in principes, reges & prophetas: 14. cap. spem auxiliij eis adimit: sequentibus capitibus vsque ad 26. peccatorum populi multitudo & pœnæ significantur variis parabolis, vitis, sponsæ, aquilæ, vuæ acerbæ, incensæ siluæ, gladij, scoriæ, ollæ. A 25. vsque ad 33. vicinis quoque & populo Dei inimicis gentibus, nempe Amonitis, Moabitibus, Idumæis, Palæstinis, Tyriis, Sidoniis, Ægyptiis mala prædicit, quæ ipsis rex Babylonius illaturus sit, cum alias ob causas, tum quod afflictis Israelitis insultarent, eorumque malis lætarentur. Comprehendit hæc pars 9. cap. conciones verò vel prophetias 11. A 33. cap. vsque ad 40. agit contra pseudopphetas, quorum præcipuè culpa factum est, vt reges principes & plebs suum intermitteret officium: describit veri prophetæ officium: vaticinatur de Spiritu & regno Christi, de restitutione politicæ Iudaicæ, & populi captiui ab exilio reuocatione. Item de perendis Ecclesiæ hostibus Gog & Magog. Capita. cōtinet 7. conciones 8. A 40. cap. vsque ad finem libri tractat de instauratione Templi, ciuitatis Hierosolymorum & cultus Dei: item de diuisione terræ, secundum duodecim tribus. Continet 8. capita, vnam prophetiam continuam:

### IIII. Elocutio & styli qualitas.

Quod elocutionem & stylum Prophetæ attinet, D. Hierony. sermonem eius medium esse dicit inter urbanum & rusticum. Spirat peregrinum aliquid. Etenim non potuit nō fieri quin ad sermonē vulgare in captiuitate paulatim assuesceret. Mox 2. cap. ponit vocem סַרְסִימ *sarafim* quæ rebellem significat, & nusquam alibi in Bibliis extare dicitur, apud Chaldæos autem in frequenti vsu esse. 23. cap. etiam quædam peregrina nomina ponit, de quibus suo loco dicitur. Deinde Ezechiel pluribus verbis exponit, quod alij paucioribus expediunt. Adhibet varias visiones, paradigmata, ænigmata, allegorias, similitudines. Multum enim referebat populum pertinacem, copia verborum, rebus item & factis ad attentionem excitari. Principium & finis libri magnam habet difficultatem: ideo apud Hebræos lege cautum fuisse D. Hieronymus in Proœmio libri 1. Comment. in hunc Prophetam testatur, ne quis ante annum ætatis suæ trigessimum, priora capita libri Geneleos, Canticum canticorum, item primum cap. & octo postrema Ezechielis legeret. Quanquam verò hæc lex superstitiosa videri possit: tamen in tradenda doctrina fidei, certus ordo est seruandus. Paulus scribit quod lacte primùm Corinthios suos aluerit, postea solidiore cibo. Christus ipse quædam referuauit, quorum discipuli sui nondum erant capaces. Id quod aduersarij nostri ad suas traditiones

## IN EZECHIELEM

perperam detorquent. Nazianzenus in Apologetico suo, laudat hanc legem Hebræorum, propterea quòd in populo fidelium, quidam per ætatem mylticarum Scripturarum nondum sint capaces, quanuis clarioribus & euidentioribus vtiliter legendis idonei existant. Non vult hominibus Literas sacras ex manibus excutere, vt qui non ignoraret Paulum Timotheum suum laudare hoc nomine, quod *ἀπό βιβλίου* sacras Literas tractasset, sed docere vult certum ordinem esse seruandum. Quod verò obscuritatem huius Prophetæ attinet, superari illa poterit, si regulas illas adhibeamus, quas optimus vir & insignis theologus Andreas Hyperius in libro suo De formando studio Theologico, & alij, in excutiendis difficilioribus sacre Scripturæ locis adhibendas esse, vtiliter monuerunt. Theodoretus in præfatione Commentariorum suorum in hunc Prophetam, Quidam, inquit, diuinam Scripturam accusant, & præcipuè Prophetarum oracula, veluti obscuritate operta. Contra quos merito D. Paulus dixit, quòd si opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum. Sapientiam enim loquimur inter perfectos. Et his ea quoque consentiunt quæ à Domino Salvatore nostro & sanctis Apostolis dicta sunt, Vobis datum est, inquit, nosse mysteria regni, illis autem non est datum, causamque docens statim subiicit, Vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Ipsi enim voluntarias, inquit, ad se incitiæ tenebras attrahunt: oam si conuersi fuerint ad Dominum, sicut autor est D. Apostolus, auferetur velamen. Non omnibus igitur Diuina obscura sunt, sed voluntaria cecitate laborantibus, quos animaduertisse & considerasse oportuit, eorum quæ preciosa sunt, in promptu hominibus esse nihil: margaritam quippe, sicuti etiam purpureæ vestis regis florem, maris occultat profundum: & auri argentique venæ in terræ superficie non extant, sed in intimis eiusdem partibus conteguntur. In domibus item preciosissima quæque intus in penibus impositis vinculis, clauibus & sigillis custodimus. Consilia quoque earum rerum quæ sunt maioris alicuius ponderis fidelioribus amicis, non omnibus temere enuntiare consueuimus. Verum hisce omnibus, quæ modò diximus, augustiora Diuina sunt, tantòque præstantiora, quanto & quæ sub oculorum sensum minimè cadunt, ab iis quæ videntur, & quæ mente, ab iis quæ sensu comprehenduntur, & à fluxis stabilia differunt. Decet igitur ea maiore custodia digna censentes cum Domino dicere, non esse proiciendas margaritas ante porcos. Etenim reuera contemnitur eorum quæ sunt in promptu possessio, sed quæ labore parta possidentur, ea verò iucundissima sunt & amabilissima. Mox subiicit, Vbi prædicta euentu comprobata, & scripta res consequutæ sunt, tunc in reliquum aperta & perspicua facta sunt oracula Prophetarum: quicumque enim propheticos libros legunt ab ipsis rebus interpretationem percipiunt. Nemo igitur ex iis, præsertim qui sunt pietatis alumni, in diuinum Spiritum audacter inuectus eius orationes condemnet obscuritatis: verum in sacra

2. Cor. 4.  
1. Cor. 2.  
Marci 4. &  
Lucæ 8.  
1. Cor. 3.  
Psalmo 118.

verba cupiens intelligere cum diuino Dauide exclamet, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Voti enim compos omnino fiet, studium expectandi sibi hanc cognitionem ad vtilitatem dari professus. Hanc quippe nos quoque deprecationem Domino adhibentes, qui secundum Davidem cæcos illuminat, & secundum Esaiam eos qui in tenebris & caligine versantur, diuini Ezechielis audacter aggrediemur interpretationem, & prophetiæ reconditiora, quantum in nobis est, perscrutari, & quodcunque inde luci cogatur, id omnibus piis commune proponere conabimur. Hæc Theodoretus cuius verbis ego quoque ostendere volui, quibus rebus fretus, in explicando Propheta obscuro & difficili versatus sum.

### *V. De utilitate huius libri, nostris quoque temporibus.*

Vt alij maiores & minores Prophetæ, quin sacra Scriptura, veteris & noui Testamenti

## P R Æ F A T I O.

Testamenti in vniuersum, multiplicem in se vtilitatem continet, de qua re Paulus 2. Timoth. 3. cap. ita hic quoque Propheta vsum & fructum amplissimum habet. Nos ex multis pauca duntaxat afferemus. Primum ex hoc Propheta discimus cognitionem Dei, in qua vita aeterna consistit, Ioanni 17. Præcipuæ in Deo proprietates sunt, misericordia, iustitia, veritas, & virtus vel potentia. Misericordia ipsius ex hoc colligitur, quod per Ezechielem & alios Prophetas Iudæis & Gentibus mala quæ cis imminabant maturè prædixit, idque non nudè & simpliciter, sed sub variis figuris & parabolis eandem rem repetit atque inculcat, vt fideles parati ad excidium, omnia leuius ferrent, & ex castigatione promouerent in timore Dei: impij verò inexcusabiles facti, pœnas meritas luerent. Iustitia ex hoc apparet, quod quantum sibi displiceant idololatria & scelera multis ostendit. Veritas verò verbi ipsius ex hoc cernitur, quod cum Iudæi hortatu Prophetarum ad saniolem mentem reuocari non possent, pœnis debitis affecti sunt: vt ex euentu discerent in vaticinijs Prophetarum nihil mendacij inesse. Differt quidem Deus interdum imminentes calamitates: sed si homines pergant sceleratè viuere, tarditatem pœnæ supplicij grauitate compensat. Virtutem & potentiam ipsius inde colligimus, quod cum semel gentem aliquam punire instituit, nullis viribus, consilijs ei potest obsisti. Habebimus etiam illustria quædam de Domino nostro Iesu Christo vaticinia, quæ nos in vera fide contra Iudæorum pertinaciam possunt confirmare.

Cognitio  
Dei ex Pro-  
phetis dici-  
tur.

Deinde discimus ob quæ scelera potissimùm regna & vrbes funditus evertantur: nempe propter contemptum verbi Dei, falsos cultus, cædes iniustas, corrupta iudicia, vagas libidines, & alia id genus. Hæc enim & Iudæis, & vicinis Gentibus exitium attulerunt. Ad hæc colligimus ex hoc libro, quod imminentibus pœnis, impij cõfidentiores sint & securiores. Id quod nostro quoque tẽpore experimur: quãto enim propius accelerat pœna, tãto peiores & obstinatiores sunt impij.

Propter quæ  
scelera re-  
gna excin-  
dantur.

Discimus hoc quoque non gaudendum esse pœnis aliorum: sed cogitandũ aliorum exemplo, quid nobis euenturum sit, nisi pœnitentiam agamus. Vicini Iudæorum hanc ob causam graues pœnas dederunt. Rectè dictum est à Solomone 17. cap. Prouerbiorum: Qui gaudet de interitu aliorũ, nõ impunè feret. Gentes quoque multa scripserũt cõtra hoc vitium, quod sua lingua ἐπιχαριστικίαν appellant.

Non gaudẽ  
dum malis  
aliorum.

Colligimus item impendentibus pœnis, quenque studiose suum debere officium facere, Prophetas, magistratus, plebem, neque se peccantium multitudini adiungere. Ezechiel enim & Ieremias, etsi pleròsque vitiosissimos esse viderent, nihilominus instabant & vrgebant. Pœnis ingruentibus Deus suos in medijs periculis erigere confirmare atque conseruare potest.

Quid faciẽ-  
dum pœnis  
imminentibus.

Vltimo loco discemus quanta sit humanarum rerum vicissitudo & incertitudo. Imperia, regna, populi, vrbes, quarũ magna fuit celebritas, interierunt, aut incolas mutarunt: quorundam vix nomina tenemus. Quid igitur pagi, villæ, singulæ familiæ aut singuli homines sibi promitterent: Deum itaque timeamus, cœlestia cogitemus, & ad aliam vitæ cõditionem retinendã accingamur. Multa alia possent annotari, sed hæc pauca ad excitanda lectorũ studia, delibare tantũ volui.

Rerum hu-  
manarum  
incõstantia.

Porro facile apparet hanc Ezechielis prophetiam, nostris temporibus & hominibus optimè congruere. Etenim si omnia diligenter expendamus, res nostræ rebus Iudæorum, vti habebant cum ille concionaretur, non sunt dissimiles. Nul- lum ferè est scelerũ genus, contra quod Vates noster pugnavit, quod non ad summum apud nos quoque venerit, omnia tantum non sunt deplorata. Etsi aliquot pij principes instar Iosifæ, multis in locis Ecclesias secundũ Dei verbum instituire conantur: tamen multi eorum conatibus obsistunt, multi pietatem simulantes, papatum restitutum vellent, pauci toto corde ad Dominum cõuertuntur. Vtque nihil nunc dicam de professis hostibus veræ doctrinæ, qui omnia contemnunt

Ezechielis  
doctrinam  
conuenire  
nostris tem-  
poribus.


## IN EZECHIELEM.

& irrident, quot quæſo ſunt ex illis qui de Euangelio gloriantur, qui vocem Dei tam affiduè tamque diligenter audiunt atque debebant, vel ſi audiant, tamè multò meliores efficiantur? Omnes queruntur de corruptis iudiciis, cædibus iniuſtis, nefariis libidinibus, de luxuria & perfidia hominũ, propter quæ ſcelera Deus Hieroſolymorum urbem cum Templo & alias gètes euertit. Hæc graua Dei iudicia præſciuit propheta Ezechiel, qui omnes adhortatus eſt ad pœnitentiam. Ita nunc orbis Chriſtianus affligitur, fame, peſte, bellis, ſed valdè metuendum eſt, ne grauiores pœnæ nos maneat. Adhæc imminet orbi extremum iudicium, quo Deus impios æternũ condẽnabit. Quare verbis Prophetarũ, omnes eccleſiaſtæ principes, ciues, agricolæ, ad pœnitentiã extimulandi ſunt, & quãtò magis verbũ Dei cõtẽnitur, tantò diligentius vrgendũ eſt. Miranda profectò eſt Anabaptiſtarũ cæcitas, qui nobis ex manibus excutere conantur libros propheticos, quos conſtat noſtris tẽporibus optimè conuenire, & ideo à Deo per tot perſecutiones cõſeruatos eſſe, vt electi ad finẽ vſq; mundi, doctrinam & conſolationem ex illis percipiant.

Anabaptiſtæ Prophe-  
tarum feri-  
pta reiciũt.

### VISIO EZECHIELIS.

- A.* Ventus vehemens flans ab Aquilone.  
*BCD.* Nubes denſa & procelloſa.  
*E.* Ignis nubi implicitus.  
*FG.* Haſmal in nube, in lateribus ſolij, & circum animalia.  
*H.* Quatuor animalia.  
*IK.* Ala ſuperiores inter ſe contiguæ, quibus incumbit firmamentum.  
*L.* Color animalũ ſimilis carbonib⁹ ignitis, vel facibus ardẽtibus.  
*MN.* Rota quarum interior rota alteri inferta.  
*O.* Oculi in circumferentia rotarum.  
*P.* Cryſtallinus color ſupra capita animalũ, ſolium verſus.  
*Q.* Solium.  
*R.* Homo ſolio inſidens.  
*S.* Haſmal circum hominem.  
*T.* Iris vel arcus cœleſtis.







# Prima Pars Libri vel Prophe- TIÆ EZECHIELIS.

HOMILIA I.

*Ezechiel Propheta quinto anno captiuitatis Iecho-  
nia, vocatur ad munus propheticum, cir-  
ca fl. Chebár, & visione cœlesti  
confirmatur.*

CAPVT I.

- 1 **E**T fuit tricesimo anno, quarto mense, quinta die mensis (ego autem eram in medio transmigrationis iuxta fluum Chebar) aperti sunt cœli, & vidi, visiones Dei.
- 2 Quinta inquam mensis (ipse est annus quintus transmigrationis regis ioachin.)
- 3 Factum est verbum Iehouæ ad Ezechiel filium Buzi sacerdotem in terra Cbasdim iuxta flumen Chebár: & fuit super eum ibi manus Iehouæ.

**P**rima pars huius libri, quæ usque ad 4. Caput extenditur, est quasi PRÆFATIO. Qua ostenditur, quomodo Deus prophetæ in visione apparuerit, ipsum ad munus docendi vocarit, atque instruxerit quid facere & dicere debeat, quomodo item ipsum consolatus sit, ne malitia Iudæorum, cum quibus ei agendum erat, fractus, munus suum desereret.

Summa primæ partis huius libri.

Ex hac parte dicimus, ministris ecclesiarum, & etiam aliis, expectandam esse legitimam vocationem Dei, quæ quidem duplex est, mediata, vt vocant, & immediata. Prophetarum, & Apostolorum est à Deo immediate: sed communis ministrorum, fit vel à tota ecclesia, vel ab iis quibus ecclesia id commisit. Etiam si verò illa præstantior sit: tamen hæc quoque diuina est. Peccatur hic bifariam ab hominibus: Quidam tamen sentiant se necessariis ad obeundum ministerium ecclesiæ donis à Deo instructos esse, tamen legitime vocati, varias ob causas nolunt domino vocanti obtemperare: aut si ad tempus ei obtemperent, variis ærumnis fracti, remum postea abiiciunt. Quidam verò promissis, blanditiis, calumniis, se ingerunt: quales illi erant, de quibus Deus apud Ieremiam queritur, Currebant, & non mittebam eos. Media itaque via incedendum est. plurimum autem refert nos certos esse de legitima vocatione nostra.

Vfus primæ partis.

Deinde discimus ex hac parte, non nostra somnia afferenda, sed verbuni

a. i.

# CAP. I. IN EZECHIELEN

Dei. Legatis suis dat Deus, vt vulgo vocant, instructionem, hoc est, Veteris & Noui testamenti libros, qui diligenter euoluendi sunt, vt ex illis alios erudire possimus.

Scopus primi capituli.

PRIMUM CAPVT, continet obscuram & difficilem visionem, quam Deus Prophetæ obiecit, quando ipsum ad propheticum munus vocauit. Hanc verò, vt rectius intelligamus, primum diligenter expendendæ sunt circumstantiæ, quando, & vbi, Deus hanc visionem exhibuerit Prophetæ: deinde quis eius vsus, vel finis fuerit: ad hæc ipsa visio cum suis partibus consideranda est: vltimo loco, quomodo se Propheta gesserit, cum hæc visio ei fuit oblata. His enim explicatis totum hoc caput melius intelligemus.

Tempus visionis.

Quod ad tempus attinet, quo prophetæ hæc visio obiecta est, vel quo ad munus propheticum vocatus fuit, indicatur annus 30. mox subiicitur annus quintus captiuitatis Ioachin, qui alio nomine Iechonias vocatur. De eius captiuitate, quomodo se sponte regi Babylonico dederit, supra diximus. Historiam integram pete ex 2. Regum 24. capite. Ad hoc numerandos esse annos captiuitatis Babylonicæ diligentiores Chronographi nos admonent. Quintus annus captiuitatis Iechoniæ, fuit 30. annus, nimirum à Iubilæo. Vsitatus enim mos fuit Iudæorum, vt ab annis Iubilæis seriem temporum deducerent. Romani

Actas.

ab vrbe condita annos numerarunt. Alij alias ætates habuerunt, sic enim vocant insigne tempus numerandi exordium. Christiani non vnum initium habuerunt. Eugenius quartus Ro. Pontifex, circa incarnationis dominicæ annum 1440. constituit, vt à natali die Christi anni numerarentur: quod plerique populi Christiani nominis obseruant. Galli annum Christi incipiunt in annunciatione beatæ Mariæ virginis. Cæterum ascendendo, hic annus 30. incidit in 18. Iosæ regis, quo repertus est codex legis. Ideò autem verisimile est hunc Iubilæum fuisse, quod historia testatur, tanto apparatu celebratum à Rege, vt à Samuelis tempore nullum simile pascha fuerit. Motus nimirum fuit huius anni celebritate. Hebræi quoque dicunt annum 25. transmigrationis Iechoniæ, qui est 14. captæ vrbis Hierosolymorum fuisse annum Iubilæum. Numerantur autem à 18. anno Iosæ ad 14. captæ vrbis anni 50. De Iubilæi vero institutione eiusque ceremoniis, plura cognoscenda sunt ex Leuitici 25. & 27. cap. Erat annus Iubilæus quinquagesimus quisque, sic dictus quod cornu arietino (quod לִבְיָ לִבְיָ Iobel Hebræis vocatur) indiceretur. Serui libertati restituebantur, ad possessiones suas quisque redibat: typus erat liberationis & restitutionis nostræ per Christum. Quod si idem annus, vt multi volunt, vitæ Ezechielis trigessimus fuit, colligimus neophytis non committendum munus docendi. Nume. 4. Legitur, tricesimo demum ætatis anno incepisse sacerdotes in tabernaculo ministrare. Seruator noster tricesimo anno ætatis orsus est concionari. Inter leges pontificas etiam hæc continetur, vt non nisi annos natus triginta, factis inicietur: redimi tamen pecunia à pontifice Romano relaxatio legis potest. Quarto mensē facta est hæc visio. Quartus verò Hebræorum mensis, thamus ab eis dictus, respondet nostro Iulio. Ante exilium Babylonicum numeralibus vocibus Hebræi menses distinxerunt vt, primus, secundus, tertius, &c. quatuor enim dumtaxat propria sua nomina habuerunt, posteri à Chaldæis, & Assyriis mensium nomina mutuati sunt. De his consule Theodori Bibliandri præceptoris nostri librum de ratione temporum.

Annus Iubilæus.

Quartus mensis.

*Aperti sunt cæli.* Sic Ioannes baptista, Math. 3. cap. & Stephanus Acto. 7. cælos apertos viderunt, & *vidi visiones Dei*, hoc est, cælestes & diuinas. Satan enim etiam habet suas visiones, quibus incredulos fascinat, opponuntur igitur præstigiis sathanæ. Sunt qui visiones Dei, vsitata phrasi magnas dicunt significari. In plurali dicit visiones, quòd visio illa multiplex esset, vidit enim animalia, rotas, thronum & alia. Hæc de circumstantia temporis.

Sequitur

Sequitur de loco, in quo oblata est hæc visio prophetæ, *in terra Chasdim*, hoc est, Babyloniorum, *in medio transmigrationis*, hoc est, cum ipse & alij procul à patria in exilio abessent, *iuxta fluuium Chebar*. Quidam volunt Eufratem sic dici, sed in terra Babyloniorum, multos alios fluuios esse, vel ex Psalmo centesimo trigesimo septimo constat, Super flumina Babylonis sedimus ac fleuimus, &c. Aliis quoque ad fluuios visiones ostensas esse, legimus. Danielis cap. 10. habemus, quod ad ripam Tigridis ei visio exhibita sit: paulò ante habuimus, Ioannem ad ripam Iordanis, vidisse aperiri cælum, & descendere Spiritum sanctum in specie columbæ super Christum.

Locus visionis.

*Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem*. Ezechiel non sua somnia, aut commenta attulit, sed illa quæ ei à Deo patefacta fuerunt. Petrus secundæ Epist. primo capite, etiam testatur, prophetiam olim non voluntate hominis allatam esse: sed impulsu Spiritus sancti loquutos esse sanctos Dei homines. Ideò toties repetunt prophetæ, Deum ipsis loquutum esse. De Apostolis quoque Christus testatur, quod non ipsi loquantur sua inuenta, sed quod Spiritus sanctus loquatur per ipsos. Paulus commendat Thessalonicenses hoc nomine, quod suas conciones audirent vt verbum Dei, quod reuera erat. Non aliter audiendæ sunt sacræ literæ, quàm si Deus nobiscum loqueretur de cælis, vt olim in monte Sinai cum populo Israelis. Distinguendæ sunt sacræ literæ, à scriptis D. Ambrosij, Augustini, & aliorum, qui eatenus recipiendi sunt, quatenus cum verbo Dei consentiunt, repudiandi, quoties contraria scribunt. Hic honor solis canonicis scripturis debetur, quod omnia rectè de Deo, & aliis necessariis capitibus tradunt. Proinde credamus scriptis prophetis & Apostolicis, neque expectemus nouas reuelationes. Lucæ 16. Qui Moysen & prophetas non audiunt, neque credent, si quis ex mortuis resurrexerit. Hodie multi veritatem nondum satis reuelatam dicunt, sperantes nescio quas nouas reuelationes. An non ipsa veritas Christus nobis reuelatus est, & in ipso remissio peccatorum, & vita æterna ostensa? quid miseri amplius expectatis? *Et fuit super eum ibi manus Domini*. In Chaldæa manus, id est, virtus Domini, vel gratia Spiritus, se exeruit, vt propheta noster, de rebus futuris constanter vaticinaretur.

Cui hæc visio obiecta sit, & à quo.

Ex circumstantia temporis, & loci, discimus Deum nunquam, & nusquam suis deesse. Qui cum Iechonia in captiuitatem translatus erat, grauius, vti supra diximus, tentabantur, accusabant Ieremiam vanitatis, Deus itaque in miserabili illo populi statu excitat alium prophetam, qui idem totidem ferè verbis, quod Ieremias, vrget & repetit, id quod ad captiuorum consolationem mirificè faciebat. Ieremiam quoque, qui hoc saxum frustra voluere videbatur, non mediocriter confirmatum fuisse credendum est. Illis quoque qui Hierosolymis manserant, fænum aliquod iniiciebatur, cum audirent vtrunque prophetam consentienter loqui. Quisque itaque suum officium faciat, Deus alios excitabit, si necesse sit, qui pios conatus nostros iuuent. Sic Iosepho, qui Christum de cruce auferebat, Nicodemum adiunxit, &c.

Vfus huius loci.

Iudæi sibi persuaserant, extra fines terræ promissæ Deum nemini apparere: sed nulli loco alligatum esse, hic locus ostendit. Si inter remotissimas, & barbarissimas gentes verseris, Deus te suo Spiritu non minus potest illustrare, quam si in templo degas. Non quod temere ex locis illis, vbi purum Euangelium prædicatur, in loca, vbi Euangelium exploditur, migrandum sit: quædiu enim possumus, debemus nos in illis locis continere, vbi purior doctrina sonat. Sepe autem illis ex locis inuiti pellimur.

*¶ Continet expositionem visionis, & usum  
eius in genere.*

*Ipsa visio  
secundum li-  
teram.*



*Hafmal.*

Vdiuimus quando, & vbi hæc visio prophetæ oblata sit: sequitur iam tertio loco, de ipsa visione, quam, vt omnia rectius intelligantur, visum est paucis complecti. Propheta noster dicit, à Septentrione venisse ventum tempestuosum, nubem, ignemque inuolutum, circumquaque splendorem clarissimum diffundentem. In medio ignis fuisse Hafmal, de quo variæ sunt interpretum sententiæ. Kimhi nomen dicit coloris esse similis igni, alij angeli nomen esse dicunt. Hieronymus electrum interpreta- tur, quod auro, & argento preciosius sit, nimirum de succino scribens, quod magno adhuc in precio est, præsertim candidum. Erit igitur sensus, splendi- dissimam candorem, inter flammam apparuisse. Apparuit ibidem etiam simi- litudo quatuor animalium, quæ formam humanam referebant, nisi quod su- perne quadrifida erant, ita vt ad partem dextram, hominis & leonis forma, ad sinistram, bouis & aquilæ appareret. Singula quaternas alas habuerunt, qua- rum duæ sursum erigebantur, & altera alteram contingebat, duæ corpus ipso- rum tegebant: sub alis in quatuor partibus, quaternæ manus hominis late- bant: crura eorum recta erant: pedes vitulini, vel rotundi, scintillantes instar candentis, vel politi æris: similitudo horum animalium, erat instar carbonum ardentium: & lampades vel faces, atque ignis, inter illa discurrere videbantur. Motus horum animalium talis erat, vt quocumque spiritus eos impelleret, eò ten- derent, nec conuerterentur, cum ambularent, sed quodque eò pergeret, quò spectantem faciem habebat. Incedebant, & redibant instar fulguris. Dumque propheta spectaret animalia, ecce obiciuntur rotæ, apud animalia humi ad quatuor eorum partes: altitudo earum insolita, & terribilis erat, atque ita erant implicatæ, vt quasi globum constituerent, colorem marinum habebant, & oculata erant vndique. Quocumque animalia mouebantur, iuxta ea moue- bantur etiam rotæ. Cum se eleuarent animalia, aut subsisterent, etiam illæ se eleuabant, & subsistebant. Spiritus enim animalium erat in ipsis. Supra capita animalium, erat cælum cristallini coloris, quod alis suis animalia attingere vi- debantur. Alarum sonitum tribus similitudinibus ostendit: erat instar aqua- rum multarum, & vocis omnipotentis, id est, tonitruum, vocisque castrorum. Cum animalia starent, demittebant alas suas. Super cælum illud vel firmamen- tum, erat thronus positus, lapidis sapphiri, in quo quidam specie humana se- debat: infra, & supra lumbos eius, apparebat ignis splendens in circuitu, & thronum arcus cælestis circundare videbatur. Hæc est visio secundum literam: quæ magna ex parte repetitur 10. capite, vbi ostenditur gloriam Dei Israelis, ex templo & vrbe recessisse, &c.

*Obscuritas  
huius visio-  
nis.*

Obscura & difficilis, (vt supra quoque dixi) est hæc visio, ideoque variæ ab interpretibus afferuntur explicationes, multumque inter se discrepantes. Sunt & alij scripturæ loci obscuri. D. Petrus in 2. Epistolæ ultimo capite, dicit in D. Pauli epistolis quædam difficilia intellectu contineri, quæ indocti, parumque firmi, sicut & alias scripturas, ad suam ipsorum perniciem detorqueant. Qui lo- ci si occurrunt, non transiliendi sunt, sed orandus est Deus, qui eos ad nostram vtilitatem dedit, vt gratiam suam largiri nobis dignetur, quò rectè & purè omnia intelligamus. Scopus cuiusque loci diligenter obseruandus est, præceden- tia & consequentia expendenda sunt, adhibendi sunt alij loci planiores, vt ve- rum

rum cuiusque loci sensum, assequi valeamus. D. Hieronymus alicubi monet, interpretationes etsi proprie locum aliquem non explicent, tamen si piæ sint, & fidei atque charitati non aduersentur, non esse reiiciendas. Etsi igitur non omnia, quod dicitur, acu tangamus, modò afferamus, quæ ad communem ecclesiæ vtilitatem pertinent, non sumus explodendi. Illa quæ ad nostram salutem pertinent, alibi planissimè explicantur. Hæc paucis de obscuritate huius visionis, libuit præfari.

Cæterùm vt omnia plenius percipiamus, primùm in genere dicam, de fine & vsu huius visionis: deinde in specie de singularum partium vsu. Generalis scopus & vsus huius visionis vnò verbo ab initio. 2. capituli explicatur, visionem esse similitudinis gloriæ Dei. Siracides etiam cap. 49. dicit: Ezechiel intuitus est visum gloriæ, quod ei in curru Cherubim ostensum est. Voluit itaque Deus, prophetæ gloriæ suam aliquo modo conspiciendam exhibere. Quid verò est gloria Dei? Exodi cap. 34. legimus, quòd Deus cum Moses peteret vt ipsi gloriæ suam ostenderet, eum stare iusserit in vertice montis Sinai, & recitarit coram eo hæc verba: Dominator, dominus, Deus misericors & clemens, patiens, multæ miserationis, ac verax, &c. Hæc igitur est gloria Dei, quæ variis passim in Scriptura attributis commemoratur, inter quæ præcipua sunt, quòd sit iustus, misericors, omnipotens, &c. Hæc non solum verbis, sed hoc visò, prophetæ obiicere voluit Deus, vt eo confirmatus, suo munere liberius fungi possët. Arduam enim prouinciam imponebat ei Deus, agendum erat cum populo rebelli, denuntiandusque illi erat interitus. Sciebat Ieremiam 35. annis huic populo exiguo cum fructu prædicasse, sciebat quomodo se erga alios prophetas melioribus temporibus gessissent, id quod eum terrere potuit, erexit itaque ipsum Deus. Nec nouum est quòd Deus suos seruos & verbis, & visionibus erigit. Ex multis exemplis pauca adferam: Genesis 31. & 32. Iacobum metuentem fratris Esau insidias, angelica visione consolatus est. Iosue cap. 5. & principem, & totum exercitum, visione Angeli similiter confirmauit. Moyse Exodi 3. in ardente rubo apparuit. Helisæo ab equitibus circumuento, currus, & equites igneos obiicit. Isaias, Ieremias, & alij prophetæ, diuinas visiones habuerunt. In nouo testamento Christus discipulos suos in montem duxit, & coram eis transformatus est, Matth. 17. Petrus visione confirmatus gentibus euangelium prædicat, Acto. 16. Paulus à Macedonia vocatus per visionem, in Græciam transfretauit, in qua exiguo profectu prædicaturus videbatur: aliis quoque visionibus eum confirmauit, cuius opera in primis vsus est in spargendo Euangelio inter gentes. Ita hoc loco Ezechielem visione confirmat, ostendens, quis & qualis sit, quodque facile eum defendere possit, & impios, qui securi erant, perdere.

Quæri possët, cur Deus hodie magnos viros, politicos, & ecclesiasticos, non confirmet visionibus, vt olim prophetas suos & alios? Responso in promptu est: Post Christum mundo exhibitum, hoc non ita esse necessarium, imò propheticæ illæ visiones, nos quoque hodie in nostra vocatione confirmare debent.

Nec dubitandum quin hæc visio Ezechielis, ad nostram vtilitatem conscripta sit, vt quisque in omnibus periculis, cogitet quis, & quantus sit ille Deus, cui seruimus, quique nobis, vel hoc, vel illud onus imposuit, Dominus nimirum omnipotens, cui omnes creaturæ parent, omnes suum facientes officium. Hic Deus nos in periculis defendet, & conseruabit: proinde nos voluntati eius totos subiiciamus.

Hæc visio est simulachrum gloriæ Dei Israel.

Cur homines hodie non confirmantur visionibus.

# CAP. I. IN EZECHIELE

HOMILIA III.

*Quid per ventum procellosum, nubem, ignem,  
& Hasmal, item per quatuor animalia  
significatum sit.*

4 Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone nubes magna, & ignis in medio nubis inuoluens se, & splendor erat ei per circuitum, & de medio eius apparebat veluti aspectus electri, de medio inquam ignis.

5 Et de medio eius apparuit similitudo quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis erat eis.

6 Et quatuor facies erant vni: & quatuor alae unicuique.

7 Et pedes eorum pes rectus, & planta pedis eorum veluti planta pedis vituli: & scintillantes tanquam aspectus aeris politii.

8 Porro manus hominis sub alis eorum in quatuor partibus eorum: facies autem eorum, & alae eorum in quatuor ipsis.

9 Iuncta erant vnum ad alterum alis suis: non conuertebantur quando ambulabant, vnumquodque contra faciem suam gradiebatur.

10 Similitudo autem facierum eorum haec erat, facies hominis, & facies leonis ad dextram ipsis quatuor: facies autem bouis erat a sinistra ipsis quatuor, & erat facies aquilae quatuor ipsis.

11 Et haec facies eorum: alae autem eorum extentae desuper: unicuique duae alae iunctae erant vnaquaque alteri, duae autem tegebant corpora eorum.

12 Et vnumquodque contra faciem suam ambulabat: quocumque erat spiritus ut ambularent, ambulabant: non conuertebantur quum ambularent.

13 Et similitudo animalium aspectus eorum, veluti prunarum ignis ardentium, tanquam aspectus lampadarum: ipse ignis discurrebat inter animalia, & splendor erat ipsi igni, & de igne egrediebatur fulgur.

14 Et animalia currebant, & redibant secundum aspectum fulguris.

Gloria Dei est suos liberare, impios perdere.



Expositio singularum partium huius visionis.

Procella, nubes ignis.

Incipimus in genere de fine & usu mirandae huius visionis, quam Deus propheta suo exhibuit: nempe quod voluerit ei repraesentare maiestatem vel gloriam suam, quae in hoc praecipue cernitur, quod potest poenas sumere de impiis, & suos etiam in mediis periculis conseruare, quodque omnia gubernat. Hac indubie visione, postea in omnibus arumnis, & periculis seipsum propheta erexit. Videndum iam deinceps, quid singulae huius visi partes significarint, quarum quinque sunt potissimum: prima est venti procellosi, nubis, ignis & splendoris in medio igne: altera est quatuor animalium: tertia rotarum: quarta similitudinis firmamenti: quinta throni, & sedentis in throno. Duas priores nunc explicabimus, posteriores referuabimus in sequentem concionem.

Quod primam partem attinet, Propheta vidit ab Aquilone ventum turbinis, nubem densam, ignem nubi inuolutum, & in medio ignis Hasmal. His significatur, ab Aquilone Babylonios turbinis instar magno impetu ex improviso venturos in

ros in Iudæam, vt omnia vastent, idque iusto Dei iudicio. Turbo ventus est repentinus, obiecta quæque prosternens: mirabilia eius effecta sæpe vidimus, arbores deiicit, tecta nudat, ædificia prosternit. Nubes tenebras inducunt, quæ afflictiones significant. Ex nubibus pluuiæ descendunt, quæ aliquando collectæ magnum dant hominibus malum, omnia longè latèq; arena & lapidibus implentes. Ex nubibus descendunt grandines, quæ omnia cõterunt & vastant. Ignis si vires acquirat, restringi non potest. His similitudinibus vel allegoriis, in sacris literis interitus repètinus impiorum significatur, Iere. 22. &c. Solomon, Prouerb. 1. de irrisoribus verbi Dei dicit: interitus vester veniet quasi turbo, &c. Lõgè grauius est, si quis subitò & ab improvisò, quàm si paulatim opprimatur. Deinde grauius est, si nemini parcitur, quàm si aliquibus: item si pœna euitari non possit, quàm si aliqua euadendi spes obiiciatur. Per splendorem ignis, & lucidum illum colorem, iudicij diuini æquitatem adumbratam existimo. Potuisset enim quis cogitare, Deum in puniendo populo suo, modum excessisse: At si quis diligenter rem expendat, Iudæi atrocissima illa pœna dignissimi erant. Deus iustus est in omnibus viis suis. Ieremias 1. capite vidit ab Aquilone ollam ebullientem, qua quid sibi velit Deus, ipsemet explicat, nimirum obsidendam urbem Hierosolymorum ab aquilonariibus populis, nempe Babyloniis.

Hasmal.

Hæc omnes gentes sibi accomodent, ne putent omnia in tuto esse, nihil tribuant suis viribus & consiliis: sed pœnitentiam agant: nullo enim negotio robustissimas gentes Deus excindit. Singuli quoque id cogitantes, caueant sibi ab his propter quæ valida tempestas in homines effunditur.

Altera pars est quatuor animalium, quæ postea cap. 10, vbi eadem visio repetitur, nominantur Cherubin: per quos passim in Scripturis, angel. repræsentantur, quorum ministerio Deus omnia negotia, casus, euentus, res naturales, gubernat & administrat. Possent quidem, vt verbo omnia condidit absque ope, & obsequio vllius creaturæ, sic etiam quæ condidit, per seipsum gubernare & dirigere, verum suabonitate adductus, angelorum opera vtitur. Legimus angelos regnis, & etiam singulis hominibus præfici, variæque esse eorum ministeria, aliqui enim puniunt, aliqui defendunt homines. Quid si dicamus omnes præterea creaturas per Cherubin significari, quorum opera & ministerio Deus ad perficienda sua consilia vtitur? Cherubin illi, similitudinem humanæ staturæ habuerunt. Quatuor fuisse dicuntur, non quòd Deus quatuor tantum angelorum opera vtatur: Scripturæ enim tradunt innumerabiles esse angelos. Danielis septimo capite dicitur: millena millia ministrabant ei, & decies mille myriades stabant ante illum. Apocalyp. quinto cap. Ioannes dicit multa millia angelorum thronum Dei circûdedisse. Quaternarius numerus significat per omnes plagas vel partes mundi prouidentiam & virtutem diuinam extendi. Iudæi enim cum quibus propheta versabatur, vt suo loco audiemus, negabant Deum gerere mundi curam. Hæc animalia dicuntur quatuor capita habuisse, nempe hominis, leonis, aquilæ, bouis. quatuor præcipuas species animalium recenset, vt ostendat Deum in omnibus creaturis totius orbis, per suos angelos operari: nullam à seipsa moueri. Ireneus lib. 3. cap. 11. aduersus hæreses, quatuor Euangelistas representari putat: hunc alij doctores sunt sequuti. D. Hieronimus Matthæum dicit similem esse homini, quia à Christi generatione euangelium suum ordiatur: Marcum leoni, quia à prædicatione Ioannis in deserto initium sumat, quæ fuerit quasi rugitus leonis: Lucam bovi, quia de Zacharia sacerdote ab initio agat: Ioannem aquilæ, quia à rebus sublimibus, nempe diuinitate Christi incipiat. Alij quatuor monarchias putant significari: & quarum seriem tenere valde quidem est vtile: sed Deum seruis suis visiones aptas præsentibus circumstantiis proposuisse, credendum est. Quaternas alas habuerunt, ad quatuor partes. Angeli alati dicuntur, quia celeriter obeunt sua

Cherubin.

Cherubin  
quatuor.

Quatuor  
capita singu  
lorum.

In prologo  
ad Euseb. in  
4. Euang.

Quaternæ  
alæ.

munera: nulla impedimenta eis obiici possunt, quo minus mandata faciant. Huc pertinet historia Act. 12. de Petro, qui per angelum è carcere eduçtus fuit: porta angelo aperitur, decidunt sponte catenæ ex manibûs Petri &c. Laudatur autem in nuncio, si sit expeditus, nihilque suum iter retardare sinat. Superiores alæ inter se cohærebât, id quod cõcordiam angelorum significare videtur, & harmoniam operum Dei. Inferiores vero alæ corpora eorum contegebant, quod reuerentiæ fuit erga suum creatorem. *Manus* quatuor super quatuor latera vel angulos, sub alis habuerunt. Significat Deum angelos suos aptos reddere, ad exequendum munus sibi impositum: eõsque arcana virtute diuina omnia perficere, quæ aggrediuntur. Manus est instrumentum agendi. Manus sub alis absconditæ, eam quæ videri nequit, & variam significant efficaciam. Nõ enim putandum est, in hac mortali vita, consiliorum Dei rationes à nobis percipi posse. Quaternarius numerus, significat virtutem agendi quocunque impelluntur. Crura horum animalium fuerunt recta. Non prona fuerunt vt alia, sed vt hominis erecta. Non enim obliquus & tortuosus est eorum incessus: sed viam à Domino præscriptam sequuntur, non respiciunt retrò, neque desistunt, donec aliquid perfecerint. Pedes habuerunt vitulinos, vel quod magis placet, rotundos: quod agilitatem eorum significat: nam globi instar in omnes partes moueri potuerunt. Pedes autem scintillabant sicut æs, illustria enim & conspicua sunt Dei opera. Quod colorem animalium attinet, fuerunt similia carbonibus ignitis, vel facibus. quo significari puto, ardorẽ in diligendo Deo, & hominibus, & puritatem iudiciorũ, vel operum Dei.

Manus quatuor suo alis.

Crura recta

Pedes rotundi.

Color animalium.

Motus animalium.

Animalia reuerfa fuerunt, & non.

Sequitur de motu illorum animalium: *Vnumquodque ambulauit versus faciem suam.* non deflexerunt ad dextram vel sinistram, quemadmodum fieri solet, si huc & illuc oculos nostros vertimus, sed ad suum scopum intenta fuerunt: significat obedientiam Angelorum. Inter eundem non conuertebantur facies eorum, sed quæ antè fuerat anterior, in redeũdo fiebat posterior, nihil enim auertere potest, aut remorari cursum eorum. Quodlibet habebat quatuor facies, in quatuor partes mundi directas. Postea rediisse dicuntur, instar fulguris, hoc est, celeriter redierunt quidem, sed non reflexebantur. Motus enim, qui confusi videntur, recti sunt: nihil est obliquum in actionibus Dei. Tertio eadem res inculcatur & repetitur, quia sæpe putamus Deum non rectè res administrare, flectit vt ei visum est. D. August. super Psalms egregia similitudine hoc ostendit, de architeçto, qui habet varia ligna, longa, breuia, recta, curua, ex quibus postea domum extruit. Sed architectonicæ imperiti, rationem illius varietatis lignorum non intelligunt: Ita si nos de actionibus Dei iudicare velimus, sæpe impingimus: at euentus postea declarat, quàm rectè omnia Deus ordinarit. *Ipsè ignis discurrerat inter animalia &c.* Visio terribilis & horroris plena fuit, Carbones verò ignis discurrentes lampades, & inde emissa coruscatio futura mala declarant. Dauid dicit, Cadent super eos carbones ignis, &c. Psal. 17. 119. 143. Nos colligamus, Deum nullo negotio perdere impios, licet putent se fatis munitos esse: & asserere pios, quantumuis in magnis periculis constitutos, Ipsi sit gloria.

## HOMILIA IIII.

*Quid per rotas, firmamentum, thronum & illum qui in throno sedit, adumbretur.*

15 Et quum vidissem animalia, & ecce rota vna in terra iuxta animalia cum quatuor faciebus suis.

16 Aspectus



16 *Aspectus rotarum, & opus earum tanquam aspectus lapidis tharsis: & similitudo vna quatuor ipsis: aspectus earum, & opus earum, ac si esset rota in medio rotæ:*

17 *Ad quatuor latera sua, dum irent ipsa, ibant: non conuertebantur quando ambulabant.*

18 *Et canthi erant eis, & altitudo erat eis, & pauor erat propter eas: & dorfa earum plena erant oculis per circuitum, quatuor ipsis.*

19 *Quomque ambularent animalia, ambulabant rotæ iuxta ea: & cum eleuabant se animalia à terra, eleuabant se rotæ.*

20 *Quocunque erat spiritus vt irent, ibant, & illuc spiritus rotarum erat vt irent: & rotæ eleuabant se è regione eorum: spiritus enim animalis erat in rotis.*

21 *Quum ambularent ipsa, ibant rotæ: & cum stabant ipsa, stabant: & cum eleuabant se à terra, eleuabant se rotæ è regione ipsorum: quia spiritus animalis erat in rotis.*

22 *Et similitudo super capita vniuscuiusque animalis erat firmamenti, tanquam aspectus crystallo terribilis, expansa super capita eorum supernè.*

23 *Sub firmamento autem alæ eorum erant rectæ, altera alteri vnicuique duæ, quibus tegebant se, vnicuique inquam duæ erant quibus tegebant corpora sua.*

24 *Et audiui sonum alarum ipsorum, tanquam sonum aquarum multarum, & tanquam vocem omnipotentis, quando ambulabant, vocem inquam loquelæ tanquam vocem castrorum: quando stabant, remittebant alas suas.*

25 *Et facta est vox è firmamento quod erat super caput eorum, quando stabant illa, & remittebant alas suas.*

26 *Et super firmamentum, quod erat super caput eorum, erat tanquam aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo tanquam aspectus hominis super eum supernè.*

27 *Et vidi tanquam speciem electri, tanquam aspectum ignis intra ipsam per circuitum ab aspectu lumborum eius, & supra: & ab aspectu lumborum eius, & infra vidi tanquam speciem ignis, & splendor erat ei per circuitum.*

28 *Velut aspectus arcus qui fit in nube in die pluuiæ, sic erat aspectus splendoris per circuitum.*

29 *Hæc erat similitudinis gloriæ Dei visio: & vidi, & cecidi super faciem, & audiui vocem loquentis, &c.*



Equitur tertia pars huius visionis, nempe de quatuor rotis, Quæ sua sponte cohærebant: non enim axi iunctæ fuerunt. Rotæ quas vidit, significant omnes mutationes, & conuersiones in mundo. Huc pertinet historia illa, quam Paulus Diaconus lib. 17. rerum Romanarum refert. Anno 13. Mauricij, Priscus prætor eius, contra Chaianum bellum gesserat, tandem misit ad eum sapientem virum Theodorum, qui de pace cum eo tractaret. Chaianus multis victoriis elatus, pacem initio respuebat, sed legatus veteri illa narratione (quæ extat apud Herodotum) ad pacis consilia eum flexit. Sesòstris, dicebat, Ægyptiorum rex, vectus est curru,

Rotæ:  
der Welt  
lauff.

quem quatuor reges ab eo deuicti trahebant: cumq; vnus ex ipsis, subinde respiciens rotam contēplaretur, Sesostris interrogabat, cur toties respiceret. Considerans, ille respōdebat, ea quæ summa fuerunt in rota, mox ima fieri, cogito de mutatione rerum humanarum. Hac cogitatione Sesostrim mitiorem factum, noluisse vt reges vltius currum traherent, &c. Hæ rotæ *stabant prope animalia* vel angelos *in terra*, hoc est, in sublimitate aëris, in cælo: in visione enim hæc ei oblata sunt. Rotæ à Deo per angelos regebantur. Quòd ab aliis ad alios summa imperia trāsferūt, opes, honores, quòdque tam variæ vices sunt rerum, non fit casu & temerè. Nam omnia, etiã illa quæ fortuita nobis videntur, diuina prouidentia cuncta geruntur. Id multis scripturæ testimoniis, & exēplis ostendi potest. Deut. 19. cap. Deus dicit: Si duo in syluam ierint ad cædendum ligna, & securis è manu alterius elabatur, & ea percutiatur ille qui proximus ei est, ego tradidi eum in manum occisoris. Prouerb. 16. dicitur sortes etiam à Deo gubernari. Christus Matt. 10. cap. ne passerem quidem in terram cadere dicit, citra Dei prouidentiam. Quòd autem quidam videre non possunt, quomodo Deus omnia gubernet, inde est quod Deum immensum, ex suo ingenio metiuntur, neque cogitant in eius conspectu cælum, & terram quasi punctum esse. Isa. 40. cap. Omnes gentes sunt quasi nihilum coram eo, &c. Quaternarium numerum supra dixi, significare vicissitudines per omnes mundi plagas. Rotæ erant implicatæ, vt duo circuli ad rectos angulos se interfecantes. Sæpe fluctuamus, cum res sursum & deorsum volui conspiciamus, at cogitandum est, rotas illas cadere non posse. & quoniam rotæ rotis implicatæ sunt, ne speremus illarum motionum rationes à nobis percipi. Si secundum humanam rationem de operibus Dei, & euentis iudicamus, tanta est perplexitas, vt nos explicare non possimus: at Deo quàm expeditissima sunt omnia. Rotæ illæ pares inter se erant. Hæc æqualitas ostendit summam moderationem, & iustitiam in operibus Dei. Sæpe cogitamus Deum res non rectè administrare, cum quàm rectissimè omnia inter se consentiant. Si ratio consiliorum eius nobis constaret, omnia cum admiratione collaudaremus. Sententias iudicum sæpe reprehendimus, at cognitis rationibus, quæ eos ad hanc vel illam sententiam ferendam mouerunt, optimè sumus contenti. Altitudo rotarum tanta fuit, vt horribiles & formidabiles essent: nimirum quò propheta magis ad attentionem excitaretur. In circumferentia rotarum, vel in canthi, fuerunt multi oculi. Oculi curam, inspectionem, & prouidentiam Dei significant: rotæ enim non cæco impetu voluuntur. Fingunt fortunam cæcam, omnia suo arbitratu sursum, & deorsum agitare, vt qui nunc clarus est, mox fiat obscurus, qui victor, mox vincatur: sed in illa crebra mutatione, nihil fit sine Dei iussu & procuracione: nihil casu & temere. Etiam quæ naturaliter fiunt, habent causam superiorem. Color rotarum fuit tanquam lapidis Tharsis, quem alij Chrysolithum, alij Hyacinthum esse dicunt, habet autem maris subcæruleum colorem. Hieronymus vertit mare: vt mare ventis obnoxium & varium est: ita in rebus mortalium nihil est stabile & perpetuum, veluti quodam fluxu, refluxuque accedunt, & decedunt. Deus verò qui mari dominatur, illas rerum vicissitudines temperat iusto suo iudicio. Rotæ non temere huc vel illuc voluebantur, sed animalia tanquam capita & duces suos sequebantur, cumque illa è terra subleuaretur, subleuabatur & rotæ: cum starent, stabant & ipsæ. Non quidē cessant angeli ab operandi munere, sed hoc dicit, quòd nobis videantur aliquando quiescere. Spiritus animalium erat in rotis. Non per se mouebantur, sed motus illi à spiritu Dei pendeant. inferiora enim à superioribus reguntur. Additur non fuisse conuersas. Quia enim quasi globum cōstituebant, in anteriorem & posteriorem partem ingredi, & in dextram aut in læuam ferri, ita potuerunt, vt conuersione opus non esset.

Quarta pars huius visionis, est similitudo firmamenti vel cæli *רַקִּיעַ* rakia, Græci

Omnia à Deo gubernantur.

Rotæ sunt quatuor. Rotæ implicatæ.

Rotæ sunt similes.

Rotarum altitudo horrenda. Canthi rotarum oculis pleni.

Color rotarum maris.

Rotarum motus.

Rotæ non fuere reuersæ. Firmamentum.

Græci nescio quàm rectè verterunt *σπερμα*, hoc Latini secuti, reddiderunt firmamentum. Vox enim Hebræa potius extensionem siue expansionem significat. *רָקָה* raka enim significat expandere, diducere, attenuare, vt lana diducitur, vel metalla malleo diducuntur, vel vt tentoria, & cortinæ extenduntur. Accipitur pro cælo, & regione aëris, quæ inter nos, & cælum interest. Colorem huius cæli, dicit cristallinum fuisse, hoc est, limpidum, & perlucemem. Sub hoc cælo, fuerunt quatuor illa animalia: vt ostendatur Deum qui sublimis in throno sedet, dominari angelis, omnibusque aliis creaturis. Quando animalia incedebant, alis suis magnum sonum edebant, qui tribus similitudinibus exprimitur. Quando stabant remittebant alas suas. Stetisse dicuntur, non quod in Dei opere perpetuò non sint, sed quòd (vt paulò antè dixi) cùm nihil sentimus, nobis stare vel quiescere videantur. Deum aliquando dormire putamus, si manum suam non exerat.

Quinta pars huius visionis, est similitudo throni supra firmamentum. Thronus vel folium, saphirum gemmam referebat, quæ cælesti colore conspicua est. Thronus ille significat maiestatem, & dignitatem regiam, iudiciariamque administrationem. In hoc sedet homini similis. Deus optimus maximus, qui præsidet omnibus creaturis, easque gubernat, similis videtur homini, secunda enim persona diuinitatis, Dei filius, constituto tempore humanam naturam assumpsit, crucifixus est, resurrexit à mortuis, ascendit in cælos, ac sedet ad dextram maiestatis, Eph. 4. Colof. 1. Ioan. 12. Dicitur sedere in folio, quia dominus & iudex vniuersorum, est tranquillo animo, non perturbatur affectibus, vt homines. Suprà omnia collocatus esse dicitur, ne cum causis ipsum motorem moueri existimemus. A lumbis sedentis in throno, ignis sursum & deorsum fuit. Deus enim ignis consumens dicitur ab Isaiâ, qui scoriam peccatorum non potest ferre. Item primæ ad Timotheum sexto, dicitur lucem inaccessiblei habitare. Iris thronum circumdabat, vt quantum nos Dei maiestas deiicit: tantum eius misericordia, quæ per iridem significatur, nos rursus erigat. Geneseos nono capite, iris data Noeo, & posteris eius à Deo, in signum quòd mundus non amplius vniuersali diluuiò perdendus sit. Symbolum itaque est gratiæ diuinæ, & fœderis quo se nobis adstrinxit. Quando Christus, cui Deus pater, omne iudicium tradidit, in nubibus cæli venturus est iudicare viuos ac mortuos, non debemus consternari ad throni eius contemplationem, sed cogitare de gratia Dei & fœdere, cuius iridis visio nos admonet. Quòd verò vltimo demum loco mentio fit, sedentis in folio, hoc est, Dei optimi maximi, ideò factum puto, quòd certis gradibus ad Dei cognitionem peruenitur. Paulus enim ad Roman. primo capite testatur, aternam Dei potentiam, & diuinitatem, ex operibus creatis & visibilibus cognosci posse. Plenius autem cognoscitur ex verbo suo, in quo quantum nobis de ipso cognoscere vtile, & necessarium est, abunde traditur.

Hebræi hanc visionem vocant quadrigam, quia in ea veluti in quadriga sunt quatuor animalia, totidem rotæ, supernè apparet firmamentum vel cælum, quod veluti tegumentum super quadrigam expanditur. Nullæ sunt ibi columnæ: quæ cælum fulciant, Dei enim verbo arcana ratione sustentatur. Super hoc tegumento, est thronus in quo dominus sedet, qui quadrigam hanc regit & moderatur, & quocunque vult suo arbitratu in quatuor terræ partes agit. Vt rectores seu vectores currus, & iumenta habenis moderantur: ita Deus sua prouidentia gubernat vniuersa ad suam gloriam. Principes suos habent currus triumphales, quibus vehuntur: sic scripturæ inducunt Deum super Cherubin sedere, vel vehi. Psal. decimo octauo, de Deo dicit, ascenderat super Cherubin: sic Psal. octuagesimo & nonagesimo, 2. Regum 19. Alludit ad Cherubin in arca, Exodi 25. capite.

Thronus Dei.

Deo omnia subiecta.

Iris ignem ambit.

Certis gradibus ad Dei cognitionem, venitur.

Visio currus.

Quidam pu-  
tant hac vi-  
sione signi-  
ficari regnū  
Christi in  
quatuor an-  
gulis mundi  
dilatādum.

D. Ioannes in Apocalyp. 4. cap. similem ferè visionem describit, quæ ei à Deo oblata fuit.

Addendum est hoc quoque, quòd multi pij, & docti viri, Cherubin in hac visione Ezechielis interpretantur prophetas, apostolos & doctores ecclesiarum, à quibus Deus, hoc est, Iesus Christus seruator noster, per verbū suum ad omnes terræ partes vehitur. Certū enim est ministros ecclesiarū in Scripturis etiā angelos dici.

Alia inter-  
pretatio hu-  
ius visionis.

Quidam in libello cui titulus est, Antichristus siue prognostica finis mūdi, hac visione nihil aliud describi putat, quàm exercitum Babylonicum contra Iudæos venturum, ideòque singulas partes ad illum accommodat. Per ventum, inquit, turbinis, & nubem atque ignem inuoluentem, nihil aliud intelligit propheta, quàm grandem illam tempestatem, quæ spiritu iræ Dei veniret Iudæis à Babylone. Atque hoc totius visionis argumentum est. Quemadmodum alibi videt ollam igneam dicens, Ab Aquilone pandetur omne malum. Nunc totam tempestatem visionem speciatim incipit explicare: *In medio huius ignis species electri:* id est, probè armati exercitus. ex electo enim optima arma fiunt: quemadmodum & in fine visionis videre est, vbi Christum ipsū electo armatum videt. Sed & Vulcanus in armis Æneæ, metallo hoc vsus legitur Æneidos octauo, vbi ait,

Tum leues ocreas electo auroq; recocto, &c.

Ideò autem inuoluentem ignem dicit, quòd inuolueret hanc electri speciem. Quod dicit, splendorem in circuitu turbinis, nubis, & ignis fuisse, significat Deum & gloriam Dei cum hoc exercitu aduersus Iudæos stare. Sic enim & in fine capitis splendorem ponit. Quòd autem Deus huic exercitui spiritu suo fauerit, ex ipsa visione infra videbimus.

*Et in medio ignis similitudo* ( id est facies ) *quatuor animalium.* His verbis exercitum describere incipit. Et primū quidem à rege, quem per hoc animal intelligit: nisi præfectos regis quatuor intelligas, quod eodem redit: quippe enim, quod præfecti faciunt, nomine regis faciunt. Et huc magis quadrat visio, vt quatuor vicarij regis, in quadriformi hac, tamen vna imagine, vnum repræsentent regem. Subitum exercitum postea per rotam delineat. Nunc quadriforme ducum animal prosequamur. Quæ igitur huius animalis facies fuerit, exponit. Fingit autem similitudinem seu faciem horum animalium, non quemadmodum vulgò ex Apocalypsi pingunt, qui hinc Euangelistas quatuor nobis reddunt, sed sic, vt vni animali quaternæ fuerint formæ, & vna omnium quatuor hypostasis, quæ vnica est: vnde etiam capite decimo, animal singulariter dixit. Iam quomodo pingi possit, videamus: *Similitudo hominis in eis*, inquit propheta, quasi diceret: In quatuor suis faciebus humanam etiam faciem habebat. Quo verbo animal hoc, hominem etiam fore significat. Soli enim homini sapientia est & ratio pro administranda militari disciplina. A dextra parte leonis facies erat, quo potissimum animosissimūque regem figurabat. A sinistra parte bos foret, qui toruitatem eius notat. Est enim taurus toruissimum animantium. Desuper autem aquila promineret, quo & celeritatem & pertensionem regis signat: vt enim aquila suo volatu quascunque nubes facillè transcendit superatque ita rex iste omneiscūque munitiones perrumperet: quemadmodum in Threnis dicit propheta, Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli, super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis. Eodem spectat, quòd pedes eius rectos dicit, & plantam vitulinam, id est, proteruam: omnia enim proculcaret iste rex. Quòd autem scintillare eos dicit tanquam æs candens, ad alacritatem & iracundiam regis, & ducum pertinet. Iratorum enim oculi quasi scintillare videntur: quemadmodum ille dixit:

Æneid. vi. stant lumina flamma.

Et alius

Et alius itēm de suo Agamemnone:

Ὁ ἀσὲ δὲ οἱ πτεῖ λαμπαρόντι εἰκτιῖ

hoc est, vt de Turno noster dixit.

His agitur furiis, totóque ardentis ab ore

Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Quemadmodum etiam clarius idem Propheta scribit: *Et aspectus eorum quasi carbonum ignis, & quasi aspectus lampadum.* Cæterum quòd pennas quatuor singulis tribuit, ad militiam administrandam egregiè instructos docet. Vulgares enim volucres duarum alarum remigio tantum vehuntur. Quòd autem extentas facies & alas fingit, elatum regis animum, & magnum ducum studium ad deustandum signat. Quòd duabus alis sibi mutuò coniuncta dicit, concordiam summamque ducum conspirationem denotat: ac proinde etiam omnia quatuor animalia in vnū finxit alis. Quòd porrò alteris duabus alis corpora tegunt, significat illos probè armatos aduentare aduersus hostiū iniurias: quales fingit Harpyas suas Maro, quarum alæ nulla accipiebant vulnera. Quod coram facie sua ambulare ea dicit, pertensionem ducum significat, vt qui non respicerent retrò aliquid aggressi, neque desisterent donec obtinerent. Id significat cùm addit, *Vbi erat impetus spiritus*, id est, venti, seu turbinis, quem spiritus iræ Dei in ducibus concitabat: *illuc gradiebantur, nec reuertebantur* (inquit) *cùm ambularent.* Quòd autem manus illas quaternas addit, easque humanas: significat eos grauius acriterque executuros quicquid aggredierentur. Vnde etiam de homine ignauo, & ad opus segni vulgò dicitur: Vt stat, quasi si mancus sit. Denique quòd animalia hæc esse ad similitudinem fulguris coruscantis dicit: ad pertensionem, munitionumque obstantium demolitionem pertinet. Quemadmodum enim feriunt celsas arbores fulmina, ita duces isti summamque vrbes ferient: potissimum tamen Iudæam & Ierusalem, vnde hîc sermo est. Quod dicit autem, *Hæc erat visio: discurrens per medium animalium splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Per ignem intelligit illum ducum ardorem vehementiãque ad subigendos perdendosque populos. Quòd autem fulgura ex igne promicare dicit, significat illorum ardorem efficacem fore, atque insuperabilem. Nam fulgur sanè percellit, quæ tangit. Sic Maro de Cæsare:

— Ad altum

Fulminat Euphratem bello, victosque volentes

Per populos dat iura.

Deinde addit: *Cùmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies.* Per vnã istam rotã iuxta quatuor animalia apparentem, vnum illum exercitum, qui à quatuor animalibus (suis ducibus) ductabatur, intelligit. Quemadmodum enim quatuor equi currum trahunt, ita duces isti exercitum hunc ductarent. Quòd autem vni huic rotæ quatuor facies adscribit, nil aliud significat, quàm quòd vna illa rota quatuor rotas in vna referret substantia: quod dicit propter quatuor primarios duces, quorum vnusquisque rotam, id est, exercitum ita curaret, vt soli sibi commissam. Vnde & propter quatuor istorum administrationē, pluraliter rotas appellat, cùm tamen reipsa vnica foret. Quòd autē per rotas exercitum intelligat, ipse Propheta paulò post exponit, cùm addit: *Et aspectus, & opus*, id est, forma earū, quasi visio maris. Mare enim in Scriptura, populos signat, vt ibi: Mirabiles elationes maris. Huc iã deinde spectat quæcūq; de rotis scribit, quòd statura essent horribiles, & quòd totum corpus rotæ oculis plenum esset: quo significat, totum exercitum acerrimum fore, & vigilem, minimeque ad rem gerendam desidem. Quòd autem exercitus per rotam intelligendus sit, etiam hoc conuincit, quod sequitur: *Cùm ambularent animalia, ambulabant pariter, & rota iuxta ea.* Nihil enim hoc aliud significat, quam exerci-

## CAP. I. IN EZECHIELEM

tum duces fecuturum : *Et cum eleuarentur animalia de terra eleuabantur simul & rotæ:quemadmodum & cum stantibus stabant:* hoc est, ducibus castra mouentibus, exercitus quoque castra mouebat, metebaturque. Nunc idem etiam aliis verbis effert: *Quocunque ibat spiritus, illuc & rotæ ibant.* Dixit enim superius quatuor animalia, in medio venti (quem hîc spiritum vocat) fuisse, & hunc spiritum iræ Dei esse diximus: qui omnes istos duces agat & impellat aduersus Iudæam: quemadmodum alibi dixit, Spiritus plenus ex his veniet mihi. Porro quò duces isti aguntur, eodem & totus mouetur exercitus. *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Hîc clarissimè denotat quid per rotas intelligat, nimirum homines rationales, qui se ducum iussu duci permittant. Cæterum quod dicit, *per quatuor partes earum euntes ibant.* Hîc pro earum, legendum est, suas. Vult enim significare Propheta totum exercitum se simul mouisse per omnes partes suas, neque vlla sui parte debilem fuisse aut impeditum: quo innuit totum exercitum alacrem, & omnes planè Martios fuisse. Vnde & subiungit quemadmodum antè de animalibus dixerat: *Non reuertebantur cum ambularent.* Et tantum quidem de animalibus & rotis, hoc est, de toto exercitu, quem omnibus numeris in militari disciplina absolutum, & omnibus modis ad bellandum instructum figurauit. Nunc porrò quis totius actor authorque fuerit assignat, quem ipsummet Deum cap. 10. esse dicit. Ipsum est animal, inquit, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chebar. Huius spiritu impellebantur duces, impellebantur milites. Hunc videt lôgè supra caput animalium in cristallino loco, velut in firmamento, folio suo sapphireo insidere. Isto Deo loquente omnia mouebantur: rursus hoc remadante, omnium animalium alæ subsidebant, id est, duces Deo & eius impulsioni auscultabant, vt quoquo ille impelleret, huc duces sequerentur. Est enim cor principis in manu Dei, & quò vult impellit illud. Bellum igitur hoc, Dei bellum fore Propheta significat, ne quis nõ pertendendum cogitaret. Vnde & Ieremias dixit: Non est malum in ciuitate quod Dominus nõ fecerit. Describit autem Dei maiestatem, à solij ipsius magnificentia. Quòd autem dicit: *Sub firmamento pennas animalium rectas alterius ad alterum,* nihil aliud significat, quam duces de Dei mandato arrectis auribus perpendisse. Et quicquid ille ducibus sic imperaret, id statim omnem percurreret exercitum. *Nam cum fieret vox à Deo super firmamentum, quod erat supra caput animalium, stabant ista, & tantisper submittabant alas suas,* id est, quietè auscultabant, quid Deus mādari militibus vellet. Accepto autè mādato, & mouētibus istis suas alas, id est, dum exequerentur Dei edictum, *ilicet audisses sonitū, quasi sublimis Dei,* id est, maximum, & humano maiorem. Totus enim exercitus ad ducū edictū sese mouebat: Vnde & *sonū quasi aquarum multarū* fuisse dicit. Per aquas enim Scriptura, vt dixi, populos intelligit. Quòd autè Deum in hominis forma cōspicit, indicat Deū illum, Christū mundi iudicē, patrisq; administratorē fuisse. Subministrabat enim filius patri in omnib. istis per alicuius creaturæ induitionem: quēadmodum Ioan. dicit, filius enarrauit. Sic Daniel quoq; per suum illū filium hominis, Christū intellexit cap. 7. Postremò diuinæ maiestatis animū ab habitu iratū ad vindicandum instructum fuisse indicat dum totum armatū videt: *A lumbis deorsum quasi igni armatus rutilat,* inquit, *A lumbis sursum autem electro armatus apparebat:* videlicet ignis, & electri rutilatione iram eius in Iudæam signans. Pulchrè autem electrum igni coniungit: sic enim argento ipso magis rutilat, teste Plinio. Est autem electrum vbicunq; quinta portio argēti auro inest. Ad vltimum autem velut epiphonemate visionē claudit. *Hic,* inquit, *erat aspectus splendoris per gyrū:* per splendore totā intelligens visionem, quā splendor illustrabat: quamq; (vt initio capitis scribit) aperto cælo cōspexit. In hac autem visione explicāda, totus Ezech. tāquam in cardine versatur. Exponit autem cap. 8. potissimum 9. 10 & 11. Vbi animalia ista alata, etiam Cherub vocat, ne quis ibi angelos ex Cherub fingeret.

Interpres

Interpres Hispanicorum Bibliorum, in præfatione hanc visionem exponens, per Cherubim putat significari piorum regum & magistratuuum dignitatem & officium: qui in summo gradu honoris collocati sint, vt currum, & ei insidentem Dei maiestatem, ad omnes quatuor mundi partes ferant, vel trahant. Cherubim erant custodes arcæ, ita illos quoque custodes ecclesiæ, & euangelij esse debere. Locum affert ex 28. cap. huius Prophetæ, vbi rex Tyri Cherub vocatur, quem putat quasi clauem esse huius visionis. Singula postea adaptat, sunt quadriformes hoc est, absolutissimi, oculati vndique, humanis manibus præditi, quibus ministerium benignum significetur: mutuuum alarum contactum, ad mutuas principum operas refert: rotas esse pia ipsorum consilia, &c. Prima expositio, quæ latius patet, mihi omnium simplicissima esse videtur: volui tamen has quoque in medium proferre: iudicium sit penes lectores.

Alia interpretata.

Vltimum in hac visione est, quo pacto Ezechiel, cum hoc visum ei à Deo obiectum est, se gesserit. Cecidit super faciem suam, & audiuit vocem loquentis. Idem de Daniele, Ioanne, & aliis legitur. Discamus nos, vt si volumus idonei auditores esse verbi diuini, nihil nostris viribus tribuamus: sed nos humiliter subiicientes Dec, ab eius ore pendeamus, & ad ipsum respiciamus. Isaia ultimo capite: super quem quiescet spiritus meus, &c.

Quid Ezechiel fecerit.

HOMILIA V.

*Deus ostendit Prophetæ, qualis sit populus ille, ad quem eum mittit: item quo pacto se gerere debeat, nempe afferre eis verbum suum, & constanter in vocatione sua pergere.*

CAPVT II.



Æc erat visio similitudinis gloriæ Iheouæ: & vidi, & cecidi super faciem meam, & audiui vocem loquentis, & dixit ad me, Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum.

2 Et ingressus est in me spiritus, postquam loquutus est mihi, statuitque me super pedes meos, & audiui loquentem ad me.

3 Dixitque ad me, Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes rebelles, quæ rebellauerunt contra me, ipsi, & patres eorum præuaricati sunt in me, vsque ad hunc ipsum diem.

4 Et filij duri facie & duri corde sunt, ad quos ego mitto te: dicésque ad eos, sic dixit Dominus Iehoua.

5 Et ipsi si audierint, & si cessauerint, quia domus rebellis sunt: & scient quòd Prophetæ fuerit in medio eorum.

6 Et tu fili hominis, ne timeas ab eis, & à verbis eorum ne metuas: quoniam rebelles & spinæ tecum sunt, & cum tribulis tu habitas: à verbis inquam eorum ne timeas, & à facie eorum ne formides: quia domus rebellis sunt.

7 Loquerisque verba mea ad eos, si audiant, & si cessent: quoniam rebelles sunt.

Scopus 2.  
cap.

**I**N primo capite vidimus quis, & quantus sit, qui prophetam vocauit, Deus nimirum omnipotens, dominus exercituum, cuius imperio omnes creaturæ subiiciuntur, qui omnes res creatas quàm iustissimè gubernat, qui impios punit, & pios asserit: hoc capite mittitur propheta ad Israelitas, eique ostenditur quales illi sint, & quo pacto se erga eos gerere debeat, nempe constanter verbum Dei prædicare, et si ei non obtemperent. Singula ordine excutiemus.

Propheta iubetur surgere.

Primo loco iubet Deus prophetam surgere & audire quid ei mandet, simulque immittit ei spiritum, qui eum erigat. In fine capituli dictum est, Prophetam cum vidisset hanc visionem, cecidisse in faciem. Rectè quidem fecit, quod procidit in faciem, sed non perpetuò in terra iacendum est, &c. Cæterum non solum reuerentiæ causâ, sed etiam infirmitate hoc factum esse videri potest. Sæpe enim legimus, sanctos ad Angelorum apparitiones, & vocem Dei valde cõsternatos esse, quod argumentum est humanæ imbecillitatis. Dan. 10. cap. ad magnam visionem expauit, mortuoque similis factus est: sed postea Angelus eum erexit. Ezechiel quoque nisi diuina virtute confirmatus fuisset, fortassis surgere non potuisset. Aliàs quoque morbis & aliis malis afflictos atque prostratos Deus erigit. Ipse, vt Anna prophetissa canit, deducit in foueam, & reducit, sæpe morbis deploratis correptos erigit, & quasi è morte in vitam nos reuocat: grati ergo pro hoc beneficio Deo esse debemus. Ezechiel cum erectus esset in pedes, audit verbum Dei. Ita nos sanitati restituti, & ex aliis periculis liberati, Deo grati simus, verbum eius diligenter & attentè audiamus. Exempla huius rei in Dauide, Ezechia, & aliis egregia nobis proponuntur.

Deus erigit morbis oppressos.

Commentat prophetæ munus docendi. Filius hominis.

Mittitur ad Israelitas. Quales fuerint illo tempore. Rebelles erant.

Secundo loco ostendit ad quos eum mittat, nempe Israelitas, quales sint, quid que ab eis expectet. Quater in hoc capite, Deus Prophetam tropo vulgari Scripturæ, filium hominis appellat, hoc est, hominem, vt admoneret eum humilitatis, ne se propter cælestem visionem, & prophetiæ donum efferret: vtque sibi diffusus totus potentiæ & gratiæ eius, qui eum ad hoc munus vocârat, niteretur. Nos quoque semper cogitantes, nos homines esse, non obliuiscamur nostræ fragilitatis. *Mitto te*, inquit, *ad filios Israel*. Vt illis, qui in captiuitatem abducti fremebant, & illis, qui in patria adhuc securi degebant, concionaretur. Ostendit autem quales sint: primùm dicit esse gentem inobedientem & rebellem, id quod hoc capite quater, aut quinquies repetit. Defecerant enim à cultu & verbo Dei, præsidium salutis non in solo Deo collocantes, colebant Baalim, cumque impiis fœdera pangebant. Non quidem omnes ad vnum tales erant. Nam in Babylone Daniel eiusque socij, extrema quæque pati maluerunt, quàm à Deo recedere. In Iudæa Ieremias, & alij erant. Deus enim aliquas reliquias, rebus deploratis, sibi conseruat, plerique verò impij erant. Loquitur de toto populo, non de singulis hominibus. Ipsi quidem nolebant videri, quod defecissent à Deo, sed res ipsa clamabat defectores esse. Sic hodie multi strenuè negant se Deum deserere, interim spem suam, in quiduis potius quam in Deo collocant. Id autem maximum peccatum esse inde apparet, quod toties Israelitis in hoc capite exprobratur. Principes certè rebellionem suorum subditorum seuerè vlciscuntur. Calvinus annotauit Israelitas בני גוים, hoc est, gentes dici, quòd Deus quasi pro reiectiis eos haberet, qui ab aliis gentibus, quas illi abominabantur, parum differrent: plurali verò numero ideo vt, vt ostendat impietatem grassari in toto populo.

Patres imitati sunt.

Addit, eos insistere patrum vestigijs, qui etiã tales fuerint, Nã Exo. 32. Moyse moram trahente in monte, vitulum conflatilem colebãt: postea ad omnem occasionem contra duces suos fremebãt, Sub Iosueo se rectè quidè gesserunt, mox autè ab eius obitu adoleuerunt alij, qui prodigia magna non viderat, hi in omnem idololatriam effusi sunt, id quod videre est in libro Iudicij, in quo continentur magnæ mutationes.

Sub



Sub regibus quoque rebelles fuerunt, donec tandem decem, mox duæ tribus illarum exemplo nihil meliores factæ, in captiuitatem abductæ sunt. Ideò Deus rectè dicit, eos paternis vestigiis insistere. Posteris quoq; temporibus rebelles & intractabiles fuerunt, donec penitus excisi sunt. Reliquiæ quæ hinc inde oberrant, antiquum etiamnum obtinēt. Hinc colligimus quòd ad defensionem errorum, patrum exemplum non rectè adducatur. Patres in bono sunt imitandi, non in malo, alioqui pœna cumulat. Deinde filios vocat *dura facie*, hoc est, impudentes & perfrecta fronte. In vultu apparet impudentia alicuius. Homines sæpe contra conscientiam peccant, interim pudet eos scelerum: at illi vultu ostendebant, sibi non dolere quæ cõmittebant. Ieremias eis exprobrat, quòd vultum meretricis habeant. Isaias obiicit eis, quòd peccatum suum quasi Sodoma prædicarint. Doeg Idumæus, Psal. 52. gloriabatur, quòd iussu Saulis sacerdotes mactasset. Iudas sicariotes impudenti vultu dicebat, Domine num ego sum qui te proditurus est? Nostro tempore non desunt homines, à quibus ebrietas, scortatio, viuræ & alia scelera impudentissimè defenduntur. Adhæc dicit filios esse robusto corde, hoc est, præfractos & pertinaces, qui nullis minis, nullis pœnis emolliri possint. Postea addit, *spinæ esse*, hoc est, immites, dolosos, & improbos, quos nemo atrectare, vel castigare possit, quin eum pungant. Item scorpios esse dicit: Scorpium venenatum & insidiosum est animal, cuius cauda, vt Plinius tradit, semper in icu est: ferit obliquo icu & inflexu. Non est quòd bonum aliquod ab illis expectes, dicit Dominus, nã pro bono malum rependent, clam & palam vitæ tuæ insidiabuntur, & calumniis te impetent. Hæc prophetæ predicuntur à Deo, non vt animum despondeat, sed vt rem fortiter aggrediatur fretus ipsius auxilio. Sic Moyse prædicat Pharaonem nullis neque minis, neque portentis emolliendum. Christus Apostolis prædicat quòd eos tanquam ouiculas in medium luporum ablegat.

Dura facie:

Robusto corde.

Spinæ. Scorpij.

Quare dicat Deus cum quibus ei negotium sit.

Tertio loco ostendit Deus prophetæ, quo pacto se gerat erga hunc populum. *Ego mitto te ad eos*) Propheta non sponte currit, sed iussus. Dices ad eos, *sic dicit dominus Deus*, non mea somnia aut affectus affero, sed verbum Dei. Dominus dicit hæc, & hæc mala eis inferam, propter hæc, & illa scelera: de his enim postea sequetur, Obiicere potuisset, irriti erunt mei labores, laterem lauabo: addit igitur, vt siue audiant, siue minus, ipse suo officio non desit. *Scient quod propheta fuerit in medio eorum.* Hypocritarum & impiorum hoc est ingenium, vt dicant, si cognouissem Dei voluntatem, hæc & illa non fecissem. Matt. 25. in extremo iudicio dicent impij, Domine quãdo esuriisti, sitiisti, & nõ dedimus tibi cibum & potum? &c. quasi dicat, Si quid faciendum fuit sciuissemus, in nobis nõ fuisset mora. Infirmam dicit eis pœnas contemptæ prophetiæ. Magnum est scelus verbum Dei contemnere, & quasi conculcare pedibus. Si quis panem pedibus contereret, multa dignus iudicaretur, si verò panis cælestis indignè tractetur, quis cõmouetur? Et si homines nõ respiciant ad prædicationem verbi Dei, nihilominus strenuè pergendum est, non statim puluis excutiendus è pedibus. Etenim si nullum aliud fructum parit, tamen prædicatur illis in testimoniũ: & qui diligentes sunt in officio, placet Deo, qui eos ad hoc destinauit. Sæpe etiã cum Helia putamus paucissimos esse qui verbi Dei prædicatione afficiantur, cum non ita pauci sint: Deus enim suos nouit.

Quarto loco confirmat prophetam, vt forti sit & intrepido animo. Primum dicit *ne metuas*, quod postea repetit. Nemo enim tam est ferreus, qui contradicentium multitudine non moueatur: quique hominibus non malit placere, quàm displicere. Deinde addit *ne timeas à verbis eorum*, hoc est, blanditiis, promissis, minis & calumniis non commoueat. Qui corripunt scelera hominum, appellantur seditiosi, proditores, hæretici, quæ conuitia tanquam acutus gladius, animos penetrat. Addit, *negs, à vultu eorũ fragaris*. Et si præ se ferant authoritatem,

Verbum Dei non absque fructu prædicatur.

Ne timeas:

Officium  
concionato-  
rum.

Magistra-  
tuum.

Patrum fa-  
miliis.

vel toruè te inspiciant, vultuque prodant malum animum suum erga te, tu tamen audentior ito. Potest simpliciter etiam dici, à facie eorum, id est, præsentia. Plurimum enim nos mouet hominum conspectus. Facies hominis, facies leonis. Repetit quod ante dixit, loqueris verba mea ad eos, siue audierint, siue non audierint. Quisquis sit euentus, satis tibi sit, quòd ego te iussi loqui. Hæc omnes concionatores ad se transferant. Si mittantur ad homines rebelles & pertinaces, qui verbum Dei contemnunt, & persequuntur, ipsi non desint suo officio. Plurimum quidem nos mouet, si videamus nos cum multis frustra pugnare, euentus tamen Deo permittendus est. Christus discipulis suis dicebat: Nolite timere illos, qui corpus occidunt, &c. Magistratus quoque, etsi populus videatur salutarem medicinam amplius ferre non posse, omnem tamen moueat lapidem, vt omnia bene sint constituta. Certum enim est eorum laborem Deo placere. Patres familias erga liberos suo officio non desint, si videant se frustra luctari, reficere tamen hoc eos debet, quòd sciunt se Deo, qui eos ad hoc vocauit, obsequium præstitisse. Singuli ita se gerant, vt alij quoque ad veram virtutem, & Deum celebrandum excitentur.

## HOMILIA VI.

*Deus pergit prophetam confirmare, & iubet vt librum comedat, quem ei porrigit.*

8 Tu autem fili hominis, audi quæ ego loquor ad te: Ne sis rebellis sicut est domus rebellis: aperi os tuum, & comede quæ ego do tibi.

9 Et vidi, & ecce manus missa est ad me, & ecce in ea erat volumen libri.

10 Et expandit illud coram me, & ecce erat scriptum antè & retrò, & scripta erant in eo lamentationes, gemitus, & veb.

## CAPVT III.

1 **D**ixit autem ad me, fili hominis, quicquid inueneris comede, comede inquam volumen istud, & vade, loquere ad domum Israel.

2 **A**perui igitur os meum, & comedere fecit me volumen illud.

3 **D**ixitque ad me, fili hominis, ventrem tuum comedere fac, & viscera tua imple volumine isto, quod do tibi, & comede illud, & fuit in ore meo sicut mel, præ dulcedine.



Secundo hoc capite, mittitur propheta ad Israëlitas, vt pœnas, quæ propter scelera, & imprimis propter idololatriam, ipsis imminuebant, denunciaret. Prædicat ei Deus, qualis sit populus, vt prudenter circumspectè, & fortiter cum eis agat. Pergit nunc eum confirmare, dicens: *audi quæ ego ad te loquor.* Alij silentium tibi imperabunt, alij præscribent modum quomodo concioneris, tu verò ne moreris illos, sed fac quod ego tibi præcepero. Idem ab aliis quoque verbi ministris requiritur. *& ne sis rebellis, vt domus hæc rebellis.* Multum interest ad vitam rectè degendam, cum quibus quotidie verseremur. Quales enim illi sunt, cum quibus perpetua nobis vitæ consuetudo est, tales etiam nos plerumque efficitur. Facile autem in deterius mutamur, si inter impios vixerimus. Sumus enim pleni dubitationum, proni ad scelera, quod si sermo nobis, & exemplo aliorum incitemur, laxatis frenis in quæuis scelera proruiamus. Quod si proceres, & plebs corrupti sint, tantò maius est periculum. Quid cogitamus, tu ne solus omnibus resistes: Cùm itaque non inter paucos, sed multos pessimos propheta versaretur, periculum erat ne & ipse se malorum ingeniis accomodaret. Nisi enim  
singulari

Consuetudo cum bonis & malis multum potest.

singulari sua gratia Deus nos conferuet, paulatim à pietatis via discedimus, dicit igitur, ne illos imitetur, sed sibi morem gerat. Mox Deus iubet prophetam volumen edere, & postea subiicitur, quòd illud ederit, inque viscera transmiserit. Ne imagineris librum fuisse magnæ molis, quales hodie habemus. Libri vetustis temporibus ferè constabant vna pagina, & quia complicabantur, inde volumina dicebantur, à voluendo. Verulta diplomata hac forma in principum archiuis asseruantur. Hebræi chartam, vel schedam sua lingua librum appellant. Propheta schedam hanc siue reuera edit, vt aliquando tabellarij literas edere compelluntur, siue per visionem in spiritu. Ostendit autem, mandata, quæ ad Israelitas perferenda erant, accuratè ediscenda, & in intima cordis penetralia demittenda esse: non obiter audienda, & discenda: vt sermones eius, quos ad populum habiturus erat, non in ore, & labiis nascerentur, sed ex corde prodirent. Significatur enim deuorandi vocabulo, ingens desiderium, & diligentia singularis. Deuoramus magno desiderio, quæ palato nostro arrident. Deuorasse libros dicuntur, qui eos memoriter tenent. Sic M. Cato à Cicerone de finibus lib. 3. dictus est heluo librorum, eò quod auide libros legeret, eorumque lectione non possiet fatiari. Germani quoque sua lingua dicunt, ille Virgilium, ille Priscianum vorauit, hoc est, diligenter in eo est versatus. *Ecce manus missa est ad me.* Deus nimirum porrexit ei hoc volumen. Is enim mandata ei dedit, quæ ad Israelitas perferret. *In manu erat volumen libri, & expandit eum coram me.* Datur nobis Scriptura, sed tandiu nobis est incognita, donec spiritus eam aperiat & explicet. Propheta vnà cum verbo, explicationem accepit. Iudæi à puero legunt quidem Mosè, & prophetas: sed non intelligunt: velamen enim ab oculis eorum non est remotum, de quo Paulus ad Corinth. Hodie multis hic liber clausus est, quia suis affectibus excæcati, scripturas ad suorum errorum defensionem torquent. *Liber ille retrò, & antè scriptus erat.* Apud veteres volumina ferè omnia interiori parte scribebantur, ea quæ in tergo scripta erant, Græcè Opisthographa dicuntur. Tale volumè hoc quoque fuisse apparet, cuius altera pagina, scelera eorum continebat, altera pænas, quæ de ipsis sumendæ erant. Vel plurima peccata, & graues pænæ descriptæ fuerunt in hoc libro, vna enim parte non potuerunt omnia scribi, implere oportuit vtranque faciem chartæ. Quidam doctrinæ constantiam hoc loquendi genere significatam volunt. Quale argumentum, vel qualis materia libri fuerit, etiam indicatur. *Lamentatio, gemitus, & veb.* Non iucunda in eo continebantur, sed multa tristitia de euerfione Urbis & Templi, de cæde & captiuitate hominum. In Threnis Ieremiæ legitur, obsidionis tempore, matres præ fame liberos suos comedisse. *Quicquid inueneris comedere,* quicumque gustus sit libri, fac tu, quod ego præscribo, non habeas delectum, vt ea tantum dicas, aut discas, quæ placitura sint hominibus: etiam durissima eis proponito, voranda semel est hæc molestia. *Aperui os, & cibauit me volumine isto.* Omissa curiosa disputatione sumpsit librum oblatum, animo propenso fuit ad accipiendum verbum, quod Deus in ore eius posuit. Hæc obedientia à singulis, & vniuersis fidelibus requiritur. Si constat nobis de voluntate Dei, absque disceptatione iussis eius parendum est. *Viscera tua replebis volumine isto,* non in ore habere, sed demittere debuit in ventriculum. Ex intimis enim cordis recessibus, sermo eius proficisci debuit. Multi euomunt, quod animis non conceperunt. *Factum est dulce in ore meo.* Verbum Domini dulce, & suaue est pijs hominibus. Sic etiam David Psal. 118. canit, Iudicia Domini desiderabilia sunt auro, & lapide precioso multo, & dulciora melle & fauo. Impiis quidem verbo Dei nihil est insuauius. Sed quomodo, dicis, hoc volumen gratum & suaue potuit esse prophetæ, cum tot mala populo inferenda contineret? an non ærumnis populi sui affectus est? Prophe-

Liber quæ  
lis.

Edere vel  
vorare vo-  
lumen, quid  
significet.

Volumen  
apertum.

Volumen  
ὀπισθογραφῶν  
φω.

Materia vo-  
luminis.

Obediendū  
Deo.

Volumen  
dulce.

## CAP. 3. IN EZECHIELEM

tæ quidem non fuerunt ἀσποροι, doluerunt eis mala populo inferenda, tamen cogitantes de iustitia iudiciorum Dei, non potuerunt non tranquillo esse animo, & gaudio spiritali affici.

Apocalyp. 10. cap. Similis ferè visio extat Apocalyp. 10. capite. D. Ioannes iubetur voce cælesti accipere βιβλαεῖδον libellum apertum in manu Angeli stantis super terram, & mare. Ille abit ad Angelum, & petit libellum: qui dicit illi, accipe illum, & deuora illum, & amaritudinem afferet ventri tuo: sed in ore erit dulcis tanquam mel. Et accepit libellum de manu Angeli, & deuorauit illum, & erat ori eius tanquam mel, dulcis. Cùmque deuorasset eum, amaritudinem attulit ventri suo. Et dixit ei: oportet te prophetare gentibus, & linguis, & populis, & regibus multis. Hac visione ostendit Deus Ioanni quòd rursus orbi verbum suum prædicaturus sit, principiò quidem per seipsum, liberatus ex Pathmo insula: deinde per fideles ministros ecclesiæ vsque ad finem mundi, &c.

Quibus rebus Ministri ecclesiarum instruantur, ut esse debeant.

Discimus autem exemplo Ezechielis & Ioannis, quibus rebus ministros ecclesiarum instructos esse oporteat, vt populos sibi concreditos vtiliter erudiant. Primum accipere debent librum apertum ex manu Dei, hoc est, Scripturam sanctam, quæ, quod mysterium salutis attinet, fidelibus aperta & perspicua est. Non ex manibus diaboli aut seruatorum eius, alij libri accipiendi sunt, ex quibus aliam salutem, quàm in Christo solo, hominibus prædicent. Deinde vorandus est ille liber, hoc est, summo desiderio, & diligentia ita perlegendus, vt præcipuæ res, quæ in Scripturis extant, eis fiant familiares, easque ad ecclesiæ vtilitatem cum vsus postularer, proferre possint. Nisi enim doctores ecclesiæ sacras literas in promptu habeant, non magno cum fructu prædicabunt. Qui rem aliquam exactè, & memoriter tenet, intrepidè de ea verba faciet: qui vix obiter tenet, subinde titubabit. Pauci sunt qui tanta diligentia sacras literas diurna ac nocturna manu tractent, atque debebant. Plures sunt qui ocio, vino, venationi, & aliis potius rebus, quàm sacris literis se totos tradunt. Quanto autem aliquis diligentius sacras literas euoluit, tantò maiorem ex eis fructum voluntatemque percipit. Neque solum ministrorum verbi Dei: sed etiam aliorum hominum est, magna auiditate sacras literas legere, cùm alias ob causas, tum præcipuè ob hanc, vt si cum morte confligendum est, armati sint, & diaboli impetus declinare possint. Profert enim & ille volumen ab vtraque parte scriptum, hoc est, suggerit nobis, quæ contra priorem, & posteriorem tabulam decalogi peccauerimus, cui sacrarum Scripturarum firmæ consolationes opponendæ sunt.

### HOMILIA VII.

*Deus pergīt confirmare prophetam, ne populi pertinacia fractus, animum despondeat.*

4 Et dixit ad me, Fili hominis, vade, ingredere ad domum Israel, & loquere in verbo meo ad eos.

5 Non enim ad populum profundi labij, & grauis linguæ mitteris, sed ad domum Israel.

6 Non inquam ad populos multos profundi labij, & grauis linguæ, quorum non intelligas verba: profectò si ad eos mitterem te, ipsi audirent te:

7 Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me: vniuersa enim domus Israel dura fronte, & duro corde est.

8 Ecce dedi faciem tuam fortem contra facies eorum, & frontem tuam fortem contra frontem eorum.

9 Vt adamantem fortiozem silice dedi frontem tuam : ne igitur timeas eos , neque metuas à facie eorum : quia domus rebellis est.

10 Et dixit ad me, Fili hominis , omnia verba quæ loquar ad te excipe in cor tuum, & auribus tuis audi.

11 Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios scilicet populi tui, & loquere ad eos, & dic eis, Sic dixit Dominus Deus, Si audierint, & si cessauerint.



Vm Christus seruator noster , primùm discipulos suos ablegaret ad prædicandum Euangelium ( Matth. 10. capite) non solùm varia pericula eis prædixit : sed etiam quo pacto se in illis gererent ostendit, eòsque consolatus est : ita hoc loco Deus Ezechielem ad populum mox perdendum missurus, quàm obstinatus sit ostendit, simulque eum confirmat, ne animum abiiciat, & instruit quid, & quomodo cum illo populo agere debeat , de qua re partim suprà audiuius, partim iam plura Deo duce audiemus.

Primùm dicit, *ingredere ad domum Israel, & loquere verba mea ad eos.* Iterum iubet vt loquatur non sua somnia, sed verba quæ ab ipso Deo accepit. Prophetæ enim, & ministri ecclesiarum, non sua commenta, sed oracula diuina proferre debent. Christus ad Apostolos dixit Matth. 28. cap. docentes eos seruare quæcunque ego mandauì vobis, & Paulus 1. Corinth. 11. ego accepi à domino, quod & tradidi vobis. Cùm primùm monachi, sacrifici, & nonnæ suas visiones, somnia, & commenta, hominibus obtruserunt, actum fuit de puritate doctrinæ, cumulatae sunt paulatim superstitiones infinitæ. Iam confert Israelitas cum aliis gentibus, quas ipsi vt impuras abominabantur, eòsque illis peiores esse dicit. *Non ad populum, inquit, profundi labii & grauis lingua, mitteris :* hoc est, ad gentem barbaram, cuius linguam tu non intelligis, & quæ tuam linguam non intelligit. Quod de vno populo dixit, iam de multis dicit, *non mitteris ad multos populos, profundi labii, & grauis lingua, quorum verba non intelligis.* Non ad Ægyptios, Æthiopes, Parthos, Scythas aut alias gentes exteras & barbaras, sed ad tuum populum te mittam. *Si non misissem te ad eos, ipsi audissent te.* Si non, id est, profectò, est enim iurantis particula, subintelligitur non sim Deus, aut aliquid simile, si te non audissent. Vsitata est illa aposiopesis in iureiurando. Sensus est, Si te misissem ad remotas & barbaras gentes, accomodassent tibi aures, non fuissent tam ingrati atque Israelitæ. Certè cùm, tempore ad hoc à Deo definito, Apostoli ad illas gentes venerunt, incredibili ardore Euangelicam doctrinam, quam Iudæi repudiabant, amplexæ sunt. Ad hunc modum loquitur seruator noster Christus, Matth. 11. cap. Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida : quoniam si in vrbe Tyri, aut Sidonis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco, & cinere scelerum suorum pœnitentiam egissent. Attamen dico vobis, Tyro, & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, quàm vobis, &c. Dare nos operam debemus, ne idem nobis exprobrare Christus meritò possit. Quot quæso apud nos habentur conciones, quæ si haberentur inter barbarissimos homines, maiorem fructum afferrent? *Domus Israel non vult audire te, vel obedire tibi.* Israelitæ qui se gloriantur Dei peculiū esse, non volunt te audire, vel si te audiant, tamen non obediunt tibi : sūsque deque habent omnia. Causam subiicit cūr auertant aures suas : *Quia nolunt audire me.* Contemnunt Deum, putantes eum non curare res mortalium, non igitur mi-

Dei verbū  
vrgendum.

Israelitæ  
ethnicis pe-  
iores.

Profundum  
labium, id  
est, lingua  
peregrina.

Qui Deum  
non audit,  
multò mi-  
nus audit  
homines.

rum, si seruos eius audire dedignentur. Sic seruator noster Ioannis 15. cap. loquitur. Mementote sermonis, quem ego dixi vobis: non est seruus maior *Domino* iuo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Ad Samuelem dicit Deus, cum formam gubernationis ab ipso institutam Israelitæ reiecerunt: Non te, sed me contempserunt. Ipsi quidem nequaquam volebant contemptores Dei videri, sed religiosi cultores. Ita hodie multi athei homines nolunt videri contemptores verbi Dei & Euangelij, pro quo se paratos dicunt certissimum vitæ periculum adire: sed dicunt se tantum aduersari morosis illis *passis*. At cum illos, propter illa, quæ ex sacris literis contra superstitionem & scelera afferunt, odio habeant, certum est quod Deum, verbumque eius odio habeant. Qui aliquem colit, etiam seruos eius non reiecit, imò ne canem quidem. Serui Dei non debent abiicere clauum, cum vident sibi negotium esse cum tam perditis hominibus: quia audiunt nihil sibi accidere, quod Deo ipsi non accidat. Impij pios ministros non antè odio habent, quàm Deum ipsum odio prosequantur. Agricola, & alij multos labores sustinent: etsi fructus laboribus non semper respondeat, idem etiam concionatoribus cogitandum, quanquam eorum labores non omnino sint frustranei.

Addit, *Eò quòd uniuersa domus Israel, est dura fronte, & duro corde*: hoc est, quia Israelitæ pudorè absterferunt, & pertinaces sunt. Quod si homines pudorè exuât, & pertinaciã induant, frustra è medio cursu impietatis & scelerum reuocantur. Exempla in multis hypocritis hodie multa manifesta sunt. Quia verò ei dimicandum erat cum rebellibus, instruit eum armis, non secus atque nos cum contra hostes aliquem mittimus. *Ecce dedi faciem tuam fortem contra faciem eorum, & frontem tuam duram contra frontem eorum*. Non hoc vult dicere, quod cum ipsis impudentia certare debeat, sed promittit ei fortitudinem & constantiam, vt possit furori eorum resistere. Rem simili explicat: *Vt Adamantem fortioverem sili-*

Adamas.

Deus fortitudinẽ suam conseruit.

Omnia Dei verba perpendenda.

Repetitiones illæ in sacris literis.

*ce, dedi frontem tuam: non igitur timebis eos, &c.* Adamantem Græci vocant ab indomito robore, vique insuperabili, quippe qui limæ & malleis, quinetiam ignibus duritie sua resistat: tantum hircino sanguine maceratus, ictu malleorum dissilit. Adamas Hieroglyphicũ est fortitudinis, qua quis rebus aduersis non frangitur, rebus secundis non insolescit. Vulgò credunt hanc gemmam, mentem gestantis vano metu liberare, quod tamen superstitiosum videtur. Quemadmodum autem Deus Propheta largitus est fortitudinem, ita hodie quoque ministris ecclesiæ, & magistratibus eam largitur, vt nulla ratione ab honesto, & iusto dimoueri possint. Orandus est Dominus pro hac virtute, cum ab aliis, tum ab illis, qui morbis oppressi fatalem horam expectant. Aliis etiam ad functiones nostras necessariis virtutibus, Deus nos potest ornare, & instruere. Similis promissio Ieremiæ facta est in calce 1. & 15. cap. lege vtrunque locum. *Igitur non timebis, vel timeas eos*. Etsi eum inuictò animi robore muniuisse dicatur, nihilominus tamen subinde eum extimulari oportuit, propter carnis suæ imbecillitatem, ne labasceret. *Omnia verba mea quæ loquar ad te, excipe corde tuo, & percipe auribus tuis*. Non vult vt vnã tantum partem audiat, alteram repudiet, sed vt omnia perpendat. Omnia verba Dei cognitione digna sunt. In his verbis est *שמעו ושמעו*: primum enim audire verbum Dei oportet, deinde in corde reponere: Nihil cum ipsis tuo nomine loquaris, dicit, sed quæ ego tibi mando. *Vade*, cum omnia audieris, citra moram exequere quod tibi præcipio, siue audiant siue minus. Hæc verba, vt quædam alia hoc loco posita, supra quoque habuimus. Repetitiones illæ non sunt frustraneæ. Viri prudentes, & bona memoria præditi, eandem rem non temerè repetunt: quis igitur credat Deum rem eandem semel, iterum, aut sæpius inutiliter inculcare: Præceptores eandem rem

pueris

pueris sæpe instillant : parentes si aliquò mittant liberos , eadem verba sæpe eis inculcant , ne effluant : Ita Deus seruum suum ad Israelitas missurus, idem sæpe dicit. Aliàs quoque illa quæ ad salutem nostram spectant , sæpe mutatis verbis, alia atque alia ratione nobis inculcantur. Exempla passim obuia sunt. Cæterùm non solum prophetæ , sed aliis quoque mandat , vt cum suam voluntatem cognouerit , eam exequatur.

## HOMILIA VIII.

*¶ Prophetæ iterum visione celesti confirmatus, abit ad suos populares, & expectat donec Deus eum incipere iubeat.*

12 Et sustulit me spiritus , & audiui post me vocem magnæ commotionis , dicentem, Benedicta gloria Iehouæ discedentis de loco suo.

13 Et vocem alarum animalium mutuo sese contingentium , & vocem rotarum contra ea , & vocem commotionis magnæ.

14 Et spiritus sustulit me , & assumpsit me , & abij amarus in ira spiritus mei , & manus Iehouæ super me fortis.

15 Veni itaque ad transmigrationem Thelabib , habitantes iuxta flumen Chebâr , & sedi, ipsis sedentibus ibi, sedi inquam ibi septem diebus, admirans in medio eorum.

**E**Zechiel munus propheticum , ad quod vocatus erat , arduum esse facile intellexit. Non enim ignorabat , quomodo Iudæi, qui in peius subinde proficiebant , se erga alios Prophetas gessissent : deinde Deus disertè prædixit , quòd ipsum non essent audituri. Nihilominus tamen voluit vt eis concionaretur , siue audirent siue minus : id tertio repetiit, eumque denuò noua visione confirmat , ne malitia populi fractus , vocationem suam deserat.

Primum autem dicit, spiritum ipsum sustulisse. *נשׂא נפשו* portare , ferre , attollere & eleuare significat , Sensus est , veluti extra se raptum , & in alium virum mutatum, atque ad obeundas res arduas raptum vel impulsum esse. Fuit autem hoc necessarium , ne à populo , inter quem hæcenus vixerat , quasi vnus ex vulgo contemneretur. Videre potuerunt , illum sancti spiritus afflatu , multum mutatum esse. Habemus multa exempla in Scripturis, quomodo Deus rectores populi & Prophetas suos , spiritu suo ornarit , & ad maiora negotia impulerit. Moses Dei spiritu præditus , non de ouibus amplius cogitat , sed de educendo populo. Dauid cum in regem vngeretur à Samuele , relictis gregibus ad sublimiora ductu spiritus rapitur. Apostoli accepto Spiritus sancti dono, magna constantia in Templo , & in Curia , Christum confitebantur , & in primis Petrus qui antè ancillulæ voce territus , Christum abnegauerat. Saul quoque cum in regnum euectus esset, Spiritum Domini accepisse legitur, 1. Sam. 10. cap. Omnes quidem fideles aguntur Sancto spiritu , qui fidem & bona opera in eis accendit. Rom. 8. cap. qui Spiritum Christi non habent , non sunt eius. Ille verò actus Spiritus , de quo nunc loquimur , ministrorum Dei est proprius , neque est ad salutem necessarius, vt alter ille, qui est omnium filiorum Dei, citra quem homines saluari non possunt.

Possent hæc verba etiam ita explicari, quod à Spiritu in alium locum ab homi-

Propheta  
loquitur à  
Spiritu.

## CAP. 3. IN EZECHIELEM

num consuetudine abductus sit. De Christo legitur Matth. 4. tunc Iesus (postquam scilicet baptizatus est, & voce Dei de cælis declaratus) subductus fuit in desertum à spiritu, nimirum sancto, vt tentaretur à diabolo.

Vox magna  
perstrepat.

Deinde Propheta dicit, se à tergo vocem audiuisse magni strepitus. Voci *וַיִּרְאֶשׁ* ferè nostra Germanica respondet *grusth*: tumultum & commotionem reddunt, Lutherus terræmotum. Vox illa dixit: *Benedicta gloria Domini de loco suo*. Hæc vox indubiè profecta est à Cherubim, vel Angelis, de quibus mox subiicit.

Locus Deū  
non com-  
prehendit.

Sensus est, ab omnibus laudetur, & celebretur gloria Dei, quæ præcipuè in puniendis impiis, & liberandis piis se exerit, *de loco suo* vel *eius*, scilicet egredientis, vel mox egressuri, Deus est immensus, & infinitus, ideo nullis locis concluditur. Salomon. I. Regum 8. cap. Cæli cælorum, inquit, non capiunt te. Sua essentia cælum & terram implet. Sacræ literæ cælos ei assignant, qui Dei palatium & thronus dicuntur: eò quòd illic diuina potentia, & gloria maxime relucet. Cælo nihil est pulchrius. Per *אַנְדְּרֵסְטוֹפּוֹלִיאַן*, egredi dicitur de cælo, quando virtutem & potentiam suam manifestius exerit, atque re ipsa declarat, se curare res hominum, vt cum princeps cum exercitu egreditur contra hostes suos, & vindictam de eis sumit. Micheæ 1. cap. Ecce sempiternus egreditur de loco suo, & descendet, &c. Deinde Templum locus, vel domus Dei appellatur.

Cælum lo-  
cus Dei di-  
citur.

Templum  
locus Dei  
dicitur.

Cum Israelitæ adhuc sub tabernaculis, vel tentoriis degerent, Deus in medio ipsorum etiam tabernaculum erigi iussit, vt signum haberent suæ præsentia: posteris temporibus Templum ædificari iussit, & in eo arcam collocari, quæ operculū habuit, in quo duo fuerunt Cherubim, inter quos Deus respondere Israelitis voluit: promisit etiam se exauditurum populum si in templum venisset. Vtque princeps in arce sua quæritur, ita ibi voluit qua si residere, & requiri. Exire è templo dicebatur, cum non amplius eis responsa dare, præcèque eorum exaudire dignabatur, & vt pater, non amplius cum filiis habitare volebat. Angeli dicunt, *Benedicta gloria Domini de loco suo*. Iudæi sibi iniuriam fieri dicebant, si punirentur: at Angeli laudanda dicunt iudicia Dei. Iudæi iactabant se Templum habere, in quo Deus habitaret: at Angeli clamant, Deum excessisse è Templo, non delectari sacrificiis ipsorum, sed de pœna ipsis infligenda cogitare.

Angolorum  
manus.

Discimus ex hoc loco, quodnam sit officium Angelorum. Inter alia celebrare debent Deum laudibus. Hoc loco, Cherubim eum glorificant. Isā. 6. cap. Seraphim (dicunt enim sancti Patres, ordines Angelorum distinctos esse) clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Zebaoth, pleni sunt cæli & terra gloria eius. Lucæ 2. capite, tota cæli militia, canit *γενέθλιον* Seruatori nostro, dicendo: Gloria Deo in excelsis, &c. Suo exemplo nos docentes, Deo laudes, & hymnos offerre. Licet rationem iudiciorum Dei non semper assequamur, tamen non debemus ea reprehendere.

Sequitur Prophetam audiuisse vocem alarum animalium, cum se mutuum oscularentur, hoc est, attingerent, vel alas colliderent. Rotarum item vocem, è regione animalium. His vocibus indubiè Prophetam suum voluit confirmare, vt fortiter pugnaret. Milites voce tubæ & tympani excitantur, vt alacriores fiant, an non hæc visio animum addidisset Propheta? Colligebat hinc Deum qui omnia regit, sibi assistere, & pœnas sumpturum de suis hostibus. Significabant enim hæc, iram Dei de improviso venturam super Israel: & vt tumultus subito oritur, vt vox subito auditur, ita illos cum minimè expectabunt, perendos esse, iamque in procinctu omnia esse. Alis quoque pœnæ celeritas significatur. Iterum dicit, *Spiritus sustulit me, & accepit me, atque abii amarus in indignatione Spiritus mei*. Si ideò amaro fuit animo, quòd videbat rebellionem populi, laudandus est. Nos quoque commoueri debemus, & irasci, cum vide-

mus tot



mus tot prodigia contemni, cautiones ex verbo Dei factas repudiari, & homines in omnia scelera, exitiumque suum ruere. Sin verò inuitus concionandi munus suscepit, videmus nostri ingenij prauitatem. Spiritus, dicit Dominus, promptus est, caro autem infirma.

*Manus Domini inuoluit super me.* Hoc est, virtus Domini me ita confirmauit, vt omnia meæ vocationi postponerem. Hodie etiam manu Domini fulcimur, ne abiiciamus vocationem nostram. In morbis, paupertate, & aliis ærumnis, manu sua nos confortat Dominus, ne frangamur: manu sua nos non aliter regit, quàm nos pueros, qui primum incedere volunt. *Veni igitur ad transmigrati-  
onem in Thelabib.* Plerique interpretes proprium loci nomen esse dicunt. Hieronymus reddit aceruum nouarum frugum. Potest fieri, vt propter fertilitatem, huic loco nomen hoc impositum fuerit. Sunt qui ita intelligunt, *veni ad trans-  
migrationem Thel Abib*, hoc est, ad captiuos qui, quasi referuati fuerunt in horreis ad nouam segetem. *Sedi ibi septem diebus desolatus in medio eorum.* Sedere Hebræis, & Germanis significat habitare, & versari in aliquo loco. Quòd non statim concionandi munus aggressus est, ideò factum videtur vt, quid inter Iudeos ageretur, exactius cognosceret, quò sciret, quid corripere, aut quomodo rem aggrederetur. Debent enim Ministri ecclesiarum, diligenter considerare qualis sit ecclesiæ status cui præficiuntur, quæ vitia, qui errores in ea grafentur. Potest etiam fieri, vt expectarit, donec plenius à Deo instrueretur, & iuberetur conciones suas ordiri. *וַיִּשְׁבּוּ מַשְׁחִמִּים.* desolatus, mærens, obstupescens, miratus est morum peruersitatem, quòd captiuitate non meliores essent facti. Et si verò antè quoque inter eos versatus fuisset, non tamen ita mores eorum considerauit, atque nunc cum ad eos mitteretur, & spiritus vberiora dona accepisset. Considerauit item quomodo ab eis accipiendus esset.

H O M I L I A IX.

*Deus missurus Prophetam ad Israelitas ostendit ei quodnam sit munus eius similitudine speculatoris.*

16 Et fuit in fine septem dierum factum est verbum Iehouæ ad me, dicendo.

17 Fili hominis, speculatorem dedit te domui Israel: audies igitur de ore meo verbum, & admonebis eos nomine meo.

18 Quum dixerò ego impio, Moriendo morieris: & non admonueris eum, nec loquutus fueris, vt caueat impius, vt recedat à via sua impia, vt viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.

19 Quòd si admonueris impium, & non fuerit conuersus ab impietate sua & à via sua impia: ipse in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberaisti.

20 Et quum auersus fuerit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, dabo offendiculum coram eo: ipse morietur, quia non admonuisti eum, in peccato suo morietur, nec memorabuntur iustitiæ eius quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram.

21 Quòd si admonueris illum iustum, vt non peccet iustus, & non peccauerit: viuendo viuet, quia admonitus est, & tu animam tuam liberaasti.

CAP. 3. JN EZECHIELEM



Riusquam Deus Ezechielem ad Israelitas mitteret, Spiritu suo eum ornauit, & quibus moribus præditi essent, ostendit. Plurimum enim refert, ut qui cum aliis agere debent, res eorum omnes perspectas & exploratas habeant. Ezechiel non festinat, sed expectat donec instructus certis mandatis, sciret incipiendum esse. Iam igitur plenius instruitur à Deo his verbis, quibus tota officij prophetici ratio continetur & explicatur. Eadem ferè verba reperuntur infra 33. capite. Sciendum autem est, hoc non ad solum Ezechielem pertinere, sed ad omnes doctores Ecclesiæ: item ad principes, & magistratus, qui etiam diuinitus quasi in specula constituti sunt, ut pro populi salute excubent. Discant omnes alij, ne indignè ferant, si reprehenduntur à doctoribus Ecclesiæ, quos audiunt Deo rationem sui officij reddituros, & puniendos esse, si quid neglexerint. Ut autem verba Prophetæ rectius intelligamus, primùm considerabimus, quo nomine Ezechiel appelletur, nempe speculator: deinde à quo speculatoris munus, sine ministerium verbi acceperit. Postea ostendemus quibus Deus eum præfecerit: mox, quodnam sit eius officium: postremò, quanam præmia ei constituerit Deus, si munus suum strenuè obeat, & quibus pœnis adficiendum dicat, si officium suum neglexerit.

Officium  
Prophetæ.

Nomina va-  
ria doctorū  
Ecclesiæ.

Speculato-  
res.

Videntes.

Prophetæ.

Episcopi.

Presbyteri.

Parochi.

Primo loco inquiremus quo nomine Ezechiel à Domino appelletur. Vocat eum *נבז זופהב* speculatorem, Septuaginta reddunt *σκοπὸν*, similitudine ducta à vulgari more hominum, qui belli & pacis tempore, speculatores constituunt, qui pericula circumspiciant, & maturè indicent, de quo postea plura. Multæ sunt Prophetarum, & Ministrorum verbi appellationes. Vetus temporibus Prophetæ Videntes appellati sunt, 1. Samuelis 9. capite, non modò quòd ea quæ populo euentura, aut alioqui futura erant, præuiderent: sed etiam quòd sui populi curam gererent, atque viderent, ne quid incommodi aut detrimenti acciperet. Prophetæ dicuntur à prædicendo: *προφημ* enim significat prædicere, non autem vatem tantummodò, hæc vox apud Græcos significat, sed, teste Platone, etiam interpretem vaticiniorum. Episcopi quoque nomen Græcis tantumdem valet atque speculatoris. Nam *ἐπισκοπεῖν* est speculari, considerare, & ut Budæus annotat, ægrotum visere, & inspicere. Presbyteri nominantur ab ætate, non quòd ad munus docendi tantum senes delecti sint, (constat enim Titum, Timotheum, & alios iuuenes hoc munus suscepisse) sed ut admoneantur sui officij: senes periti sunt rerum, graues, prudentes & circumspècti, tales esse debent iuuenes quoque, si hoc munus eis committatur. D. Hieronymus scribit, in initio non fuisse distinctos gradus presbyterorum, & episcoporum: sed postea humana autoritate id factum esse. Hodie ferè parochi dicuntur, quanquam pauci ex ipsis hanc vocem intelligant. Parochum vocabant *πρόξ το πείρεχον*, qui peregrinis vel hospitibus ligna, & salem, hoc est, res necessarias præberet. Horatius lib. 2. Sermo. pro conuiuatore, hoc est, conuiuij exhibitore posuit. Deinde paranymphus sic appellatur à *παροχέιδαι*. Pausanias enim scribit, in Græcia moris fuisse, ut in nuptiali curru tres duntaxat sederent, & media sponsa, à lateribus sponsus, & quem vocant *πείροχον*, qui amicitia vel sanguine iunctus esset, & cui plurimum deferrent. Hinc parochos dictos volunt, ab exhibitione sacramenti Eucharistiæ, & parochias quibus singulis Ministri destinati sunt. Budæus autem non parochias primùm, sed parœcias appellatas esse censet. Parochi significatio, meo iudicio, Ministris ecclesiarum ideò pulchrè congruit, quòd ipsi hominibus, qui hospites & peregrini sunt in hoc mundo, mensam verbi Dei apponunt, & sacramentum Eucharistiæ administrant: deinde sponsam Christo adducunt. Doctores ecclesiæ habent etiam alias appellationes in Scripturis, dicuntur agricolæ, vitatores, piscatores, pastores, architecti, milites, ut multas alias omittam, quæ passim occurrunt.

Notandum

Notandum autem est, Ministris ecclesiæ illorum ferè hominum nomina tribui, qui multa grauia & difficilia perferunt in suis artibus, quique strenuè laborant. Doctores enim ecclesiarum strenuè laborare decet, non viuere in ocio, & stertere. Considerate, quæso, quot pericula adire milites cogantur, quàm grauia pati vinitores, agricolæ, pastores, & facile apparebit, quid à gubernatoribus ecclesiæ requiratur.

Laboriosorum hominum nomina tribuuntur Ministris ecclesiæ.

Secundo loco ostenditur quis Ezechielem speculatorem constituerit. Dominus dicit, *Ego te constitui speculatorem domui Israel.* Ministerium ecclesiasticum à Deo ipso initio & institutum est, & perpetuò conseruatur. A primordio rerum, Deus ipse in Paradiso primis nostris parentibus, ante & post lapsum, concionatus est. Postea voluit vt Patriarchæ liberos & nepotes suos in vera religione erudirent: eamque viua voce ad posteritatem propagarent: Et hanc quoque ob causam, tot sæculis eos superstites esse voluit. Primogeniti quoque, qui reliquis digniores erant, alios de religione docere debuerunt. Postquam verò Deus populum suum Israelium ex Aegypto in terram patribus promissam eduxit, & Rempub. atque ecclesiam constituit, Leuiticam tribum singulari priuilegio cultui diuino, & sacris ceremoniis iussit præesse. Nihilominus tamen necessitate postulante, ex aliis quoque tribubus, Prophetas ad instaurandam, & conseruandam doctrinæ lucem excitauit. Tandem cum Christus Dominus noster in mundum venisset, ipse docendi munere functus est. Mox duodecim discipulos delegit, quos Apostolos vocauit, quæ Euangelium in totum terrarum orbem disseminaret. Præter hos, etiam alios septuaginta discipulos asciiuit, quorum opera in propaganda sacra doctrina vteretur. Post ascensionem suam, prima ecclesia D. Matthiam loco Iudæ proditoris, (vt duodenarius numerus perficeretur) Apostolum declarauit. Postea Christus Paulum cælitus vocauit, vt quemadmodum hactenus ecclesiam vastauerat: ita deinceps eam plantaret. In ecclesiis, quas passim verbo Dei ædificauit (quemadmodum alios quoque Apostolos fecisse credendum est) idoneos Ministros præfecit, veluti Timotheum, Titum, & alios, à quibus & ecclesiis postea alij quoque delecti sunt. Posteris temporibus Episcopos à populo & Ministris ecclesiæ declaratos legimus. Hodie tota ecclesia, vel illi quibus ecclesia eam rem committit, item illi qui ius habent electionis, ecclesiæ doctores deligunt. Et quanquam ab hominibus ordinantur, ordinatio tamen illa est diuina. Quemadmodum magistratus, coniugium, & aliæ vtilis ordinationes, diuinitus constitutæ sunt: ita etiam munus docendi à Deo inuentum est, & institutum. Hæc autem sæpe memoria reperere, non est inutile. Hinc enim colligimus, non solum quàm vtile & necessarium sit Ministerium ecclesiæ, sed etiam quanta eius sit dignitas, contra homines prophanos, qui eius authoritatem extenuant, & conuellunt. Discunt etiam Ministri, & qui ad Ministerium ecclesiæ formantur, ne quid sua tam eccellente & honorifica functione, indignum committant: semper enim ratio officij nostri habenda est. Sic honesti senes cogitant relinquendas nuces, & nihil contra dignitatem personæ suæ committendum esse. Adfert præterea cum aliis hominibus, tum Ministris magnam consolationem, quod sciunt munus docendi esse ordinationem Dei, qui suæ institutioni non defuturus sit, vt ut homines contra puram verbi prædicationem multa moliantur.

Necessitas, & dignitas sacri Ministerij.

Deus conseruabit Ministerium à se institutum.

Sequitur iam tertio loco, quibus Dominus Ezechielem speculatorem præfecerit. *Speculatorem vel Episcopum dicit, constitui te domui Israelis.* Domus in sacris literis, non modò pro habitatione, sed pro ipsa familia & posteritate accipitur. Domus Israelis sunt, qui aliàs filij Israelis appellantur. Iubet itaque Dominus, vt omnibus Israelitis, cuiuscunque sexus, ætatis, vel ordinis, tam bonis quàm malis, verbum suum proponat. Ad Ieremiam dicit: Ego constitui te

Domus, Israel.

Principes  
etiam repre-  
hendendi.

hodie super gentes, & super regna, vt euellas & extirpes, &c. Prophetæ iussu Dei suos homines docere, consolari, reprehendere debent: non tantum plebeios homines: sed & reges, principes, nobiles, sacerdotes. Stultus medicus haberetur, qui ventri & pedibus tantum mederi vellet, & de capitis morbis non esset sollicitus: ita inepti fuissent Prophetæ, si plebis tantum vitia correxissent, & principum, qui capita sunt Reipublicæ, scelera dissimulassent. Non desunt hodie, qui etsi concedant veteres Prophetas, procerum vitia, quodam priuilegio meritò publicè reprehendisse: nostro tamen tempore id fas non esse dicant, eò quòd contemptum, & seditiones pariat. Quibus respondemus, flagitia magistratuum si nondum aperta & manifesta sunt, publicè non esse diuulganda: sed si vulgò innotuerunt, totamque ecclesiã offenderunt, ex verbo Dei acriter, adhibita tamen moderatione, esse taxanda. Nisi enim hoc Ministri faciãt, canes sunt muti, qui ossa in os iniecta non latrant, de quibus Isã. 56. cap. Reprehensionem scelerum in ecclesia communem & vniuersalem esse debere, Christus ipse, Apostoli, & Sancti Patres docuerunt. Qui flagitia principum dissimulant, & illis, & toti ecclesiæ, & sibi ipsis authores sunt maximorum malorum. Sic enim in Threnis Ieremiæ. 2. cap. legitur: Prophetæ tui viderunt tibi vana & infusa, neque traduxerunt iniquitatem tuam, quò auerterent captiuitatẽ tuã, &c.

Proceres ec-  
clesiæ etiam  
reprehen-  
dendi.

Quod de politico magistratu dicimus, ad ecclesiasticum etiam, vt vocant, pertinet. Non enim sunt audiendi adulescentes, qui pontificum flagitia negant in lucem protrahenda esse, ne Ministerij dignitas, & authoritas cõcidat: neue omnis generis scandala subsequantur. Illos qui secus faciunt, similes esse Chamo, qui patris sui Noei verenda detexit. Illi certè officium Prophetæ non rectè perpendunt. Sunt item non pauci, qui tametsi homines in ecclesia, non solum docendos, sed & cum mores ipsorum ita merentur, reprehendendos, idque grauissimis verbis esse fateantur: tamen non concessum esse clamant, vt ecclesiæ doctores, aliarum ecclesiarum, maxime illarum, quæ à vera & pura doctrina abhorrent, vllam curam suscipiant. Quapropter non ferendos esse illos, qui dum vel viua voce vel scriptis alias ecclesias erudire volunt, communem pacem perturbent. Ezechiel, & alij Prophetæ, non suis tantum hominibus concionati sunt: sed exteris quoque gentibus. Debet quisque vbicumque potest, gloriã Christi promouere, gemẽtibus sub iugo Antichristi opem ferre, omnibus hominibus pro virili consulere, & prodesse. Neque dubitandum est, quin Deus Chalcographiam singulari beneficio, ad propagandam veram, & profligandam falsam religionem, nouissimis illis temporibus, hominibus concesserit. Pij doctores, qui magnis donis præditi fuerunt, ab Apostolorum tẽporibus, non solum de suis hominibus: sed aliis quoque, henè mereri studuerunt. Vult Deus, vt ecclesiarum Ministri, tanquam ex aliqua specula omnes obseruent, & maturè rebus ipsorum consulant.

Eriam exte-  
ri reprehen-  
dendi.

Officium  
Prophetæ.

Similitudo  
speculato-  
ris.

Postquam explicauimus quosnam Deus curæ serui sui commendauerit, audiemus iam deinceps de officio eius, aliorumque Ministrorum ecclesiæ. Sacræ literæ de officio illorum, nos variis modis erudiunt, præceptis & exemplis, aperte & figuratè. Hoc loco, totum Ecclesiæ officium, aptissima similitudine speculatoris proponitur. In vrbibus vigiles siue speculatores in ædita aliqua parte collocantur, vt si incendium, vel hostes videant, ciuibus clamore, tuba, campana, vel igni è specula sublato significant. Præcipuè tempore belli, custodes & speculatores constituuntur, qui apparatus, insidias, aduentumque hostium diligenter obseruent, ne vrbs, vel exercitus deimproviso opprimatur. In ecclesia Episcopi, vel speculatores, tanquam in specula collocati sunt, vt non tantum oculis corporis: sed etiam mentis, inspiciant, quo in statu ecclesia versetur: cumque ignem conspiciunt iræ Diuinæ, statim suos homines admoneant, vt eum restinguant, ne latius vegetur. Ignis verò iræ diuinæ tunc acceditur, cum

Magi-

Magistratus, concionatores, & plebs suum officium non faciunt: cum verbum Dei contemnitur & conculcatur: cum bonæ leges dormiunt: cum omnis generis flagitia impunè grassantur. Monēdi igitur sunt homines, ut penitentiam agant, per quam solam hoc incendium opprimitur, & extinguitur. Ad Esaiam dicit Dominus: clama, ne cesses, quasi tubam exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera ipsorum. Quādo Episcopi conspiciunt hostem aduentantem, ciuibus Dei id nunciare debent. Communis noster hostis diabolus, sicut leo famelicus. D. Petro teste, obambulat quærens quem deuoret. Nihil nō tentat, clam & apertè, à dextris & sinistris nos aggreditur, ut fidem abnegemus, & officium nostrum deseramus. Cum illo suas copias iungunt impij homines, Epicuræi, hæretici, tyranni, falsi fratres, qui dolis, blanditiis, atque aperta vi veram doctrinam oppugnant. Caro nostra subinde nos transuersos rapit. Speculatorum nunc est, ista pericula hominibus indicare, & omnes verbo Dei tanquam tuba & tympano excitare, imperitos docere, fractos erigere, errantes reducere, omnemque mouere lapidem, ne ciues regni Dei aliquo incommodo adficiantur. In speculā nō constituuntur cæci, surdi, muti, ita docendi munus non ineptis est cōmittendū. Episcopi longius circumspicere debēt quàm alij, item sanctius viuere: nam cum in alto positi sint, ab omnibus facilius conspiciuntur. Videamus nūc planius quid Deus Ezechieli, omnibusque aliis ecclesiæ Ministris præscribat. Primū dicit, *Audies verbum ex ore meo mox, monebis eos ex me.* Concionatores nō afferre debent suas, aut aliorum cogitationes, insōmnia, adfectus: sed materiam concionū petere debent ex verbo Dei. Sacræ literæ perspicuè ostēdunt, quid bonum, quid malum sit, quid nos facere, quid omittere oporteat. Omnia illa, quæ ad nostram salutem pertinet, abundè continent. Grauius peccarunt, qui patrum placita, conciliorum decreta, visiones hominum, pro verbo Dei ecclesiæ obtruserunt. Paulatim enim pura doctrina extincta est, & per traditiones illas, id quod Christus Matth. 15. Pharisæis etiam obiicit, abolita sunt mandata Dei. Si Ezechiel, & alij Prophetæ: qui tot eximiis donis ornati fuerunt, nihil afferre debuerūt, quod non ex ore Dei percepissent, qua fronte hodie multi sua sōmnia audent tam securè hominibus loco verbi Dei proponere: illōsque, apud quos verbum Dei tanto est in precio, ut nihil illi addere, vel detrahare velint, pro hæreticis condemnare: Deinde dicit, *Monebis eos.* Verbum *והי* *Sahar*, quod hoc loco sæpe repetitur, claritatem significat, qualis est in Sole. Sensus est, disertè, clara voce agendum esse cum ipsis, significanter & apertè eis indicandum esse, quomodo peccent, & quænam supplicia peccatis eorum parata sint. Dei Ministros ab omni adulatione alienos esse, & ut est in prouerbio, ficus ficus, ligonē ligonem appellare decet. Nisi enim flagitia suis nominibus appellentur, nemo atrocitatem ipsorum satis intelliget, cum omnes natura, quæ nefariè fecimus, extenuare soleamus. Primus autem ad salutem gradus est peccatorum agnitio. De consolatione, quæ pars doctrinæ præcipua est, nihil dicit: sed tantū de obiurgatione, quia illius capaces antè non erant, quàm peccatorum suorum magnitudinem agnoscerent. Quod vno verbo dixit, eos admonendos esse, nunc tertio loco per species explicat, tam impios quàm pios cōmonefaciendos esse, item quomodo & quibus de rebus ostendens. Iubet enim, ut si impio mortem comminetur, eum disertè admoneat, &c. Deus passim in Scripturis, mortem, hoc est, omnis generis calamitates, & exitium æternum impiis comminatur. i. Corinth. 6. capite. Neque scortatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, &c. regni Dei hæreditatem accipient. Hæc & alia proponenda sunt hominibus, hortandi sunt ad resipiscētiā. Et si enim plures sint, qui sceleribus aliquibus sunt obnoxij, non tamen idè fit leuius eorum peccatum.

Afferendum est verbum Dei.

Monendi sunt homines.

Impij, & pij monendi.

Admonitiones assidue inculcanda.

Eandem rem bis dicit, nempè ut moneat impiū, & ut loquatur cum eo, ut ca. iij.

Finis admonitionis.

Homines non possunt aliquem dare aut ab soluere suo iudicio.

Iusti non possunt excidere.

Iusti opinio ne hominū.

Deus ponit offendiculum hominibus.

Nisi per se ueruerimus, iustitiæ prioris nulla est utilitas.

ueat sibi à via sua impia: quò ostendat non negligenter agendum cum impiis, sed urgendum esse verbum Dei magna assiduitate. D. Paulus in 2. ad Timoth. 4. cap. discipulum suum obtestatur grauitè, vt instet tempestiuè, intempestiuè, arguat, increpet. Non est satis semel perstrinxisse aliquid, sed constanter pergendum est. Finem ostendit admonitionis: non vt ostètes tuam doctrinam aut eloquentiam, non vt affectibus tuis indulgeas, sed *vt uiuifices eum*, hoc est, vt reuoces eum à sceleribus & peccatis, propter quæ mors æterna contumacibus inferitur. Loquitur de impiis, qui suas cupiditates sequuntur, proinde non statim de salute ipsorum est desperandum, sæpe enim fit, vt qui hodie impius est, cras pius euadat. Multi ad uesperam in uineam Domini ueniunt. Matth. 20. cap. Latro in cruce demum pœnitentiam egit. Notandum hoc quoque, quod Dominus dicit: *Si ego dixerò impio morieris*. Nisi enim Deus aliquem impium, & damnatum pronuntiet, nihil est: etsi totus mundus, impium, hæreticum esse, exclusum à cælis, clamet. Solus enim Deus, damnat, & absoluit, Ministris quidem id tribuitur, sed vt loquuntur, tantum Ministerialiter. Impius etiam, vel non, vel non satis admonitus, perit propter iniquitatem suam, non excusat eum ignorantia, conscientia enim à sceleribus eum reuocare debuit, exempla item illorum, qui non impunè peccarunt, & alia multa: sed sanguis eius de manu Prophetæ requiritur, hoc est, imputatur ei mors eius, & pœna, de ipso quoque sumitur, eò quòd suum officium neglexit. Quòd si Prophetæ impium admoneat, & ille nihilominus pergat in uia sua impia, pœnas dabit suæ impietatis. Prophetæ autem liberauit animam suam. Quæcunque enim facere potuit, in hunc finem fecit, vt ille à uia sua reuocaretur, sed absque fructu. Parentes filiis suis concionantur, qui si in dies peiores reddantur, illos excusatos habet, suum enim officium exequuti sunt.

Sequitur iam de altero genere hominum, quod est iustorum. Quemadmodum impij à uia sua conuerti possunt & seruari: ita iusti possunt excidere à iustitia sua, & impij fieri. Non igitur minus hic quoque uigilandum est, vt errantes in uiam reducantur, utque insistentes ueræ uia ad pergendum incitentur. *Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem*. Verè fideles non sic auerti possunt, vt pereant. Labuntur interdum in grauija scelera, & fidem suam ad tempus non exerunt. Quemadmodum sol obductus nubibus, non conspicitur, & ignis cineribus obrutus: ita opera fidei nulla ad tempus conspiciuntur, sed tandem se iterum proferunt: exemplo nobis sunt Dauid, Petrus & alij. Valde tentantur hac in parte homines. Sunt deinde quidam iusti ad tempus, audiunt & laudant uerbum Dei, multa secundum eius præscriptum instituunt, sed vt Dominus in Euangelio eos uocat, sunt *ἀπόστατοι* temporarij, postea rursus deficiunt, de his loquitur Deus ad Prophetam. *Posueròque offendiculum coram eo*. Per offendiculum quidam prosperitatem, quidam afflictiones intelligunt. Cum illis hominibus omnia ex animi sententia eueniunt, insolescere incipiunt, & se omnis generis uoluptatibus dedere. Quòd si aliquis eos reprehendat, & Euangelio dignè uiuendū dicat, statim iugum Christi abiiciunt. Deinde si graues persecutiones oriantur, pedem reflectunt, & ostendunt palà quid occlusum in pectore habuerint. *Non memorabuntur iustitiæ eius quas fecit*. Etsi extent illorum hominum beneficia non pauca in Ministros ecclesiæ & pauperes, etsi Dei gloriam aliquo modo promouerint, nulla tamen erit utilitas, nulla ratio illorum operum habebitur. Paulus ad Galat. 3. capite. dicit, eò quòd à pura doctrina defecerint, eos tam multa frustra passos esse, addit per correctionem, si tamen & frustra, quasi dicat, spero uos in uiam redituros, vt non omnia quæ passi estis frustratoria sint. Dominus in Euangelio Matth. 10. & 24. capite. clamat: *Qui per se ueruerit ad finem usque, hic saluus erit*. Non satis est fundamentum iacere, sed super

sed superstruere & ædificium absoluere oportet. Non satis est honestam matronam semel & iterum lenas repellere, sed pergere eam oportet & marito fidem seruare: sic nos nostro sponso Deo fidem seruare debemus. *Quòd si monendo monueris iustum ut nō peccet, & non peccauerit, uiuendo uiuet.* Iusti nō peccant. Omnes quidem homines peccant: sed iusti, hoc est, fideles non peccant ut impij, quibus nulla est religio atrocia quæque scelera designare: gloriantur de suis sceleribus, cuperent subinde peccare: iusti pœnitentiam agunt de peccatis.

Ex his iam intelligimus, quæ præmia Prophetam maneant, si sedulò muneri suo incumbat, & quæ supplicia, si munus suum negligat. Mentio fit duorum impiorum. Primum est impius, qui nihil à speculatore audiuit & periit, Huius sanguinem, dicit Dominus, de tua manu requiram, hoc est, te reum agam homicidij, sanguis enim pro ultione capitur. Coram Pilato clamant Iudæi, sit sanguis eius super nos, hoc est, si pœna imminet propter effusum hunc sanguinem, nos eam luemus. Deinde est impius quem speculator admonet, sed ille audire contemnens, suo vitio moritur: huius sanguis non quæritur de speculatoris manibus, eripuit enim animam suam. E diuerso, duo iusti sunt. Vnus iam à vera via deflexus, nō audiuit & periit, illius sanguis requiritur de speculatore. Alter audiuit & perstitit in iustitia, vel cōuersus seruauit animam suam, itē speculator suā. Magna verò pœna est, si Deus speculatorem ut ficarium puniat: magnum præmium, si animam eius eripiat. Huc pertinent alij quoque loci Scripturæ. Christus de fidei & prudente seruo Matt. 24. dicit: Beatus seruus ille, quem, cum venerit dominus, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum Danielis 12. cap. Doctores splendebunt, ut splendor firmamenti, & qui multos ad iustitiā adducunt, ut stellæ sempiternis temporibus, &c. Si speculator ciues in urbe, vel milites in castris monet, ipsi autem periculum admoniti non cauent, pereunt suo vitio, ipse accusari non potest: Sin autem speculator oppressus somno, vel corruptus pecunia hostium, aut aliam ob causam, periculum non indicet, meritò dat pœnas, & graues quidē. Ita si Propheta impio verbis Dei pœnas non denunciatur, vel quia propter somnulentiam & temulentiam non videt, vel quia odium & inuidiam sibi confare non vult: moritur ille quidem propter sua scelera, sed sanguis eius de manu Prophetæ requiritur, hoc est, ipse punitur. Si iam plures eius culpa pereunt, cumulatur pœna. Sin verò suum munus strenuè obeat, impius autem pergat in sceleribus, omnēsque admonitiones securè contemnat, peribit quidem impius, Propheta autem liberabit animam suam. De iustis diximus similem esse rationem, si Propheta à vera via deflexos non monet, ipsi quoque peribunt: neque proderit eis quòd aliquousque in via Domini progressi fuerant: sed sanguis ipsorum, de Prophetæ manu requiretur. Sin verò illi, Prophetæ admonitione in veram viam pertracti fuerint, ipsi uiuent & Propheta animam suam eripuit.

Ex his verbis Domini, omnes ecclesiarum ministri colligunt, quàm periculosum munus suscipiant. Deus enim, si qui eorum culpa pereant, rationem ab eis exiget. Magnum thesaurum eis committit Deus, nempe animas suorum fidelium. Quid verò de illis fiet, qui scientes & volentes, propter gulam suam, tot homines à vera via abducunt in viam perditionis: Pij ministri magnam habent hoc loco consolationem: nam siue homines suscipiant admonitiones siue minus, tamen ipsorum labores non pereunt, & Deus eos infontes pronunciat: res simili à medico sumpta potest illustrari. Non igitur iusta est quorundam excusatio, qui dicunt oleum & opera perit, surdis cano fabulam, non audiunt me. Domini mandatum quo nos ad loquendum vrget, intueri oportet, non disputare, vtrum aliquis electus sit nec ne, hoc solus Deus nouit.

Discunt omnes homines, ne admonitiones & obiurgationes ex verbo Dei pro-

fectas indignè excipiant. Argumentum est beneuolentiæ diuinæ, si nos per verbum suum admoneat. Si admonitionibus obtemperemus, ad nos maxima redit utilitas. Si ministri conuincant ad nostra scelera, & nos non obinquent, non propterea peccata nostra sūt leuiora. Quòd minister nos reprehēdit, facit ex officio: iubet enim Deus ipsum hoc facere. Multi, qui se regēdos præbēt suis doctoribus, dicunt, si seduxerit me, ipse dabit pœnas, rectè quidem: at qui ab eo seductus est, etiam peribit. Si cæcus cæco dux fuerit, dicit Dominus, ambo cadunt in foveam. Si impius perit non reprehēdente eum pio alioqui ministro, quantò magis peribit si impius aliquis minister eum non modò non reuocet, sed in viam exitij falsa doctrina, & exemplo suo abstrahat?

Et doctores  
& auditores  
peccantes  
puniri.

Non refert  
quomodo-  
eumque quis  
viuat.

Discimus præterea, multum referte, quomodo quis vitā suam instituat. Qui in Christum credunt, fidem suam testari factis debent, nō dicere, quicquid faciā per inde est: admoneri enim iubet Deus iustum, vt non peccet, sed in pietate pergat.

## HOMILIA X.

**I** Prophetæ iterum confirmatur visione caelesti, & iubetur ad tempus domi suæ manere quasi mutus.

22 Fuit autem super me ibi manus Iehouæ, & dixit ad me, Surge, egredere in campum, & ibi loquar tecum.

23 Surrexi igitur, & egressus sum in campum: & ecce ibi gloria Iehouæ stabat similis gloriæ, quam videram iuxta fluum Chebar: & cecidi in faciem meam.

24 Tunc ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos, & alloquutus est me, dixitque ad me, Ingredere, & include te in medio domus tuæ.

25 Tu autem Fili hominis, ecce ponent super te funes, & ligabunt te eis, & non egredieris in medium eorum.

26 Et linguam tuam adherere faciam palato tuo, erisque mutus, & non eris eis vt vir obiurgans: quia domus rebellis sunt.

27 Quando autem loquutus fuero tecum, aperiam os tuum, & dices ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Qui audit audiat, & qui cessat cesset: quia domus rebellis sunt.

**R**æcedentibus verbis ostendit Deus similitudine speculatoris quodnam sit munus Ezechielis, & aliorum ministrorum ecclesiæ: iam deinceps sequitur, quomodo Prophetæ denuò confirmatus sit caelesti visione, mandatūque acceperit à Deo, vt ad tempus se domi contineret, neque antè ad docēdum prodiret, quàm iussus fuisset: Videamus singula ordine.

Primum dicit: *Fuit autem super me ibi manus Domini.* Hoc est, virtus & potentia. *Ibi*, nempe iuxta fluum Chabor, vide suprà 3. cap. Deinde Deus iubet ipsum egredi in campum, vt ibi cum eo loquatur. In medio populi potuisset Deus cum Prophetæ loqui, quæ voluit, sed secedere eum iubet: vt ostendat, nos, si loquētem Deū audire velimus, separari debere ab hoc mundo, dū enim versamur cū impiis & flagitiosis hominibus, non sumus capaces reuelationum Dei. Quomodo verò discedimus ab impiis hominibus? Morū dissimilitudine. Si ab ipsis corpore diuelli possumus, & nos ad meliores cōferre, omnino debemus: sed sæpe fit, vt velis nolis, in medio impiorum te versari oporteat, caueas igitur ab eorū studiis & operibus. vt Deus tecū loquatur, hoc est, vt se tibi magis magisq; cognoscēdum præbeat. Item quando nos loqui cum Deo volumus (oratio enim est colloquium cum Deo) secedere ab hominum strepitu debemus, ne animus huc & illuc distrahatur. Quod intelligendum est de priuata oratione, publica enim fit in publicis cœtibus. De

Exire ab impiis.

Christo



Christo seruatore nostro legitur aliquoties, quod è turbis secesserit, vt ardentius orare posset. Eandem ob causam multi sancti amantes fuerunt solitudinis, qui tamen postulante necessitate, postea redierunt ad homines. Monachi illa exempla non rectè suo viuendi instituto adaptant, cum voto se adstringant, & sanctitatem collocent in monachatu, deinde nihil faciant in illis suis latibulis, quo ecclesia Dei iuuetur. Propheta surrexisse scribitur, & in campum exiuisse. Obedientiæ exemplum hoc loco nobis proponitur: quæcunque Deus eum iubet facere, facit, non tergiuerfatur. Nos quoque Deo obediamus, qui non solum in genere omnibus hominibus: sed & in specie singulis ordinibus, suum officium præscribit. *Ecce stabat ibi gloria Domini, sicut gloria quam vidi iuxta fluuium Chebar.* Iam tertio gloriam Dei, Prophetæ apparuisse, vidimus, tantum referebat eum firmiter credere, quod Deus omnia regeret, impios puniret, suos assereret, Vt quisq; etiam ex nobis, suum munus, ad quod à Deo vocatus est, fortiter exequatur, contemptis omnibus periculis, vtile est in sacris literis gloriam Dei intueri, & sæpe cogitare, quomodo Christus in gloria sua venturus sit iudicare viuos atque mortuos.

Monachi.

Obediendum Deo.

Deus apparuit Prophetæ.

Propheta cum videret gloriam Domini, procidit in faciem suam, nimirum vt reuerentiam erga Deum testaretur: sed spiritus eum statim erexit. Tanta est humana fragilitas, vt ad conspectum gloriæ Dei, etiam sanctissimi homines ex pauescant, & viribus deficiant: non enim surgere potuisset Propheta, nisi spiritus eum restituisset: hoc supra quoque habuimus. Mox iubet vt domi se includat, neq; prodeat in publicum: nimirum vt maiorem ei auctoritatem conciliaret. Nam si statim profiliisset in medium, dixissent eum furiosum esse. Theodoretus dicit, ipsa re obsidionem vrbis significari. *Et tu Fili hominis, ecce dederunt super te funes, & ligabunt te eis, & non egredieris in medium eorum.* Quidam volunt hunc sensum esse, si statim eos obiurgares, in te irruerent & funibus te ligarent. Cedere ad tempus furori hominum aliquando oportere, Christi & Apostolorum exemplis ostenditur. Vide num sit prædictio, quid pati eum oporteat, nempe funibus ligandum esse, vt egredi in medium eorum non possit. Tamen si enim in sacris literis nihil habeamus hac de re: probabile tamen est, à furiosis illis in vincula coniectum esse. Quid Ieremiæ acciderit notum est: cum autem Ezechiel eundem populum reprehenderit, illoque asperior fuerit, multorum indubiè odia & crudelitatè expertus est. *Et linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, erisque mutus, & non eris, vt vir obiurgans, quia domus rebellis sunt.* Deus aperit ora seruatorum suorum, vt aptè & ordine loqui possint: idem efficit vt sint muti. Prouerb. 16. cap. Homini sunt præparations cordis, & à Domino est respõsio linguæ. Sæpe homines proponunt se hæc vel illa dicturos, sed non succedit eis ex animi sententia: Ostendit Deus indignum esse populum, cui monitores mittat. Si Deus auferat obiurgatores, argumentum est iræ ipsius. Quandiu parentes liberorum vitia liberè reprehendunt, benè de ipsis sperant, si verò desinant eos reprehendere, desperant de eorum salute. Multi vellent reprehensores suos omnes sublatos esse, sed tandem malis immerfi, frustra opem eorum expetunt. Exemplum habemus euident in Saule, qui Samuelis admonitiones contempserat, postea in maximis angustiis positus, libenter vsus esset ipsius consilio, si potuisset. *Quando autem loquutus fuero tecum, aperiam os tuum.* Deus confert Prophetis suam gratiam, vt possint liberè & constanter suum munus obire Lucæ 21 suis Apostolis os promittit, cui aduersarij resistere non possint. *Qui audit audiat, qui cessat cesset.* Hoc est, Dei iussu in medium prodeò, & meum munus exequar siue audiatis, siue non audiatis. Quod verò Deus noluit vt propheta properaret, sed domi ad tempus lateret, ostendit non illois manibus concionandi munus suscipiendum esse. Oportet aliquis ante sit discipulus, quàm doctor. Multum etiam refert, vt opportunitatem spectemus in rebus suscipiendis & agendis.

Propheta cecidit in faciem.

Signum est iræ Dei si monitores cessant.





# Secunda Pars Libri Ezechielis.

## CONCIO VEL PROPHETIA

### Prima Ezechielis Prophetæ.

HOMILIA XI.

*Deus iubet Prophetam urbem pingere in laterculo, circumponere obsidionem, & machinas bellicas quibus oppugnetur: inter se & urbem patinam ferream instar muri ponere, idque in signum Israelitis.*

CAPVT IIII.

- 1 **H** tu Fili hominis, sume tibi laterem, & pone eum coram te, & describe super eum ciuitatem Ierusalem.
- 2 Pone deinde aduersum eam obsidionem, & ædifica contra eam munitionem, & funde contra eam aggerem: pone item contra eam castra, & pone aduersus eam arietes in circuitu.
- 3 Et tu sume tibi sartagine[m] ferream, & pone eam in parietem ferreum inter te & ciuitatem: & obfirmabis faciem tuam contra eam, & erit in obsidionem, & obsidebis eam: signum est domui Israel.

**H** Actenus in tribus præcedētib[us] capitib[us] audiui[m]us PRÆFATIONEM huius libri, quæ ostendit, quomodo propheta à Deo vocatus, & instructus sit ad munus docendi, imprimis verò quomodo & verbis & visione cælestis gloriæ confirmatus sit, vt intrepidè pœnam Iudæis denunciaret. Etenim tam ardua est functio prophetica, si quis rectè eam obire velit, vt nisi Deus aliquem corroboret suo spiritu, facillè frangatur.

Summa secundæ partis huius libri.

Prima concio Prophetæ.

Sequitur iam SECUNDA PARS huius libri, quæ ab hoc 4. cap. vsque ad 25. pertingit, & varias visiones, conciones, prophetias continet, contra Iudæos, qui partim Hierosolymis & in Iudæa, partim in Chaldæa degebant, quibus ostenditur, bello, fame, peste perdendos esse, propter idololatriam & scelera quæ impunè inter eos grassabantur. Hinc intelligimus quomodo Propheta officium suum, de quo multa in superioribus audiui[m]us, exequutus sit. PRIMA PROPHETIA vel CONCIO, quæ continetur quarto & quinto capite, ostendit urbem Hierosolymorum obsidendam per Chaldæos, & post longam famem, tandem capiendam atque excindendam esse. Iudæi qui Hierosolymis remanserant, freti suis viribus, securi erant, irridentes illorum stultitiam, qui sponte hortatu Ieremiæ in exilium migrauerant, Ieremiam Prophetam de urbis excidio vaticinantem

vaticinantem explodebant. Ad terrorem itaque oppidanorum, & consolationem captiuorum, hanc Prophetiam Ezechiel edidit. Non autem contentus est nudis & simplicibus verbis rem proposuisse, sed Chrias adhibet. Iubet enim Deus primum Prophetam statum obsessæ urbis in latere delineare: deinde iubet eum in dextro & sinistro latere iacere: mox panes parare eum iubet, & pro lignis stercore bouillo vti. Infrâ capite 12. iubet Deus Prophetam, petasum, peram, baculum, calceos sumere instar viatoris, qui iter est facturus, vt significet in exilium abducendos esse. capite 37. duabus tabellis, quas coniungit, ostendit Iudæos & Israelitas in vnum populum denuò coalituros. Solet enim Deus in prædictionibus, signis vel actionibus quibusdam sæpe vti, vt homines quantumuis stupidi ad sua oracula, tamen rebus illis inusitatis & admirandis, excitentur, atque omnia animis suis melius infigant. 2. Regum 13. cap. Helisæus Ioam regem Israelis qui eum in morbo suo inuisebat, iubet corripere arcum & sagittas, victoriam de Syriis ei prædicens. Isaias 20. cap. iussus est discalceatus ambulare per urbem. Ieremias 27. capite nunc iugum gestat, nunc hydriam confringit, nunc catenas profert, vt significet his mysticis factis, urbem nullo negotio capiendam, & populum trahendum esse in durissimam seruitutem. In nouo quoque testamento Seruator noster non nudis tantum verbis, sed adiuncto externo quopiam facto, suos docuit: Matthæi decimo octauo, ambitionem suorum discipulorum, puero in medium adducto retudit. Ioan. 13. Pedes discipulorum lauit, vt eos doceret humilitatem & charitatem mutuam. Quin & sacramentum corporis & sanguinis sui instituit, vt non solum aures de redemptionis mysterio audirent, sed reliqui etiam sensus excitarentur, Paulus actorum 13. & 18. cap. cum Iudæi contradicerent Euangelio excussis pedibus & vestimentis suis, ad gentes se contulit. Christus enim seruator, Matthæi decimo, iusserat puluerem pedum Apostolos suos excutere in urbibus quæ Euangelium repellerent. Acto. 21, Agabus prædicit, Paulo vincula, vtque magis eum permoueret, cingulo manus & pedes eius ligauit. Ethnici quoque Chrii illis, quas ad docendum & mouendum vtilis esse viderunt, sæpe vsi sunt. Scyllurus Scytha apud Plutarchum filios suos moriturus ad concordiam hortatur, non solum verbis simplicibus, sed primum coniunctas, deinde singulas sagittas eis porrigendo, quas rumperent. Hoc loco Propheta non verbis tantum obsidionem urbis prædicit, sed eam in latere depingit, ac si dicat: si non vultis audire, quid Deus facturus sit, intuemini saltem oculis vestris.

Partes capit.  
Chriæ sæpe  
à Prophetis  
adhibentur.

Videamus verba Dei ad Prophetam. Primum iubet eum accipere laterem, vel lapidem coctilè, & in eo depingere vel insculpere urbem Hierosolymorum. *Vff einen ziegelstein oder ziegelblatten rissen.* Deinde iubet eum ponere contra pictam hanc urbem, obsidionem &c. hoc est, delineare quomodo urbs obsessa sit. Loquitur iuxta morem veteris militiae. Erigere debuit דַּיִק *daiek* interpretantur munitionem, vallum. Kimhi dicit esse turrim ligneam extructam ab hostibus, ex qua urbes expugnentur. 2. Regum vigesimo quinto: Ieremiæ, ultimo cap. De his turribus in historiis Romanorum multa leguntur. Ducere debuit aggerem.

Turres li-  
gneæ.

לֵל *salal* viam sternere & complanare, item aggerem facere significat, Agger. hinc סֵלֵל *solelah* agger, vallum, munitio, cumulus terræ. Munst. in suo lexico dicit, Ieremiæ sexto capite, accipi pro propugnaculo ligneo, ex quo muri ciuitatis iactu lapidum concutiantur. Sensus est, Prophetam appingere debuisse milites, qui aggeres facerent, & fossas implerent. Castra quoque locare & tentoria figere debuit, item in circuitu arietes ponere. כַּרִּים *karim* arietes. Hæc vox significat per metaphoram, sicut apud Latinos quoque bellica instrumenta, quibus portæ & muri olim concutiebantur, & lapidum iuncturæ soluebantur.

Arietes.

## CAP. 4. IN EZECHIELEM

Quauis kimhi hoc loco & infra vigesimoprimo capite, malit principes exercituum intelligere, vt secundi Regum vndecimo capite. Scalas quoque, catapultas & alias machinas bellicas, quorum vsus olim in obsidionibus fuit, indubiè adhibere debuit. Reliquiæ quædam huiuscemodi instrumentorum hinc inde in armamentariis inueniuntur. Superioribus annis Basileæ, Munstero teste, vetusta quadam iaculatoria machina funibus & rotis intensa ingens lapis, magna hominum admiratione in aërem sublimem excussus est. Vsum illarum machinarum, bombardæ à Monacho Berchtoldo Nigro circa annum Domini 1380 inuentæ, penitus abstulerunt. Ad hæc Propheta iubetur inter illam urbem in latere descriptam, & se, ferream sartagine[m] statuere, vt sit instar ferrei muri. *מַחֲבַת* *machebath*, sartagine[m], patellam planam non concauam interpretantur lexographi. *Obfirmabis faciem tuam contra eam, & erit in obsidionem, & obsidebis eam.* Hoc est, animo obfirmato esse debes, in obsidenda vrbe, nec antè ab ea recedere, quàm expugnata fuerit. Subiungit postea, *Signum enim est domui Israel.* Quòd scilicet vrbs longa obsidione premenda sit à Babyloniis, & tandem expugnanda atque inflammanda. Sartagine ferrea, quæ muri instar inter Prophetam & urbem ponitur, D. Hieronymus existimat repræsentari grandem iram Dei, quæ nullis precibus flekti potuerit ad misericordiam. Sicut enim ferrum omnia metalla domat, nihilque eo durius est, sic incredibilibus sceleribus Hierusalem, Deum natura misericordem & mollem, durissimum factum fuisse. Dicit etiam ostendi, quòd omnis multitudo breui conterenda fuerit. Obfirmationem autem vultus contra urbem, seueritatis indicium dicit esse, iuxta illud: *Facies Domini super facientes mala, vt disperdat de terra memoriam illorum.* Kimhi duritiem cordis Israelitarum, quæ eos à Deo diuisit, & magnitudinem afflictionis, duritia & nigrore ferri significatam annotat. Ego hunc locum, saluo iudicio aliorum, simpliciter ita intelligo. Deum mandare Prophetæ, vt velut hostis urbem oppugnet, nec antè ceilet, quàm expugnata fuerit, vtque tutus sit, inter se & inter urbem, patellam ferream ponit, quæ sit veluti murus ferreus. Confligendum erat Prophetæ cum principibus & plebe, annunciandus vrbs interitus, subeunda magna pericula: iubet itaque Deus, vt strenuè munus suum exequatur, nullisque moueatur periculis, nec stationem suam deserat: Fore enim tam tutum, quàm qui post murum aheneum latitat: Ieremiæ quoque, primo capite, promittitur ferreo muro munitiorem fore. Theodoretus dicit: Sartagine[m] inter se & urbem ponere iubetur: quo docetur fore vt præsens Deus, & quæ contra Hierusalem fierent, contuens omnia, nulla eos prouidentia dignetur, sed quasi muro quodam ferreo coercitus, neque cernere quæ fiant. neque sibi supplicantes audire videatur, &c. Hoc signum indubiè ridiculum fuit in oculis Israelitarum infidelium, stulta enim apparèt rationi humanæ etiam augusta illa signa Baptismi & Cœnæ dominicæ: sed secundum Dei verbum, non externam speciem de illis iudicandum est. Neque Israelitis solùm, sed nobis quoq; hoc signum publicè & priuatim datur. Si illa ipsa scelera propter quæ Iudæi partim in captiuitatem tracti, partim deleti sunt, apud nos vigeant, quid aliud expectaremus quàm quod ipsis accidit? Multas habet Deus rationes quibus impœnitentes puniat. Habuimus diu prædicationem verbi Dei, interim pauci Euangelio dignè viuunt. Omnes ordines corrupti sunt: principes luxu vestium & apparatu conuiuiorum inter se certant: plebs corruptissima est: vsuris, adulteriis, ebrietati, crapulæ passim indulget. Deus bone, quàm monstrosus caligis ante paucos annos à multis cœptum est vti: quod argumentum est magnæ leuitatis. Crescunt scelera, quis ergo miretur crescere & baculum, quo Deus nos castigaturus est? Hostes pacatis omnibus rebus, Deus subito excitare poreft, quibus nos puniat. Singuli cogitent sibi ob oculos poni à

Deo.

Machina iaculatoria Basileæ.

Deus non vult respicere Israelitas.

Deo quis tandem scelerum fructus sit, & nisi planè stupidi essemus, iam sentiremus. Tam perspicuè negotium Christi prædicatur, ut tanquam in tabula pictum videamus: sicuti Paulus ad Gal. 3. cap. dicit: quòd præ oculis ipsorum Christus depictus fuerit, & inter eos crucifixus. Pœnæ etiam ingratitude perspicuè proponuntur: & quasi in pictura vel speculo ostenduntur, sed si contemnantur omnia, Deus re ipsa verbo suo autoritatè suam asseret, quemadmodum Ezechielis aliis que temporibus factum esse nouimus.

HOMILIA XII.

*¶ Deus iubet Prophetam iacere in sinistro latere 390. diebus, deinde 40. diebus in dextro latere, ut significet quandiu Israel & Iuda idololatra fuerint, & quot diebus urbs obsidenda sit.*

4 Et tu dormi super latus tuum sinistrum, & pone iniquitatem domus Israel super illud: iuxta numerum dierum quibus dormies super illud, portabis iniquitatem eorum.

5 Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum iuxta numerum dierum, trecentos & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Israel.

6 Et expletis his dormies super latus tuum dextrum secundo, & portabis iniquitatem domus Iehudah quadraginta diebus: diem pro anno, diem inquam pro anno dedi illud tibi.

7 Et ad obsidionem Ierusalem obfirmabis faciem tuam, & brachium tuum erit discopertum, & prophetabis aduersus eam.

8 Et ecce posui super te funes, & non vertes te à latere tuo vno, in latus tuum alterum, donec compleueris dies obsidionum tuarum.



I quando Deus pœnas petere voluit à populo suo propter scelera, misit eis Prophetas suos, qui non nudis tantum verbis, sed quibusdam signis & visionibus, pœnas imminentes eis denunciarent, ut impij inexcusabiles fierent, pij verò vel in mediis afflictionibus ad Deum conuerterentur. Non est quod longè exempla petamus: hoc præfenti capite iubet Deus Prophetam in latere urbem depingere, eiusq; obsidionem, ut Iudæi non solum audiât, sed etiam oculis cernant, quid futurum sit. Iam iubet Prophetam iacere in latere sinistro 390. diebus, & portare iniquitatem domus Israel, deinde in dextro latere 40. diebus, & portare iniquitatem domus Iuda. Hæc in visione facta sunt: non enim per annum & duos menses (tantum temporis spacium hi numeri conficiunt) immotus iacuit: nam intra annum concionatus est. Quibusdam enim eius concionibus, notatio temporis additur, ut suis locis cognoscemus. Iubetur portare iniquitatem domus Israel & Iuda, non expiare peccata debuit. Christo enim soli pater imposuit iniquitates nostras, ut pro illis in arca crucis satis faceret: sed repræsentare debuit, eos peccasse per tot annos, & Deum eorum pœnitentiam expectasse, quia verò illi in sceleribus & idololatria pergât, iusto iudicio funditus delendos esse. Constat enim populum istum semper querulum fuisse, & subinde murmurasse cum durius se putarent tractari, quàm par esset. Sinistræ partes (dicit Hieronymus) quia sine tēplo & notitia Dei fuerât, delegantur Israeli: dextræ, Iudæ, in qua Dei cultus & religio fuit. Aliàs dextra mūdi

Deus prædicat pœnas

Visio.

Sinistræ & dextræ partes.

aliis includere oportet, diligenti collatione. Etsi verò in colligendis & conferendis illis annis inter se, magna sit Chronographorum dissonantia, tamen diligentiores, paucis annis inter se discrepant. Calvinus hos annos trecentos nonaginta, à defectione quæ contigit sub Rechabeam, usque ad expugnationem Hierosolymorum simpliciter numerat.

Quadragin-  
ta anni pec-  
cati domus  
Iudæ.

Quo ad quadraginta annos peccati domus Iudæ, Funccius eos deducit à 18. anno Iosias, ad 27. Nabuehodonozoris. Legitur enim 2. Paralipo. 34. capite, quomodo Iosias rex Iudæ anno 18. regni sui templum Domini repurgari mādavit, in quo liber Legis qui longo tempore delituerat, sit repertus. hunc legendum curavit rex. Etsi verò populus ex eo cognosceret se graviter peccasse, & pœnas eis imminere, non tamē egerunt pœnitentiam, sed pertinaciter idola coluerunt, donec tādē omnes, Iudæi nempe & Israelitæ, ad vnum de terra sua à Deo eiekti sunt.

Ego priusquàm in Funccij supputationem incidere, hos annos (quàm rectè iudicent alij) à decimotertio anno Iosias, quo Jeremias cepit prophetare, numerandos esse cogitavi. Antè quidem etiam peccarunt Iudæi, sed crevit eorum peccatū, quòd in tanta hæc verbi Divini, nihilominus sua idola retinerent. Optimum habebant principem, accedebat egregius Propheta qui eos unà cum alijs, in viam revocabat: sed Jeremias vigesimo quinto capite, à decimo tertio anno Iosias, ad 4. Joachin, numerat viginti tres annos, quibus clamare non cessaverit, exiguo cum fructu. Sophonias exprobrat eis quòd clam idola colant. Filij Iosias & populus optimi principis obitum avidè expectabant, ut idola redire possent, gravius itaque peccarunt, quàm si carentes bono principe & bonis prophetis, communes errores fuissent sequuti. Currunt autem à decimotertio anno Iosias, ad obsidionem vel expugnationem vrbs, quadraginta anni. Hæc quoque interpretatio à Funcciana non multum differt. Theodorus Bibliander ex regno Manassis accipit 22, Amonis 2, Joachimi undecim: quibus addit Zedechia quinque, quo anno habita est hæc prophetia, & prodeunt anni illi quadraginta. Addendum est hoc quoque, per hos dies etiam tempus obsidionis Hierusalem significatam esse. Nam omnes illi dies, quibus Ezechiel urbem lateritiam obsidere iussus est, collecti, faciunt dies quadringentos & triginta, hoc est, annum integrum, duos menses & sex dies. Tanto enim tempore obfessa est vrbs graviore obsidione. Aliis tribus mensibus, & diebus vigintiseptem qui hoc obsidionis tempus excedunt, proficiscebantur Chaldæi contra Ægyptium, qui Iudæos fœderatos suos liberare conabatur: Hieremias tricesimo quarto, & quinquagesimo secundo, itē secundi Regum vigesimo quinto capite. Sequitur, *Ad obsidionem Hierusalem obfirmabis faciem tuam*: Iubetur urbem lateritiam sub persona Nabuehadonosoris tamdiu obsidere, donec capiatur: hoc est, representare omnino urbem expugnandam esse, & *brachium tuum erit discooperatum*. Vult ut sit expeditus: Qui pugnare volunt, nudant brachium, ut sint agiliores. *Et prophetabis a diversis eam*. Deus hanc ei visionem obiecit, ut eam manifestaret populo.

*Ecce posui super te funes, ne vertas te à latere vno, in latus alterum, donec compleveris dies obsidionum tuarum*: Ita te constrinxi funibus, ut te ab vno latere in alterum movere non possis. Significat decretum suum de perdenda vrbe mutari non posse. Tametsi vera pœnitentia populi semper prodest ad aduertendas anime pœnas, tamen non semper tollit mala corporis.

Observatio  
nes.  
Longanimi-  
tas Dei.

Vnus huius loci. Primum discimus, Deum pœnas interdum ad multos annos differre, non quòd idololatriam & scelera non videat, aut punire non possit, aut quòd ei placeant: sed ut hominibus resipiscendi tempus concedat. Quod si homines bonitate eius abutantur, gravitate pœnæ tarditatem compensat, ad Rom. 2. capite.

Deinde

Deinde videmus hominum deploratam miseriam, quòd subinde peccata peccatis cumulent, & nisi potenti manu Dei retrahantur, sibi exitium contentent. Israelitæ enim & Iudæi seipfos vincere quodammodo in malitia conabantur.

Hominum malitia.

Ad hæc colligimus, quàm friuolum hoc sit, quòd multi temporis diurnitate & maiorum exemplis errores suos & scelera excusare volunt, non cogitantes Deum punire peccata parentum in tertiam & quartam generationem, nisi ipsi pœnitentiam egerint.

Errores & scelera non excusantur diurnitate temporis

Discant etiam pij, patienter ferre aduersos casus, & ærumnas, cùm sciant se post tot admonitiones Dei non cessasse à peccatis, & Deum ipsos etiam patienter tulisse.

HOMILIA XIII.

*Prædicatur horrenda fames in obsidione urbis Hierosolymorum & captiuitate populi.*

9 Et tu cape tibi triticum, & hordeum, & fabas, & lentes, & milium, & viciam: & pone ea in vase vno, & fac ex eis tibi panem: iuxta numerum dierum quibus dormies super latus tuum, id est, trecentis & nonaginta diebus comedes illum.

10 Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti siclorum in diem: à tempore vsque ad tempus comedes illum.

11 Et aquam in mensura bibes, sextam partem Hin, à tempore vsque ad tempus bibes illa.

12 Et tanquam panem subcineritium hordeaceum comedes illum, & stercoribus excrementi humani coques illum in oculis eorum.

13 Et dixit Iehouah, Sic comedent filij Israel panem suum pollutum inter gentes ad quas eijciam eos.

14 Et dixi, Ahab Domine Iehouah, ecce anima mea non est polluta, & morticium, & raptum non comedi ab adolescentia mea vsque ad hoc tempus, nec est ingressa os meum caro rei immundæ.

15 Et dixit ad me, Vide, dedi tibi stercora bouum pro stercoribus humanis, & facies panem tuum cum eis.

16 Dixitque ad me, Fili hominis, ecce contero baculum panis in Ierusalaim, & comedent panem in pondere, & pauore: & aquam in mensura & stupore bibent.

17 Vt careant pane & aqua: & obstupescant alter ad alterum, & deficiant propter iniquitatem suam.



Tertia pars huius capituli, est prædictio de fame futura in obsidione urbis, & populi captiuitate. Primùm iubet Deus Prophetã varia legumina inter se miscere, & panem ex eis conficere: inde certo pòdere, pane illo vesci, & certa mensura aquam bibere: item pro carbonibus in parandis panibus stercore vti: mox ponitur explicatio huius tam seueri mandati. His nos addemus, quomodo illis omnib, quæ Deus populo prædixit, euentus responderit.

Fames prædicatur.

## CAP. 4. IN EZECHIELEM

pars, in sacris literis, habetur Australis, videlicet conuersa facie in Ortum, aliter autem alij scriptores censent mundi cardines, de quo non est quod hoc loco plura dicamus.

Anni pro diebus.

Israelitæ.

Duo regna

*Diem pro anno dedi tibi*, Hoc est, annos quibus illi peccarunt, vetti tibi in dies. Tot enim diebus, quot annis illi peccarunt, iacebis primùm in sinistro, deinde in dextro latere, ad significandam pœnam: Primùm decem tribubus, deinde duabus tribubus debitam. Initiò omnes Hebræi Israelitæ dicti sunt à Iacobo, qui alio nomine Israel vocatus est, vnùmque regnum habuerunt, sed propter defectiõnem Solomonis à Deo, & peccata populi, Deus regnum lacerari passus est. Alterum, regnum Iuda & Hierusalem, & duarum tribuum vocatur: alterum, regnum Israel, Ephraim, à primo rege, qui ex tribu Ephraim oriundus fuit, Samariæ, à metropoli, & regnum decem tribuum: nunquam postea hæc duo regna vnita sunt, sed magnas inter se inimicitias perpetuò exercuerunt, donec funditus delerentur. Vnde verò anni 390. peccati domus Israel, & quadraginta anni peccati domus Iuda, numerandi sint, non vna est Interpretum sententia. Ego omisis illis, qui parum probabiles esse videntur, duas duntaxat afferam.

Anni peccati regni Iudæa numerandi à diuisione regni.

Prima est Ioannis Funccij Nerobergensis diligentissimi Chronographi, qui 390. illos annos, deducit à diuisione regni, vsque ad 23 annum Nabuchadonosoris, qui quintus est post captiuitatem Babylonicam. Hos annos non petendos esse, vt quidem faciunt, ex annis quibus iudices Israelem rexerunt, hinc manifestum est, quòd vtriusque regni, nempe Iuda & Israel hoc loco fit mentio. Incipiendum itaque à diuiso regno. Deinde constat quod Ieroboam mox ab initio regni sui metuens ne si ad solennia festa veniret populus, hortatu sacerdotum redirent ad domum Dauidis, contra Legem diuinam in Beth-el & Dan templum condidit, in quibus vitulos aureos collocauit, & sacerdotes ex leuissimis hominibus eò attraxit: Vnde factum est vt verus Dei cultus extinctus sit, & paulatim ethnici errores creuerint. Sæpe autem repetitur in libro Regum quòd Ieroboam peccare fecerit populum. Ex idololatria deinde alia peccata orta sunt, quæ tandem ruinam attulerunt toti regno. Nam cum durasset annos circiter 263. deletum est funditus. Salmanasar enim Assyriorum rex, regnum Israelis ferro & flamma vastauit, & Samariam regni metropolim, tribus annis obsessam, tandem 9. anno Hoseæ regis, cepit & inflammauit, regem vel statim occidit, vel vinctum vnà cum populo in Mediam abduxit. Si verò tunc abducti pœnas scelerum suorum dederunt (dicat aliquis) quomodo hi anni peccati, vltius extenduntur? Respondeo: aliquos ex Israelitis effugisse & inter Iudæos habitasse, sed 23. anno Nabuchadonosoris omnes reliquiæ Israelis, admixtæ Iudæis, à Nabusardano abductæ sunt, ita vt nemo in terra illa relinqueretur, Ieremiæ 52. capite.

Anni à diuisione regni ad excidium Hierusalem

Alter sententia, est Theodori Bibliandri olim professoris sacre Theologiæ in schola Tigurina, præceptoris nostri, qui Chronologiam magno studio & industria conscripsit: is hos annos ita colligit: A diuisione regni vsque ad excidium Samariæ dicit currere 263. anno. Hinc ad vltimum Zedechiæ, hoc est, ad excidium vrbs Hierosolymorum 133. annos. Hi duo numeri coniuncti, efficiunt 396. Si detrahamus nunc de illis annos sex, dicta enim est hæc prophetia 5. anno Iechoniæ siue captiuitatis, prodibit ille numerus 390. Hæc duæ sententiæ non multum inter se discrepant. Chronographi alij plures, alij pauciores annos à diuiso regno ad excidium vrbs Hierosolymorum colligunt. Si seorsim colligas annos regum Iuda à schismate ad euerfionem Hierosolymorum, habebis annos 393. menses sex.



1	Roboam regnavit 17.annis.		1. par.	12.	Reges Juda.
2	Abia	3	1. par.	13.	
3	Afa	41	1. regum	15.	
4	Ioſaphat	25	1. regum	22.	
5	Ioram	8	2. par.	21.	
6	Ochoſias	1	2. regum	8.	
7	Athalia	6	2. regum	11.	
8	Ioas	40	2. regum	12.	
9	Amafias	29	2. regum	14.	
10	Aſarias	52	2. regum	15.	
11	Ioatham	16	2. regum	15.	
12	Achaz	16	2. regum	16.	
13	Ezechias	29	2. regum	18.	
14	Manaffe	55	2. regum	21.	
15	Amon	2	2. regum	21.	
16	Iofias	31	2. regum	22.	
17	Ioachaz	3 menſes	2. regum	23.	
18	Ioakim	11	2. regum	23.	
19	Iechonias	3 menſes	2. regum	24.	
20	Sedechias	11	2. regum	24. & 25.	

Si iam colligentes annos Regum Iſraelis eis addamus annos Regum Iuda, quibus diutius regnarunt, habebimus 374. annos.

1	Ieroboam regnavit 22.annis.		1. regum	12.	Reges Iſrael
2	Nadab	2	1. regum	15.	
3	Bafa	24	1. regum	15.	
4	Ela	2	1. regum	16.	
5	Zamri	7 dies	1. regum	16.	
6	Amri	12	1. regum	16.	
7	Achab	22	1. regum	16.	
8	Ochoſias	2	1. regum	22.	
9	Ioram	12	2. regum	3.	
10	Iehu	28	2. regum	9.	
11	Ioachaz	17	2. regum	13.	
12	Ioas	16	2. regum	14.	
13	Ieroboam	41	2. regum	14.	
14	Zacharias	6 menſes	2. regum	15.	
15	Sellum	1 menſe	2. regum	15.	
16	Manahem	10	2. regum	15.	
17	Phaceas F. Manahem	2	2. regum	15.	
18	Phaceas F. Romeliæ	20	2. regum	15.	
19	Oſea	9	Capta Samaria, euerſum eſt regnum decem tribuum.		

Hos annos ſi colligas, habebis 241. annos. 7. menſes dies totidem. Oſeæ 9. annus, quo decem tribus à Salmanafare abductæ ſunt, concurrat cum ſexto anno Ezechia regis. Accipe itaque 23. reſiduos ex illius regno ( regnavit enim in vniuerſum 29. annis ) & cum his coniunge 110. annos, menſes ſex, reliquorum regum Iuda, vſque ad vrbis Hieroſolymorum excidium, & colliges tantum trecentos ſeptuagintaquatuor, à diuifione regni, ad vrbis euerſionem. Deſunt igitur 19. anni vt aſcendamus ad illam ſummam, quæ ex annis Regum Iuda colligitur. Ne itaq; ſcripturis vlla contractio in eſſe videatur, inter regna conſtituere, & aliquot annos d. ij.

Panes facit  
mixtosquos  
per singulos  
dies 390.  
edat.

Quod ad primum, videndum est quid sibi Deus velit, quòd Prophetam accipere iubet triticum, hordeum, auenam, & varia legumina, atque ex illis inter se mixtis, panem conficere. Homines in illis regionibus, in quibus frumenta foeliciter proueniunt, delicato pane vescuntur: si mixto vtantur & vulgari, signum est maximæ impiæ. Ostendit itaque Deus Prophetæ hac imagine, vrbis incolas tanta fame laboraturos, vt cibo, qui ante porcis & equis dabatur, vsuri sint. Iubet parare illos panes, vt eis vescatur omnibus diebus quibus iacere debuit super latus suum, nempe diebus 390. non meminit dierum 40, qui fortassis per synecdochen illis sunt addendi. Cibo illo non ad placandum stomachum, sed parcè admodum vesci debuit. Certum pondus ei præscribitur: *à tempore enim ad tempus*, hoc est, toto die naturali, tantùm edere debuit viginti siclos, quod paruulum pondus est: tantillus autem cibus non vires tribuit, sed mortem prohibet. Aquam quoque ad certam mensuram eum bibere iubet, innuens aquæ, aliisque ad victum necessariis penuria laboraturos. Parum est vino carere, si aqua suppetat, sed si hæc precio comparanda sit, & cum siti luctandum, est res valde molesta: quando verò siticulosi parum bibunt, sitim accendere potius quàm restinguere videntur. Theodoretus viginti sicli, dicit, tres vncias & paulò amplius conficiunt, vt asserunt ij, qui pondera hæc & mensuras diligenter perscrutati sunt. Hin verò est mensura, cuius sexta pars dimidium Xesti capit. Panem hordeaceum iubet stercore humano coquere, hoc est, loco carbonum, vel lignorum stercus accipere. Addit, *in oculis eorum*, scilicet, vt sit eis signi loco. <sup>מגב</sup> *agab* panem in prunis pistum significat, panem subcinericeum, alij placentam reddunt. Mixtos illos panes, propterea putant sic dici, quòd hordeum præualeat. Significat etiam fore magnam penuriam lignorum. In obsidionibus tabulata ædium & alia, exuruntur in foco, tandem descenditur ad animantium stercorea. Fieri autem non potest, quin panis coctus stercore, insuaui sit, & vitij aliquid ex illo igne, vel fumo contrahat, significat igitur fame compellendos ad cibos abominabiles. In obsidionibus, equi, canes, feles, mures, nonnunquam humana excrementa cibi inopia deuorantur. Senarius prouerbiabilis extat apud Græcos: *ἄπαντα γὰρ τοῖς βροτοῖς πολιορκημένων, hoc est, omnia esculenta obsessis esse.* Deus ipse explicat dicens, *Sic comedent filij Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas eijciam eos.* Tanta laborabunt fame, vt etiam pollutos cibos sumpturi sint. In veteri testamento ciborum delectus fuit præscriptus, sed famis necessitas eos cibis immundis vesci coëgit: quin ne immundi quidem illis suppetebant. Propheta his auditis, deprecatus est, ne cibum hoc modo coctum edere cogatur. Etenim se ab ineunte ætate summo studio ab omni cibo polluto abstinuisse. Tres species immundorum nominat, sub quibus omnia alia comprehendit. Dicit se iuxta legem abstinuisse à morticino. Voluit Deus significare hac lege, vt sibi à mortuis carnis operibus sollicitè cauerent. Deinde à discerpto à feris. Abstinentum ab illis fuit, vt immanitatem fugiendam discerent: item à corrupta vel putrefacta carne dicit se abstinuisse, hoc est, ab omnibus immundis cibis. Socij Danielis noluerunt de regia mensa edere, ne adigerentur ad impuros cibos. Petrus quoque in Actis Apostolicis, oblata visione, negat se immunda vnquam attigisse. Hinc colligimus pios à minimis etiam, quæ legi Dei repugnant, abhorrere. Ceremonialia hæc tantùm fuerunt, tamen à pijs magno studio seruata. Quot sunt inter nos, qui gloriari verè possint, se abstinuisse toto vitæ suæ decursu, ab ebrietate, crapula, scortatione, adulterio, & aliis id genus magnis sceleribus.

Propheta à  
cibis pollutis  
abstinuit.

Propheta  
impetrat  
quod rogauit.

Deus concessit Prophetæ, vt loco stercoreis humani, bouillum stercus accipiat, quòd hodie quoque quædam regiones, propter ligni penuriam vtuntur.

Erasmus

Erasmus Roterodamus in prouerbio, Boliti pœnam : in Phrysiorum, inquit, agris, videre est domos bolitinis parietibus (*βολίτιν* è bubulo stercore conflatus) in aliis bubulum stercus ad ignis materiam ficcari. Colligimus ex hoc loco, preces fidelium non esse irritas, statim enim Propheta intercedentibus precibus obtinet, vt Deus ex suo illo mādato aliquid remittat. Bonus enim est Dominus, & qui supplicum precibus facile flectatur. Melius iam explicat, quid hoc mandato sibi velit. *Ecce*, dicit, *ego frango baculum panis in Hierusalem*, hoc est, vim alendi. Imbecilles confirmant, & fulciunt gressum suum baculo, qui si frangatur, concidunt: ita si vis alendi pani subtrahatur, fame contabescimus. hæc phras̄is qua Moyses etiam vtitur. *Leuit. 26. capite*, & *Psaltes. 105. Psalmo: mox 5: cap. repetitur à propheta. Micheas 6. cap. Comedes*, dicit, & non saturaberis. *Haggei 1. Ederis*, sed non ad saturitatem: bibetis, sed non ad ebrietatem: induetis vos vestibus, sed non incalescetis. Sæpe in magna copia annonæ, Deus baculum panis confringit, vt comedentes non saturentur. Quòd si Deus in omnium rerum penuria, baculum panis frangat, & homines famelicos reddat, eò peior est eorum conditio.

Frāgere baculum panis.

*Comedent panem in pondere.* In diuturnis obsidionibus, si metuenda sit annonæ penuria, congestis in publicum omnibus cibariis, certi homines constituuntur, qui in singula capita quantum sustentandæ naturæ satis videtur, quotidie expendant. Contrahiturque mensuræ modus indies, quo plus temporis, & minus alimentorum superest: tandem compellente fame, homines ne ab imundis quidem animalibus abstinent. Aliàs quoque famis tempore, ponderatur frumentum. In *Apocal. 6. cap. Ioannes* videt equum nigrum, cuius scissor habebat stateram in manu sua. Et audiuit vocem quatuor animalium dicentium: *Chœnix tritici denario*, & *tres Chœnices hordei denario*. Significat modicum cibum, magno ære parandum fore. Leuius ferri posset, quando nos pane duro vesci oportet, si eo abundaremus. *In pauore comedent*, metuent enim ne cibo postero die carituri sint, si ad satietatem ederint: vel ne alij irruentes, bolum faucibus eripiant. Id quod in vltima obsidione Hierus. contigisse, Iosephus memorat. *Bibent aquam in mensura & in stupore*, Argumentum est extremæ & desperatæ penuriæ, si in obsidionibus aqua, cuius vsus varius est, hominibus certa mensura distribuatur: at prædicit hoc fore. Item, bibiturus in stupore, mirabuntur rem eò venisse, vt aquis carituri sint. In obsidionibus sæpe factum legimus, vt oppidani aquarum penuria multas angustias sustinuerint, multi siti confecti occubuerint: & solutis obsidionibus, cum omnes ad fluuios ruerent, & aqua se satiare vellent, multi rigentibus membris, statim mortui conciderint. Hac de re infra homilia 40. plura sequuntur. *Eò quòd defecturi sint panes & aquæ, vastabunturque vir & frater eius.* In tanta rerum penuria, obstupescunt & se mutuò respicientes, quonam, dicent, res nostræ deuenerunt? *Et deficient propter iniquitatem suam.* Causam tam horrendæ famis indicat, nempe hominum peccata. Panis vitæ, hoc est, verbum Dei, quod Deus eis offerebat, in nullo erat precio, agita-

Causa famis.

bant luxuriosa conuiuia, non afficiebantur malis pauperum, itaque omnibus immissa est tam dira, & diuturna fames. Hæc omnia prædixit eis, tebus adhuc florentibus: infra 12. capite hanc prædictionem repetet. Videndum iam deinceps an verbis Prophetæ euentus responderit. *Jeremias* qui in vrbe fuit donec expugnata est, in *Threnis 1. cap. dicit*: Omnis populus eius cum gemitu cibum quærebat, expendebat quisque expetibilia sua pro cibo ad retinendam animam. *Cap. 2. Leua ad Dominum manus tuas*, propter animas paruulorum tuorum, qui fame examinati sunt, & in compitis omnium platearum. Vide Domine, & contemplantur, cui sic feceris, adeò vt deuorarent mulieres foetus suos, infantes palmi magnitudine, &c. *Cap. 4. Adhæsit lingua lactantis*

Hanc Prophetiam impletam esse.

palato eius præ siti, paruuli panem petebant, nec erat qui frangeret eis. Qui delicatissimis vescabantur, interierunt in plateis: & qui in purpura educati fuerant, amplexati sunt stercore: mox, Cãdidiore erant Nazaræi eius niue, lacte nitidiores, rubebant specie præ margaritis, polities eorum sapphirus. Nunc forma illorum nigredine ipsa est obscurior, & non sunt agniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus eorum, aret ac riget vt lignum. Melius habuerunt interfecti gladio, quàm qui fame perierunt, quia hi extabuerunt ab agri prouentu confossi. Manus mulierum natura mitium coxerunt natos suos, vt essent eis cibus in contritione filiæ populi mei. Fame illa afflictos esse, idque longo tempore. 2. Reg. 25. ostenditur. Nono enim mense obsidionis, præualuisse famem in vrbe scribit.

Hæc omnia nobis præscripta sunt, vt tanquam in speculo videamus, quid expectandum sit, si panem animæ, hoc est, verbum Dei ingrati reiciamus, & luxuriosè viuamus. Deus bone, quàm facillè hæc omnia nobis possunt euenire, iam minimè cogitantibus? Conuertamur itaque ad Deum à peccatis nostris, vt hæc mala, vel prorsus à nobis auferre, vel pro sua misericordia, si in ea inciderimus, mitigare dignetur.

## HOMILIA XIII.

*¶* **P**ropheta iubetur nouaculam sumere, tondere pilos, illósque lance distribuere in tres partes.

## CAPVT V.

- 1 **T**u Fili hominis, tolle tibi gladium acutum, nouaculam scilicet tonsoriam, hanc cape tibi & transire fac super caput tuum, & barbam tuam: cape item tibi stateram ponderis, & diuide eos.
- 2 **T**ertiam partem, igni combure in medio ciuitatis iuxta adimpletionem dierum obsidionis: deinde assume tertiam partem, & percutite eam gladio in circuitu eius: & tertiam partem disperge in ventum, & gladium euaginabo post eos.
- 3 **E**t sume inde paucos numero, & liga eos in oris vestimenti tui.
- 4 **E**t ex eis rursum tolle, & proice eos in medium ignis, combureque eos igni: ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.

Præfiguratur  
eis futuram  
calamitatē.

**I**n quarto & quinto capite, quæ cohærere suprâ diximus, & continere primam concionem, Hierosolymorum urbem excindendam, & duas tribus vastandas, non nudis & simplicibus verbis ostendit Propheta, sed visionibus & Christiis quibusdam. Sequitur iam alia visio Prophetica, vel aliud paradigma, quo eadem præmonstrantur, quæ in superioribus. Deus iubet Prophetam accipere gladium vel cultrum acutum, postea interpretatur nouaculam, & abradere pilos capitis atque barbæ, eos appendere in trutina, & in tres partes distribuere. Hac imagine ostendit, etsi non omnes, eadem pœna consumendi sint, tamen neminem ex eis impunè euasurum. Vt autem magis animos commoueret, vitur hac visione. Leuit. 21. cap. Sacerdotibus filiiis Aaronis præcipitur, ne radant caput neque barbam, cum alias ob causas, tum quòd Deus suos Sacerdotes à gentilibus vellet differre. Sacerdotes Ægyptij quotidie radebant caput, neque vllum capillorum vestigium in eo cerni patiebantur.

Sacerdotes  
non radant  
caput & bar-  
bam.

patiebantur. Idem de Babyloniis Baruch scribit. 5. cap. Hinc multi mirantur, Sacerdotes Papisticos, qui omnes ferè ceremonias veteris testamenti dudum abolitas, reuocarunt, morem potius Gentilium sequi voluisse, caput barbamque radendo. Causas illi suas afferunt: Crinium amputationem dicunt significare, quod Sacerdotes omnia superflua refecare oporteat: Fieri autem rasuram in modum coronæ, quod reges sint, qui & seipsos & alios regant. Cuius rei meminit etiam D. Ioannes 9. cap. Apoca. locustas, hoc est clerum, describens similes dicit esse equis paratis in prælium, & super capita earum tanquam coronas similes auro. Afferunt aliam etiam causam ob quam barbam non promittunt, ne videlicet pars aliqua sacrificij in ea hæreat. Quod si clericus aliquis barbam & comam hodie apud nos nutrit, Papistæ magnopere commouerentur: ita indubiè commouit mentes hominum, quod Ezechiel ex Sacerdote profapia oriundus, cōtra Legem, caput & barbam, vel reuera rasit vidente populo, vel in visione se rasum esse dixit. sed quid sibi hæc nouitas velit, mox copiosè in hoc capite explicabitur. Nos breuiter illa quæ ad præsentis loci interpretationem pertinent afferemus.

Per *caput* significat urbem Hierusalem, quæ caput fuit tribus Benjamin & Iuda. Per *crines*, intelligit viros, quorum vt pilorum, ferè innumerabilis multitudo fuit in illa vrbe. Sunt enim quædam vrbes vix populosæ, vt hodie Venetiæ, Lutetia, Antuerpia & aliæ. Credendum multos etiam ex vicinis locis, vt fit, aduentante exercitu hostili, se in urbem cum suis contulisse. Hæc autem hominum multitudo eos perdidit: nam quæ est humana miseria, spem & fiduciam, quam in Deum ponere debuerant, posuerunt in multitudiue militum, putantes se omnibus superiores fore. At Deus ostendit ipsis hac imagine, viros hos nõ resistere posse hostibus. Per *nouaculam* significat vindictam Dei, quæ per Babylonios de tota illa gente sumenda erat. Nouacula acuta, pili nullo negotio raduntur, ita fortes alioqui viros, (virilitatis indicium barba est) & prudentes (quibus vrbs non aliter ornatur atque tegitur, quàm caput coma) nullo negotio significat auferendos esse. Isaias 7. cap. Assyrios nouaculam mercenariam, vel ebriam, aut rigatam sanguine appellat, qua Deus rasurus, id est, absumpturus sit crines capitis, & pilos pedum, hoc est, proceres & plebeos. Iubet Prophetam stateram ponderis (qua homines in rebus ponderandis vtuntur) accipere, & pilos diuidere in tres partes. *Statera* vel trutina, æquitatem & iustitiam Dei significat. Queruli enim erant Iudæi, dicentes se iniuste puniri.

Diuisio pilorum, diuersam ipsorum conditionem, & differentiam, in pœnis significat. Licet non eadem pœna omnes afficiendi sint, nullum tamen impune euasurum. Vnam partem iubetur igne comburere in medio ciuitatis (scilicet deliniatæ in latere. non enim Hierosolymis, sed in Chaldæa agebat ad fluuium Chebar) durante obsidione. Significat magnam & fortè tertiam partem populi, fame, peste, fundis, balistis, catapultis perdendam esse, antequam vrbs expugnetur. Ignis passim in Scripturis, omnis generis ærumnas & calamitates significat. Alteram partem gladio in circuitu eius, scilicet vrbs, concidere debuit. Etenim si quæ factæ sunt eruptiones, vt fit in vrbiū obsidionibus, probabile est multos cessisse. Historia 2. Regum 25. cap. testatur, Zedechiam cum suis proceribus noctu per occultam viam ex vrbe se subduxisse, quos Babylonijs in campis Hierichuntinis, partim ceciderunt, partim retraxerunt ad Nabuchodonosorem, qui in conspectu Zedechiæ, filios eius & proceres iugulauit, oculos eius eruit, & catenis vinctum in Babylonem abduxit. Alij quoque qui euadere volebant, per circuitum ciuitatis cæsi sunt. capta vrbe, obuij quique iugulati sunt. Tertiam partem iubetur dispergere in ventum. Loquitur de illis qui ad vicinos suos, & qui in montes atque sylvas, dilapsi sunt, vt pœnas euaderent: Gladium se post eos dicit euaginatuum. Capta enim vrbe, pauperes & quidam

Caput.

Pili.

Nouacula.

Statera.

Tripartita diuisio pilorum.

Prima pars pilorum.

Secundam partem.

Tertia pars.

Partem pilorum in ala vestimenti recondit.

Deus semper conferuat sibi populum.

alij, qui se gladium effugisse sperabant, cum ad colendam terram illic relictis essent, interfecto Godolia in Ægyptum profugerunt. Postea alij quidam Iudæi confluerunt, qui se bellum effugisse rati, per Nabusardanum in Babylonem abducti sunt. Iere. 52. cap. Ex tertia hac parte pilorum, iubet eum iterum particulam aliquam recondere in ora vestimenti, & ex his pilis rursus partem conicere in ignem, ex quo ignis egressurus sit in omnem domum Israel. Ostendit ex tertia parte, ex dispersis & captiuis paucos fore superstitis. Nam decem tantum millia in Babylonem abducti leguntur. Ex illa paucitate, multi igne, id est, variis malis perierunt. Omnes varij ærumnis, vt aurum igne, probati sunt: paucissimi reuerfi sunt in patriam ex captiuitate tam diuturna, quos Deus quasi in pallio suo seruauit propter semen benedictum, hoc est Christum, qui ex ipsis nascendus erat. Facit hoc ad consolationem, etsi in publicis illis malis, nullus esse videatur qui pœnitentiam agat: tamen Deus semper sibi seruat reliquias aliquas. Isa. 1. Nisi semen reliquisset, fuisset vt Sodoma & Gomorra. Paucos illos in medijs afflictionibus seruat, & consolatur Dominus. Etsi verò corpore cum reliquis pereant, animas tamen ipsorum ipse seruat, & corpora eorum vltimo die resuscitabit ad vitam æternam. Colligimus autem quàm malè habuerint res Israelitarum, quòd ex tanto numero, Deus tam paucos superstitis esse voluit. Sæpenumero Ecclesia Dei ad magnam paucitatem redacta fuit. Maxime autem aduentante extremo iudicio, numerus fidelium attenuabitur, Lucæ 18. capite. *Ignis in omnem Israelem erupit.* Nam cum & alij, & decem tribus, quæ iam pridem abductæ fuerant, intelligerent antiquam illam, & celeberrimam urbem, totam incendio conflagrasse, plerique spe reditus in patriam abiecta, grauius captiuitatis miseras ferebant. Verisimile quoque est, exules magis exosos fuisse, euerfa vrbe, quàm antea.

Hæc nobis accomodanda sunt. Grauiissimas pœnas nobis imminere, omnes, quantumuis malos, fateri oportet: pœnitentiam itaque agamus, vt Deus nobis placetur. Stultum est munitionibus locorum, vel multitudi virorum confidere. Nam vt nouacula pili ita auferuntur, vt ne vnus quidem superfit: vtque pili in ignem coniecti, momento absumuntur: ita Deo homines puniente, nihil prorsus ei potest obsistere. Etsi verò quis vnã pœnam euadat, alias tamen non subterfugiet. Facile fieri potest, vt illos qui hodie pestem, qui famem euaserunt, tam graues pœnæ maneant, vt dicturi sint olim, ô felices illos, qui peste obierunt. Iustus est Deus & misericors, confugiamus ad eius clementiam.

## HOMILIA XV.

*¶ Causa iræ Diuina contra populum, & visio præcedens exponuntur.*

5 Sic dixit Dominus Iehouah, *Ista est Ierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu eius terras.*

6 *Et mutauit iudicia mea in impietatem præ gentibus, & statuta mea præ terris, quæ sunt in circuitu eius: quia iudicia mea spreuerunt, & præcepta mea, nec ambulauerunt in eis.*

7 *Idcirco sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd multitudo vestra fuit præ Gentibus quæ in circuitu vestro sunt, in præceptis meis non ambulastis, neque iudicia mea fecistis, quin iuxta iudicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non fecistis:*

8 *Ideo sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego ad te, etiam ego, & faciam in medio tui iudi*

tui iudicia in oculis Gentium.

9 Et faciam in te quod non feci, neque facturus sum simile ultra, propter omnes abominationes tuas.

10 Siquidem patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos: faciamque in te iudicia, & ventilabo omne residuum tuum in omne latus.



Eri audiuius visionem vel paradigma, quo repræsentatur mirabilis vrbs euersio: iam deinceps ipse Propheta hanc visionem interpretatur, & causas ire Dei in populum suum recenset. Cæterum causæ illæ diligenter nobis perpendendæ sunt, & inquirendum, an non meritò nobis quoque Deus hodie irascatur, & quomodo redire cum eo in gratiam possimus.

*Ista est Hierusalem*, Ista, demonstrat aliquid, picturam, sartagine, cubationem, tonsuram, vel visionem: vt sit sensus, hæc omnia, vel hæc visio, significat Hierusalem, aut est signum vel symbolum pereuntis Hierusalem. Similes loquutiones in Scripturis passim occurrunt, arca dicitur Dominus exercituum. Ad hunc ordinem pertinent etiam sacramentales illæ loquutiones, circumcisio est fœdus, panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi. In veteri Ecclesia notum fuit, signa rerum signatarum nominibus appellari. Nisi enim tropicè accipiantur verba Cænæ Dominicæ, multa absurda consequantur necesse est. *In medio gentium posui eam, & in circuitu terras*. D. Hieronymus autoritate huius loci, Hierusalem non Iudææ solum, sed & terrarum circumquaque iacentium mediam esse tradit. Huc accomodat Psal. 73. operatus est salutem in medio terræ. Orientalem illi facit Asiam: Occidentalem, Europam: à Meridie & austro Lybiam, & Africam: à Septentrione Scythas, Armenios, Persas & reliquas Ponti nationes. Quæ ratio medij, vt Vadianus in doctissima sua epitome trium orbis partium scribit, tametsi ad excussam dimensionis normam non admodum quadrat: tamen quia Ezechiel gentium meminit, quæ Palestinæ circumfunduntur, nec facile locum alium dederis, ex quo in omnes terræ partes aut expeditior aut commodior esse transitus posset, profectò non modò non absurda Hieronymi sententia, sed ad natium sensum explicandum etiam idonea, & prophético maximè sermoni congrua esse videtur. Alij in medio esse, simpliciter intelligunt, præcipuum esse: Deus enim eximiam fecerat. Inter omnes vrbes, celeberrima fuit vrbs Hierosolymorum, quam Deus quasi sedem & domicilium religionis veræ esse voluit. De hac dici potest quod pastor Virgilianus de Roma dicit:

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Plinius clarissimam vrbiū Orientis vocat. Tacitus famosam eam fuisse tradit. Singulari autem Dei prouidentia in medio tot celebrium populorum posita fuit, nimirum vt speculum omnibus gentibus proponeretur, & vetus Dei cultus in alias gentes ex ipsa promanaret, quod magnum Dei beneficium fuit, pro quo se gratam exhibere debuit. Hodie quoque in magnis vrbibus Euangelij sui lucem Deus accendit, vt ad vicina quoque oppida diffundatur. Quid autem fecit Hierusalem? *Mutauit iudicia mea in impietatem plus quàm gentes*. Præscripti singulis suum *usque missat*, ac illi ipsas gentes vicerunt impietate. Pro veris cultibus sibi delegerunt impietate: finxerunt novos cultus suo arbitrio, ac novas leges. Iuditiis quoque vel pœnis quas sumpsit de aliis priuatim & publicè, nihil moti sunt. *Statuta mea præ terris quæ sunt in circuitu eorum*. Ceremonias meas, & ritus meos mutarunt plus quàm gentes. Ego præscripseram quomodo religio, &

Ista est Hierusalem.

Hierusalem sita in medio Iudææ.

Hierusalem celeberrima vrbs.

Iudæi iudicia & statuta Dei reiecerunt.

# CAP. 5. IN EZECHIELEM

vita instituenda esset, illi autem suos affectus sequuti, omnia fuisque deque habuerunt. Aliis suo bono exemplo præire debuerunt: at illi gentium circa se positarum impietatem non solum sequuti sunt, sed etiam vicerunt. Si illi quibus Deus verbum suum patefecit, nihilominus pergant in sceleribus, grauioribus pœnis digni sunt, quàm illi quibus verbum non est prædicatum. Idem repetit & explicat, dicens: *Iudicia mea spreuerunt, & præcepta mea: nec ambulauerunt in eis.* Non peccarunt ex inciticia, & imbecillitate, sed ex mera malitia, & contemptu verbi Diuini.

Comminatio pœnarum.

Sequitur denunciatio pœnarum. *Quia multiplicati estis præ gentibus.* Ocolampadius, & alij referunt hæc verba ad numerum populi, & copiam bonorum, vt sit sensus: Deus vos auxit viris & opibus, pulsis Chananæis, fertilissimam terram vobis dedit, insignes victorias, sua oracula, pro quibus omnibus grati esse debuistis: sed vos defecistis à Deo. Ferè autem fit, vt homines magnis Dei donis insolentiores reddantur, rectè dicitur:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Gentes præferuntur Iudæis.

Caluinus actiue intelligit, *Propter multiplicationem vestram supra cunctas gentes*, hoc est, quia non contenti fuistis mediocri impietate, sed coaceruastis omne genus scelerum, ita vt impietas vestra ad summum peruenerit, ita & ita vobiscum agam, &c. Quid fecerint repetit, ne putent sibi iniuriam fieri: *In statutis meis non ambulastis, neque iudicia mea fecistis.* Addit, *Quin iuxta iudicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non fecistis*: sensus est, non tanto zelo veram religionem defendistis, quanto vicinae gentes suam idololatriam: Illarum exemplo debuistis excitari ad studium veræ religionis, quæ ferre non possunt, vt aliquis vel verbum dicat cõtra deos ipsarum. Deinde, quod ad mores attinet, gentes in multis vos, qui scriptam legem habetis, superant. Paulus ad Rom. 2. dicit: gentes quæ Legem nõ habent, natura quæ legis sunt faciunt, &c. Multi ex ipsis abominati sunt periuria, cædes, corrupta iudicia, adulteria, stupra, vfuras & alia id genus, quæ hoc tempore inter Iudæos impune grassabantur. Indignissimè ferebant quòd vicinis gentibus, contra quas odia exercebant, æquarentur, confidentes suis prærogatiuis, quibus præ aliis gentibus ornati erant: sed Deus quid in eis desideret, per Prophetam disertè ostendit: *Ecce ego ad te, etiam ego.* Ecce sæpe ponitur cum res improuisa ostenditur. Donatus Grammaticus dicit: Vbi-cunque ponitur *Ecce*, necesse est sequi, quod metum afferat vel admirationem, ego ad te scilicet veniam, puniam te. Repetitio illa, certitudinem pœnarum significat. *Et faciam in medio tui iudicia*, hoc est, iudicia inter vos nulla sunt, silent leges, supplicia non sumuntur de sceleratis, ego igitur iustè iudicabo & de vobis pœnas sumam *In oculis gentium*, Vt illi videant & intelligant. Grauius nobis dolet si alij, maximè si hostes nostri, pœnarum quibus adficimur sint spectatores, quàm si absque testibus pœnas demus. *Et faciam in te quod non feci, neque facturum sum simile ultra.* Sensus est, tam atrox erit illa vindicta, vt exemplo caritura sit. Mallem dicere, hanc esse vsitatam formulam exaggerandi calamitatem aliquam: aliis enim temporibus multa horrenda acciderunt. Christus Seruator noster Matth. 24. dicit: Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc vsque tempus, neque fiet, &c. *Propter omnes abominaciones tuas.* Causam tantorum malorum vno verbo comprehendit, propter idololatriam, & scelera. Siquidem patres comedent filios, &c. Deut. 28. Deus comminatur talem famem Legis transgressoribus: lege locum. In Threnis Iere. 4. cap. dicitur, etiam misericordes matres propriis manibus suos filios coxisse: emphasim habet quod dicit, matres misericordes. Talis historia 2. Regum 6. cap. legitur, de obsidione Samariæ sub Ioram rege. In vltima obsidione Hierosolymorum sub Tito & Vespasiano, mulier quædam transiordanina, Maria nomine,

Matres deuorat filios.

Eleazari



Eleazari filia, genere & opibus insignis, teste Iosepho, cum alia multitudine se in urbem recepit, & spoliata à raptoribus rebus omnibus, tandem adacta necessitate, proprium filium lactantem interfecit, partemque eius coquens comedit, partem verò referuavit. Raptores nidore assatæ carnis accurrentes, cum quid factum esset cognouissent, attoniti recesserunt. *Faciámque in te iudicia.* Iterum repetit, iusto iudicio condemnandos, ne putent sibi iniuriam fieri, & Prophetam ex ira agere. *Et veni labo omne residuum tuum in omne latus,* hoc est, reliquias dispergam in omnem ventum. In Turcicis bellis hoc sæpe factum, vt matres à filiis, vxores à maritis, nurus à sócrubus distracti, in diuersis regionibus feruerint.

Colligimus ex his verbis, quæ sint præcipua peccata, ob quæ regna & oppida euertuntur. Hæc nobis non ideo à Deo proponuntur, vt tantum audiamus instar fabulæ: sed vt singulæ regiones, vrbes, quin singuli homines sibi adaptent. Nulla est natio, nulla vrbs, quæ non magna beneficia à Deo acceperit: consideret quid vicissim Deo præstet. Nos Heluetij qui à Deo accepimus libertatem corporis & animæ, præclara beneficia, cogitemus num illa, propter quæ celeberrima Hierosoly. vrbs funditus euersa fuit, inter nos quoque reperiantur: ne simus securi, sed veram pœnitentiam agamus, ne in acutissimam aliquam nouaculam tandem incidamus.

H O M I L I A X V I.

*¶ Plenius explicat visionem ab initio capitis positam,  
& ostendit vindictam Dei non antè finem  
habituram, quàm maxima pars po-  
puli deleta fuerit.*

11 Idcirco viuo ego, dixit Dominus Iehouah, Si non propterea quòd Sanctuarium meum violasti omnibus contaminationibus tuis, & cunctis abominationibus tuis, & etiam confringam, & non parceret oculus meus, nec etiam ego miserebor.

12 Nam tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars gladio cadet in circuitu tuo: & tertiam partem in omnem ventum dispergam & gladium euaginabo post eos.

13 Et cessabit furor meus, & quiescere faciam indignationem meam in eis, & consolationem accipiam: scientque quòd ego Iehouah loquutus sum in zelo meo, quum implevero indignationem meam in eis.

14 Et dabo te in desertum, & in opprobrium in Gentibus quæ sunt in circuitu tuo, in oculis omnis transeuntis.

15 Et eris opprobrium & contemptus, disciplina, & stupor Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, quum fecero in te iudicia in furore, & ira, & increpationibus iræ: Ego Iehouah loquutus sum.

16 Quando misero sagittas famis malas in eos, quæ erant in destructionem, quas immittam vt perdam vos, & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis.

17 Et mittam super vos famem, & bestias malas quæ orbabunt te: & pestilentia,

Et sanguis transibit per te, atque gladium inducam super te: ego Iehouah loquutus sum.

Eadem res  
sæpe incul-  
catur.



Eluti parentes, etiam illa quæ per se clara & facilia sunt, nunc iisdem, nunc mutatis verbis, filiis suis subinde inculcant, vt in animos eorum altius penetrent: ita pater noster cœlestis, per Prophetas suos eandem ob causam, vnam eandemque rem, populo suo variè proponit. In prima hac oratione potuisset simpliciter & paucis dicere, urbem & populum perdendum esse, sed multis verbis & imaginibus rem proposuit, quarum vltima fuit de rasura Capitis & Barbæ: quam iam deinceps explicare pergit.

Templi  
violatio.

*Si non propterea quòd Sanctuarium meum violaſti.* Templum in hunc finem extructum fuit, vt in eo verbum Dei purè doceretur, orationes fierent, & sacrificia offerrentur. Prohibuit Deus ne idola in illud inferrent, quæ subinde detestationes, abominationes & sordes vocat. At illi verbo Dei contempto, adorarunt creaturas, & vt infra audiemus, simulachra in templo collocarunt, atque ita Sanctuarium siue Templum Dei prophanarunt. Alij per Sancta vel Sanctuarium, præcepta legis intelligunt. Deus itaque pœnam eis denunciat, addito iureiurando *Vino ego, & si non*, scilicet hæc fecero, non habear Deus. Congerie hac verborum, vindictam horribilem & certam significat, dicit enim: *Diminuam vel confringam eos: non parcet oculus meus.* Respondet huic Germanica phrasis, *Einemetras vberſaechen.* Non parcam vobis, sed absque omni misericordia vobiscum agam. Christiani melioribus temporibus nullas statuas aut picturas in templis suis habuerunt, hodie omnia plena sunt simulachris, & altaribus in honorem diuorum erectis: qui diruunt aras illas, & idola auferunt, dicuntur templa in equorum stabula conuertere: nemo itaque miretur Turcas venire, qui omnia idola deiiciunt & templa exurunt, &c. *Tertia pars peste morietur.* Ænigma Capillorum in tres partes diuisum, iam ipse Dominus per Prophetam edisserit, iterum dicit, *Gladium euaginabo post eos.* Cum audirent quòd aliqui superstites futuri essent, quisque sperabat (vt solemus) se incolumem euasurum: Dominus igitur dicit, etiam reliquiis non parcendum. Nam præter id, quòd quotidie multa tristitia eis eueniebant, multi peste quoque, & fame ex ipsis perierunt in captiuitate. *Et per-*

Deum non  
contentum  
fore medio-  
cri pœna.

*ficietur ira mea.* Pergit comminari pœnas, & non ante finem fore pronunciat, quàm fuerint extincti. Sæpe Deus gentem aliquam grauitè punit, sed statim manum retrahit: nunc verò rem aliter habituram ostendit, idque multis verbis, vt in animos eorum altius penetret. *Perficietur* vel *cõplebitur furor meus*, hoc est, penitus vos consumam. *Requiescere faciam iram meam in ipsis*, continuationem iræ suæ ostendit. *Consolationem accipiam.* Appetentes vindictæ, recreant animam suam si vindictam sumant de illis à quibus læsi sunt: *ſy erkuelend iren mult.* Non quidem his affectibus Deus obnoxius est, sed hæc ideo *αὐτὸς ἐργονοῦσθαι* de ipso dicuntur, vt nos omnia melius percipiamus. *Cognoscent quòd ego Iehouah,*

Deus loqui-  
tur per Pro-  
phetas.

*qui locutus sum in zelo meo.* Hæc verba in hoc libro sæpissimè repetuntur. Non credebant Deum ipsis loqui per suos Prophetas: sed putabant eos ex affectibus agere: Deum non credebant irasci propter idololatriam. Ego itaque re ipsa ostendam, dicit Dominus, me loquutum esse, & ferio, meque odio habere idololatriam. Vtque maritus ferre nequit, si vxor alios viros quærat, ita ego ostendam me non ferre posse, si homines alibi, nempe apud creaturas, opem & cõsolationem quærant. Hodie quoque multi dicunt, Deus nobis non irascitur, benè ei nobiscum conuenit, at concionatores qui nobis gaudia nostra inuident, multa fingunt pericula. Illi quoque sentient tandem, quis ipsis loquutus sit. *Ponam te in vastitatem:* Iterum inculcat puniendos, & vastandos esse, terra erat cultissima instar horti: ego verò omnia vastabo, inquit. In obsidione urbium, horti, vineæ campi, vastantur

vastantur, arbores succiduntur, vt deserta, inculta & relicta sint omnia. *Ponam te in opprobrium inter gentes, quæ in circuitu tuo sunt, in oculo cuiuslibet transeuntis* חרף *cheres*, exprobrare, blasphemare, vituperare significat. Sensus est, gentes vicinæ, quibus admirationi fuistis, & viatores transeuntis, vos vituperabunt, dicentes vos pessimos fuisse, & dignos qui ita tractarentur. Mox repetit, *Eris probrum & subsannatio*. Valde dolet hominibus calamitosus, si alij eos irrideant. *Eris castigatio*. מוסר *musar*, eruditio. Quia exemplo vitæ suæ, vicinos suos ad virtutem non excitauerunt, Deus horribiles pœnas de ipsis sumpsit, vt alij malis ipsorum edocti, discerent quid faciendum vel omittendum esset. Item in captiuitate, verbis castigabis alios, vt à sceleribus sibi caueant, ne idem eis accidat quod ipsis acciderit. *Eris stupor apud gentes*. Qui ruinas huius vrbs cernent, stupebunt. Solemus enim si videamus acervos lapidum, aut campos, aut viculos vbi celeberrimæ quondam vrbes fuerunt, obstupescere, & dicere, Quis putaret hoc loco celebrem vrbe fuisse? vt si apud nos videas campos, vbi Vindonissa, Auenticum, Augusta Rauracorû, &c. fuerunt. *Cum fecero in te iudicia in furore*. David deprecatur, ne Deus in furore suo eum arguat. Iterum dicit, *Ego Iehouah loquutus sum*. Vt videant non commentitiam fabulam esse. Hoc epiphonema in hoc libro subinde repetitur. *Cum emisero sagittas famis malas in ipsos*. Iterum de fame ipsis im-

Famis sagittæ.

mittenda loquitur. Sagittas famis vocat, bruchos, erucas, locustas, & id genus frugum pestes, item pruina, grandinem, rubiginem, &c. Adde his, monopolas, propolas, qui fruges recondunt, nec ante vœnum exponunt, quàm precium valde auctum sit, aliquando etiam eos corrumpunt, & adulterant. *Quæ erunt in perditionem, quas iaculabor in ipsos ad perdendum eos*. Sæpe si fruges in vno loco pereant, tamen ex aliis copiosè adferuntur, At ego, dicit, perdam vos fame: non est quòd speretis si per vnum annum cum fame conficiati fueritis, vos postea liberandos copioso rerum prouentu. *Famem congregabo super vos, & frangam in vobis baculum panis*. Non poteritis ex fame emergere, colligam enim famem contra vos tanquam validum exercitum: pœna illa erit continua, si vos iam elapsos putabitis, iterum vos excipiet fames, omnium rerum precio immodicè aucto. *Et mittit super vos famem*. Sæpe repetit, se famem, pestem, & alia mala immittere, ne putaret hæc temere accidere. Tanta erat huius populi pertinacia & stupiditas, vt non satis fuerit, minas Dei semel & iterum, sed assiduè inculcare. *Bestias malas quæ orbabunt te*. Quæ parentibus filios, filiis parentes auferent. Deus sæpe

Bestiæ malæ.

feras immanè que belluas in homines immittit. 2. Reg. 17. cap. leones immisit Samaritanis, qui eos laniarent: sic lupos, vrfos, apros, & venenatas bestias armat contra homines. Circa annum 1529. inaudita luporum multitudo fuit in agro Mediolanensi, qui magis insidiantes hominibus quàm pecoribus, prope pagos eos inuadebant, vulgò dicebantur à Deo ad castiganda hominum peccata fuisse immissi. Anno Domini 1548. crudelis quædam fera miræ celeritatis in Bituricēsum finibus, homines & pecora lacerauit, contra quam viatores se vel comitum multitudine, vel armis muniebant. De bestiis plura sequuntur. 14. cap. Theodoretus per metaphoram, hoc loco Chaldæos intelligit propter crudelitatem. *Et pestis, & sanguis transibunt in te*. Cædes multas fore minatur, ita vt quis vix in plateis, quin in propriis ædibus, tutus sit à sicariis. *Et gladium venire faciam super te*. Comminatur populo bellum & seditiones. *Ego Iehouah loquutus sum*. Non est, inquit, quòd putetis homines vanos & leues hæc dicere: ego qui veritas sum, & illa quæ dico re ipsa efficere possum, prædico vobis hæc euentura esse. Hinc collige Deum, etsi ad tempus contemptum verbi sui ferat, tamen non ferre perpetuò: deinde quæ sint præcipua flagella, quibus Deus scelera hominum punit. 1. fames. 2. pestis. 3. bellum, quod comprehendit cædes, incendia, captiuitatem, vastationem, dispersionem. 4. malæ bestiæ. Exploremus nunc cordis nostri penetra-

lia, cogitemus quibus sceleribus Deum offenderimus, oremus veniam peccatorum & opem, vt deinceps ab omnibus malis nobis cauere valeamus, & vita ipsi inferuire.

HOMILIA XVII.

DE PESTILENTIA.

Hæc homilia ex Germanica lingua in Latinam est translata.



Vandoquidem hoc tempore, pestis apud nos atque alibi grassatur, & periculum est, ne aliquandiu duratura sit, operæ precium facturus esse videor, si ad finem huius capituli, in quo Deus inter alia populo suo propter idololatriam & scelera, pestem comminatur, ex sacris literis (quibus singuli solidè & firmiter insistimus) simpliciter atque breuiter ostendam, primùm quòd solus Deus pestem hominibus immittat: deinde ob quas causas eam immittat: tertio loco, quo pacto nos in peste gerere debeamus. Faxit Deus optimus maximus, vt omnia ordine & perspicuè ad eius gloriam, & vtilitatem legentium pertractemus.

I. Vnde sit pestis.

Pestis non temere grassatur.



Vòd ad primam partem attinet, pestis non temerè & fortuitò grassatur, vt multi corruptè iudicant, dicentes: omnibus seculis pacem rerumque tranquillitatem, consequutum esse bellum: fertilitatem & abundantiam omnium rerum, magnam annonæ penuriam & caritatem: sic quoque si aliquot annis salubrem aërem habuerimus, pestiferum & pestilentem subsequi. Sacræ Scripturæ docent, etiam minima quæ in terris fiunt, à Deo gubernari, quin bruta quoque animalia sub illius procuracione existere. Nam in Psalmo 35. legitur, Hominem & iumentum saluabis Domine. Ad Ionam Prophetam dicit Dominus 4. cap. Et ego non miserebor Niniæ ciuitatis magnæ, in qua sunt plures quàm duodecim myriades hominum, quorum nullus discrimen nouit inter dextram suam, & sinistram suam, & iumenta multa? Pij homines assiduis precibus à Deo postulant, vt armenta & greges ipsorum tueatur & conseruet: intelligunt enim Deum etiam brutorum animantium curâ gerere. Matt. 10. cap. inquit Christus: Nonne duo passeruli minuto asse uenèunt, & vnus ex illis non cadit in terram sine patre vestro? Vestri verò etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne metuatis igitur, vos pluris estis quàm multi passeruli. Si verò iumenta absque diuina voluntate non pereunt, neque passer odiosa auicula, quæ in nullo numero est, capitur aut interit, quomodo homo, cuius gratia cælum & terra creata sunt, qui ad imaginè Dei formatus est, pro quo Christus Iesus mortè pertulit, qui vitæ æternæ promissionem habet, quomodo inquã, citra Dei voluntatem, peste aut aliis morbis casibusque vitam amitteret? Mors & vita, res secūdæ & aduersæ, à Deo hominibus immittuntur. Anna mater Samuelis Prophetæ. lib. 1. Sam. 2. cap. dicit, Dominus mortificat, & viuificat. Sæpe de alicuius vita Medici & alij desperant, quem postea Deus ex morbo recreat. Imò Dominus ex mortuis nos reuocat. Impœnitētibus pestilentiam, varios morbos, aliásque pœnas minatur: proinde ab ipso solo hæc omnia proueniunt. Regius Propheta Dauid 91. Psal. scelices illos esse pronuncians, qui se fidei atque prouidentia Dei committunt, inter alia ostendit, Deum pestem quoque (quam vulgò homines cæco impetu ferri opinantur) sua prouidentia ita regere, vt nemo absque ipsius voluntate & ordinatione, hoc eius telo pereat. Ictus Dei non sunt vani, non aberrat ab illis quos ferire vult, neque Andabatarum more pugnare solet. Instrumenta sua in  
promptu

promptu habet, per quæ operatur. Angelos enim suos hinc inde emittit, quibus quotnam homines, & quos perdere, & quando gladium iterum in suum locum conuertere debeant, in mandatis dat. Ezech. 9. cap. Deus Prophetæ visionē obiecit, qua repræsentauit se totam ciuitatem Hierosolymorum, eò quòd iudicia corruperant, Deumque res ipsorum neque curare neque videre existimabāt, funditus euersurum, & omnis sexus & ætatis homines miserabiliter interfectorum, exceptis signatis, quibus parci voluit. Hodie quoque Deus signatos suos habet, quos à peste aliisque malis clementer cõseruat atque defendit. Nõ enim facit vt nos, qui cum ira incendimur, in obuios quosque nullo discrimine impetũ facere conamur. Cum decem graues plagas Pharaoni atque Ægyptiis infligeret, mirabiliter populum suum Israeliticum defendit, atque cõseruauit ab illis ipsis malis, quibus Ægyptios vexabat, vt omnes inde colligere possent, Dei hanc esse manũ. In Apoc. Ioannis Angelo præcipitur, vt quartam hominum partem interficiat. cæteris parcat.

Deus per causas naturales etiam agit. Quod Astrologi influentiam cæli, coniunctionemque, & toruos aspectus Planetarum, Saturni potissimũ & Martis, Solis item & Lunæ Eclipses, pestis causas esse affirmant, in medium relinquo. Plerique Medicorum tradunt, cor, cerèbrũ, iecur, & sanguinem hominis corrumpi, si quatuor anni tẽpora, ver, æstas, autumnus, hyems, non habeant naturalẽ suam constitutionem, itẽ si aër corrũpatur, & nulla diætæ certa ratio seruetur. Attamẽ Deus noster hiis rebus non ita est astrictus, quin secundu liberã suam voluntatẽ, quoscunque vult peste inficiat. Hoc loco non est animus refellere Medicorũ sententiã, qui omnes vno ore pestilentie contagio alios infici tradũt: ex quotidiano conuictu, halitu, contactu peste laborantiũ, eodẽ morbo homines corripit: item, si vestimentis, lectis, supellectilibus, & aliis huiusmodi rebus, priusquã vento & igne mundata sint, vtantur. Et si concedamus rẽ ita sese habere, tamen certum est nos non antè corripit hoc morbo, quã Deo visum fuerit, alioqui omnes illi qui eiusdẽ sunt complexionis, pestẽque laborantes inuisunt, hoc morbo afficerentur: cõtrarium autem euenire reipsã cõperimus. Ethnici quoque, sicuti Arnobius li. 7. contra gentes scribit, suos pestilentiarũ deos habuerunt, ideoque pestem non temere oriri existimarũt. Atque hæc de prima parte dicta sint, vnde pestilẽtia originẽ ducat, nẽpe à solo Deo. Qui auster de hoc morbo sentiũt, profectò de emẽdanda vita solliciti nõ erunt, neque ad illũ, à quo castigãtur, toto pectore sese cõuertent.

Naturales pestilentie causæ.

An pestis contagiosa sit.

*II. Ob quas causas Deus pestem hominibus immittat.*

**S**ecundo loco videbimus, cur Deus hoc terribili flagello terrarum orbẽ cædat. Non desunt qui bella, famem, pestilentiam, aliãque huiusmodi calamitates, Euangelio acceptas ferant. Ab eo enim tempore dicunt, quo nouum illud Euangelium diuulgatum sit, vique in hodiernum diem, orbem à bellis, aliisque huiusmodi malis nunquam conqueuisse. Idem Ethnici priscis temporibus vociferabantur: quæcunque enim mala ipsis cõtigissent, præsertim verò pestilẽtia grassante, omnem culpam in religionem nouam Christianorum contulerunt. Hoc argumentum ipsorum, sanctus Dei martyr Cyprianus contra Demetrianum crudelem Christianorum hostem, diligenter refellit. Item sanctus Augustinus. 3. lib. 17. cap. de ciuitate Dei.

Cur Deus pestẽ nobis immittat.

Vera in Christũ fides non est pestis causa.

Sacras literas diligenter perscrutãtes, multas & varias causas pestis, aliarũque calamitatũ inueniemus. Maximẽ verò, quòd Deus hac ferula, idolatriã, scelera atque flagitia hominũ vlcisatur. Placet hac de re insigniora aliquot testimonia sacrarum literarũ in mediũ proferre. Exod. 5. Moses & Aaron Pharaonẽ Regem rogant, vt Israelitas dimittat, quò in deserto Domino sacrificare possint, sicuti illis in mandatis dederit, ne ipsos peste & gladio perdat. Vnde colligimus, Deum ob

Deus mundi peccata atque scelera peste vlcisatur.

Lex Diuina,

*Soliman*

inobedientiam nostram, hac aliisque huiusmodi pœnis nos afficere. Postea 9. cap. scriptum est, Deum hominibus & pecoribus grauiâ vlcera, pestem, & morbos pestiferos immisisse propter Pharaonis inobedientiam, & quod magnâ nobis cōsolationē asferre debet, Israelitis, eorūque armētis atque gregibus pepercit. In fine 15. cap. Moses ad populum inquit: Si audiendo audiueris vocem Domini Dei tui, & quod rectū est in oculis eius feceris, & auscultaueris præceptis eius, atque custodiueris omnia statuta eius: omnem lāguorem quem posui in Ægypto non ponam super te: quia ego Dominus sanans te. E contra colligere possumus ex hac sententia, quod Deus homines ipsū atque verbum eius contempnentes, multis & variis pœnis afficiat. Num. 14. cap. præclara & egregia historia extat de populo Israel, qui auditis exploratoribus quos Moses ablegarat ad explorandam terram hostilem despondentes animum Mosi indignabantur, quod in certissimum vitæ discrimen eos adduxisset. Dominus autem Mosi dicebat: Vsquequo prouocat me populus iste, & vsquequo non credunt mihi, in cunctis signis quæ feci in medio eorum? Percutiam eum peste, & delebo eum: postea subiicitur, multos in deserto peste absumptos esse. Leuit. 26. cap. ostendit Moses, quæ præmia parata sint obseruantibus Dei mandata, è contra verò quæ pœnæ decretae sint legis contemptoribus, & inter alia dicit: Et si ambulaueritis aduersum me, & nolueritis audire me, addam super vos plagas vsque in septuplum iuxta peccata vestra. Etiam sic faciam vobis, inducam super vos terrorem corporis, inflationem & febriam ardentem, quæ consumant oculos, & dolorem inferant animæ. Alias quoque graues pœnas eis minatur, quibus si nihilo meliores efficiantur, pestem quoque si collecti fuerint intra ciuitates, se illis immisurum cōminatur. Eadem ferè Deut. 28. cap. repetuntur. In 1. lib. Reg. 24. cap. & 1. lib. Paralip. 21. cap. narratur, Regem Dauidem stimulante superbia, subditos suos numerasse. Qua quidem re Deus offensus, illi potestatem electionemque fecit, vt ex tribus flagellis, fame trium annorum, bello trimestri, aut peste trium dierum, eligeret vtrum vellet. Paucos post dies magna hominum multitudo peste, quam delegerat, absumpta, pœnas superbiæ perfoluit. Qui volunt legant totam historiam.

Jeremias.

Jeremiæ 15. cap. comminatur Deus populo suo Israel propter idololatriam & scelera, quatuor flagella nempe, pestem, aliosque morbos, gladium, sub quo comprehendit bella, seditiones, prodiones, latrocinia, & alia huiusmodi mala; item famem, & captiuitatem. Postea 21. capite scribitur, Zedechiam Regem, Nabuchodonosore Rege Babylonis urbem iam obsidente legatos ad Ieremiam Prophetam sciscitatum misisse, quisnam belli exitus futurus esset: Propheta afflatu Dei respondens, inter alia dicit: Percutiam habitatores huius ciuitatis, homines, & iumenta, & morientur pestilentia magna. Egregius princeps Iosias Dei Ecclesiam reformarat, in Templo omnia illa quæ pugnabant cum Legge Dei, abrogarat, in eorum locum magno labore, cura, diligentiaque illis quæ Deus in mandatis ei dederat, substituitis. Mox autem post illius obitum consiliarij eius, qui eo superstite ne hiscere quidem ausi fuerant, item filij eius iuniores principes, idololatriam euersam reducerunt, spretis Ieremiæ aliorumque Dei Ministrorum monitis. Deus igitur principes, consiliarios, eorūque subditos, qui idololatriam comprobabant, partim fame & pestilentia, partim bello deleuit, partim etiam in captiuitatem pertraxit. Jeremiæ quoque 29. cap. apertum testimoniū extat, quibus de causis Deus homines peste affligat: sic enim Deus per os Prophetæ loquitur: Sic dixit Dominus ad Regē, qui sedet super foliū Dauid, & ad omnē populum, qui habitat in ciuitate ista, fratres scilicet vestros, qui nō sunt egressi vobiscum in captiuitatē: sic inquam, ait Dominus exercituum: Ecce ego mitto in eos gladium, famē, & pestē, & dabo eos sicut ficus turpes, quæ præ malitia comedi, non possunt: Et persequar eos in gladio, in fame, & in peste, & tradam eos in

ad p. m. m. a. u. n. i. t. a. t. e. m.

Syphia.

eos in commotionem omnibus regnis terræ: Causam mox subiiciens, ait Eò quòd non audiuerunt verba mea, dicit Dominus, quæ ego misi ad eos per seruos meos Prophetas, mane confurgens, & mittens, & non obedistis, dicit Dominus.

Deus per Prophetam Ezechielem hoc 5. cap. prædicens futuras calamitates, <sup>Ezechiel.</sup> inter alia sic dicit: Idcirco viuo ego, dicit Dominus, si non propter Sanctuarium meum, quod polluisti in omnibus abominationibus tuis, & in cunctis execrationibus tuis: etiam ego extirpaturus sim te, vt non parcat oculus meus, sed neq; mi serear ego: Nam tertia pars tui morietur peste, &c. Mox sequenti 6. cap. rursus de magnis calamitatibus vaticinans, quibus illorum idololatria & scelera punienda sint, ad hunc modum loquitur: Gladio, fame, pestilentia peribunt, quique propè habitant ciuitatem, gladio interficientur, qui verò adhuc supersunt, fame conficientur. Similiter 7. cap. loquitur, causasque huius pœnæ adiungit, nempe magna *alibi / -dne* illorum peccata & scelera. Eadem ferè 33. cap. eiusdem Prophetæ legimus. 14. cap. Deus transgressores legis suæ, iterum quatuor flagellis castigandos dicit, nempe fame, peste, bestiis & bello.

In nouo quoque Testamento pestis causæ recitantur. D. Paulus in 1. ad Corin. cap. 11. eos taxas propter Cœnæ dominicæ abusum dicit: Propter hoc imbecilles multi sunt inter vos, & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosmetipfos diudicassetus, haud quaquam iudicati fuissetus: At cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. In Apoc. Ioannis 6. representatur, quomodo Deus homines, propter verbi sui contemptum, bello, fame, pestilentia, aliisque huiusmodi malis castiget. Capite 16. ostenditur, quomodo Deus Antichristum eiusque sectatores vlceribus, fame, pestilentia, aliisque huiusmodi malis castigaturus sit. <sup>Nouum testam. stamentum.</sup>

Idem in veteribus historiis memoriæ proditum legimus. Orosius lib. 7. pestem horribilem describit, quæ L. Aurelio Vero & Decio imperantibus, crudeliterque contra Dei ecclesiam sæuientibus, grassata sit. In ecclesiasticis historiis legimus, Deū ecclesiæ suæ persequutiones, quas Romani imperatores aduersus Christianos excitauit, pestilentia Romæ atque imprimis in Italia vltum esse. Imperatibus Commodo Cæsare atq; Gallo Valeriano, ingens hominum multitudo peste consumpta est. Etenim vbicunque decreta ipsorum promulgabantur de Christianis persequendis, ibidem quoque pestis sublequebatur. Decem illis annis, quibus Diocletianus ecclesiam exercuit, pestis & annonæ caritas durauit: multi fame peribant: multi opulenti peste consumebantur, & vt paucis dicam, magnis calamitatibus atque ærumnis homines afficiebantur. Consule hac de re Euseb. lib. 7. cap. 12. li. 8. cap. 15. lib. 9. cap. 8. Qui historias diligenter euoluunt, subinde inueniunt, Deū Hebræos, Ethnicos, Christianos, cum aliis malis, tum peste ob verbi sui contemptum, vitamque dissolutam & sceleratam, puniuisse. Sed nimis longum esset ex historiis sigillatim referre, quibus temporibus & locis, pestilentia memorabiles sæuissent, quæque hæreses & flagitia antea in mundo grassata fuissent. <sup>Historiæ veteres pestis causas indicant.</sup>

Quòd verò à Deo pij atque iusti homines interdum hoc morbo corripiuntur, fit certas ob causas. Etenim illis è medio sublatis, superstites punit, qui talibus viris indigni fuerant. Neque vult vt pij futuras calamitates atque miserias, intueri cogantur, ideòque in regnum suum cœleste eos vocat. Adhæc fidem & constantiam eorum cæteris fidelibus proponit, quo æquiore animo sint, si ipsis quoque è vita hac fragili fluxaque excedendum sit: Infideles autem commonefacit, quæ pœnæ eos maneant, cum fideles atq; electos suos horribili atq; terribili hac plaga consumat. De eximio Dei seruo Hiob 2. cap. legimus, quòd Deus in grauissimū morbum eum cõiecerit, atque malis vlceribus à planta pedis eius vsque ad verticem percusserit. Pius ille atque egregius rex Ezechias, etiã pestilentia laborauit. Hoc pestis tempore fit, vt sæpe honestissimæ matronæ, hoc morbo pestifero à paruis <sup>Quam ob causam pij homines pestis contumantur.</sup> e. iij.

liberis suis auferantur, è contrà verò turpes & infames mulieres, iterum pristinae sanitati restituantur. Multi honesti & graues viri moriuntur, è diuerso nebulones & decoctores vel non corripiuntur hoc morbo, vel si corripiantur, tamen non ex eo moriuntur. Hæc quidem omnia arcana & stupenda Dei iudicia sunt atq; opera. Ex his tamè colligendū nō est, pestilentiam non esse pœnā nostrorū peccatorum.

Multiplicibus peccatis nostris pestem meremur.

Decem præcepta Decalogi.

Quoniã verò satis sup̄erq; intelleximus, Deū omnibus sæculis homines peste, maxime ob magna & multifaria eorū scelera puniuisse: deinceps considerandū erit, nū peccata, atq; scelera illa inter eos quoq; vigeant. Hoc loco de illis qui Euangelii odio prof̄sequuntur atq; contēnunt, nihil dicā, sed tantū de illis, qui Euāgelicorū nomen sibi vendicāt, Si decem præcepta Dei diligēter percurras, & vitā nostrā cum his cōferas, deprehēdes, res nostras ita habere, vt mirari nō debeamus, quare Deus annonæ caritatem, bellum, pestilentiam, aliāq; huiusmodi calamitates nobis immittat, sed potius cur nos nō funditus perdat. Deus inquit, Ego sum Dominus Deus tuus, ne sint tibi Dij alieni corā me. Quot verò illorum esse putatis, qui belli tēpore, in fœdera, bōbardas, pedestres & equestres copias, & alia huiusmodi, omnem suam fiduciam ponant? Quātus illorū numerus est, qui in annonæ caritate, thesauris suis confidūt? Quot sunt, qui pestis tēpore spem suā in medicinam collocant? Quot itē sunt, qui spem suam, quā in solo Deo ponere debebant, in cognatos, diuitias atq; facultates, in mūdi huius dignitates collocāt? Deus nulla effigie effingi vult. Non pauci autē simulachra in tēplis pertinaciter defendunt, neq; præceptum illud, quod Deus ipse, ore suo in mōte Sinai pronunciauit, in ecclesiis suis recitant: magna interim voce subinde clamātes: Hoc est corpus meū, hic est sanguis meus. Atque hæc noui Testamenti verba esse dicunt: quod quidē nemo nostrū inficiatur, sed hortamur illos, vt verba hæc Cœnæ rectē interpretētur. Cur non clamant etiā, Deus dixit, nulla tibi simulachra facies, neq; coles ea? Hoc Testamenti seu fœderis præcipuum caput, ipsi prætermittūt. Deus vetat ne sancto nomine eius vanè, temerēq; vtamur. Quām autem crebro audiuntur inter Christianos execrationes per sanctū Dei nomen, & alia huius generis: Quām nulla est iurisiurandi religio? Deus sabbathum nos sanctificare iubet, hoc est, bona opera illo die exercere, verbum ipsius audire, sacramenta percipere, egenorum inopiæ succurrere, preces ad Deum fundere. Quantus verò illorum est numerus, qui cœtus sacros, conciones, precēsq; parui pendunt? Estne quæso dies aliquis per totam septimanam, quo plura flagitia atque scelera patrentur, quàm illo, qui Deo imprimis sacer esse debebat? Aut quibus quæso diebus plures vino ingurgitari videmus, & hinc inde vacillare quàm die dominico? Parentes nostros, & omnes quot quot sub parentum nomine comprehenduntur, honorare Deus præcipit. Quot verò liberi parentes magna contumelia afficiunt? Quām turpiter bona illorū dissipant? In quot calamitates atque misérias parentes suos coniiciunt? Quām parua est ministrorum ecclesiæ autoritas? Quænam magistratus pij decreta, apud subditos suum pondus habent? Quæ gratia ludimagistris refertur, qui summa cum diligentia, cura, laborēq; discipulos suos longo tempore instituerunt atq; docuerunt? Deus dicit: Nō occides. Hodie homines pecuniæ causā interficere, quæstus est vberimus. Omnes ira atque odio incendimur: vel verbo læsi, statim ad vindictam profilimus. Deus dicit: Nō committes adulterium. Nōne adulteriis omnia plena sunt? Quot quæso prouerbia fœda plerique in ore habent, quibus adulterij fœditatem extenuant? Coniuges rarò inter se consentiunt. Vulgare est peccatum scortationis. Multi virgines ad stuprum sollicitant, promittuntque eis matrimonium, postea expleta libidine, promissionibus suis non stāt. Nihil nunc dicam de fœdis obscœnisque dictis, cantilenis, gestibus, choreis, & id genus aliis. Deus noster inquit: Non furtum facies. Quibus verbis non tantum communia furta, verum etiam omnis generis fraudes & fallacias prohibet. Deus bone, quàm dolosi &



lofi & fallaces sunt homines? Quam mirificis artibus, adulte rādo monetā, emendo atq; vendendo aliūsq; contractibus, proximos suos fallere student: Nihil nunc dicā, de pōdere magno & paruo, de fallaciis innumeris quibus homines in mēsuris aridorū & liquidorū, & rebus aliis vtūtur, Deus inquit, Non dices falsum testimoniū cōtra proximū tuū. Quātæ vero querelæ audiūtur de testiū perfidia: quæ vnus affirmat, alter mox negat vel dicta vel facta esse, De obtrectationibus, mendaciis, calumniis, contumeliis inter homines regnantibus, dicere prudens omitto. Si hæc omnia perpendamus, mirum nobis videri non debet, quòd Deus tam grauibus pœnis nos afficit.

Possumus quoq; aliam rationem inire, vt apertè & perspicuè videamus, quòd corruptissima sunt omnia, quòdque in extrema illa tempora inciderimus, de quibus Dominus noster Iesus Christus & Apostoli vaticinati sunt. Considera homines cuiuscunq; ordinis, ætatis, sexus, quot, quæso, vitis illos laborare perspicies? Inquire in vitam & mores magistratuum, concionatorum, patrum familias, diuitum, pauperum, juniorum, seniorum, mulierum, virorum, famulorum, ancillarum, & velis, nolis fateri te oportebit, quòd grauissima flagella meriti simus, quòdque Deus instar clementis fidelisq; patris, se erga nos hæctenus gesserit & adhuc gerat. Pater sæpissimè liberis suis digito minatur, nonnunquam etiam leuiter eos castigans, minatur eis grauiore pœnas, quas si contemnant, virgis & verberibus eos castigat: ita pater noster cœlestis, aliquot annorum spatio, per verbum suum sedulò ad resipiscentiā nos adhortatus est, multis & variis signis & prodigiis, item caritate annonæ, bellique metu nos terruit: pestem per totum ferè terrarum orbem sæuire, ad nos perlatum est: quæ tamen omnia parum nos commouerunt. Quamobrem Dominus nobis quoque pestem immittit, atque verendum est, ne magis magisque grassatura sit.

His verò malis Deus pater noster cœlestis, non ideo nos afficit, vt nos funditus perdat atq; extinguat, sed vt nos ad pœnitentiā verā prouocet. Veluti agricolæ ramos inutiles arborū resecat, nō vt eas radicitus perdant, sed quò in posterū maiores vberioresq; fructus ferāt. Aurifabri aurū in fornacē ponunt, non vt igne perdāt, sed vt à scoria repurgēt: sic Deus hoc morbo, & aliis malis nos exercet, non vt funditus nos extinguat, sed vt à peccatis nos auocet, & ad bonas actiones accēdat. Certissimū est omnes fideles, pestis tēpore quantum Deus dederit, studere ipsius voluntati, & abiicere quæ cum lege ipsius pugnant: maiorem diligentiam in verbo ipsius audiendo adhibere, & liberalius pauperum inopiæ succurrere, ardentius orare, & ieiunare, quam fœlicibus temporibus. Si nobis omnia ex sententia nostra succedunt, non tam ardentem oramus atque deberemus: sin verò multis variisque molestiis atque calamitatibus premimur, & præsertim si pestis sæuit, robustissimosq; viros intra triduum, & sæpe paucis horis interiectis, consumit, nōque singulis horis & momentis Dei manum expectare oportet, ardentius opem ipsius imploramus. Germani prouerbio dicunt, miserias atque calamitates magistras esse, quæ orare nos doceāt. Quo ad alia quoq; pestis tempore rectius nos gerimus. Adhæc Deus optimus maximus peste constātiā in fide vera, spem, dilectionē atq; patientiam nostram explorat: Nō quod hæc ipsum lateant, sed vt nos ipsos & alios quoq; melius noscamus. Explorare vult, num ad ipsum tanquam ad verum medicum, summūque nostrum præsidium confugere velimus, nec ne: an omnia illa quæ nobis imponit, æquo animo ferre, num mutuam dilectionem præstare velimus: an coniuges ( vt Cyprianus inquit in sermone suo de peste ) fidem & amorem mutuū conseruare, an liberi parentibus suis, famuli & ancillæ heris atque dominabus suis, medici ægrotantibus, fidem debitam præstare: item an opulenti egenis, vicinis, amicis, opitulari velint necne.

Adhæc Deus hoc morbo, aliūsq; ærūnis, mundi contēptum nos docet. Etenim

9  
10

Omnes ordines corrupti sunt.

Deus pestē nobis in bonum finit grassari.

I  
Vocat nos ad resipiscētiā.

2

Deus pestē fidem & dilectionem nostram explorat.

Deus pestem mundi huius & vitæ nostræ contēptū nos docet.

3

si hominem, qui iam integris est viribus, mox è vita excedere, præsertim verò si consanguineos nostros, & homines nobis cõiunctissimos, vitam cum morte commutare cernimus, descendentes in nos ipsos cogitamus, quomodo res nostræ sese habeant: nempe nos magno cum dolore molestiæque in mundum hunc nasci, rursusque multis miseriis calamitatibusque inde migrare, ideòque multò diligentius de æterna vita cogitamus, quàm si iam hic, iam ille diebus multis interpositis, è vita decedat. Deus quoque corda nostra his malis commouet, vt peste & alius molestiis liberati, pro aliis hominibus ardentius oremus, quos hoc graui morbo laborare intellexerimus.

5 Vult adhæc vt videamus verbi ipsius veritatem atque constantiam. In Euangelio enim prædixit, postremis temporibus pestilentias fore. Et quandoquidem signa sunt præuia, nunciique nouissimi diei, vult vt nos in tempore præparemus, capita nostra attollamus, & læti redemptionem nostram expectemus. Possent alia quoque rationes huius & aliarum publicarum calamitatum assignari, quas breuitatis causâ omitto.

### III. Quo pacto singuli & vniuersi, se in peste gerere debeant.

**T**ertio loco sequitur, quo pacto nos pestis tempore gerere debeamus. Principio qui peste corripiuntur, sese diuinæ voluntati committant nihil Deo præscribentes. Quòd si eos pristinæ sanitati restituat, ingentes illi gratias agant, & sedulo ipsi seruiant. Sin verò ipsos mori decreuit, voluntati eius non repugnent, sed peccata sua ipsi confiteantur, & firmiter credant, quòd ipsis peccata propter filium suum dilectum remissurus sit: omnibus condonent, fatalèmq; horam patienter expectent. Hoc quicumque fecerit, etiam si in densa & aspera aliqua sylua, aut loco solitario hoc morbo corripiatur, & nemo hominum morienti adsit, tamen æternæ vitæ hæreditatem assequetur. Hac autem omnia non sunt diu differenda, sed dum adhuc mentis cõpotes sumus, Deo nos committamus, precibusque nostris nos ei commendemus. Sæpe enim hic morbus hominem ratione spoliatur.

**I**  
Peste correpti se Deo cõmendantes patienter mortem expectent.

Quoniam verò caro nostra à morte abhorrens, libentius in fluxa illa atque fragili vita versaretur, cogitandum est nos non primos esse, neque postremos fore quibus moriendum est, sed omnes homines quotquot ante nos fuerunt, omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, reges, imperatores, diuites, pauperes, omnes nostros maiores, è vita discessisse. Quapropter si nobis quoque hinc migrandum est, voluntati diuinæ morem geramus. Hac conditione vitam accepimus à Deo, vt quando illi visum fuerit, eam rursus relinquamus. Si hoc tempore non morimur, tamen paucos post annos, nobis omnino moriendum est, & fortassis tempore nobis incommodiore. Certissimum enim est, esse moriendum, quando verò, vbi, aut quomodo nescimus. In oratione Dominica precamur, vt regnum Dei adueniat, vt eius voluntas fiat, sicuti in cælo, sic etiam in terra, &c. hoc est, vt tempore constituto, nos ad se in suum regnum cæleste transferat, & vitæ æternæ nos participes reddat, atque fiat quod de nobis constituit, quòdque ad animarum nostrarum salutem facit. Mortem ergo æquo animo ferre, nosque ad iter illud cõleste tanquam in æternam patriam migraturos, accingere debemus. Dei seruos nos esse profiteamur, æquissimum itaque fuerit, mandatis Domini nostri obedire, & vocantem sequi. Ipse est dux & imperator noster, proinde ea in loca in quæ nos iter facere iubet, proficisci debemus. Centurio ille in Euangelio, Matth. 8. ait, Domine sub me milites habeo, & dico huic veni.

veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Deinde bona illa ~~que~~ relinquimus & quæ in altera vita consequimur inter se comparanda sunt. Ex variis & infinitis calamitatibus, miseriis, angoribus, molestiisq; per mortem liberamur. Homo enim anima & corpore constat, corpus multis & variis morbis obnoxium est, & quò diutius homo vixerit, eò maioribus morbis & miseriis redditur obnoxius. Senectus ipsa morbus est. Anima variis modis tentatur atque vexatur. Quot, quæso, calamitatibus atque miseriis homines in hac vita afficiuntur? Licet nulla corporis sui molestia aliquis implicetur, multa tamen habet in liberis, cognatis & affinibus suis, quæ ei molesta sunt & acerba. De publicis malis iam nihil adferam, omnia tam sunt deplorata, ut sperare vix possimus res aliquando melius habituras: omnia enim in mundi illa senecta in peius ruunt. Dominus & Saluator noster Iesus Christus, Matth. 24. cap. de postremis hisce temporibus vaticinans, dicit: Audituri autem estis bella & rumores bellorum: consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentia, & fames, & terræ motus singulis locis. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Hisce verbis ostendit, hæc mala omnia non habitura adhuc finem, sed initia maiorum miserationum atq; molestiarum fore. Hæc si diligenter perpendamus, quis nostrum multos annos in fluxa illa, fragiliq; vita versari optet? Quot, quæso, calamitates miseriaq; si ante sexentiū de vita decessisses, nō intueri coactus fuisses? Si quis ex tetro carcere in quo Solis atq; Lunæ aspectu orbatus fuisset, & in quo multi degerēt serpētes, liberaretur, quàm incredibili lætitia afficeretur? Quando verò Deus omnipotens, ex corporum nostrorum carcere nos liberare, & in regiam illam domum cœlestique palatium transferre cupit, cur corporis huius carnisque vinculis diutius detineri & excruciarī malumus? Si quis vitiosam domum inhabitaret, quæ iam ruinam minaretur, nōne si quàm ocyssimè ex illa aufugere posset, valde lætaretur? Cur igitur luteas & ruinosas corporum nostrorum domus, Deo præcipiente, deserere nolumus? Si summus gubernator tempestatem futuram in lacu prædiceret, nōne vectores & remiges totis viribus, quò mox in continentem venire possent, remis incumberent? Cùm verò Christus Dominus noster & Saluator, magnas & multas tempestates calamitatesque futuras nobis prædixerit, quibus nunc iactamur: cur non potius in portum æternæ vitæ properare, quàm in mediis illis fluctibus, & mundi huius tempestatibus, iactari volumus? Si cum hoste prælium committendum esset, & exercitus noster, omni ex parte magnis paruisque bombardarum globis impeteretur, multique nobis à dextris & sinistris caderent: quàm gratum esset nobis, si hostes nostros terga nobis verte-re perspiceremus? Si ab hostibus arctissima obsidione premeremur, quàm nobis esset gratum, si fœderati nostri subsidio nobis venirent, & urbem obsidione liberarent, pulsus in fugam hostibus? Quapropter si Deus nos ab illo bello, quod nobis cum diabolo, mundo, & carne nostra, continenter gerendum est, liberare, atque in regnum suum vocare vult, non iniquo id animo ferre debemus. Operarius vel mercenarius gaudet, si perfunctus suo labore, quiescere & vires suas reparare possit: quare nos cursu vitæ confecto, & laboribus perfuncti, non gaude-remus, quòd feriæ nobis à Deo conceduntur, æternumque illud Sabbathum incipit? Cùm durissimo anni tempore, hoc est, hyeme exacta, ver iucundum appropinquat, magno gaudio afficimur: hæc autem vita nostra, si rem rectè perpendimus, collata cum futura vita, est instar hyemis. Laceris & squallidis vestimentis induti, gaudent, si pulchris & mollibus vestibus induantur. In hoc verò mundo, carnis nostræ contaminatam vestem circumferimus, post hanc demum vitam, Christus Dominus innocentia vestem nos operiet, transfigurabitque mortale nostrum corpus, & immortalitate induet. Quòd si æterna vita nullum aliud commodum haberet, quàm quòd non amplius mortis horrore obnoxij sumus,

gratū profectō nobis esse deberet, si Deus nos ex hac vita euocet. Quibus, quæso, molestiis afficimur, si cogitemus & nos, & nobis coniunctissimos homines, opinione citius hinc migraturos? Pests tempore, si laterum atque pedum punctiones sentimus, aut exigua pustula emergit, quin si vel pulicis morfu infestamur, statim trepidamus, & metuemus, ne statim nobis hinc excedendum sit. Hac quidem cura atque molestia in altero seculo vacui erimus, scientes nos immortales esse.

Negotiorum nostrorum causa peregrè profecti, nihil optatius nobis accedere potest, quàm ut ad liberos, vxores, & amicos nostros redeamus. Pulsi in exilium propter scelus aliquod, aut æs alienum, si ab exilio reducantur, magnam voluptatem capiunt: nos nulla alia via, quàm per mortem in veram illam æternamque patriam, à qua exulamur, restituimur. Si sanctum Prophetam atque regem Dauidem, Paulum apostolum, Petrum, Ioannem, & reliquos omnes Dei seruos, in oppido aliquo decem aut viginti milliariorum intervallo à nobis distito, versari sciremus, profectō nobis non esset molestum, iter quantumuis difficile, suscipere, ut heroas illos coràm cernere possemus: in altero autem seculo, Deum patrem, Filium, omnes Patriarchas, Prophetas Apostolos, Martyres, omnes maiores nostros, qui in fide vera decesserunt, omnes item Dei angelos de facie ad faciem videbimus. Cur igitur mortem ita exhorrescimus?

*Peste mori non est turpe.*

Sunt qui dicant, paratus essem mori, sed alio morbo, non morbo illo turpi & probroso. Quæso responde mihi, Si Deus tibi optionem daret, dicens, Tibi ut & omnibus aliis semel moriendum est, utrum vis à sicario aliquo confodi, ex loco aliquo ædito decidere, in aqua perire, vel longo temporis spacio cum morbo conflictari, aut subito è vita excedere, an decumbere aliquot diebus, & mentis compos spiritum tuum mihi reddere, ut plerūq; fit in peste? Certe tibi pestem deligeres. Quoties pestem multi optauerunt: nunc verò quum Deus eos hoc ipso morbo, quo homines correpti plerunque mentis compotes sunt ad vltimum usque spiritum, ex hac vita euocare vult, fremunt & indignantur? Qui audes pestem morbum turpem aut pecuinā appellare, qua tot pios & sanctos homines & multos fortassis tuorum maiorum obiisse constat? Quid si Deus offensus, te grauiore acerbiorēque morbo oppressum cogeret fateri, optimè cum iis esse actum, & adhuc in hodiernum diem agi, qui peste absumuntur?

*Deus nobis nostra peccata quantumuis magna remittit.*

Nonnulli dicunt, equidem optarem mori, sed magnitudo peccatorum meorum facit, ut mortem refugiam. Erigendi sunt animi hac consolatione, quod scimus Deum peccata nostra Christo imposuisse, ut pro nobis omnibus in cruce satisfaceret. Gratia Dei peccata nostra antecellit. Petrus apostolus his, qui Christum Dominum nostrum crucifixerant (quod quidem atrocissimum peccatum fuit,) in die Pentecostes, intercedente vera pœnitentia, remissionem peccatorum promittit. Quoties Christus omnibus illis, qui fiduciam suam in ipsum figunt, æternam vitam pollicetur?

*Deus propter fidei nostræ infirmitatem nos non reiciet.*

Nonnulli dicunt, se imbecilla fide esse præditos: quapropter cum illo in Euangelio clament, Marci nono capite: Credo Domine, succurre incredulitati meæ: item cum sanctis Apostolis: Domine, adauge nobis fidem. Parentes filios suos infirmos, non allidunt parietibus, ut eos prorsus extinguant: sic pater noster cœlestis propter fidei nostræ infirmitatem nos non æternum damnabit. Ne existimetis, Deum propter fidei nostræ dignitatem nobis esse propitium: dona sua ex mera misericordia, paternoque amore nobis largitur: per fidem autem nos illorum participes reddimur. Vt cum quis cibum vel potum vasculo accipit, is qui ligneum habet aut fictile, non minus accipit, quàm qui aureum aut argenteum habet. Quum opulentus aliquis pecunias elargitur, manum leprosam

profam habens, perinde accipit atque ille qui sanam manum habet. Nemo ergo nostrum propter fidei infirmitatem animum despondeat: quin potius Deum ardentem precetur, ut fidei donum per Spiritum sanctum, in eo quotidie excitare atque augere dignetur. Quicumque pestilentiam impatienter fert, & Deum vitam ac mortis, se totum tradere non vult, dolores & miseras suas duplicat. Quem admodum avis visco aut laqueis capta, quanto magis pennis luctatur, ut sese extricet, tanto magis inuoluitur: ita nos, quod impatientius morbos ferimus, tanto magis dolores exasperamus. Nemo tamen impatientes illos esse putet, qui morbi atrocitatem gemitu & suspiriis testantur, interim omnia æquo animo ferentes, quæ eis à Deo immittuntur.

Deinde peste aut aliis lethalibus morbis laborantes testamentum suum condant, præsertim si qui ex duabus aut tribus vxoribus liberos susceperunt, aut mercaturam exercent, omnia rectè disponant & ordinent, exponant quid post suam mortem de relictis suis facultatibus agendum sit, & quibus hæc vel illa cedere debeant, data & accepta, summa cum diligentia fidèque describant, ne post mortem suam debitores & creditores inter se committant, & malas suspiciones in hominum animis generent.

Ad hæc peste laborantes, cum intimis suis atque liberis, de iis rebus quæ ad eorum salutem, & præcipuè ad Dei gloriam spectant, sermones conferre debent: nobis enim omnibus à natura insitum est, ut eorum verborum, quæ parentes & necessarii nostri, paulò antè mortem nobiscum loquuti sunt, semper mentionem faciamus: alius enim quæ tunc dicunt vel faciunt, in animos nostros descendit, quàm quæ alio tempore nobiscum loquuti sunt, vel quæ fecerunt. Etenim si quis morti vicinus est, seriò & ardentem loquitur. Sanctus patriarcha Iacobus cum filiis suis, Moses cum populo Israel, Iosue, David, cæteri que Dei sancti homines mox morituri cum suis de rebus grauibus loquuti sunt.

Interea non peccant, qui *αεσφιλακτικοίς* hoc est, remediis, ut vocant, præseruantibus vtuntur, ne in hunc morbum incidant: qui iam inciderunt, venam incidant, aut potionibus sudores eliciant, aliisque huiusmodi rebus vtantur: Deus enim medicinam ad hominis sanitatem tuendam, conseruandam, & reparandam instituit. Rex Ezechias ficorum massam ut conualesceret, vlceri adhibuit, peste correptus. Deus per herbas, radices, aliasque res naturales, quasi in instrumentis suis operatur. Interim sciendum est, medicinam absque diuina ope, vim & effectum non habere. Ne igitur medicinis nimium tribuamus. Rex Asa in libris Regum hoc nomine reprehenditur, quod æger pedibus, nimium medicis tribuerit, & in medicina spem suam posuerit, non in Domino.

Quantum verò ad illos attinet, qui in domibus & vicinia peste infectos habent, eos inuisere, curare, & in omnibus rebus pro facultatibus suis, ipsis opitulari debent, consolationes itè ex sacris Literis recitare, vel alioqui eos erigere, Ministros item Ecclesiæ ad eos vocare, dum adhuc mentis sunt compotes. Barbaricæ feritatis & à Christianorum moribus alienum est, fratres nostros hoc morbo laborantes, nostra ope & auxilio destituere, & ita morti veluti obiicere.

Si ancillæ & famuli tui, qui tibi bona fide, cura, diligentia, laborè que inserviuerunt, peste inficiantur, ne eiicias eos ex ædibus, si locum habes, sed quiuscunque in rebus potes, tuo auxilio & consilio eos subleua. Cogita tibi, si pauper esses, & inficereris hoc morbo, nihil optatius posse contingere, quàm si alij quoque tibi cõdolerent. Non velles tuos liberos qui peregrè sunt in plateas exturbari, proinde aliis etiã te beneuolum exhibeto. Semper cogitandum est, quàm diligenter nobis Deus pauperes & ægrotos passim cõmendarit. Interim tamen peste laborantes non ægrè ferant, si qui non libenter cum ipsis assiduè versentur. Plerique enim hoc morbo laborantes, ita sunt affecti, ut putent, neminem ab eorum conuictu abhorreere debere.

2 Testamentum condere.

3 In extremis agentes nostros ad pietatem & timorè Dei hortari debemus.

4 Remedia non sunt cõtemnenda.

Quid agendum cum peste correptis.

Fideles famulos & famulas non deferendas esse.

Liberati hoc morbo, parcant proximis suis ad tempus: nisi necessitas eos exire cogat, domi se contineant, non ingerant se in medios cœtus hominum. Dilectionem enim fraternam ab illis quoque Deus postulat.

Quo pacto illi qui familiarissimis suis spoliantur agere debeant.

Illi verò, quorum parentes, consanguinei, liberi, coniugésque peste consumuntur, eorum obitum æquo animo ferant: suos enim, vt Cypria. dicit, non amiserunt, sed tantum præmiserunt, seque mox sequuturos sciant. Si quispiam ad locum aliquid iter faceret, teque mox illum sequuturum non ignorares, profectò non magna molestia afficereris. Nostri verò parentes, atque consanguinei ex hac vita in patriam cœlestem migrant, nos quoque suo tempore ipsos sequemur: ne igitur Ethnicorum more, qui solidis consolationibus caruerunt, nostros plangamus. In 1. epist. ad Thessal. cap. 4. legimus, quibus argumentis Paulus apostolus Thessalonicenses, apud quos pestis sæuiebat, modum in lugendis suis excedentes, erexerit atque consolatus sit. Natura nos docet mortuos nostros lugere. Sanctos quoque Patriarchas, liberorum & coniugum mortem planxisse, sacrae Litteræ testantur. Christus ipse Ioann. 11. de amici sui coniunctissimi Lazari morte fleuit. Cæterum in luctu, vt in aliis rebus omnibus, modum seruare Christianos decet.

Pestis tempore proximi nostri nõ deserendi sunt.

Idem de sepultura sentiendum est. Multum ab humanitate discrepat, quòd quidam defunctos suos, ac si belluæ essent, inhumatos proiciunt, & in profluentem præcipitant. Tota ecclesia, periculosis temporibus, & sæuiente peste, constans esse, nec hoc morbo infectos deserere debet. Quidam ex Medicis dicunt, nullum melius & præsentius remedium esse contra pestem, quàm Citò, Longè, Tardè: hoc est, vt quispiam veniente lue, è vestigio ex pestilentibus locis in salubriores se conferat: deinde vt quàm longissimè ex locis illis recedat: tertio, ne citò illa in loca redeat. Nonnulli sibi salò persuadent, quòd pestem, vel orbitam transgressi, possint effugere. Hoc in casu potius considerare debemus quid fides, quid dilectio, quid nostra conscientia, quidque officij nostri ratio patiat, quàm de fuga consilium capere. Deus pater noster clementissimus, in sua vocatione ambulantes, facile ab omnibus malis defendere potest, nihilque ipsis præter suam voluntatem aduersi accidere patietur. Abrahamum in medio suorum hostium, Iosephum in medio fratrum suorum perfidorum, Mosè in Nilo, populum suum Israel in mari rubro, & Iordane fluuio, desertoque, miris modis conseruauit, Ionam prophetam in ventre balenæ, socios Danielis in ardente fornace, & ipsum Daniele in leonum fouea conseruauit. An non hodie quoque nos conseruare & defendere potest, si id quod à nobis postulat, pro viribus & facultatibus nostris exequamur? Cogita quomodo Deus te in vtero materno & à teneris vnguiculis aluerit, conseruarit, atque protexerit. Quoties aliqui conscendentes excelsas arbores, turres, vel alia loca edita, se ipsos periculo exposuerunt? Quoties in aqua vel igne periissent homines, aut à grassatoribus viarum vita eis erepta fuisset, nisi Deus eos defendisset & liberasset? Deus ille etiamnum viuus, nõsque si ita expediat, pro mera sua misericordia in omnibus periculis cõseruare potest & vult. Sæpe Senatores, sæpe Ecclesiæ Ministros, tempore pestis conseruat, ne Resp. atque Ecclesiæ detrimentum accipiant: item patres & matres familiàs, vt liberos suos in vera pietate, iustitia, bonis moribus, & artibus instituere possint. Sæpe experimur, peste valde sæuiente, ingentemque hominum multitudinẽ consumente, Ecclesiæ Ministros, Chirurgo, vespillones, & illos qui decumbentium curam gerunt, peste vel non infici, vel postremo tãdem loco ex hac vita migrare: è cõtra illos qui præscriptam sibi diætã anxie seruant, & omnes rimas, ne vento aliquo pestifero afflentur, obstipant, nullòsq; hoc morbo infectos inuisunt, subitò peste corripit, & è vita migrare: illos quoq; qui pestis tempore, loca salubria quærunt, relictis aliis, tandem si ad sua redeant, seque omnibus malis perfunctos putant, peste infici

*Sæpe*

infici, & ex hac vita magno cum luctu & mœre auferr.

In ecclesiastica historia legimus, quòd cum pestilentia grauis Alexandriae co- Euseb. lib. 7  
cap. 22.  
orta esset, incolæ Christiani, se mutuum non deseruerint, sed inuiserint, morbo infectis inseruierint, dilectionemque inter se fraternam exercuerint, cadauera terræ mandauerint: Ethnicos verò, quum primum aliquis pestilentia inficiebatur, etiam familiarissimos coniunctissimisque deseruisse. Quosdam amicorum cognatorumque suorum priusquam animam exhalassent, cadauera in plateas per fenestras proiecta, canibus dilaceranda abiecisse, hanc tamen crudelitatem nihil eis profuisse. Euagrius lib. 4. cap. 29. de peste quadam mirabili scribit, quæ Antiochiæ, & alibi grassata sit. In qua quidam liberis, parentibus, & familiarissimis suis orbat, vitæ tædio peste laborantes inuiserint, contrectarint, vt halitu, odore, tactu morientium, peste inficerentur, nihil tamen mali atque incommodi esse passos. Peccarunt quidem in hoc, si tantum eius rei gratia peste laborantes inuiserint, vt & ipsi hoc morbo inficerentur: Deus enim non est tentandus: si verò officij causa id fecissent, laudem mererentur. Exempla illorū proferri possunt, qui eodem lecto vsi cum illis qui peste laborarunt, nihil aduersi passi sunt: parentum item qui liberos suos claudos vel gibbosos in lectulos collocarunt pestilentes, vt illi quoque morerentur, quos tamen Deus conseruauit. Obiter autem illi admonendi sunt, qui hanc ob causam, quo mox moriantur suos in lectulos adhuc calentes collocant, quòd grauiter contra Deum peccent, & rei sint homicidij. Christus Dominus noster in nouissimo iudicio nouissimam sententiam prolaturus dicit: Infirmus fui, & visitastis me. Paulus testatur nouissimis temporibus, multos fore homines ἀσέπτοις, quales illi sunt, qui suos in miseris atque calamitatibus deserunt. Dolendum est, multos, qui ante prædicatum Euangelium, pestis tempore, forti & intrepido animo fuerunt, nunc in tanta luce Euangelij, tam abiecto & fracto esse animo, vt nesciant, quonam se vertere debeant: quòdque illi, qui ante cognitionem Euangelij aliis hospitium præbuerunt, nunc domibus eos expellunt, & hospitium negant. Esto, peste inficiaris, tamen si Deo visum fuerit te pristinae sanitati, restituere potest: sin verò aliud ei videatur, vocatio tamen nostra deserenda non est. Si dux aut imperator militem suum in acie collocat, is tamen paruarum & magnarum bombardarum tonitrua audit, & vitæ certissimum periculum agitur: nihilominus tamen, vt militem bonum atque fortem decet, loco non cedit: sed pro patria, aris & focis, pro communi libertate, quam à maioribus accepit, pro liberis & coniugibus, fortiter pugnat. Vir fortis & pius mauult ab hostibus interfici, quàm stationem suam turpiter deserere. Si duo aut plures strictis gladiis concurrunt, periculum quidem est, ne illi vulnerentur, qui adcurrentes pugnam dirimere volunt, nihilominus tamen viri fortes apud nos propter leges patrias & iusurandū suum officium faciunt. Diuersa tamen est ratio peregrinorū aliorumque, qui absq; proximi offensione & Reipublice incommodis, se in tutiora loca cōferre possunt: Item si qui liberos suos in loca salubria mittant. Quā verò illi excusationē afferēt, qui relicta legitima sua vocatione discedūt: præsertim Ecclesiæ Ministri qui ab illis diffugiunt, quos quotidianis consolationibus erigere debebāt: An nō Deus fugiētē à pestiferis locis, aliū lethalem morbum potest immittere? Lege, quæso, diligenter 139. Psal. in quo regius propheta Dauid testatur, Dominū ubiq; præsentem esse, iudiciū ipsius neminem posse effugere: Tu, dicit, probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionē & resurrectionem meam: Intellexisti cogitationes meas de longinquo. Metuis morbi contagium nisi diffugas: An non Deus pari ratione te atque primum hominem, hoc morbo opprimere potest? Quis primum hominem in locis pestilentibus peste infecit: An non potius vis, te officio tuo fideliter incumbētē, à Deo morbo affici, quàm mandatis eius repugnantem, vt Ionas propheta? An non stultum est nouis

peccatis, peccatorum atq; scelerum nostrorum poenas velle effugere? Offensum Deum velle placare incredulitate & immisericordia, quibus ad iram prouocatur? Non hæc est sententia nostra, quòd Deum tentare & temerè nos periculis obijcere debeamus. Legitimis & concessis remediis, ad salutem & vitam conseruandam, vtendum est. Non autem dicendi sunt Deum tentare, qui ægrotantium, secundum Dei voluntatem, curam suscipiunt. Scio quàm in hac parte homines sint ingeniosi & acuti, vt suum timorem excusent.

Mortem timere humanum est.

Mortem, & præsertim pestem, quæ subitò homines opprimit, metuere, humanum est: Christus ipse mortem formidauit. Deinde constat, pestis tempore (sicuti Thucydides lib. 2. De bello Peloponnesiaco, de quadam peste scribit) aliquando decumbentium manus, brachia & pedes computrescere: multos, qui ex peste conualescunt, aliquando ratione & sensu spoliari, quosdam memoriam, quosdam linguam vsu amittere, dolores item immensos, qui conficiantur hoc morbo, perferre, quæ omnia metum nobis incutiunt. Ad hæc terribile est, viros robustos, & integræ ætatis, intra spacium paucarum horarum è vita excedere. Si parentes ex liberis suis, vnum aut alterum virgis castigant, volunt vt reliqui sibi timeant: ita si Deus cælestis pater noster, serulas suas profert, nosque castigat, non vult vt securi simus vel audaces, dicentes, siquidem nobis moriendum est, perinde mihi est, quocunq; mortis genere inteream: vult vt nobis metuamus, sed modum non excedamus, quin gratia & Spiritu diuino animos nostros recreemus. Sic Christus Dominus ab initio mortem metuens, mox fortiter, constanter, & æquo animo eam adiit. Illi verò, qui pestem non metuunt immodicè, cæteros quibus hoc datum non est, minimè contemnere debent, sed illorum infirmitatem ad tempus ferre, donec & ipsi à Deo confirmentur. D. Paulus ad Roman. decimo quinto capite, nos docet infirmitates impotentium portare. Infirmi autem se erudiri & confirmari sinant verbo Dei, minimùm suam infirmitatem agnoscant.

Pœnitentiã agere debemus.

Deinde vniuersi cum aliis, tum pestilentibus temporibus, debemus in nos ipsos descendere, veram pœnitentiã agere, nostra peccata Deo confiteri, ipsi Deo seruire, in sacros cœtus frequentius venire, & domi quoque sacras Literas euoluere. Quemadmodum apes æstatis tempore alimenta, quibus hyeme vescantur, comportant: sic nos quoque rebus prosperis nos parare debemus, vt cum res aduersæ obtingunt, ad omnem euentum instructi simus. Præterea coorta pestilentia, pauperibus opem ferre atque opitulari debemus. Sunt enim multi egeni opifices, quorum opera ideo nemo vitur, quòd pestis vel in domibus eorum, vel in vicinia sæuit: interim ipsis, nihil suppetit, nisi quod suo labore acquirunt. Illi verò qui pestis tempore sese quotidie ingurgitant, atque comessantur, dicentes, mortis horam incertam esse, ideòque se, dum vita supersit, velle genio indulgere, similes sunt Ethnicis illis, quorum D. Paulus. i. Epist. ad Corin. 15. cap. mentionem facit. Pestis tempore imprimis sobriè, iustè, pièque viuendum est.

Orandum nobis est.

Num. 21. cap. de populo Israel legimus, quòd Deus ob inobedientiam ipsorum dipsades eis immiserit, illi verò in se descendentes ad Mosem venerint, dixerintque: Peccauimus, quia loquuti sumus contra Dominum, & contra te: ora Dominum, vt auferat à nobis hos serpentes. Rex quoque Solomon in prolixa oratione, quã ad Deum habuit in dedicatione noui Templi, inter alia precatur, 2. Reg. cap. 8. vt si populus Israel pestis tempore illum inuocet, illis propitius esse, eosque clementer exaudire dignetur. Quàm efficaces fuerint ardentes preces Niuitarum, quibus veram pœnitentiã coniunxerant, liquet ex Ionæ historia. Non probari debet, quòd metu pestis, illi qui ex peste recreati sunt, sacris cœtibus prohibentur: vnde enim consolationem efficaciorẽ audire poterunt, quàm ex sacris cõcionibus? Nec est quòd prætexas, multos ad sacras cõciones venire, qui sibi valde metuant



metuant à peste. Illi enim ferè domi suæ (quanquam grauitè hac in re peccent) se continent. Veteres Christiani peste grassante ardentius orarunt, ieiunia frequentiora habuerunt, plurèsq; elemosynas distribuerunt pauperibus. —

Posteris temporibus cum purà doctrina atque religio paulatim obliterari cœpit, nonnullis in regionibus (vt Gregorius Turonensis testatur) homines cereis noctu processione facta, supplicationes instituerunt: Anno à nato Christo, 542. teste Paulo Diacono, festum purificationis Mariæ, quo pestis, quæ illis temporibus maximè sauebat, auerteretur, institutum fuit.

Anno 1349. maxima pestis fuit per totum ferè terrarum orbem, quæ homines primo, altero, & tertio die sustulit: fama erat, plus quàm dimidiam partem hominum consumptam fuisse. Tunc quidam ex vna ciuitate, & ex vna regione in aliam crucibus & vexillis profecti cantabant, vestibúsque suis sepositis in conspectu omnium, flagellis corpora sua ad sanguinem vsque cædebant: multi venientibus obuiam cum pompa procedebant. Clerus autem eos non magni faciens, hypocritas esse dicebat. Gentiles quoque si annus pestilens fuit, supplicationes instituerunt. T. Linius scribit histor. lib. septimo, ab vrbe condita, T. Sulpitio Petrio &c. Licinio Coss. pestilentia sæuiente, pacis Deum exposcendæ causâ, tertio tum post conditam urbem Lectisternium fuisse. Et cum vis morbi nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludos quoque scenicos inter alia cælestis iræ placamina institutos fuisse. Libr. 40. ab vrbe condita, tradit, pestilentia tertium annum urbem atque Italiam vastante, multosque omnium ordinum illustres viros absumente, Pontificem Maximum, piacula iræ Deum conquirere iussum, Romanos Apollini, Æsculapio, Saluti, dona vouisse, signa aurata data fuisse: decemuiros supplicationem in biduum valetudinis causâ in vrbe & per omnia fora conciliabulâque indixisse, maiores duodecim annis omnes coronatos & lauream manu tenentes supplicasse, &c.

Secta flagellantium.

Quicquid sit, nos ex sacris literis edocti, quid pestis tempore facere conueniat, non illis rebus Deum placare conemur, quibus magis magisque offenditur. Vnusquisque, quantum Dominus gratiæ concesserit, officio suo fungatur. Magistratus summa cum diligentia, bonas leges tueatur, necarios homines, qui patriæ pestes sunt, compescat & pœnis adficiat. Concionatores populum sibi commissum ad veram pœnitentiam adhortentur, & pauidas mentes consolationibus verbi Dei erigant atque confirmet. Parentes liberos suos totâque familiam ad cœtus sacros mittant, & ad pietatem suo quoque exemplo accendant.

Omnes, cuiuscunque tandem conditionis aut ordinis fuerint, officium suum fideliter faciant, sibique caueant cum ab omnibus illis, propter quæ Deus gladium suum stringitur: tum à verbi diuini contemptu, ab ebrietate & crapula, quæ malos humores generant, & hominis sanitatem corrumpunt, ab vsuris, à libidinibus, & id genus aliis. Ad summam, vnusquisque ita se gerat, vt Deus nos filiorum loco habeat, & à malis tam temporariis, quàm æternis, clementer defendat. Deo maximo optimoque sit laus & gloria in secula.

*Magnus*  
*Concionatorum*  
*subdit*



# Concio secunda Ezechielis.

HOMILIA XVIII.

*Prædicat excelsa, aras, simulachra & omnia instrumenta idololatriæ, penitus euertenda esse.*

CAPVT VI.

- I** T fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
**2** *Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, & propheta contra eos.*  
**3** *Et dic, Mōtes Israel, audite verbum Domini Iehouæ. Sic dixit Dominus Iehouah montibus & collibus, torrentibus & vallibus, Ecce, ego inquam adduco super vos gladium, & perdam excelsa vestra.*  
**4** *Et desolabuntur aræ vestra, & confringentur simulachra vestra Solis, & cadere faciam interfectos vestros ante idola vestra.*  
**5** *Et ponam cadauera filiorum Israel ante idola eorum, & dispergam ossa vestra circum aras vestras.*  
**6** *In cunctis habitationibus vestris ciuitates desertæ erunt, & excelsa deua stabūt, ita vt desolentur, & desertæ fiant aræ vestra: & confringentur, & cessabunt idola vestra, & succidentur simulachra vestra Solis, & delebuntur opera vestra.*  
**7** *Et cadet interfectus in medio vestri: & scietis quòd ego sum Iehouah.*

Summa concionis.

Ad Israelitas habitata.

Vñs.

Propheta ad montes sermonem conuertit.

**H**oc capite continetur SECUNDA CONCIO Prophetæ, in qua prædicat populum propter peccatum idololatriæ percutiendum à Domino, deinde admiscet consolationē de liberatione reliquiarum populi. Habuit autem hanc concionem ad Israelitas, hoc est, ad duas tribus Iuda & Ben-iamin (quæ etiam post regni destructionē sæpenumero Israelitæ appellantur, ab hoc & aliis Prophetis, atque ab ipso Christo, Mat. 10.) Item ad omnes quotquot vel ex decem tribubus ad duas tribus profugisse, vel in decem tribubus permittente Salmanassare, remansisse probabile est. Hoc autem tēpore Iudæos non minus deditos fuisse idololatriæ, quàm antea 10. tribus, etiam ex Ieremiæ concionibus intelligitur. Vñs huius concionis præcipuus est, vt discamus Deum, cū aliis sceleribus, tum imprimis idololatria, ad iram & vindictam prouocari.

Deus iubet iam Prophetam montes & valles alloqui, vt homines ratione præditos magis arguat. *Fili hominis pone faciē*, hoc est, cōuerte te, *ad montes Israel & propheta ad eos, & dic, Mōtes Israel, audite sermonē Dominatoris Iehoua.* Hoc dicit O mōtes & valles, audite vos qd Dominus Deus dicat, homines enim surdi sunt ad verba eius, & indigni cū quibus multis agam. Plus habet energiæ ad cōmouendos animos, quàm si hominibus loqueretur. Tales profopopœiæ alibi etiā legūtur. Moyses dicit Deut. 32. Audite cælū & terra, &c. Isā. 1. Audi cælum, & ausculta terra, quoniam

quoniam Dominus loquutus est: Filios enutriui & exaltaui, & ipsi rebellauerunt in me. 1. Reg. 13. Propheta ille, alloquitur nouum altare, quod Ieroboam erexerat, & quæ futura sint ei prædicit, quod plus habet vehementiæ, quàm si loquutus fuisset Regi qui astabat. Sic dicit Dominus Iehouah montibus & collibus, rimis & vallibus: Ecce ego adducens contra vos gladium, & perdam excelsa vestra. Eandem rem pluribus & sæpe repetitis verbis inculcat. פים aphic quidã ripam, alij riuum impetu fluentem, alij petram interpretantur. נג געי vallis, Septuaginta נג געי reddiderunt, ή νάπη ή το νάπος, est lucus, mons, cliuus, locus vbi flores sceleriter proueniunt. Vnde Naptæ florum & herbarum deã dictæ sunt. In montibus, vallibus, ad ripas fluuiorum, in lucis & nemoribus, more gentilium idola & sacella Israelitæ erexerant, quæ omnia funditus delenda prædicit. Adducam contra vos gladium. Et si confugiatis ad illa idola & aras, vt fitis ασλοι, tamen gladio peribitis. Perdam excelsa. Excelsa erant colles vel sacella in collibus & altaria, in quibus populus contra Dei verbum sacrificia offerebat. De his sæpe in libris Regum queritur Dominus, quod sublata non sint. Et desolabuntur altaria vestra, hoc est, destruentur alia quoque altaria, quæ passim consecratis. Et conterentur idola vestra: quæ passim erigebant, & quibus diuinos honores impendebant. Prosterne occisos vulneratos, coram idolis vestris. Indubiè confugiebant belli tempore ad sua idola, vt veniam ab hoste impetrarent. Sæpe legimus, hostes illis qui ad idola & altaria confugerunt, pepercisse: at in cõspectu idolorum suorum iugulandos prædicit. Persuasum eis erat, illos in quorum gratiam altaria & idola posita erant, bona eis conferre, & mala propulsare posse: Reipsa, dicit Dominus, ostendam quàm inanis sit spes & fiducia illa vestra, & quàm indignè feram idololatrias cultus. In omnibus enim malis ad solum Deum confugiendum est. De Senacheribo legitur, quòd in Templo suo, cum Nisrocho cladem acceptam narraret, à filiis cæsus sit. Coram idolis, ad verbum est, stercoribus. Simulachra varia habent nomina in Scripturis. תמונה themunah est forma, vel similitudo: μορφή forma, est rerum animatarum, είδ & species, rerum inanimatarum, teste Suida. ημο πασα sculpta effigies, ξόανον. Septuaginta γλυπτον & εδωλον reddunt. ημο samal, simulachrum: תמונה demuth imago: ημα zalem idolum, effigies: ημο masserach fufum simulachrum: ημα mazefah statua, αιδρια. Suidas dicit quòd εδωλα simulachra, sint rerum non subsistentium μιμήματα, id est, effigies, veluti sunt Tritones, Sphinges, Centauri. όμοιάματα similitudines verò, rerum subsistentium εικασματα, id est, imagines, vt ferarum, vel hominis. Simulachra vocantur per tropum ηλη alilim à vanitate vel stultitia, quòd nihil sint, suisque cultoribus nullam consolationem seu opẽ ferre possint ηλη galulim, stercora, sordes, ημα ezabbim labores & molestiæ, quia dum fiunt & coluntur suscipere multos labores oportet, animam quoque cruciant neque vllam solidam consolationem afferunt: ημα sbikuzim res execrabiles. Apud Græcos ορεσχαθισματα ή βδελύγματα offendicula & piacula vocantur: odiosa enim sunt & abominanda. ημα Chammanim bis hoc loco appellant, vel à ημα chammah quod calorem, item solem significare dicunt: hinc Santes & alij reddunt simulachra solis. Munsterus nomen generale esse putat simulachrorum, à ημα chemah furore dicta, eò quòd cultores eorum furore agitantur: Magno ardore per saxa, per ignes, per mare, per terras, idola quærunt, quemadmodum adulteri sua scorta sequuntur, nec possunt ferre si quis illa vituperet. Quanto amore idolorum arserint homines, quomodo ea ornarint, sacrificia eis obulerint, vulgo notum est. Complures adhuc norunt, quomodo patrum memoria, multi veluti æstro perciti, ab aratro, à mensa, è lecto, ad formosæ, vt appellabant, virginis simulachrum, Ratisponam in Boiaria, per aliquot milliaria cucurrerint, id secum afferentes, quod fortè in manibus habebant. Scribit de hoc idolo Oecolamp. in suis annotationibus ad Ezechielis 16. cap. vt i se frustra

Excelsa.

Idola varia habent nomina.

Chammanim.

Mariz simulachrum Ratisponæ.

Sepulcræ  
circa altaria

aliquot appellasse scribit, vt ab hac infania eos reuocaret. *Ponam cadauera filiorum Israel ante idola eorum, & dispergam ossa vestra circum aras vestras.* Hunc verbum ita intelligo, Iudæos tam fuisse superstitiosos, vt in sacellis, vel prope illa altaria, quæ contra verbum Dei extruxerant, sepulturas sibi delegerint. Ita factum est superioribus aliquot seculis, multi in Templis monachorum inque sacellis, quæ suis sumptibus ædificari iusserant, quidam etiam in cucullo Franciscanorum sepeliri voluerunt. Iosias Rex scribitur, ad detestationem idololatriæ, ossa eruta sepulchris, combussisse in altaribus. Deus itaque dicit eruenda cadauera ex sepulchris, & miscenda cum idolis: & ossa spargenda in circuitu altarium. Nec dubitandum est, quin milites suffoderint sepulchra, cadauera & ossa eiecerint, sæpe enim aurum, argentum, gemmæ, & aliæ res preciosæ in sepulchris reconduntur, in obsidionibus urbium: & aliàs quoque. Ostendit autem Deus se cultus ipsorum detestari. Legitima enim sacrificia cadaueribus & ossibus fuissent polluta, nedum commenticia illa. *In omnibus habitationibus vestris vrbes desolabuntur:* hoc est, in omni loco habitabili: omnes enim vrbes idolis contaminauerant. Iere. 2. obiicitur eis, quod singulæ vrbes suos deos tutelares habuerint. Idem de gentibus legimus, apud quos *πολιούχοι* dicuntur: id postea imitati sunt Christiani. Addit excelsa idola, simulachra, excindenda & delenda esse. *Opera vestra:* Omnia instrumenta idololatriæ, & omnes ceremonias delebo. Matth. 15. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. *Cadet interfectus in medio vestri.* Hostes passim in media vrbe & regione vestra trucidabunt homines. *Et cognoscetis quòd ego Iehouah.* Sentietis quòd solus velim coli, quòdque possim idololatrias punire. Ita princeps in ordinem redigens subditos suos seditiosos, eosque puniens, dicit: Cognoscetis me esse Dominum, non vos. Pœnam, Theodoretus, diuinæ cognitionis magistram, & pœnitentiæ matrem vocat. Idcirco beatus Dauid dicit, Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Psal. 118. Ex his verbis colligimus, nullum angulum in terra Iudæorum fuisse, qui idolis non fuerit scœdatus. Nemo ergo miretur in Ecclesia quoque tot errores paulatim irrepuisse, & tandem cumulosos esse: deinde vt Israelitæ ex illis cultibus in suis calamitatibus nihil opis senserunt, ita in die vindictæ idola hodierno quoque die suis cultoribus nihil proderunt.

## HOMILIA XIX.

*Comminationis acerbiter temperat promissione de seruandis reliquiis, quæ in captiuitate acturæ sint pœnitentiæ.*

8 *Et reliquum faciam aliquid, vt sint ex vobis euasores à gladio inter gentes, quum dispersi fueritis in terras.*

9 *Et recordabuntur mei euasores vestri inter gentes, inter quas captiui crunt, quòd contriui me propter cor eorum fornicans, quòd declinauit à me, & propter oculos eorum fornicantes post idola sua: & succidentur à facie eorum propter mala quæ fecerunt in cunctis abominationibus suis.*

10 *Et scient quòd sum Iehouah, & quòd non frustra loquutus sim me facturum eis malum hoc.*

Propheta

**P**ropheta conuerso sermone ad montes & colles, qui altaribus & simulachris pleni erant, quid in eis euenturum esset, paulò antè prædixit, vt Israelitæ quantumuis furdi vehementius percellerentur: iam subiungit Prophetiam de pœnitentia & liberatione reliquiarum populi. Cogitare enim potuissent pij, omnes ad vnũ esse perdendos, & abolendas omnes Dei promissiones. Seruant autem hanc methodum Prophetæ vt tristibus vaticiniis lætas promissiones subiiciant: quæ ratio docendi in Ecclesia perpetuò retinenda est. Lex & Euangeliũ hominibus proponi debet: Lege arguenda sunt eorum scelera, Euangelio pauidæ conscientia erigenda. Discimus ex hoc loco, quòd etsi Ecclesia in angustum contrahatur, non tamen penitus extinguitur. Semper suum cœtũ habebit Deus, qui cultus debitos ei præstabit. Sæpe factum est, vt nemo restare videretur, qui Deum legitimè coleret: sed is suos semper cultores habuit, & habebit ad finem vsque mundi. Deus per Prophetam dicit, se non omnes, vt digni erant, gladio, peste & aliis modis, velle extinguere, sed aliquos conseruare. Quomodo? an vt pace & suis opibus in patria fruantur? Minimè, dicit fore exules, & hinc inde per varias regiones dispergendos. Magni beneficij loco homines ducunt, si omnibus rebus amissis, vitam saltem retineant. Vita nihil nobis est iucundius, nihil charius, at si in exilium abducimur, dimidium vitæ nobis quodammodo aufertur. Iurisconsulti exilium mortem ciuilem appellant. Exilij incommoda & ærumnæ colliguntur multis rationibus: si vel ex vna platea in alteram, ex vno oppido in alterum migrandum sit, molestum est & laboriosum: si ex patriis finibus vnà cum liberis ad homines exteros, & quorum linguam ignoras, eiiciaris, licet tua bona vendere possis, res tamen est valde lamentabilis: si verò hostis nos spoliatos in seruitutem abducatur, res est longè miserrima. Lenit exilij acerbicatem, si cum nostris liberis, cognatis, vicinis, ciuibus, vno in loco versemur: at Deus minatur Iudæis, quòd dispergendi sint per terras. Auget etiam hoc exilij ærumnas, quòd homines omnibus pristinae fortunæ ornamentis spoliantur. Vetus est prouerbium, Vbi non sis qui fueris, non est cur velis viuere. Discamus itaque, exules, præsertim illos qui propter fidei sinceram confessionem domibus suis & patria pulsi sunt, humaniter tractare, ne & nos patriis finibus pulsos discere oporteat, quid sit inter peregrinos versari.

Prophetæ  
miscent tri-  
stibus læta.

Deus seruat  
sibi reli-  
quias.

Misera cõ-  
ditio exulũ.

Exules hu-  
maniter tra-  
ctandi.

*Et recordabuntur mei, qui ex vobis euaserint, inter gentes.* Cùm in patria omnibus bonis affluerent, oblitum sunt Dei, à quo tot beneficiis afficiebantur. Spoliatis itaque omnibus bonis, & patria pulsus, denuo in mentem dicit venturum, qualis Deus erga ipsos fuerit, & quales ipsi vicissim erga benefactorem illum suum. Est hæc nostri ingenij malitia & peruersitas, vt rebus prosperis Deus nobis vix veniat in mentem. Excitat itaque nos rebus aduersis, vt recordemur beneficiorum eius, nostramque ingratitude detestemur. Videtur quidem Deus aliquando nostri oblitus esse, maximè si in magnis versemur afflictionibus: sed nobis ideo eas immittit, vt nobis veterum excutiat, & suorum beneficiorum memoriam refricet. Israelitis verò in captiuitate Babylonica, animis repetiuisse pristina Dei beneficia, liquet ex Psal. 137. Super flumina Babylonis sedimus & fleuimus, &c. Dei quoque beneficia, quorum in patria oblitum fuerant, inter gentes prædicarunt.

*Quia frangar ob cor ipsorum meretricans, quod recessit à me, & ob oculos eorum meretricantes post idola sua.* Non est, inquit, quòd Israelitæ, qui valde queruli sunt, meretricitatis accusent, diu enim expectaui emendationem eorum, sed frustra: vt mœcha viros alienos appetit, ita illi sua idola sequuntur. Indulgentissimi patres, si videant liberos ipsorum bonitate & patientia abuti, eos verberibus castigant, idem quoque Pater noster cœlestis erga Israelitas fecit.

Scortatio  
spiritualis.

Vsitatum est apud Prophetas, ut superstitioni homines scortari dicantur, non solum ut ardorem idololatrarum expriment, quo feruntur erga sua idola: sed ut sceditatem idololatriæ expriment. Adulterium enim apud Gentiles quoque scelus detestabile fuit & capitali supplicio prohibitum. Non possunt idololatræ adduci, ut credant simulachra in honorem Dei posita, ipsi displicere: dicunt se hoc modo Deum velle demereri. At cogitandum erat Deum hos cultus non requirere: quin potius detestari. Si vxor adulteriis polluta, dicat se bono animo adulteros scortari, inque mariti gratiam, certè maritus hanc eius excusationem nequaquam admittit. Quidam hæc verba aliter interpretantur, nempe quod agnoscent Deum fractum esse super corde ipsorum, quia condonare eis velit idololatriam. Frangi enim dicitur, qui læsus sponte iniurias condonat. Certum autem est, Deum erga electos suos in mediis afflictionibus, quæ propter peccata ipsis immisæ sunt, misericordia affici. *Pudebunt coram facie sua super malis quæ fecerunt in omnibus abominationibus suis.* Cùm in patria sua florent, placebant sibi in sua idololatria, existimantes se Deo gratissimum obsequium præstare: At erit tempus, dicit Propheta, ut patria eiectionis, reipsa experiamini quàm malè feceritis: displicebitis vobisipsis, pudebitque vos illorum quæ fecistis. Constat ex Iosepho historico, quod posteris temporibus, nunquam idola in Templum inferri voluerint. Cùmque Caius Caligula Petronio præsidi Iudææ, statuam suam mitteret collocandam in Templum Hierosolymis, Iudæi nudatis ceruicibus aperte testati sunt, se potius velle mori, quàm hanc abominationem oculis suis in Templo cernere. Vidimus etiam nostra ætate, qui, si quis in mentem eis reuocabat vota & cultus, quibus veniam peccatorum se consequuturos sperauerant, id indignissimè ferrent: pudebat enim ipsos suæ stultitiæ. Illi quos verè suorum scelerum pœnitet, ad loca in quibus, & ad personas cum quibus peccarunt, quodammodo horrescunt. *Et cognoscent quòd ego Iehouah non frustra loquutus fuerim ad faciendum ipsis malum hoc.* Ante vrbs excidium, ad seruatorum Dei sermones surdi erant, neque putabant eos Spiritus sancti afflatu loqui. Deum etiam plerique sentiebant non curare res ipsorum, ideòque pœnas non sumpturum de ipsis. Deus igitur reipsa ostendit, prædictiones Prophetarum de futuris calamitatibus non vanas fuisse.

Hæc publicè & priuatim diligenter à nobis cogitanda sunt, quos Deus multis beneficiis cumulat, consolatur nos verbo suo, pœnas quoque nobis denunciat: proinde non securi simus, sed Iudæorum exemplo discamus in patria Deum rectè colere, ne tandem abducti pristinae nostræ sclicitatis frustra recordemur. Singuli quoque Deo grati sint. Illi quibus affluunt opes, eas non temerè dissipent, alioqui patriis sedibus pulsi, suas miseras deplorabunt. Illi quibus Deus corporis sanitatem largitus est, hoc donum Dei, immodico cibo, potu, somno, &c. non corrumpant, ne frustra morbis afflicti postea ingemiscant.

## HOMILIA XX.

*¶ Iterum predicat Israelitas gladio, fame, & peste perdendos esse.*

11 Sic dixit Dominus Iehouah, Percute manu tua femur tuum, & extende pedem tuo lutum, & dic, Heu, propter omnes abominationes malorum domus Israel: quia gladio, fame, & peste corruent.

12 Qui longè abfuerit, peste morietur: & qui propè erit, gladio corruet: & qui relictus

relictus fuerit & obsessus, fame morietur: complebóque indignationem meam in eos.

13 Et scietis quòd sum Iehouah quum fuerint interfecti eorum in medio idolorum suorum, in circuitu ararum eorum, in omni colle excelsò in cunctis summitatibus montium, & sub omni arbore viridi, & sub omni quercu frondosa, in loco ubi dederunt odorem suauissimum vniuersis idolis suis.

14 Extendam itaque manum meam super eos, & dabo terram desolatam & derelictam, à deserto vsque ad Diblath in cunctis habitationibus eorum: & scient quòd sum Iehouah.

**M**ulti homines tam peruersè iudicant, vt putent Deo res illas gratissimas esse, quibus maximè offenditur, & ob quas vrbes & gentes funditus euertit. Tales erant Iudæi, qui idolis & altaribus omnes angulos implentes, putabãt se Deo gratissimum obsequium præstare. Multis itaque Ezechiel agit contra idololatriam, ostendens ipsis propter illa extremum interitum imminere, quibus Deum maximè placare volebant.

*Percute manum tuam, & extende pedem tuum.* Qui anxij & perturbati sunt, quique indignantur, id gestibus suis significant: manus complodunt, pedibus terram calcant, caput fricant. Manus complodere & pedes supplodere, infra 25. cap. signa sunt lætitiæ: hoc loco mœroris. Apud alios quoque scriptores, pedibus terram percutere, vel pedem supplodere, significationem dolentis habet, vel indignantis, & grauiter ferentis. Cicero in Bruto: nulla pedum supplatio. Idem lib. 1. de orat. ad Q. fratrem. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio supplot. Homerus Odyss. 18. de Iro.

— Σὺ δὲ ἦλασ' ὀδόντας

Λακτίζων ποδὶ γαίαν.

Dionysius Lambinus in doctissimis suis annotat. in Horatium lib. primo epist. folio 400. collegit ex bonis authoribus multa affectuum animi indicia, quæ ducuntur ex partibus corporis, siue illæ sua sponte, & nobis inuitis moueantur, atque immutentur, siue nostra voluntate. Iubet Deus verbis addere hos gestus, partim vt ostendat, illos propter magnitudinem peccatorum suorum, anxios esse debere & dolorem testari: partim vt ostendat quid facturi sint, cùm pœnæ eis infligentur: ædent gestus dolentis, sed frustrà. Theodoretus dicit Deum præcipere Prophetæ vt plaudat, & sententiæ diuinæ iustitiam admiret ur. *Heu vel va super omnes abominationes malorum domus Israel.* Certissimam pœnam propter scelera. & imprimis propter idololatriam, quæ abominationum maxima est, eis impendere prædicit. *Quia gladio, fame, peste corruent.* Deus multas habet ferulas quibus sceleratos castigat: at hæ tres sunt præcipuæ. Quanquam dici possit, quòd in his aliæ quoque comprehendantur.

Quæ belli sit sæuitia, & quantum agmen malorum secum trahat, omnibus notum est: inter arma silent leges: cædibus, incendiis, rapinis, stupris aperitur lætissima fenestra: multa indignissima, etiam ab amicis ferenda sunt. Fames homines coniicit in extremam paupertatem, cogit eos ad abominandos cibos, & multa mala. Etiam illi quibus res necessariæ suppetunt, coguntur non sine dolore aspicere homines fame confectos. Pestis quoque magna est calamitas, sæpe loca commoda nobis desunt, in nostris ædibus, in quibus hoc morbo correptos habeamus, vix inueniuntur idonei homines qui eis inseruiant. Quòd si maritus uxorem, parentes liberos, & vicissim, perfidè deserant (vt multis in locis sint cõtra Christianæ fidei professionem) Deus bone, quanta illa est miseria? Inter omnia autem hæc flagella, pestis est leuissimum: ideo cùm Dauidi optio daretur

Complatio manuum.

Tria flagella Dei.

Bellum.

Fames.

Pestis.

pœnarum, pestem delegit. *Qui longè abfuerit, peste morietur.* Explicat plenius, quomodo perituri sint. Credendum est multos cum audirent hostem aduentare, se recepisse ad loca tuta, qui indubiè sperarunt se extra teli iactū esse, hos peste dicit perituros. *Qui propè sunt, cadent in gladiū.* Multi sperabant se posse euadere facta eruptione, aut si clam funibus per muros se demitterent: sed in hostes incidentes, interfecti sunt: obsessi fame perierunt. Sæpe oppidani volunt cum hoste pacisci: sed milites præfidiarij id non concedunt, ipsi clauas portarum habent, & muros custodiunt, vt nemo aufugere possit. Interim milites annonam absumunt ciuibus fame pereuntibus. Nemo itaque speret Deo irato, se effugium aliquod posse reperire. Est quoddam genus fugæ vtile, est etiam inutile. Vtile est, quod fit per veram pœnitentiam, quæ vnica est ratio placandi iratum Deum. Per hanc fugam Niniuitæ venturam iram & vindictam Dei euaserunt. Alterum est inutile & frustraneum, cum Deo irato nulla intercedente pœnitentia, corpore tantum fugam adornamus. De hac fuga loquitur Amos. 5. & 9. capitibus: lege locum vtrunque. Item Dauid, *Quò à facie tua effugiam?* Exemplum huius fugæ habes hoc loco: qui non in vrbe, extra cam oppressi sunt. *Complebo furorem, meū in eis.* Non amplius, inquit, immittam mediocres pœnas, sed panolethriam inducam. Pœnæ quas hætenus immisi, fuerunt præludia tantum magnæ & horribilis illius pœnæ, quæ iam vobis imminet. Deus nobis sæpe immittit pœnas, vt in viam nos reuocet, quibus si nihilo meliores efficiamur, tandem nos prorsus euertit. Conuertamur itaque ad percutientem nos. *Et sciētis quòd ego sum Dominus, cū fuerint vulnerati eorum, in medio idolorū ipsorū.* Prophetarum oracula contempserunt, coluerunt simulachra, fiduciamque suam in eis posuerunt: si quis eos hoc nomine reprehendit, illum ferre nequaquam voluerunt. Si quis lassisset simulachrum aliquod, aut luto fœdasset, pœnas luisset: At reipsa videbitis, dicit Dominus, quòd solus velim coli, quòdque simulachra vobis rebus aduersis prodesse non possint. Idola excindam, omnia sanguine & cadaueribus implebo. Quater in hoc capite repetit, *Sciētis quòd ego Dominus,* Vnde colligitur quanta fuerit illius populi stupor, impietas, & cæcitas. Deus disertè præceperat, ne idola colerent, neque multa altaria erigerent: at illi suo arbitrio ad imitationem gentilium cultus instituebant: in summitatibus montium, in collibus, in profundis vallibus, nemoribus & syluis, sub densis arboribus, aras, & simulachra collocabant, & eis suffitum faciebant, victimasque offerebant. Et fieri potest, vt thymiam illud, quod soli Deo offerendum erat, quòdque etiam in priuatis ædibus sibi ipsi nemo parare debuit, idolis suis adoleuerint. Idola subinde stercora & sordes appellat: id ipsum si quis hodie dicat, magnum est scelus, & diris suppliciiis piandum. De illa idololatria Isa. 57. Hier. 2. & alibi quoque legitur apud Prophetas. Sæpe autem fit iusto Dei iudicio, vt illis ipsis in locis, in quibus operam dedimus idololatriæ & aliis sceleribus, pœnas demus: id euenit Iudæis. Illi ipsi quoque homines, quorum iussu, & in quorum gratiam nefariè fecimus, sæpe à nobis pœnas repetunt.

Duplex fuga.

Completo furorem in aliquo.

Idolomania  
Miraclitarū.

Idolomania  
Christianorum.

Israëlitæ imitatione gentilium omnia idolis & altaribus impleuisse Prophetæ ostendit: idem à Christianis factum esse quis negare audebit? Non enim contenti suis paræciis, in locis amœnis & cultis, in montibus, fontibus, triuiis, campis, petris, idola constituerunt: sacella, templa, aras construxerunt in honorem D. Virginis, Petri, Andreæ, aliorumque sæpe etiam ignotorum diuorum: quin in locis amœnis & fertilibus, magna monasteria construxerunt; contra Apostolorum doctrinam: quid igitur nisi extrema quæque expectaremus? *Extendam itaque manum meam super eos.* Extensio manus, est ferientis gestus: sensus est, percutiam eos. *Ponam vos in desolationem & stuporem.* Regio fertilissima vertetur in tantam solitudinem, vt stupori futura sit hominibus. Ita fit si incolæ peste, fame, bello



bello pereant:agri qui natura perboni, & diligentia culturaque meliores erant, fiunt inculti & deserti. *A deserto vsque in Diblath.* Munsterus ex autoritate Rabbi Dauidis, pro Riblath dicit positum. Est autem locus vbi Nabuchadonosor mansit, cum exercitus eius Ierusalem oppugnaret. Sed non video quare Propheta non potius scripserit Riblath, si ita legendum erat. Calvinus vertit, *Præ deserto Diblath.* Terra quæ cultissima est, in desertissimam solitudinem vertetur, squalidior erit Diblath, qui locus indubiè omnibus tam fuit notus, quàm si quis nunc desertum aliquod, nobis omnibus notissimum nominet.

*In cunctis habitationibus eorum.* Hostes aliquando pagos exurentes, vrbibus parant, vel sua sponte, vel quòd expugnare eas non possunt. In domesticis historiis legimus, magnos Hungarorum exercitus non semel in has terras venisse, sed vrbes & loca munitiora non cepisse, perrexisse enim vltterius & prædas egisse. At nulla domus, inquit Propheta, in terra vestra supererit, omnia inflammabuntur & vastabuntur. Repetit, *Et scient quòd ego Dominus.* Sciunt quidem hoc ipsi etiam diaboli: sed non loquitur de vulgari illa scientia, &c. Ex hoc, quantumvis breui sermone Ezechielis, intelligimus quantum Deus detestetur idololatriam. Nos alienis malis admoniti, idola externa, & etiam animi nostri abiiciamus.



## Concio tertia Ezechielis.

H O M I L I A XXI.

*¶ Predicit Israelitas iamiam iusto Dei iudicio, horribilibus pœnis, quas effugere non possint, propter scelera afficiendos esse.*

C A P V T VII.

- 1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
 2 Et tu Fili hominis, sic dixit Dominus Iehouah terræ Israel,  
 3 Finis, venit finis super quatuor angulos terræ.  
 3 Nunc finis super te, & mittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, ponamque super te omnes abominaciones tuas.  
 4 Et non parcat oculus meus tibi, neque miserebor: sed vias tuas super te ponam, & abominaciones tuæ in medio tui erunt: & scietis quòd ego Iehouah.  
 5 Sic dixit Dominus Iehouah, Malum, vnum malum ecce venit.  
 6 Finis venit, venit finis: euigilauit aduersum te, ecce venit.  
 7 Venit matutina sententia tibi habitatori terræ: venit tempus, propè est dies ocisionis, & non echo montium.  
 8 Nunc è proximo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in

te, & iudicabo te secundum vias tuas, & ponam super te omnes abominatio-  
nes tuas.

9 Et non parceret oculus meus, neque miserebor, sed iuxta vias tuas super te dabo,  
& abominaciones tuæ in medio tui crunt: & scietis quòd sum Iehouah qui percutio.

Scopus hu-  
ius concio-  
nis.



OC capite continetur TERTIA CONCIO, quam Ezechiel  
habuit ad Iudæos; partim illos, qui iam abducti erant in captiuita-  
tem, partim, illos qui adhuc in patria versabantur: vel, vt D. Hieron.  
dicit, ad omnem terram Israel, siue decem, siue duodecim tribuum.

Impij non  
credūt pœ-  
nas immi-  
nere ipfis.

Hæc concio eiusdem est argumenti cum superioribus. Denunciat enim eis pœ-  
nas propter idololatriam & scelera infligendas. In hoc differt ab illis, quòd pœ-  
nas iam iam venturas dicit. Hoc enim est impiorum ingenium, vt vel non cre-  
dant pœnas venturas, vel non tam horribiles fore, vel diu differendas. D. Petrus  
2. cap. 3. prædicit, in extremis diebus venturos illudores, qui iuxta proprias con-  
cupiscentias ambulaturi sint, & dicturi: Vbi est pollicitatio aduentus eius? siqui-  
dem ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent in initio conditionis.  
Propheta itaque docet pœnam esse præ foribus, hortaturque eos ne securi sint.  
Eandem rem, iisdem & paucis mutatis verbis inculcat: si quis historiam consu-  
lat, videbit pœnam mox eis inflictam esse. Etenim Ezechiel 5. anno Zedechiæ  
cœpit concionari. 9. autem anno vrbs obsessa, & 11. anno expugnata fuit. Hanc  
verò concionem non audiamus obiter, quasi ad nos nihil pertineat: sed cogite-  
mus Deum nobis quoque per Prophetam suum, pœnas prædicere.

Præfatiun-  
cula.

Principiò more Prophetarum, præmittit præfatiunculam, qua omnes ad at-  
tentionem excitat.

Alas terræ.

Mox dicit: *Finis, venit finis super quatuor alas terræ.* Non dicit terram Israelis in  
nihilum redigendam, sed ita vastandam, vt nec homines, nec pecora in ea de-  
gant, nec fructus, aut fruges producat. Cùm Deus inducias eis concederet, puta-  
bant se omnibus malis defunctos esse, pergebantque in suis abominationibus:  
Deus itaque prædicit eis extremum exitium. Cùm Babylonis Rex, solutus obfi-  
dione obuiam iret Ægyptiis, sperabant vrbem non amplius obsidendam esse.  
Per alas terræ intelligit plagas, limites vel partes terræ, scilicet, Israelis. Quod  
Ezechiel alas, Christus ventos appellat: Matth. 24. dicit Filium hominis ventu-  
rum in nubibus cœli, cum virtute & gloria multa: & missurum Angelos suos cū  
tubæ voce magna, & congregaturum electos à quatuor ventis. Tot enim princi-  
pales venti à quatuor orbis cardinibus vel partibus exoriuntur: Eurum Orienti,  
Fauonium Occidenti, Notum Meridiei, & Boream Septentrioni tribuunt. Sen-  
sus est Prophetæ, nullam partem totius terræ Israelis, huius calamitatis exper-  
tem fore, proinde ipfis non sperandum, quòd aliquo in angulo immunes à peri-  
culis futuri sint, nisi pœnitentiam egerint. *Mittam iram meam in te.* Non secun-  
dum misericordiam meam tecum agam, inquit, non leniter vt hætenus te per-  
cutiam: sed ex ira. Qui ex ira agunt, modum in castigando excedunt. Deus qui-  
dem modum non excedit, sed significat his verbis pœnam terribilem fore. Da-  
uid Psal. 38. peste correptus, petit à Deo ne in furore suo ipsum arguat, nec in ira  
sua ipsum corripiat. Ne qui putarent Deum crudelem esse in exigendis pœnis,  
addit, *Iudicabo te iuxta vias tuas.* Non faciam tibi iniuriam: viis tuis, hoc est, studiis  
& operibus, meruisti hanc pœnam quam tibi infligam. *Ponam super te omnes abo-  
minationes tuas,* hoc est, afficiam te illis pœnis, quas merentur idololatria, incestæ  
libidines, oppressio pauperum, & alia scelera tua: digna factis tuis præmia acci-  
pies. *Et non parceret oculus meus tibi, neque miserebor.* Multa egregia extant testimo-  
nia in Scripturis, multa illustria exempla de immensa misericordia Dei, quibus

In ira puni-  
re aliquem.

impj

impij abutebantur, sperantes impunitatem suorum scelerum: dicit itaque Deus, nullam eis misericordiam tribuendam esse. Ipsi volebant ut pergentes in sceleribus, nihilominus propitium haberent Deum: at Deus poenitentiam agentibus, clementiam suam offert, non pertinacibus. *Abominationes tuæ erunt in medio tui.* Manifestum erit & tibi & aliis omnibus, te abominanda patrasse. *Ecce malum post malum venit.* Non est, dicit, cum aliquid vobis relaxationis datur, quod speretis vos elapsos esse: nam sicut fluctus fluctum trudit, ita vna calamitas alteram excipiet, donec iustas debitasque Deo poenas perfolueritis. Sæpe fit in populis & familiis, ut cum vna calamitas eis accidit, mox alia subsequatur, usque dum penitus extirpentur. Idem eis accidit, quod illis in quibus vis morbi vicit: nam cum putant se melius habere, & pristinae sanitati mox restituendos, animam exhalant. *Euigilauit super te,* scilicet afflictio, quæ dormire videbatur quasi rupto somno venit. Vel, *Euigilauit,* scilicet Dominus, qui vobis dormire videbatur, & non curare res mortalium, nunc re ipsa ostendit se vigilare. *Venit mane super te, o habitator terræ,* scilicet, afflictio, excidium venit super te, habitator Iudææ: vel *habitor terræ,* scilicet Babylonicæ. צפורה *zephrah* idem significat quod mane, vel aurora, ut sit sensus, poenam non diu differendam, sed mox eis infligendam esse: auroram illius diei, quo Deus poenas sumere decreuit de ipsis, iam fulgere. Hæc vox etiam significat sertum & coronam, ut sit sensus, Veluti corona vos cinget & concludet, ut nulla sit spes euadendi. Septi armatorum corona salutem desperant. *Venit tempus.* Significat tempus præfinitum & constitutum. Deus enim sua habet tempora, quibus omnia facit. *Propè est dies tumultus, & non erit clamor montium.* Quando numerosi exercitus regionem aliquam ingrediuntur, auditur crepitus armorum, hinnitus equorum, clamor militum. Præcipue autem in præliis & oppidorum expugnationibus, gemitus occumbentium, item clamor matronarum, virginum, puerorum exauditur. In vallibus si quis clamet, Echo remurmurat: sæpe integræ voces audiuntur: ac si homo ex vicinis montibus nobis respondeat, cum nihil aliud sit, quam sonus inanis: clamor verò ille inanis non erit, dicit Propheta. Deinde terra Israelis montosa fuit, in collibus apricis vineas suas habuerunt, in illis, præsertim cum vindemiarent, clamauerunt, & labores suos, ut sit, cantu lenierunt: at nunc clamor erit non lætitiæ, sed tristiæ, si hostes per montes veniant. Deus montes qui peruij non sunt, sæpe aperit hostibus. De Turcis legimus, quod in Epiro, quæ regio montana est, hinc inde vagati sint, cumque bombardas per montes & loca aspera non possent vehere, onerantur camelos ære, ex quo postea in castris bombardas fecerint. *Effundam furorem meum.* Metaph. ab imbribus sumpta, ostendit magnum & subitum malum eis imminere. Reliqua iam antè interpretati sumus. Ex illis autem repetitionibus colligimus, non semel duntaxat inculcandas esse res necessarias, quæ hominibus persuaderi vix possunt. Subiungit, *Et scient quod ego sim Dominus.* Hoc epiphonema antè aliquoties habuimus: sed addit hoc loco, *Percutiens.* Homines enim ad proximas causas respiciunt: Deus itaque se dicit eos castigare, & mala non impunita dimittere: Non esse quod Chaldæis ascribant hæc mala, qui tantum instrumenta sint diuinæ vltionis.

Hæc non solum audienda, sed diligenter in animis recondenda sunt. Valde enim metuendum est, ne idem nobis quoque tandem euenturum sit. Videmus omnium ordinum corruptionem, magnamque hominum securitatem. Quando enim Deus leniter nos castigat, non cogitamus quod nos penitus posset excindere: sed cum primum castigare nos desinit, putamus nos omnibus periculis defunctos esse.

Oremus Deum ut nobiscum agat secundum magnam suam misericordiam, non secundum nostra merita.

*I*terum dicit mox puniendos, & neminem pœnam euasurum.

10 Ecce dies, ecce venit, egressa est matutina sententia, floruit virga, germinauit superbia.

11 Iniquitas surrexit in virgam impietatis: non remanebit residuum ex eis, neque ex diuitiis eorum, neque ex eorum semine, nec erit lamentum in eis.

12 Venit tempus, adest dies: qui emit, ne lætetur, & qui vendit, ne lugeat: quia ira venit super omnem populum eius.

13 Quoniam qui vendit, ad venditionem non reuertetur, etiam si in vita extiterit anima eorum: visio enim ad omnem multitudinem eius non reuertetur: & vniuscuiusque vita in iniquitate sua demersa erit, non confortabuntur.

14 Clangite tuba, & præparate omnia, & non erit qui vadat ad prælium: ira enim mea super vniuersum populum eius.

15 Gladius foris, pestis & fames intrinsecus: qui in agro fuerit, gladio morietur, & eum qui fuerit in ciuitate, fames & pestis consumet.



Exorta est aurora.

Tolerantia Dei.

Superbia Israel.

Violentia.

Omnes per-  
dendi.

Um Ieremias, Ezechiel, & alij Prophetæ, Israelitis venturas pœnas denunciarent, multi ex illis non credebant se puniendos, reliqui verò sperabant pœnas diu differendas. Veluti decoctores multa sibi promittunt, interim pereunt: idem illis quoque accidebat. Proinde vt alij Prophetæ, ita Ezechiel hoc capite, ostendit pœnas iam iam eis imminere.

Eandem rem subinde repetit, vt eos vehementius percellat. *Ecce dies, ecce venit, exortum est mane.* Adest dies iudicij, iamque aurora illius diei incipit emergere:

omnia enim iam spectabant ad bellum, hoc est, ad eorum interitum. *Floruit baculus.* Nabuchadonosorem comparat baculo crescenti, quo Deus Israelitas percussurus sit. Isa. 10. cap. Assur quoque, virga furoris Dei & baculus appellatur. Deus paratos quidem haberet baculos multos: sed sinit crescere baculos: non præcipitanter agit, tempus constituit vltra quod nõ sinit crescere peccata. Crescentibus autem peccatis, crescit baculus. Homines iracundi se de aliis statim vindicantes, omnia in arma vertunt: in mensa, orbes, circulos, &c. At Deus est longanimis. Quòd verò cum peccatis baculus crescat, exemplo nobis est Salomon, cui cum defecisset à puritate cultus diuini, Deus hostes excitauit. Posteris temporibus crescente idololatria, creuit Saracenicæ & Turcicæ potentia. *Germinauit superbia.* Quidam de Nabuchadonosore exponunt. Nam cum patri in regno successisset, & egregias de hostibus victorias reportasset, insolentior factus est, propter superbiam, in Daniele, regno ad tempus à Deo deiectus scribitur, inter feras degisse. Possunt simpliciter hæc verba de Israelitis intelligi, qui tam erant superbi vt nollent doceri aut reprehendi à Prophetis, sed sibi ipsis viuendi regula esse. *Violentia surrexit in baculum impietatis.* Superbia illa peperit iniustitiam, *vverbaß mocht der teth baß, gvvvalt gieng fur recht.* Omnia súsque deque habètes, non pudebat eos amplius suorum scelerum. Ex hac verò radice, pullulabat ferula illa vel baculus, hoc est, sua iniustitia & impietate Deum ad iram prouocabant, ita vt omnes exitio destinaret. *Nullus ex eis,* scilicet impunè euadet. *Nihil ex opulentia eorum.* Opes non defendent eos, eas non auferent: sed dissipabuntur à militibus.

*Nec ex*

*Nec ex strepitu ipsorum.* *המחממה* tumultum, vociferationem, fremitum, significat: & videtur hic esse sensus, Deinceps magnum erit silentium, non hominum strepitus, qui ex ingenti multitudine & frequentia oriebatur. *Et non luctus inter vel propter eos*, hoc est, tanta erit afflictio, ut quisque de se tantum futurus sit sollicitus, vel ut beatos illos dicat, qui per mortem tantis malis subtrahti sunt. Iere. 16. cap. dicit Deus: Morientur magni & parui in terra ista, neque sepelientur, & non facient planctum super eos. Haecenus more gentilium contra Dei præceptum, mortuos suos luxerant: sed tot, inquit Deus, erunt funera, ut non ad hunc modum eos plancturi sitis, sicut fieri videmus coorta magna peste. *Venit tempus præfixum, ut emens non letetur, nec vendens contristetur.* Qui emunt domos, agros, vineas & alia, gaudent: qui verò vendunt, ut suis creditoribus satisfaciant, aliquid tristitiæ concipiunt. Cæterum nihil discriminis erit inter vendentem & ementem, pauperem & diuitem. Cogentur omnes omnia deserere, qui latifundia habuerunt, ne latum pedem retinebunt. *Quoniam furor est super omnem multitudinem eius*, scilicet terræ. Omnes Deum ad iram prouocarunt: etsi enim quidam non prorsus mali essent, tamen se malis non prout debebant, & poterant, opponebant, ideo omnes pœnas dederunt. *Siquidem vendens ad rem venditam non redibit, quamuis vita eorum sit inter viuos*, id est, licet emptor, & venditor sit superstes, & emptor fateatur se emisse ab altero, non tamen in anno Iubilæo sua recuperabit. Leuit. 25. legitur, quòd in Iubilæo quisque ad venditam possessionem redire potuerit. Ceremoniale hoc fuit: significabatur, in nostro Iubilæo, cœlestem hæreditatem, quam primi parentes nostri suo vitio amiserunt, recuperandam per Christum. Hæc lex nihil proderat illis qui erant in captiuitate: non enim potuerunt sua recuperare. Paucissimi ex illis qui abducti sunt, redierunt in patriam. Iusta autem hæc erat pœna: toti in hoc erant, ut agrum agro, domum domui, non sine iniuria proximi iungerent: tandem igitur patriæ fines & agros suos relinquere oportuit. *In emendo, & vendendo sæpe Deum offendimus*, qui iusto iudicio facit, ut tandem omnia vastentur ab hostibus, ut vbi agrorum limites fuerint, nesciatur, sæpe ciuilibus bellis nouæ tabulæ fiunt. *Quia visio super omnem multitudinem non reuertetur*, hoc est, Prophetiæ seruorum meorum non erunt irritæ: omnia illa euenient vobis, quæ per Prophetas comminatus sum. *Neque vllus propter iniquitatem suam pro anima sua roborabit.* Sensus est, Malitia sua non efficient, ut impunitatem assequantur. Homines propter aduersariorum suorum malitiam, & pertinaciam, sæpe ius suum non persequuntur, malunt aliquam bonorum suorum iacturam facere, quàm committi cum hominibus improbis: Deus autem non ita vincitur: sed pergit in suis iudiciis. Munsterus hunc locum ita reddidit: *Quoniam cum visio esset ad vniuersum vulgus eius: nemo reuertebatur: neque vllus propter iniquitatem suam pro anima sua se roborabat.* Ut sit sensus, Cùm hæc mala à Prophetis eis prædicerentur, nemo erat qui eos audiret, & se à peccatis ad Deum conuerteret, quisque animam suam ab iniquitate erueret: Et hic sensus bonus est. *Clanxerunt tuba & præparauerunt omnia, sed nullus vadit ad bellum.* Quum hostem aduentare audient, ad bellum necessaria comparabunt, constituent duces, delectus agent militum, munitiones, commectum & alia parabunt, hostisque aduentum tuba significabunt militibus, eosque ad arma capienda hortabuntur: sed nemo exhibit contra hostem. Alacriores milites, ante iustum prælium, hostes prouocant ad singulare certamen: at nemo erit qui cum hoste manus conferere sit ausurus. Iudæi aliis temporibus fuerunt viri fortes, & bellicosi. Causa ignauitæ huius subiicitur: *Eò quòd furor meus sit contra omnem multitudinem eius.* Deus tantum pauorem hominibus immittere potest, ut etiam crepitans folium fugiant: rursus animos addere, ut fortiter pugnent.

In anno Iubilæo redibant possessiones ad venditores.

Deus terrorem immittere.

Chananæi bellicosissimi fuerunt, sed cum impleissent mensuram peccatorum suorum, ad conspectum Israelitarum trepidarunt. Cum Germani quantumuis bellicosi, post concilium Constantiense, Hullo crudeliter interfecto, contra Bohemos expeditionem susciperent, ut ad obedientiam Papæ eos traherent, nullo negotio ab eis victi sunt: aliquoties hostibus vix visis, fuga salutem quaesiverunt. *Gladius foris, pestis intus.* Quando pericula hominibus denunciantur, varias euadendi vias somniant: at Deo nos puniente, elabi non possumus: etiam quando effugium nos inuenisse speramus, in medios hostes, aut alia mala incidimus. Quis tot tantisque malis undique septus, iudicium Dei non metuat?

## HOMILIA XXIII.

*Iterum inculcat, mala quæ prædixit statim euentura, & neminem fore liberandum.*

16 Et euadent euasores eorum, & erunt super montes veluti columbæ vallium, vniuersi gementes, vnusquisque propter iniquitatem suam.

17 Omnes manus debilitabuntur, & omnia genua ibunt tanquam aquæ.

18 Et accingent se saccis, & operiet eos formido, & in omni facie pudor, & in vniuersis capitibus eorum calutium.

19 Argentum suum in plateas proiciant, & aurum eorum elongabitur: argentum illorum, & aurum non poterit liberare eos in die furoris Iehouæ: animam suam non saturabunt, & ventres suos non implebunt: quia ruina hæc propter iniquitatem eorum erit.

20 Et gloriam ornamenticius quod in superbiam posuerant, & imagines abominationum suarum, & idolorum suorum fecerunt in ea: propter hoc dedi eam ipsis in elongationem.

21 Et dabo eam in manum alienorum ad diripiendum, & impius terræ in spolia, & contaminabunt eam.

22 Auertam quoque faciem meam ab eis, & violabunt adytum meum, & introibunt in illam diruentes, & polluent illam.

**P**ropheta pergit commemorare pœnam non procul abesse, neminemque fore liberandum. Etsi enim homines eò adducuntur, ut credant pœnam esse præ foribus, tamen nihilominus sperant se sua habituros effugia, ostendit itaque etiam eorum qui se euasisse putabunt, conditionem, non meliorem fore, quam illorum qui fame, peste & gladio perierunt. Omnia tam euidenter & perspicue proponuntur, ut oculis coram cernere nobis videamur.

*Et euadent euasores eorum, & erunt super montes veluti columbæ vallium, vniuersi gementes vnusquisque propter iniquitatem suam.* Qui effugerint, in montibus latibula quaerent, & omnium rerum penuria laborabunt. Utque columbis nihil est timidius, & pro cantu gemunt: ita illi gement, & querulas voces emittent. *יון* iou columbus, nimirum à *יון* ianab, à contristando & affligendo. Non audebunt liberam & claram vocem emittere, ut aliquomodo sua mala leuent:

Columbæ  
gemunt.

metuent

metuent enim ne hostes exaudientes eos ex latebris protractos, interficiant: gement autem propter peccata sua. Qui iam peccata sua cognoscere nolunt, in se descendant, & cogitabunt, quomodo Deum ad iram prouocarint. Ferè autem fit, vt malo demum accepto, oculos aperiamus. *Omnes manus dissoluentur.* Vt in diuturnis morbis & maximo frigore manus torpent & officium suum non faciunt, ita in pauore. Nunc, inquit, magna vobis ipsis de vestris viribus promittitis: sed tanta erit consternatio & trepidatio, vt hastas manibus tenere, & pugnare contra hostes non possitis. *Et omnia genua fluent aqua.* Deficiente robore & virtute subsistendi, genua eorum nutabunt. Vt aqua effusa diffluet, ita robur eorum diffluet. Poetæ dicunt, genua labare. Vel sensus est: præ metu vrinam continere non poterunt, vt per aquam vrinam intelligat, sicut Germani quoque. Eadem phrasis infra 21. cap. repetitur. Milites præ metu caligas vrina & aliquando stercore foedant: hoc enim modo Deus confidentiam hominum bellicosorum sæpe vlciscitur. *Accingent se succis.* Saccus est strictior vestis, qua lugentes vtuntur. Hactenus sumptuosius vestibus incesserant, suæ ætatis & conditionis immemores, neq; Prophetarum monitis adduci poterant, vt rectè se in vestitu gererent, nunc sua sponte lugubrem habitum assument. Gentes illæ quarum vestitum imitati fuerant, vestes preciosas eis detraxerunt. *Operiet eos terror.* Omnia plena erunt terroribus, cum nunciabitur hostes adesse: equis & camelis expeditis, paucis horis magna itinera conficere, & alia huius generis. *In omnibus vultibus erit confusio.* Glorati fuerant de sua fortitudine contemptis oraculis diuinis hostibus appropinquantibus non sine rubore vultus, hæc eis in mentem venerunt. *In omnibus capitibus eorum caluitium.* Euellent comas præ dolore. Deus, Deut. 14. cap. præceperat eis, ne caluitium facerent, aut cutem inciderent: sed in luctu modum seruarent, vt qui scirent mortuorum cadauera vltimo die resurrectura esse. Illi autem frustra reclamantibus Prophetis, mores gentilium imitabantur, dicit itaque, *In capitibus erit caluitium,* Euelletis comas præ magnitudine doloris. Non imitandi sunt gentiles in malo, sed in bono. Congerie hac verborum, Propheta venturæ pœnæ atrocitatem ostendit. *Argentum suum in plateas proiciet, & aurum eorum erit in abiectionem.* Homines vt magnos auri & argenti cumulos congerant, sæpe nullam pauperum habent rationem, quin etiam suorum cognatorum, ipsiuisq; Dei, cuius beneficio spiritum trahunt, obliuiscuntur. Deus bone, quæ pericula non adeunt, vt terram rubram & albam, hoc est, aurum & argentum colligant: Veniet tempus, inquit, Propheta, quo abiicient, argentea sua vasa, pecunias & alia id genus. *Et aurum tanquam pannum menstruate* נידה *niddah,* separationem, abominationem, immunditiam & menstrua significat. Ideo autem proiciet, ne impedimentum sint fugæ: & quia desperabunt de vita. Sic Iudas Iscariotes magna indignatione pecuniam, quam à sacerdotibus acceperat, vt Christum proderet, in Templum abiecit. Morituri sæpe opes iniuste collectas detestantur. *Nec poterit eos liberare argentum & aurum eorum, in die furoris Domini.* Diuites se contra omnia pericula animæ & corporis, satis munitos esse confidunt. Prouer. 10. Opes diuitis sunt ciuitas fortitudinis eius: hoc est, vt milites fidunt munitionibus, ita illi suis opibus: at magna est ista stultitia. In bellis sperant multi se liberandos, si in hostes pecuniam profundant. Illa præsidia Iudæis nihil profutura dicit Propheta. Zephonias quoq; 1. cap. dicit: Aurum & argentum eorum non eripiet eos, in die iræ. Generalis est sententia apud Solo. Prouer. 10. & 11. cap. Nō profunt thesauri impietatis, iustitia autem liberat à morte. Non profunt, hoc est, non eripiunt à morte temporaria vel æterna. Quid diuiti purpurato profuerunt diuitiæ suæ? Quid illi qui granaria & cellas suas dilatare volebat? Lucæ 12. & 16. cap. *Animam suam non satiabunt, neque viscera sua vel ventrem implebunt.* Anima hoc loco accipitur pro voluntate, desiderio vel cupiditate. Germani dicunt, *sy*

Saccos induere.  
Isaïæ 4.

Opes à morte non capiunt.

Diuites fame peribunt.

becent: non enim suppetet eis annona. In caritate annonæ, diuites sæpe lucrum faciunt, & sua luxuriosa conuiuia instruunt, aliis interim esurientibus: at nunc aliter res habebunt, diuites quoque fame peribunt. *Ed quòd offendiculum iniquitatis eorum fuit.* Causam subiungit, quia opes fuerunt eis offendiculo, posuerunt fiduciam suam in eis, per fas & nefas eas collegerunt & auxerunt, malè eis vti sunt. Opes, quæ materia & occasio virtutum eis esse debuerunt, fuerunt occasio multorum vitiorum. Iusto igitur iudicio illæ non profunt eis, saltem ad hoc, vt vitam suam suorumque iis redimant. Discamus ex hac comminatione, ne plus de auro & argento solliciti simus, quàm de anima: ne propter opes fratrum nostrorum obliuiscamur, sed liberales & benefici simus. An non putas Israelitas cogitasse, cum sua abiicere cogerentur, Vtinam in pauperes fuissetur liberales? *Et gloriã ornamenti eius, quod in superbiã posuerat, & imagines abominationum suarum & idolorum suorum, fecerunt in ea.* Hebræi interpretes per ornamentum intelligunt Templum, quod singulare & eximium decus fuit populi Israelitici. Vt sit sensus: propter hoc Templum superbierunt & extulerunt se, atque contra disertum Dei verbum, aurea & argentea simulachra in illud intulerunt. *Ideo posui eam ipsis in elongationem.* Hoc est, ideo longè abducam eos à meo Templo: vel ideo posui Templum in disiectionem, hoc est, feci vt destrueretur à Chaldeis. Quidam per gloriam ornamenti, intelligunt preciosa monilia, torques, in aures, vt sit sensus, Ex preciosis suis monilibus, quibus superbierunt, imagines abominationum suorum fecerunt. Osee secundo cap. obiicit Deus suis Israelitis, quòd vinum, oleum & frumentum suum idolis obtulerint. Opibus suis abusi sunt, in prophanis & spiritualibus,

Fecerunt ex auro & argento preciosa, pocula, torques, annulos, monilia & alia: non quòd harum rerum nullus omnino bonus vsus esse possit, sed cauendum est, ne modum excedamus, considerandum quid nostra ætas & conditio patiatur: luxus vt in aliis ita in his quoque rebus iure vituperatur. Deinde ad superstitionem opibus & ornamentis illis suis (vt sunt homines liberales) abusi sunt. Nam conflarunt aurea & argentea simulachra, quibus postea sacrificia obtulerunt.

Hac verò re non minus offensus fuit Deus, quàm cum maritus videt vxorem suam, preciosas vestes & monilia sua, quibus sponsam ornauit, mœchis largiri.

*Et dabo eam in manum alienorum ad diripiendum.* Quia Templum meum contaminastis, vel ex ornamentis illis idola conflastis, dabo Templum diripiendum peregrino militi, cui gratum erit si incidat in tot simulachra, aurea, argentea, gemmis aliisque preciosis rebus ornata & exulta. Si intelligas de aliis rebus preciosis, illas quoque milites auferent, & suas domos illis exornabunt, *Et impiis terræ in spolium, & contaminabunt.* Militibus maximè mercenariis, nulla est religio idola etiam ipsa instrumenta sacra ex templis auferre, aut equos in templa inducere, sanguinem in templo fundere. *Auertam quoque faciem meam ab eis,* sc; Israelitis, hoc est, curam eorum abiiciam, non opem feram eis. In facie Dei sita est nostra fœlicitas: si auertat eam à nobis, summa est miseria. Homines quoque ab illis, quibus irascuntur, vultum auertunt. Vide num hic sensus esse possit, *auertam faciem,* hoc est, permittam vt Chaldæi violent Sanctuarium meum. Germani dicunt, *ich wil ein aug Zu thun.* *Et violabunt adytum meum,* per צפון Zephun id est, arcanum intelligunt Hebræi Sanctum sanctorum, in quo arca continebatur, & in quod nemini fas erat ingredi, præter quàm summo sacerdoti, idque semel quotannis, *& introibunt in illam irruentes & polluent illam* פריצים parizim dicti sunt a diruendo & dissipando, qui ferro viam faciunt. Illi Deo faciem auertente, irruerunt in Sanctum sanctorum & violarunt illud. Thren. i. cap. Quia vidit gentes ingressas Sanctuarium suum &c. In bellis quidem, templis parcendum erat, sed barbari



barbari illi hiftes, odio veræ religionis, omnia conuellunt, non quòd fuerint officina idololatriæ. De hac re Pfal. 74. & 79. sancti quærentur. Posteris quoq; tēporibus, cum Pōpeius magnus Hircano & Aristobulo inter se dissentiētibus, Hierosolymā cum exercitu occuparet, milites in Sanctum sanctorum leguntur irrupisse. Notum est, Templum in tres præcipuas partes fuisse distinctum, in Atriū populi, Sanctum, & Sanctum sanctorum. In Sanctum venire plebi non licebat, sed tantum ministris sacris: in Sanctum sanctorum ne sacerdotibus quidem ire licebat, sed tantum summo Pontifici. At omnes leges inter arma filebant.

Partes templi.

Discamus hinc, quàm ingratum sit Deo, si in locum cultui eius dedicato simulachra inferantur. Putant hodie homines, hæc vera templorū esse ornamenta, sed Deus longè aliter iudicat. Est vna ex præcipuis causis, ad quas hodie Turcæ grassantur, quòd templa Christianorum idolis & altaribus prophanantur.

Simulachra abominantur Deus.

HOMILIA XXIIII.

*Repetit in conclusione, breui omnes pœnas daturus esse suorum scelerum.*

23 *Fac catenam: quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena est iniquitate.*

24 *Et adducam pessimos gentium, & possidebunt domos eorum, & cessare faciam superbiam fortium, & polluentur sanctuaria eorum.*

25 *Excisio venit, & quærent pacem, & non erit.*

26 *Contritio super contritionem veniet, & auditus super auditum erit, & quærent visionem à Propheta, & non erit, & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.*

27 *Rex lugebit, & princeps induetur desolatione, & manus populi terræ conturbabuntur: secundum viam eorum faciam eis, & iudicij eorum iudicabo eos: scient quòd ego Iehouah.*



Oncludit Propheta his verbis tertiam cōcionem, quam de impendēte vrbs & gentis excidio habuit. Et quēadmodum hæcenus grauius & vehementibus verbis vsus est: ita nunc quoque in Epilogo. Meritò autem hæc *ἀίνωσις* nos excitare debet, vt in nos descendentes, peccata nostra Deo cōfiteamur, veniam ab ipso postulemus, & pœnarum mitigationem. Percurramus verba Prophetæ breuiter.

*Fac catenam.* Ostendit vincula manibus & pedibus ipsorum iniicienda esse, quibus in captiuitatem trahantur. Ieremiam iubet Deus iugum & catenas proferre, quibus idem repræsentat. Impij instar cathenæ coherentes, bonis impedito erant, ad hæc quisque cathenis suorum peccatorum constriungebatur. Isā. 5. Væ iis qui trahunt peccata sua, quasi funiculo longo &c. Iustum igitur erat, vt catenæ & funes ipsis iniicerentur. De ipso Rege testatur sacra historia, quòd postquam oculi eius effossi fuerunt, duabus vinculis cathenis in Chalæam sit abductus. In historiis aliarum gentium legimus, victores interdum manicas & pedicas victis, qui alicuius nominis erant, iniecisse, eosque procul à patria, in alias vrbes & regiones abduxisse, vt reliquis occasio rebellionis adimeretur, quia terra impleta

Catenas eis iniicias.

*est iudicio sanguinum:* Hoc est, iniuste iudicarunt effundendo iustum sanguinem. Parsum fuit pessimis hominibus, interfecti sunt optimi quiq; non solum Manassis tempore, sed postea quoq;. Rex Ioachimus Vriam Prophetam ex Ægypto retractum occidit. Atrox autem scelus est, sanguinem innocentē fundere. Hodie multis in locis parcitur furibus, adulteris, sicariis, in illos verò qui Deo seruire cupiunt

**Sanguines.** secundum verbum ipsius, ferro & flamma vindicatur. Per sanguines quoq; atrocita flagitia intelliguntur, quæ sanguine pianda, hoc est, quæ morte, vel capitalibus pœnis vindicanda sunt. Hæc ita in populo passim grassabantur, vt nō possent vltimam vindictā effugere. *Civitas impleta est violentia.* Exprobrat eis oppressionē pauperum, rapinas, & illicitos quæstus. In iudiciis vincebant, non qui meliorem habebant causam, sed qui iudices muneribus corrumpebant, quiq; audaces & impudentes erant. Deinde si qui fraudare & opprimere alios poterāt, palam & absq; pudore hoc faciebant. Quot sunt hodie, qui si opes suas cum proximi detrimēto augere possint, neq; Dei neq; hominum iudicia de se pertimescunt? *Adducā pessimas gentium.* Pessimi erant Iudæi: pessimos igitur & sceleratissimos, contra ipsos adduxit Deus: malo enim nodo, vt est in prouerbio, malus est quærendus cuneus. Antè dixit, se impiis terræ eos spoliandos dedisse. Vnde colligimus, victores nō semper bonos esse, aut meliorem habere causam, ipsis victis: hodie multi ex victoriis, religionis veritatem metiuntur. Deinde ex eo quod Dominus dicit, *Ego adducam,* intelligimus, gentes quantumuis audaces & feroces, non posse alias gentes, quādo volunt armis vexare, sed tum demum, quando Deus eas mittit, aut adducit, ad exequendum sua iudicia. Licet autem Deus malorum opera vtatur, ad puniendos suos rebelles, illi tamen non excusantur, cum id quod faciunt, ex auaritia, ambitione, odio, aliisque prauis affectibus faciant, nō vt Deo seruiant. *Possidebunt domos eorum.* Ex Prophetis colligitur, Iudæos sumptuosas domos extruxisse, (sicut hodie quoq; multi priuati homines, suæ cōditionis immemores, regia palatia extruunt) at non ipsi, sed hostes eas incoluerunt. Si quis sciat virum aliquem bonum, suam domū incolere, æquiore fert animo, quā si sciat, crudelem aliquem & pessimū hominem, ex fenestris suis prospicere. *Cessare faciam superbiam vel magnificentiā potentium.* Superbiam suam, sermone, incessu, vestitu, aliisque rebus prodebant: contundam itaque cristas eorum, dicit Dominus, vt humiliter de seipsis loquantur, incedant modestè, habitum vulgarem assumant, & sentiant donis à Deo sibi cōcessis, rectè vtendum esse. *Polluentur Sanctuaria eorum:* hoc est, Templum. Ponit pluralem numerum, eò quòd distinctum esset in tres præcipuas partes, de quò paulò antè. Fiduciam suam ponebant in Templo, sperantes res suas in tuto positas esse, si in Templo supplices fierent Deo, & sacrificia offerrent: hac de re multis agit Ier. 7. Deus itaque re ipsa ostendit, se externum illum cultum non morari, si cor procul absit: Templū enim sanguine & cadaveribus polluit. Ego per sanctuaria mallem intelligere facella, quæ contra verbum Dei hinc inde extruebant: & fortè ditiores, (vt hodie quoque) in suis ædibus sua habuerunt facella & Lararia in quibus penates & lares suos coluerunt: Hæc loca, dicit Dominus, ego cōtaminabo. Antè loquutus est Deus de arcano suo, nunc cum domorum fecerit mentionem, loqui videtur de sanctuariis ipsorum, hoc est, quæ ipsi in priuatis suis ædibus extruxerant. Theodoretus annotat, quòd non dixerit Sancta mea, sed Sancta eorū, hoc est, quæ ab ipsis mihi consecrata sunt, quibus ego non indigebā &c. *Extremum venit.* Prædicat toti genti iam iam imminens excidium. *Quærent pacem, cum illa non sit.* Freti locorum munitionibus, Chaldæorum exercitus non metuebant: ita indubiè secum rationem ineuntes, paruis copiis frustra obsidebit vrbem, magnas non diu poterit alere: cumq; res ad extremum fuerint adductæ, poterimus facillè tolerabiles cōditiones pacis, ab hostibus impetrare. Nam etiam victores variam belli fortunam metuunt. Frustrabimini, dicit Propheta, spe salutis, frustra

apud

apud illos fiet pacis mentio. Sæpe hostes ferociunt, præsertim si gentis alicuius perfidiã sæpe experti sunt, vt amplius placari nõ possint, & nullas omnino conditiones pacis, quantumuis tolerabiles, admittant: sed extrema tentãtes, victos ad internecionẽ occidant. Theodoretus videtur ad preces referre, quas ad Deum frustra fufuri sint. *Calamitas super calamitatem veniet.* Et si ynum malum effugiatis, incidetis in aliud & grauius. Hanc comminationem suprà quoque habuimus. *Rumor super rumorem erit.* In bellis incerti & varij rumores vagantur. Dicent, Rex Babylo- nius est in armis, iam eò vsq; cum exercitu peruenit, hæc oppida, hos vicos cepit & inflammauit, pueros collisit ad parietes &c. tristẽ famam, alia tristior ex- cipiet.

*Inquirent visionem à Propheta, & Lex peribit à sacerdote, atque consilium à senioribus.* Rebus desperatis, inquit, ad Prophetas tanquam ad sacram anchoram confugie- tis, sed non inuenietis quod speratis. Pseudoprophetæ consulti, nihil respondere poterunt: videbant enim se spe sua falsos esse. Reliqui Prophetæ, Ieremias, Baruchus, Zephonias, ex ois ipsis erant. Cùmque Rex in summis angustiis constitutus, Ieremiam de belli euentu consuleret, non audiebat quod sperabat. Iere. 38. Sacer- dotes de voluntate Dei eos instituere non poterant: nec consulere Deum de e- uentu obsidionis, qui Adyto excesserat, vt sequenti capite audiemus. Senes quoq; qui longa experientia didicerunt quid faciendum sit, in dubiis casibus, consilio destituebantur. Magnam nobis affert consolationem, si qui in extremis malis no- bis bona dent consilia. Illi neminem habebant, à quo aliquid opis aut consilij ex- pectarent. Iustum hoc erat Dei iudicium: dederat eis Prophetas & Senatores e- gregios, quos spernebãt: quosque sublatos voluissent, nunc igitur destituuntur vi- ris, qui eis rectè consulant. Hoc loco exemplum publicum habemus illius quod sapientia, in Prouerb. Solom. 1. cap. minatur, quòd impios rebus adflictis non audita sit, &c. Priuatum habemus in Saule, Sam. 28. cap. ingruente numeroso exerci- tu Palæstinorum, consternatus Deum consulit, qui cùm, neque per somnia, neq; per Vrim, neque per Prophetas ei responderet, quæsiuit sagam quæ Samuelem excitaret, vt ipsum de euentu belli consuleret.

Si sincero animo Deum consulisset, non ex hypocrisi, & ex more potius quàm pietate, ei non defuisset: quis verò cõsulat illi qui nolit morem gerere? *Rex sumet planctum.* Ostendit communem fore pœnam, quæ non plebem tantum, sed proceres & ipsum regem apprehendet & inuoluet. Rex qui vultus alacritate, aliis animum addere debebat, & pericula depellere, planè consternabitur: nihilque aliud poterit, quàm muliebriter lametari, & latebras circumspicere. *Princeps induetur desolatione vel stupore.* Proceres regni, consiliarij, toti obstupescant, incerti quò se vertant. Antea in vtranque, vt dicitur, aurem dormiuerant. *Manus populi terræ conturbabuntur.* Magna vbique erit consternatio. Quid enim vulgus faciat, si prin- cipes suos vident animum abiecisse? *Propter viam illorum, faciam ista.* Suis studiis & operibus me cogunt hæc facere: discesserunt à verbo meo, non ergo mirum, si vicissim ab eis discedam. Deus non est accusandus morositatis aut crudelitatis, quando homines seuerè castigat. *In iudicijs eorum iudicabo eos,* Hoc est, pro ratione scelerum, quibus mortem promeruerunt. Hæc omnia Zedechiæ & regni proce- ribus euenisse, Ieremias diligenter persequitur.

Discamus ex hoc quoque sermone, peccata nostra agnoscere, & pœnitentiæ lachrymis vulneribus eorum mederi, ne vt Theodoretus dicit, superinfusum nauigium nos in profundum demergat. Deum item precemur, vt secundum ma- gnã suã misericordiam, clemens nobis sit & propitijs.

Destituẽtur  
ope & con-  
silio.

Deus rectè  
vocantes au-  
dit.

# Concio quarta Ezechielis.

HOMILIA XXV.

*Quando & ubi Propheta sibi visus sit à Dei  
spiritu Hierosolymam transferri: &  
in templo circumduci.*

CAPVT VIII.

- 1 **F**uit, anno sexto, mense sexto, quinta die mēsis, ego sedebam  
in domo mea, & seniores Iehudā sedebant coram me, & ceci-  
dit super me illic manus Domini Iehouæ.
- 2 **E**t vidi, & ecce similitudo tāquam aspectus ignis: ab aspectu  
lumborum eius, & infrā erat ignis: & à lūbis eius, & suprā,  
tanquam aspectus splendoris, tanquam visio electri.
- 3 **E**t misit similitudinē manus, & tulit me per circinnos capitis mei, & eleuauit me  
spiritus inter cælum & terram, & adduxit me in Ierusalaim in visionibus Dei.

Sūma quar-  
tæ concionis  
Ezechielis.

**I**N quatuor sequentibus capitibus, nempe 8.9.10.11. QVARTA PRO-  
PHETIA vel CONCIO Ezechielis continetur, in qua causas euer-  
sionis Hierosolymorum, & vastationis terræ recenset. Suprà quoque  
causas exposuit, sed iā planius hoc facit, ostendens veluti digito non  
solum in vrbe, sed etiam in Tēplo nihil integrum fuisse. Vt autem melius rem to-  
tam intelligamus, argumentū huius concionis paulò altius videtur repetendum.  
Narrat cū domi federet, præsentibus senioribus, se incidisse in extasin. Vide-  
batur sibi à Domino per aërem deferri Hierosolyma, & in Templo circumduci, vt  
videret quomodo omnes eius partes essent profanata: & ex eo audire, quòd hanc  
ob causam deferere vellet Templum, & urbem: iāmque decretum esse, vt Iudæi in-  
terficiantur, delectos esse quibus hoc negotij datum sit, vt primū in Templo,  
mox in plateas vrbis egressi, homines cuiuscunq; sexus, ætatis, conditionis inter-  
ficiant, illis duntaxat exceptis, quorum frontem Dominus signari iusserat. Cūmq;  
Propheta ad tantam stragem obstupesceret, audit consolationem de restitutio-  
ne Israël, quòdque Deus corda ipsorum emollire & renouare venit. Spectante  
autem Propheta, gloria Domini ex Tēplo & vrbe egressa est: Propheta rediit in  
Chaldæam & sibi redditus, quæ viderit bona fide recitauit.

Vsus huius  
visionis.

Ex hac visione vel concione, cū alia multa, tum hoc discemus: Deum omnia  
videre, & arcanissima quæq; scrutari, nam Ezechieli remotissimo ab vrbe, ostendit  
quid in Templi penetralibus fiat. Si Deus aliis quid fieret ostendere potuit, an  
non ipse omnia videret?

Peccata nō  
sunt paria.

Deinde videbimus gradus esse peccatorū. Peccata non esse paria, vt Stoici som-  
niarunt, sed vnum altero esse grauius pro ratione circumstantiarum, colligitur  
ex hoc quòd Dominus dicit, Ostēdam tibi adhuc grauiora &c. Iesus Christus ser-  
uator noster, ad Pilatum dicit: Qui me tibi tradiderunt, maius peccatum habent.  
Quemadmodum autem peccatorum, ita & pœnarum sunt discrimina. Matt. 10.

Tolerabilius

Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij: postea 11. cap. Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij. Lucæ 12. Seruus qui nouit voluntatem Domini, & eam non facit, grauius vapulabit.

Adhæc discimus, Deum in pœnis inferendis modum non excedere, neque cuiquam facere iniuriam. Ipse enim peccata atrociora videt in hominibus, quos nos optimos esse interdum putamus.

Colligimus item quanta sit pestis, si proceres Ecclesiæ & Reipublicæ scelerate viuant. Subditi enim statim se moribus ipsorum accommodant, utq; Lactantius dicit, mores & vitia Regis imitari, genus obsequij esse iudicant: abiiciunt igitur omnem pietatem, ne exprobrare Regi videantur, si piè vixerint.

Aggrediamur nunc ad præsens caput, in quo narratur, quomodo Propheta in Spiritu adductus in Templum Hierosolymitanum, primùm ad portam Aquilonarem Templi vel atrij plebis, viderit idolum Zeli: deinde in interiore atrio, simulachra picta in parietibus, quibus seniores suffitum faciebant: tertio quomodo viderit fœminas plangentes Thamuz: quarto quomodo viderit 25. viros adorantes ad Orientem, de quibus ordine audiemus.

Ab initio capitis, tempus & locus huius visionis vel prophetiæ præmittuntur. *Factum est in anno sexto, in mense sexto, quinto die mensis.* Nimirum ab exilio Iechoniæ. Mensis sextus apud Hebræos Elul dictus, Neh. 5. respondet Septembri. De Hebræorum mēsis multi scripserūt. Facta proinde est hæc visio, post superiorē anno vno & mensibus duobus. Hæc temporis notatio, non caret suo fructu. Nam hinc apparet *μακροθυμία* Dei, qui non statim, ut digni erant, eos euertit, sed quæ euentura erant prædicere eis mature & sæpe dignatus est.

*Sedebã in domo mea, & seniores Iehudah sedebã coram me.* Si per seniores Iehudah eos intelligas qui tunc habitabant Hierosolymis, in visione cum eo sederunt. Sin verò illos qui cum Iechonia in captiuitatem abducti erant ( id quòd verisimilius videtur ) fortè eum consulere voluerunt, quid de vrbe futurum Spiritus suggereret, aut alioqui consolationem ab eo petere. *Cecidit super me illic Spiritus Domini.* Hoc est, Spiritus & potentia Domini se exeruit in me. Spiritus enim prophetiæ per interualla affluit Prophetas. Sic Apostoli nõ semper edere miracula potuerūt, quando voluerunt ( alioqui Paulus Epaphroditũ & Timotheum languentes miraculo sanasset ) sed quando ad hoc Spiritu Dei incitabantur. *Ecce similitudo, sc. hominis. Ab aspectu lumborum eius & infra erat ignis, & lumbis eius & supra, tanquam aspectus splendoris, tãquam visio chasmal.* Pars inferior huius imaginis, videtur iram significare iudicis. Ignis enim passim in Scripturis iram Dei denotat. Pars superior, lucidus ille fulgor, clementiam Iudicis. Deus enim iudicia sua clementia temperat. *Et misit similitudinem manus.* Non enim verum corpus fuit, sed hæc in visione facta sunt. Dominus secundum essentiam videri non potest. *Et tulit me per cincinnos capitis mei, & eleuauit me spiritus vel ventus, inter cælum & terram, & adduxit me in Ierusalem in visionibus Dei.* Visus est sibi ferri per aerem ex Babylone in Templum Hierosolymitanum. Hic locus postulat, ut quædam de extasi vel raptu annotemus, de quo diuinationis genere, multa apud scholasticos Theologos leguntur. Extasin vocant quando homini velut raptò extra se, & velut mortuo, res arcanæ offeruntur, exactisque aliquot horis vel diebus, ad sese redit &c. Extasis docendi causã, potest distingui in duo genera, in verum & falsum. Verum appello, quando Deus homines suos hoc modo afficit, Acto. cap. 10. & 11. legitur, quòd super Petrum irruerit mentis excessus, *ἔκστασις*, & viderit visionem, qua Deus illi ostendebat, non auersandos esse Gentiles: sublatum enim esse interstitium inter Iudæos & Gentes, &c. 2. Cor. 12. cap. Paulus testatur, se raptum in tertium cælum, an in corpore vel extra corpus, se nescire, & audisse arcana verba, quæ fas non sit homini profari. An in *ἔκστασι* anima separetur à corpore, & postea in suum car-

Partes capit.  
tis.

Quãdo hæc  
prophetia  
edita sit.

Vbi.

De extasi  
vel raptu.

cerem à Deo reponatur, non puto hominibus cōstare. Nam si Paulus ipse raptus extra se, nesciuit an anima sua è corpore excessisset, necne, quid de aliis dicemus? Verba de Ezechiele videntur sonare, quasi Hierosolymā deuectus sit, at probabilius est, eum locum non mutasse, sed hæc in visione gesta esse: ita etiā Theodor. interpretatur. Quinquā Deus corpus eius faciliè potuisset transferre Hierosolyma, & reducere. Falsum voco, non solum cū homines mētuntur se raptos extra sese, hæc vel illa vidisse, sed cum reuera illusionē satanæ multa mirabilia viderunt. Satan enim odio Dei obscurare conatur falsā imitatione ipsius opera. Sicut Deus hominibus visiones obiicit, somnia immittit: ita diabolus simile quid efficere conatur. De Machumete propheta Saracenorum referunt historici, quòd cū comitali morbo laboraret, vxori suæ opulentæ & nobili, quæ dolorem ex ea re capiebat, persuaserit, se in extasin incidere, & ad conspectum angeli Gabrielis sibi apparentis, hoc modo concidere. Sermonem eius confirmante monacho quodam Sergio, postea res ad alios, vt fit, emanauit, vnde Mahumeth maximam apud suos authoritatem nactus est. Anabaptistas quoque concidisse constat, iacuisse aliquandiu immobiles, postea ceu ex profundo expergefatos somno, surrexerunt, nec sine gemitu retulisse, quæ mysteria vidissent, & quid à patre cœlesti in mandatis accepissent. Mira sunt quæ de Monasteriensibus Anabaptistis leguntur. In Monachorum libris, multa de huiusmodi raptibus & visionibus extant. Illis enim testimoniis sacrarum literarum destituti, errores de purgatorio, de operum meritis, de dignitate vitæ monasticæ, de primatu papæ, & alios huius generis confirmarunt. Modò hic, modò ille pater sanctus & deuotus, extra corpus in spiritu vidit animam abreptam à diabolo, quam martyr aliquis, in cuius honorem miser ille facellum aut altare construxerat, aut quem sibi patronum delegerat, sua intercessione vix liberauit. Viderunt item multos immerfos feruenti aquæ, pici, plumbo, sulphuri, qui retulerunt quòd per peregrinationes ad sanctorum limina, missas, sacrificia, indulgentias, &c. possint ex purgatorij differentibus illis pœnis euocari. Vincentius Bellouacensis, prædicatorij ordinis monachus, qui multa huius farinae cōgessit, in speculo suo historiali, lib. 25. cap. 49. & 50. scribit de raptu Caroli Calui Imperatoris. Is cum vellet cubitum ire, audiuit cœlitus vocem, Exhibe à te spiritus: mox raptus in spiritu, peruenit in valles & montes flammanes: ibi multos reperit sacerdotes, consiliarios, patrem item suum Ludouicum, stantem ad scœmora in bulliente aqua, & alios, ex quibus audiuit quomodo eis subueniri possit. Piget omnia referre. Miscuerunt monachi superstitionibus illis suis multas vtilis admonitiones, de exercendis iustis iudiciis, fugiendis sceleribus, &c. vt simplices homines faciliùs deciperent.

Plato de Repub. Armenium quendam bello cæsum scribit, ac domum delatum vt sepeliretur: duodecimo iam ab obitu die, dum rogo impositus esset, reuixisse, & quæ apud inferos gererentur, enarrasse. Non difficulter autem veræ extases à falsis discerni possunt. Veræ enim non pugnant cum verbo Dei, non iubent facere cōtraria Scripturis: falsæ stabiliunt varios errores, & à Christo vnico nostro Seruatore nos abducunt. Quòd si aduersarij nostri visiones illas suas vrgeant, nos è diuerso vrgeamus sacrarum Scripturarum authoritatē, & in primis locum illum Deuteronom. 13. Si surrexerit in medio tui Propheta, &c. Item Lucæ decimo sexto cap. Plura de extasi, cū apud alios, tūm in clarissimi doctissimique viri Casparis Peuceri Commentario, quem scripsit De diuinatione, in fine tituli de *MONASTIIS* reperies.

*Propheta delatus ad ostium portæ Aquilonaris, vidit idolum Zeli.*

3 Adduxit me ad ostium portæ atrii interioris, quod respiciebat ad Aquilonem: ubi erat habitatio idoli Zeli, zelare facientis Deum.

4 Et ecce ibi erat gloria Dei Israel, iuxta visionem quam videram in campo.

5 Et dixit ad me, Fili hominis, leua nunc oculos tuos ad viam Aquilonis, & ecce ad Aquilonem, iuxta portam altaris erat idolum illud Zeli, in introitu.

6 Et dixit ad me, Fili hominis, nōne vides quid isti faciant, id est, abominationes magnas, quas domus Israel faciūt hīc, vt procul recedam à Sanctuario meo? sed adhuc conuerte te, & videbis abominationes maiores.



Vartus sermo, (quem quatuor capitibus contineri diximus) est, ἐκ τῆς ἰνδός, nam Propheta extra se raptus, visus sibi est per capillos translatus esse in Templum Hierosolymitanum, ibique vidisse idololatriam & cultus, quibus illud prophanauerant: mox audiuisse certis hominibus dari in mandatis, vt de scelerata gente pœnas exigant. Iudæi putabant sibi iniuriam fieri, si tam seuerè punirentur, eò quòd nihil pœna dignum commisissent. Deus itaque dicit, non solum totam terram pollutam esse multis sceleribus: sed Templo quoque non esse parsum. Deinde multi sperabant pœnas differendas, proinde dicit, iam delectos esse duces & milites, qui pœnas meritas eis infligant. *Duxit me (spiritus) in Ierusalem ad ostium portæ interioris, quæ ducit ad Aquilonem.* In quas partes Templum Solomonis distinctum fuerit, quæ adhærentia ædificia habuerit, quæ atria, quas portas & porticus, in libris Regum & Paralipom. diligenter quidem describitur, sed non ita facilè absque pictura res potest intelligi: ad sensum tamen huius cap. non multum interest. Satis nobis sit, quòd scimus Prophetam, ex vna parte Templi in aliam fuisse abductum, nullumque ferè angulum extitisse, qui non fuerit idololatria inquinatus. *Ecce ubi erat gloria Dei.* Quòd visum hoc, de quo capite primo diximus, iterum Prophetæ obiicitur, ideò factum est, vt in sua vocatione constans esset: negotium enim illi erat cum pertinacibus hominibus: & nisi fuisset à Deo confirmatus, remum, vt dicitur, abiiecisset. *Leua nunc oculos ad viam Aquilonis, Et leuaui oculos meos ad viam Aquilonis.* Iterum exemplum obedientiæ in propheta Ezechiele nobis proponitur: statim enim, vt postea quoque, obtemperat mandato Dei. Nos etiam Deo mandanti aliquid aut vetanti, obtemperemus, idque statim.

Partes Templi.

*Et ecce ab Aquilone iuxta portam altaris, erat simulachrum illud Zeli, in introitu.* Idolū Zeli.

Cùm Propheta atrium vel Templum ingrederetur, idolum quod iuxta positum erat, non potuit videre, sed cùm se verteret. Per Altare, quidam altare æneum holocaustorum intelligunt: alij altare quod iuxta portæ introitum idolo dedicatum fuerat. Cuius fuerit simulachrum non exprimitur, vocatur simulachrum Zeli, vel simulachrum quod zelare facit, nimirum quòd Dominum, qui solus vult coli, ad zelum prouocarit. Zelotypia per prosopopœiam, vel, vt Theologi loquuntur, ἀνθεροπονῶδες, Deo tribuitur: eò quòd indignissimè fert, culum sibi soli debitum, in creaturas transferri. Quemadmodum maritus ab vxore

Prima species idololatriæ.

sua solus vult amari: ita Deus solus à piis, quos sibi æterno fœdere astrinxit, vult coli & adorari, nec potest ferre, vt deos alienos colant & adorent: erga idola quæ eriguntur, zelo ardet, Exodi 20. Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus zelotes, &c. Deuteronom. 32. Ipsi me ad zelum prouocarunt in eo qui non erat Deus, &c. D. Augustinus disputat libro primo. De consensu Euangelistarum, capite 18.

Cur Romani Deum Israelis non coluerint.

Quare Romani cum omnes omnium Gentium deos venerati sint, (habuerunt enim Pantheon templum, in quo omnes dij colebantur) nunquam voluerint Deum Israelis colere. Rationem istam reddit, quòd Romani intellexerunt Deum Israelis solum velle coli: ipsi verò vnus gratia, reliquos omnes noluerunt abiicere. Non satis est dicere, Dij Gentium fuerunt dæmones, vel mali homines, nos inuocamus & colimus sanctos Angelos & homines, Deus enim solus vult coli. Plura hac de re apud eundem August. libro 10. De ciuitate Dei. capite 25. & in libro De vera Religione, capite vltimo. Argumentum fuit magnæ impudentiæ, quòd hoc idolum publicè proftabat. Si in obscuro aliquo angulo habuissent, minor fuisset eorum culpa. Vt si mulier clam scortetur, leuius est malum, quàm si palàm absterfo pudore scortetur, & in mariti thalamum mœchos introducat. *Nunquid vides quod illi faciunt, abominationes magnas quas domus Israel facit hîc?* Iudæi credebant se Deo gratissimum obsequium præstare, sêque illis rebus iratum placare, quibus indignationem eius accendebant. Hodie papistæ cum placare Deum volunt, errores & superstitiones cumulant. *Hîc.* In Templo: versu 9. & versu 17. hoc aduerbiû loci repetitur. Plus erat quòd in Templo (quod domus Dei erat) idololatriam exercebant, quàm alibi. Magis offenditur pater, si filij domi suæ, quàm si alibi scorta sua habeant. Dicit, *An non vides?* quasi dicat, non credidisses nisi vidisses: repetitur 12. 15. 17. versibus hæc interrogatio. *Ad discedendum à Sanctuario meo.* Hoc est, ita se gerunt ac si velent me ab eis recedere. Deus vbique præsens est, sed recedere ab aliquo dicitur, quando gratiam suam ei subtrahit. Pellitur autem per idololatriam aliâque scelera. Quidam ita intelligunt hæc verba: *Vt discedant à Sanctuario meo:* Hoc est, quia Templum meum profanant simulachris, & cultum meum contemnunt: eos longè remouebo ab hoc Templo, abducam eos in gentem longinquam.

## HOMILIA XXVII.

*¶ Propheta in secretiorem Templi locum deducto, ostenduntur picta vel sculpta simulachra, quibus seniores thus adolebant.*

7 Et adduxit me ad ostium atrij, & vidi, & ecce foramen vnum erat in pariete:

8 Et dixit ad me, Fili hominis, fode nunc in pariete, & fodi in pariete, & ecce ostium vnum.

9 Et dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes malas, quas isti faciunt ibi.

10 Ingressus sum igitur, & aspexi, & ecce omnis similitudo reptilis, & animalis, abominatio, & vniuersa idola domus Israel, depicta erant in pariete per circuitum.

11 Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iazaniáhu filius Saphán stabat



bat in medio eorum qui stabant coram illis idolis, & unusquisque thuribulum suum in manu sua habebat, & vapor nebulae suffimenti ascendebat.

12. Et dixit ad me, Vidistine Fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in cubiculis picturae suae? Dicunt enim, Non videt nos Iehouah, dereliquit Iehouah terram.



Ystagogus ille Angelus, deduxit Prophetam in Templo, eiq; quasi digito ostendit nefariam idololatriam, quam Iudaei clam & palam exercebant. Ad portam Aquilonarem, in ingressu Templi, idolum Zeli ei monstrauiſſe proximè diximus: sequitur in Templi secretionem deducto, aliud genus idololatriae fuisse ostensum. *Induxit me in portam atrij: & ecce foramen vnum in pariete.* Porta atrij nimirum clausa fuit, sed iuxta fuit foramen, quod Dominus prophetam fodere iussit, hoc est, amplius facere, ut homo per illud velut per ostium ingredi posset: id quod significatur verbis mox sequentibus, *Et ecce ostium vnum*, tam late patebat, ut per illud quasi per ostium, ingredi quis posset. *Vide abominationes quas isti faciunt.* Vt ut homines cultus à se inuentos celebrent, tamen Dominus, id quod mox repetit, eos respuit atq; de testatur. *Ecce omnis similitudo reptilis, & animalis, abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete per circuitum.* Quemadmodum illi qui semel à via vera deflexerunt, magis magisque ab ea recedunt: ita Iudaei qui verbum Dei deseruerant, & idololatriam amplexi erant, idola idolis cumulabant. Non contenti idolo illo Zeli, plura in Templo collocarunt, idque imitatione Gentilium. Paulus ad Rom. i. cap. scribit: Mutaueruntque gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, verum etiam volatilium, & quadrupedum & reptilium. Hac in re Aegyptij alijs Gentibus stultiores fuisse videtur, quos constat crocodilum, aspidem, ibim, felem, canem, aliaque animalia coluisse: quaedam ut prodesseent ipsis, quaedam ne obessent. De hac re plura inuenies infra 16. cap. Praeter impietatem, inquit Theodoretus ad hunc locum, ingens stultitiae exuperantia ostenditur. Quid enim stultius illis, qui venenatorum serpentium, & rationis expertium iumentorum adorant imagines? Illos enim ut noxios, atque insidiosos occidere solemus: haec ut nobis seruirent & ministrarent, Dominus attribuit. Consideremus igitur quantum à ratione abhorreat, si quis famulorum seruatorumque adoret imagines, quare Dominus iure succenset. Imagines quidem & picturas habere licet. Artes enim pingendi & sculpendi, Dei sunt donum: sed in Templis, in quibus sacri coetus colliguntur, picturas & sculpturas non esse habendas, multis argumentis probari potest.

Experientia docuit quoniam homines, cum eas in templis viderunt, prolapsi sint. Augustinus scribit in Psal. 113. Quando imagines in loco sublimi ponuntur, ceu in quodam suggestu, prauos affectus in animis procreari, quo inuitetur diabolus, ut se admisceat. Et in sermone 6. De verbis Domini in monte: Declarant, inquit, quo loco & existimatione simulachrum habeant, cum illi aram ponant. Nisi enim putarent aut numen, aut diuinitatis aliquid in se habere, aram utique illi non erigerent.

Nota est historia Epiphanijs Salaminæ Cyprj Episcopi, qui velut pictum in Templo pendens, discidit exostulas cum episcopo Hierosolymitano, quod contra autoritate verbi Dei, picturam illam in Templo tulisset, &c. Aelius Laeprius ethnicus scriptor, in vita imperatoris Alexandri Seueri: Capitolium, inquit, septimo die cum in vrbe esset, ascendit, templa frequentaui, Christo templum facere voluit, cumque inter deos recipere, quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simula-

Secundae species idololatriae.

Crescit impietas nisi statim inuis redcamus.

Aegyptiorum idolomania

Simulachra non inferenda templis.

chris iussit fieri, quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra, repperant omnes Christianos futuros, si id optatò euenisset, & omnia templa deferenda. His verbis Lampridius testatur, Christianos in suis templis nulla simulachra habuisse. Sunt hodie multi, qui dicunt habenda quidem in templis, sed non adoranda: qui si tenerent quid esset adorare apud Hebræos & Latinos, profectò aliter sentirent. Adorare est honorem exhibere, genu flectere, ad pedes alicuius procidere. Suidas dicit inter *προσκυνήσαι* adorare & *λατρεύειν* seruire hoc interesse, quòd fieri possit, vt ex metu adoremus, non etiam animo seruiamus, sed vtrunque inuisum esse Deo. Quidam statuas eiiciendas templis dicunt, sed retinendas picturas & sculpturas, quæ sint libri quidam, aut multi magistri laicorum. Quibus respondendum est, Diabolum qui in statuis operatur, etiam in planis, vt vocant, picturis, & sculpturis operari posse. Quid enim factum sit superioribus seculis, omnes norunt & dicere possunt, nisi instar simulachrorum cæci, surdi & muti facti sint. Deus nobis proponit magnum illum librum mundi, in quo variæ imagines occurrunt, quæ nos in Dei cognitionem perducant. Deinde dedit nobis vetus & nouum Testamentum, ex quo ceu copioso fonte, plenissimam cognitionem Dei & hominis hauriamus. De hac materia, multi egregij viri tam doctè scripserunt, vt mirum sit adhuc reperiri homines, non dico inter Papistas, sed inter Euangelicos, qui audent pios principes idola in templis destruentes, & Ecclesiæ ministros, qui eos ad hoc hortantur, reprehendere. *Et viri septuaginta ex senioribus domus Israel, & Iazanius filius Saphan stabat in medio ipsorum qui stabant coram ipsis (simulachris) & cuique thuribulum in manu sua: & densitas nubis suffitus ascendebat.* Siue per Septuaginta illos viros, intelligas Sanhedrim, iudices, de quibus Numeri 11. siue alios senes: illorum officium erat, alios auocare ab idololatria, & puram religionem suis posteris velut per manus tradere, cogitaréque, Breui hinc nobis migrandum est, volumus itaque pro virili nos omnibus illis opponere, qui religionem adulterare cupiunt: volumus Dei gloriam promouere, sed illi suo exemplo idolomaniam confirmabant.

Adorare.

Septuaginta viri.

Senum officium.

Thus adolere defectionis signum.

Iazanius.

Senes hodie quoque quid eos deceat cogitent, quòdque Deo mox sint rationem reddituri: non alliciant iuniores ad idololatriam aut scelera, vt quidam solent, narrantes iuuentutis suæ amores, bella, & alia huius generis. D. Paulus senibus suâ officia describit in suis Epistolis. Illi omnes venerabundi suffitum faciebant idolis, quæ fuit species abnegationis fidei.

Legitur enim in Ecclesiasticis historiis, Christianis cum ad palinodiam adigerentur, daras esse aliquot micæ thuris, quas in altaribus diis adolerent, sed plurimos fuisse, qui mortem acerbissimam potius elegerint. Senes verò illi, sua sponte id faciunt, ad quod tyranni multas fœminas & pueros Christianos, nullis tormentis adigere potuerunt. Ita autem fumificabant, vt esset quasi nubis densitas. Vnde colligimus, eos nullis parcetes sumptibus, thura & odores in magna copia incendisse. Hoc enim est idololatrarum ingenium, vt non minus prodigi sint in falsos cultus, quàm amatores in suas meretrices. Mulieres in deserto, monilia aurea detrahentes, Aaroni afferebant, vt vitulum conflaret. Superioribus seculis extructa sunt multa & magna monasteria, quæ superstitioni inferuerunt. Quis hodie pauperi alicui domunculam ædificat, in qua cum suis liberis, se contra cœli iniurias munire possit? Hodie signis & statuis fumigantes nolunt idololatræ appellari.

Nominatim verò Iazaniæ fit mentio. Hic vir indubiè magnæ fuit auctoritatis in populo, omniumque oculi in eum conuersi fuerunt: non igitur debuit coryphæus esse in vitiando puro Dei cultu. Si qui magnam auctoritatem in populo aliquo nacti sunt, hoc non vulgari Dei dono, rectè vti debent

debet, non ad euertendam veram doctrinam, sed ad propagandam. Semper enim cogitandum est, citius quàm ipsi putemus, Deo pro omnibus illis, quæ ab ipso accepimus, donis, rationem esse reddendam. *Vidisti quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris?* hoc est, in locis secretis & abditis. Subinde, dicit, negant se pœna dignos esse: sed tu ipse vides quid faciât. Clarius autem perspicit Deus quàm ullus homo: videt peccata vbi nos nulla videmus: ne igitur putemus iniusta esse ipsius iudicia. *Vnusquisque in cubiculis picturæ suæ.* id est, in cubiculis & penetralibus, variis picturis exornatis. Hier. reddit, *In abscondito cubiculi sui.* Vt sit sensus, ex eo quòd in Templo faciunt pariter congregati, ostenditur quid vnusquisque in suo cubiculo faciat. Alij reddunt, *Quisque in absconditis imaginationum suarum.* Vt sit sensus, mirabiles habent cogitationes, agitant mirabilia consilia, cum soli sunt. Causam subiungit omnium illarum rerum: *Dicunt enim, Non videt nos Iehouah, dereliquit Iehouah terram.* Et si impij in populo, non disertè dicerent, & palàm, Deum Israelis nullum esse, tamen ipsi inter se liberius loquebantur. Fuerunt omnibus temporibus multi athei. Iob. 22. cap. impiis tribuitur, quòd dicant de Deo: circa cardines cœli obambulat, nec nostra considerat. Dauid dicit Psal. 14. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Ipsum verò non loqui de iis qui vulgo stulti habentur, sed de prudentibus huius seculi, sequentia testantur: dicit enim eos populum vorare, &c.

Non vnum est genus impiorum. Quidam prorsus negant Deum esse, quales <sup>Impiorum non vnum genus.</sup> erant Epicuræi. Cicero de natura Deorum scribit, quosdam fuisse, qui dixerint, totam de diis immortalibus opinionem, fictam esse ab hominibus sapientibus Reipublicæ causâ, vt quos ratio non posset, ad officium religio duceret. Et quamquam multa sint, quæ monere eos possint quòd sit Deus, tamen prophani illi homines omnia excutiunt, ac licet non apertè dicant, Deum nullum esse, tamen id cogitant. Sunt deinde alij, qui tametsi fateantur Deum, tamen vniuersalem prouidentiam rerum ei adimunt, & perinde ei esse putant, siue bona, siue mala faciamus: aut si concedant eum curare res hominum, id tantum de magnis rebus accipiunt, non de singulis. Sunt etiam qui tametsi credant Deum esse, res nostras videre, audire, curare, tamen turpissima sua vita ipsum abnegant.

Calvinus hunc locum non accipit generaliter, sed causæ redditionem esse dicit, cur sibi plures deos delegerint, nempe, quòd Deus Israelis eos non respuerit. Sic Saulem legimus, cum Deus ei non responderet, sagam consuluisse. In Papatu, si non statim à Deo exaudiantur, inquirunt: nescio cui sancto me vouere debeam.

HOMILIA XXVIII.

*J* Propheta deducitur in alia loca, in quibus ostenduntur ei mulieres lugentes *Thamuz*, & 25. viri adorantes Solem orientem.


13 Et dixit ad me, *Adhuc conuerte te, & videbis abominationes maiores quas isti faciunt.*

14 Et adduxit me ad ostium portæ domus Iehouæ, quod est ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes *Thamuz*.

15 Et dixit ad me, *Nomme vides filii hominis? adhuc conuerte te, & videbis abo-*  
h. iij.

minationes maiores his.

16 Introduxit igitur me in atrium Domus Iehouæ interioris : & ecce iuxta ostium Templi Iehouæ inter vestibulum & altare, erant circiter viginti quinque viri, quorum posteriora versa erant ad Templum Iehouæ, & facies eorum ad Orientem, & incuruabant se ad ortum Solis.



Hoc est ingenium hominum, ut si propter scelera corripiantur, seque puniendos audiant, negent se aliis esse peiores, & tantum non cum Deo expostulēt. Id ipsum Iudæos fecisse multis argumētis colligi potest. Deus itaque circumducit Prophetam in Templo, ut oculis suis videat religionem violatam esse. Sequitur nunc tertio loco, de idololatria quam mulieres non clām sed palām in Templo exercuerunt. Etenim si quis audit comminationes horribilium pœnarum, indignum putat mulieres & pueros illis inuolui. Ostendit igitur mulieres culpa non vacare. Ieremias dicebat 7. cap. matres liba cōficere Reginæ cœli, hoc est, Lunæ, vel machinæ cœli, & filios ligna afferre. Videbis adhuc maiores abominationes. Quasi dicat, non credidisses tam corruptos esse Iudæos (magni enim erant hypocritæ) sed atrociora videbis. Et introduxit me ad ostiū portæ Domus Domini, & ecce sedebant ibi mulieres plangētes Thamuz.

Tertia species idololatriæ.

Adonis.

Mulieribus in Templo, hoc est, atrio magno (nomine enim Templi aliquando significantur omnia Templo cohærentia atria vel ædificia) certus locus assignatus erat: at illæ relicto suo loco, impudenter alium occupabant, in quo dessebant Thamuz. De hoc Thamuz alibi nihil extat in sacris literis. Hieronymus Adonidem interpretatur, & annotat, Hebræos mensē Iunium eodem nomine appellare, in quo fortè illum mulieres lachrymis prosequutæ sunt. Adonis, ut traditur, formosissimus fuit adolescens, amasius Veneris, primo ætatis flore ab apro discerptus. Hunc Venus desseuit. Postea sacra in honorem eius instituta sunt, in quibus fœminei planctus exaudiebātur, circum sepulchra & passim. Hinc Ouid lib. 10. Metamor. de Adonide:

——— Repetitæque mortis imago

Annua plangoris peraget simulamina nostri, &c.

Lucianus in dialogo de dea Syria eos sacrorum ritus describit, vel potius suo more deridet: meminerunt fletus illius Theocritus, Macrobius & alij. De Adonia celebritate Plutarchus in vita Alcidiadis: Adonidis sacra, inquit, in eos ipsos dies incidebant, quibus mulieres simulachra quasi mortuorum cadauera frequentes efferebant, pro more festiuitatis eius, funeraque & sepulturas imitabantur, plangebantque, & feralia carmina concinebant. Ammianus Marcellinus lib. 22. Euenerat iisdem diebus, inquit, annuo cursū completo Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum, & visum est triste, quod amplam urbem (Antiochiam) primum domicilium introeunte Imperatore (Iuliano) & nunc primū vlulabiles vndique planctus & lugubris sonitus audiebantur, &c. Lib. 19. de funere filii regis Cynomolgorum scribens, dicit: Fœminæ miserabili planctu in primæuo flore succisam spem gentis, solitis fletibus conclamabant, ut lachrymare cultrices Veneræ sæpe spectantur in solennibus Adonidis sacris, &c. Iulius Maternus Firmicus, in lib. de errore profanarum religionum, In plurimis, inquit, Orientis ciuitatibus (licet hoc malum etiam ad nos transitum fecerit) Adonis quasi maritus plangitur Veneris, & percussor eius vulnūque monstratur circumstantibus. Mars enim in porci syluestris speciem formamque mutatus, ut sibi primas partes in amore Veneris vendicaret, incautè contra se ruentem percutit iuuenem. Addit, nocte quadam simulachrum in lectica poni, & per

& per numeros digestis fletibus plangi : deinde cùm se ficta lamentatione fatiauerint, lumen inferri : tunc à sacerdote omnium qui fleuerant fauces vngi, quibus perunctis, sacerdos hoc lento murmure susurret : *Θάρρειτε πῶ θεῶ ἐστὶ γὰρ ἡ μὲν ἐν πόνῳ σωτηρίας*, atque ita cum gaudio idolum de sepultura proferri.

Hoc imitati videntur Monachi & sacrificuli, qui peractis parentalibus & aliis sacris, etiam guttura perungunt vino quod Theologicum vocant.

Isis quoque Osirim planxit. Fabula ab Ethnicis narratur ad hunc modum. Osiris.

Isis cum fratre suo Osiride (Lactantius & Arnobius, filium eius appellant) stupri consuetudinem habuit : id cùm Typhon maritus comperisset, occidit eum, frustulatimque laceravit, & per omnes Nili fluuij ripas membra proiecit. Isis necem eius vltia, cum sorore & Anube venatore, diſcerpti membra magno luctu vbique gentium quæsiuit, diſpersa collegit, & sepulturæ mandauit, posteaque Isidis sacra. instituit, vt quotannis cum lachrymis & eiulatu Osiris quæreretur, & quasi inuentus lætitia celebraretur. Ita enim scribit Lactantius 1.lib.21.cap. Primò sacerdotes eius (nimirum tam viri quam fœminæ) deglabrato corpore, sua pectora tūdunt, lamentantur sicut ipsa cùm perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inuentus, & in lætitiā ille luctus mutatur, ideo Poeta:

—— Numquāque satis quæsitus Osiris. Ouidius.

Semper enim perdunt, & semper inueniunt. Eadem habet August. de Ciuitate Dei. 6.lib.10.cap. paulò aliter Diodorus Siculus. 4.lib. narrat, hanc siue fabulam siue historiam. Osiris varia habet nomina, vocatur Dionysius, Sol, Serapis : sed hæc alterius sunt loci. Arnobius 8.lib. contra Gentes, etiam meminit horum sacerorum, Isis, inquit, perditum filium cū Cynocephalo suo (Anubem sic vocat, qui artificio canum inuestigantium membra diſcerpti Osiridis inuenit, ideoque canino capite pingitur,) & aliis sacerdotibus luget, plangit, inquit : & Isiaci miseri, cædunt pectora, & dolorem infœlicissimæ matris imitantur. Mox inuento paruulo, gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur : nec desinunt annis omnibus, vel perdere quod inueniunt, vel inuenire quod perdunt. Hæc Ægyptia quòdam, nunc & sacra Romana sunt. Julius Firmicus, In sacris Isiacis (inquit) idolum Osiridis sepelitur in adytis, hoc annuis luctibus plangunt, rarsa capita tundunt, pectus lacerant, veterum vulnere reficant cicatrices. Et cū certis diebus hæc fecerunt, fingunt se lacerati corporis reliquias reperire : & cùm inuenerint quasi sopitis luctibus gaudent.

Hos ritus etiam Israelitæ imitati sunt : nam siue Adonidem, siue Osirim, siue alium quempiam nobis ignotum luxerint, certum est eos idololatriam contra expressum verbum Dei exercuisse. Hinc colligimus vbi semel homines verbum Dei deserunt, vt multa partim inepta stultaque, partim abominandæ fœditatis committant. Coluerunt deos, & deas de quibus nihil certi habebant, an vnquā vixissent, aut quales fuissent : imò multos quos sceleratissime vixisse omnibus cōstabat. Colebant autem prodigiosis, & abominandis ritibus, quorum multos pudor referre prohibet. In sacris illis Osiris, matronæ faciebant in templo, quod meretrix facere in teatro vix permissa fuisset. Mulieres enim si semel relicto Dei verbo, pudorem absterferint, superstitionibus addictiores sunt quàm viri. Ideoque satan imprimis per falsos doctores eis insidiatur. 2.Timoth. 3. Ideoque Apostoli eas diligenter hortantur, vt in fidei sanitate persistant. Nostris temporibus quid factum sit in menialium latibulis, quales ceremonias habuerint, quos diuos coluerint, longum esset referre. Aliis quoque in rebus, si verbi Dei Cynosuram ex oculis amittamus, modum excedimus. *Vidisti Fili hominis?* Ac si dicat, Nisi oculis tuis vidisses, nunquam credidisses tales esse : Homines enim vt Proteus quidam, se in omnes formas vertunt, ne impij & scelerati videantur.

*Ecce iuxta ostium Templi Domini inter vestibulum & albare erant circiter viginti quin-*

Mulieres  
supra stiri-  
ni addictæ.

Quarta species idololatriæ.

Perfæ adorant Solem.

Christiani orant ad Orientem.

Tergum nõ obuertendũ Dominõ.

que viri, quorum terga erant ad Templum Domini, & facies eorum, ad Orientem adorabant- que Solem. Deducitur in alium locum, vbi aliud genus abominationis ei monstratur scædus superiore. Viri enim, qui à virtute nomen habent, constantiores esse debuerunt in vera religione, quàm mulieres. Inter vestibulum & altare, nimirum holocaustorum, stabant viri 25. indubiè magnæ authoritatis, quos suo exemplo plebem à falsis cultibus reuocare par erat, hi dorsum Arcæ obuertentes, versus Orientem adorabant. Quod vt rectius intelligatur, sciendum est, introitum Templi Hierusalem ab Oriente fuisse, & Arcam fœderis, quæ Christi typum gerebat, in occidentali parte. Cùmque conueniebat populus ad preces, & celebranda sacrificia, versus Arcam, hoc est, in Occidentem faciem vertebat. Nimirum propter Christum in occasu seculorum venturum: vtque omnibus modis caueretur, ne Israelitæ versus Orientem adorando, more Gentilium Solem adorarent. Ethnicos orasse versus orientalem plagam, Cicero testatur in lib. de Natura Deorum. Perfæ præcipuè inter illos, Solem orientem adorasse, historici hinc inde prodiderunt. Circa annum Domini 612. Heraclius Imperator (sub quo regnum Mahumetanum cœpit) per legatos pacem petiit à Cosroe rege Persarum, is respondit se non antè depositurum arma, quàm perfecisset, vt Solem etiam coleret. Heraclius verò suscepta expeditione, multis præliis eum vicit, & templa Solis inflammavit. Deut. 17. disertè vetuit Deus, ne Israelitæ Solem, Lunam, Stellas, colerent. At illi oblitæ præceptorum Dei, dorsum obuertebant Arcæ, & Solem adorabant, veluti Dominum in certamen prouocantes. Christiani ab hac ceremonia liberi, etiam versus Orientem orant: Tempa enim fermè omnia vergunt ad Orientem. Socrates 5. lib. 22. cap. de variis Ecclesiarum ritibus & institutis scribens, inter alia de Ecclesia Antiochena dicit, inuersum habere situm, altare siquidem non Orientem: sed Occidentem respicere. Fortassis ad veteris populi morem, in extruptione & situ Tabernaculi atque Templi respexisse. Apud Iustinum & Basilium legimus, Apostolicam esse traditionem, vt facie conuersa ad Orientem oremus: at hanc traditionem nõ probant ex sacris literis. Paulus 1. Timoth. 2. capite, Volo, inquit, viros orare in omni loco, sustollentes puras manus, absque ira & disceptatione. Christus ipse Ioan. 4. cap. de oratione dicit: Venit hora quando neque in hoc monte Garizim, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Veri adoratores adorabunt Deum in spiritu & veritate. Quouis loco & semper orandus est Deus ex fide, &c. Alij quoque patres, Clemens Alexandrinus, Optatus Miluetanus, Damascenus, &c. antiquum morem esse scribunt, vt Christiani versis ad Orientem vultibus orarent. Afferunt huius rei aliquot causas, ex quibus duæ sunt præcipuæ. Prima est quòd eos id facere dicunt, vt ad Paradisum, quam conseuit Deus in Eden ad Orientem, respiciètes, ab ipso petamus, vt in antiquam nos patriam restituat. Altera, vt Solem iustitiæ Christum adoremus, pet quem cœlum & terra, Sol & alia astra condita sunt. Tametsi autem nunc liberi simus, quo ad locum & tempus, tamen Iudæi liberi non erant, nec sine scelere tergum vertebant Arcæ. Non autem satis est detestari illam impietatem procerum & populi: sed cauere oportet, ne & nos Deo tergum obuertamus, hoc fit, quando verbum ipsius non curamus. An minus tibi peccare videntur, qui fuliginosa idola, quàm qui splendidissima illa mundi lumina, Solem & Lunam adorant? Neque solum illi Deum offendunt, qui vnicum Deum non adorant & colunt: sed & illi qui variis sceleribus dediti, vocem Dei non audiunt. Germanica phrasi tergũ alicui obuertere, significat eum aspernari & negligere. Ex eo quòd hic populus, qui à puero in lege & Prophetis exerceri debuit, in tantam abominationem lapsus fuit, vt non solum Ægyptiorum, sed & aliarum gentium idololatriam imitatus sit, respondendum est illis qui hodie clamant, Quomodo fieri potuisset, vt tot errores irrepissent in Ecclesiam, quomodo suam sponfam

sponsam non mouisset Christus? Monuit quidem homines omnibus temporibus: sed maiorem illorum partem frustra. Regendos enim se præbuerunt hominibus superstitiosis: non contenti fuerunt simplici veritate: sed vt solent stolidi homines libenter cum illis versari, qui eos vexant, ita illi se vexandos præbuerunt.

## HOMILIA XXIX.

*Queritur Propheta, quòd Iudæi non solum contra homines iniusti, sed & contra Deum impij fuerint, violantes eius Templum: ideòque puniendos esse prædicit.*

{ 17 Et dixit ad me, An non vidisti, Fili hominis? Nunquid leue est domui Iehudah quod faciat omnes abominationes quas faciunt hîc? siquidem repleuerunt terram iniquitate, & conuersi sunt ad irritandum me, & ecce mittunt factorem ad nares suas.

18 Et etiam ego faciam in furore, non parcat oculus meus illis, neque miserebor: & clamabunt in aures meas voce magna, & non exaudiam eos.



Vdiuimus in hoc capite, de fœda idololatria, qua Iudæi Templum Hierosolymitanum profanauerant. Quatuor enim idololatriæ species ordine expositæ sunt, quæ in diuersis Templi partibus exercebantur: Iam subdit Dominus: *U distine, Fili hominis: Quasi dicat, Non credidistis tam profanos esse, nisi coràm intuitus esses. Quo enim homines sunt meliores, eò minus credunt alios, vtcunque pietatem simulantes, impios esse. Boni enim viri ex se alios metiuntur. Si quis Iudæos audiuisset, putasset eis à Deo magnam iniuriã fieri, tam egregiè sua scelera extenuare, & bona sua opera prædicare poterant. Hæc verba aliquoties à nobis exposita sunt. Nunquid leue est domui Iehudah, facere abominationes, quas hîc fecerunt? An putant Iudæi non esse magnũ scelus, quod in Templo fecerunt? Ipsi quidem non minus putabant se gratum Deo facere, quàm hodie pontificij quando idola & altaria erigunt, Verùm Deus auerfatur cultus illos, quos ex nobis confingimus. Vel hic sensus est: Nunquid leue est, domum Iehuda facere abominationes? quasi dicat, Minimè leue est quòd Iudæi ita Templum contaminant: si Propheta ipse iudicare debuisset, dixisset hæc intoleranda esse. Mox atrocitatem sceleris, collatione ostendit. Etenim non solum in proximos suos iniurios esse, sed etiam impios in Deum. *Impleuerunt terram iniquitate. Et n chamas* significat violentiam & oppressionem aliorum. Sensus est, corrupta esse iudicia, cædibus, periuriis, rapinis, dolis & fraudibus omnia esse plena. Emphasim enim habet quod dicit *impleuerunt. Et conuersi sunt vt prouocent me.* Non contenti fuerunt peccasse contra proximos suos, sed insuper Templum idololatria polluentes, me ad iram prouocarunt. Grauiora sunt peccata quæ directè cõtra Deum, quàm quæ contra proximos committuntur. Deus suam voluntatem expressit in Decalogo, qui constat duabus Tabulis. In priore ostenditur 4. præceptis quo pacto nos erga Deum, in posteriore ostenditur 6. præceptis, quomodo nos erga proximos nostros gerere debeamus. Grauiora autem sunt quæ contra priorem, quàm quæ contra posteriorem Tabulam à nobis*

Decalogus.

funt. Israelitæ verò non solum contra secundam Tabulam peccabant: sed etiam contra primam, idque variis modis, ideoque Deum naturâ clementissimum ad iram prouocarunt. Quandiu populus aliquis saluam retinet religionem, bona de illo spes est: at si religionem abiiciat, nulla de eo spes est. Ferè autem fit, vt qui cædibus, adulteriis, fraudibus & rapinis proximos suos lædunt, etiam contra Dei cultum paulatim insurgant, & suo arbitratu omnia velint cõstituere. Quinimò indicio est homines vacuos esse vera pietate, cum proximos suos variis iniuriis afficiunt. *Ipsi mittunt ad naves suas odorem malum.* *וַיִּשְׁמְרוּ סִמְרָה* *semorah* significat odorem malum, foetorem, item ramum, palmitem, furculum. *אֵפ* *aph* significat nasum, vultum per synecdochen: iram vel furorem, per metonymian, eò quòd iræ signa appareant in naso. Hinc fit vt hic locus variè exponatur. Ego missis aliorum interpretationibus, simplicem hunc sensum esse puto, saluo doctiorum iudicio, quòd suis sceleribus sibi ipsis pœnam accersant. Germani quoque dicunt illos odorem tetrum sibi facere, qui se ingratos & odiosos reddunt. Vel, adhibent naso suo ramum, hoc est, sceleribus suis, hostes suos armant, & quasi ramos eis præbent, quibus feriant faciem eorum. Videtur fuisse apud illos prouerbiū. Latini multa habent proueria, quibus significant aliquem sibi ipsi authorem esse malorum: ex quo genere sunt illa: *Suo iumento sibi malum accersit*, *Suo ipsius laqueo capitur*, *Turdus sibi malum cacat*, &c. *Et etiam ego faciam.* est aposiopesis, scilicet erga illos prout merentur. *In furore, non parcat oculus, neque miserebor.* Hæc verba supra quoque exposita sunt. *Qui irascuntur nemini parcunt:* Non est, dicit, quòd putetis me vobis parfurum, nullam enim misericordiam vobis tribuam. *Et cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Nihil tristius cogitari potest, quàm si Deus orantes non exaudiat. Etenim si quis principem suum sibi infestum & implacabilem experiatur, nescit quò se vertat. Similes loci alibi quoque extant apud Prophetas Isa. I. cap. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis:* & cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Micheæ. 3. dicitur, *Tunc clamabunt perpetuò (principes nimirum qui populum oppresserant) & non respondebit eis Zac. 7. Sicut clamabant (scilicet viduæ, pupilli, & peregrini) & nõ audierunt: ita clamabunt & ipsi, & non exaudiam eos.* Quin alios quoque pro impiis orantes audire dedignatur. Infra 14. cap. dicit: *Si Noe, Iob & Daniel: pro populo orèt, se non auditurum.* Idem dicit Jerem. 15. cap.

Ramum ad  
nasum mit-  
tere.

Deus dicit  
se vocantes  
non audi-  
turum.

Impij non  
exaudiuntur.

Electi à Deo  
exaudiuntur.

Quæstio hoc loco oritur, quare Deus eos exaudire dedignatus sit. Referendum hoc ad totum corpus populi, non ad singulos: nam Deum etiam suos electos in hoc populo habuisse, quorum preces audiuit, non est dubitandum. Impij, quales illo tempore plerique erant Iudæorum, dum florent, nihil mouentur si verbis Dei dicas, nouissimo die dictorum factorumque rationē iusto iudici reddendum esse: aliorum quoque malis non valdè afficiuntur: sed cum ipsi malis repente inuoluuntur, neque vident quò se vertant, clamant ad Deum vt opem eis ferat. Quia verò peccata sua non agnoscunt, Deo non fidunt, de emendanda vita non cogitant, non exaudiuntur à Deo. At qui ex fide orant, quantumuis sceleratè vixerint, à Deo exaudiuntur. Id multis Scripturæ locis & exemplis ostendi potest, quæ aliunde sunt repetenda. Tametsi verò Deus non statim orantibus conferat quod rectè petunt, non tamen desperandum est de eius auxilio: sed cogitandum potiùs, quoties Deus clamarit per concionatores suos, vt depositis sceleribus, sanctè viueremus: nos verò furdi fuerimus. Adhæc sciendum, quod etsi non semper exaudiamur, quo ad amotionem temporalis pœnæ: tamen Deus exaudit nos, quo ad amotionem æternæ pœnæ. Serio clamabat Dauid ad Deum cum ipsum sibi iratum sentiret propter adulterium, & subsequutam cædē Vriæ: nihilominus ei varias afflictiones immisit, quas ita temperauit vt cederent ei in bonum.



bonum. Profuerunt interim ad hoc preces & pœnitentia Dauidi, ne æternum perierit.

HOMILIA XXX.

*¶ Deus euocat Chaldæorum principes, qui urbem cum incolis perdant: antequam verò eos emittat signantur seruandi.*

CAPVT IX.

**I** *¶* **E**t clamauit in auribus meis voce magna, dicendo, Appropinquauerunt visitationes ciuitatis: & singuli habent instrumentum ad perdendum in manu sua.

**2** *¶* Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris versæ ad Aquilonem, & singuli habebant instrumentum suum ad perdendum in manu sua: & vir vnus erat in medio eorum vestitus lineis, & atramentarium scribæ erat ad renes eius: qui ingressi steterunt iuxta altare æreum.

**3** *¶* Et gloria Dei Israel recessit à Cherúb super quem fuerat ad limen domus: & vocauit virum qui indutus erat lineis, qui habebat atramentarium scribæ in lumbis suis.

**4** *¶* Et dixit Iehouah ad eum, Transi per medium ciuitatis, nempe per medium Ierusaláim, & signa Tháui super frontes virorum gementium, & clamantium propter cunctas abominaciones quæ sunt in medio eius.

**S** Vprà diximus quatuor capita cohærere & continere ἀποκάλυψιν factam Prophetæ, qua ei ostenditur, omnes Iudæos, paucis exceptis, prophanos & impios, ideóque pœna dignos esse. Hoc capite, quomodo & per quos puniendi sunt, prædicit. Imperat enim Chaldæis vt exequantur sua iudicia, urbem cum incolis perdant, neque ætati neque sexui parcentes. Antea verò iubet Angelum signare frontes seruandorum. Propheta cum audit omnes, paucis exceptis, delendos, procumbit in faciẽ suam, & queritur cum Deo de tanta populi strage. Deus verò mox ostendit, se id quod facit, iustissimè facere. *Et clamauit in auribus meis*, hoc est, me audiente, *voce magna dicens appropinquate qui estis constituti super urbem*, hoc est, quos præfeci vrbi perdendæ. Nã vt Deus Angelos præfecit vrbibus & gentibus qui eas custodiant: ita etiam destinat Angelos qui eas perdant: Vel, Vos quibus Rex mandauit vt urbem perdat, adeste. *Vnusquisque habeat arma perditionis suæ in manu sua.* Arma perditionis, id est, arma bellica, hastas, secures, gladios, quibus urbem & ciues perdant. *שחיה* *schicheth* significat corrumpere, dissipare, vastare, interimere: mox dicit, singulos habuisse instrumentum mallei sui, in manu sua. *רשם מאפז* est malleus quo lapides conteruntur, *עין שחרהמר*. In versione Septuaginta, *πέλιξ* ponitur: significat Deus muros quoque diruendos esse. Veluti reges vindictam sumpturi de aliquibus, constituunt duces, legatos, signiferos, qui ad constitutum diem in certo loco armati adsint: ita Deus nũc euocat Chaldæos qui pœnas sumãt de Israelitis. Deus in Scripturis omnipotens dicitur, quia omnium est Dominus, omniã-

Capitis huius summa.

Deus etiam cat duces.

Deus Zeba-  
oth.Deo omnes  
res creatæ  
parent.Deus rece-  
dit à Iudæis.Deus sibi  
seruat Ecclē-  
siam.

que suæ potestati subque imperio habet subiecta. Appellatur etiam crebrò Dominus *Zebaioth*, exercituum, quia ei militant cælum, terra, & quæ eis continentur, astra, elementa, Angeli boni & mali, animãtia omnia. Hic titulus nos consolari debet: ostendit enim Deum facillè fideles suos defendere, hostes quantumuis formidabiles perdere posse. *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris quæ respicit Aquilonem, & singuli habebant instrumentum mallei sui in manu sua, & venientes steterunt iuxta altare æneum.* Simul vt Deus euocauit præfectos vrbi excindendæ, adfunt armis instructi. Sex fuisse dicuntur, nimirum tribuni militum vel præfecti excubiarum. Ieremiæ 39. cap. octo principes & ductores belli nominantur, qui capta vrbe thronos suos in porta collocarunt. Numerus certus pro incerto ponitur: aut reuera sex fuerunt, quibus belli summa commissa fuit. *Venerunt per portam Aquilonarem.* Nam Babylon ad Aquilonem vergebat respectu Hierosolymorum. Theodoretus de porta atrij intelligit, ibi supplicium reperisse aditum, vbi idolum Zeli positum erat. *Steterunt iuxta altare æreum.* In quo holocausta afferebantur, nimirum quia ibi vindictam incipere debebant. Dicuntur stare, quia parati erant ad capeffenda mandata. Adfunt instructi armis suis. Omnes res cõditæ, non solum Deo subiiciuntur: sed etiam quæcunque iusserit mox expediunt. Vtitur iis omnibus pro sua voluntate, ad asserendum suos & perdendum impios. Imperatores & Reges habent quidem sua regna, subditos & foederatos, sed non statim euocati præstò sunt: aliquando diu deliberant quid faciendum sit necne, magnis præmiis pollicitationibusque excitandi sunt. Legimus sæpe novos Imperatores in castris, contra datam fidem à militibus delectos esse. Oriuntur quoque inter milites interdum multa certamina, ita vt ex castris pars recedant. Domini verò exercituum mandatis parere mox omnes oportet, & quanquam impij dum ipsius inserviunt iudiciis, aliò respiciant, tamen eius proposito eos velint nolint seruire oportet. Excutere hoc nobis publicè & priuatim veternum debet, ne cogitemus Deo deesse vias & rationes, quibus nos puniat, vel etiam asserat oppressos. *Et gloria Dei Israel ablata est de Cherub, quæ fuerat super ipsum, ad limen Templi.* Supra Arcam fuit ἰλασῆριον propitiatorium, vel operculum (Hebraea enim vox כִּיפֵר *Kipper*, significat tegere & placare) in cuius extremitate assurgebãt duo Cherubim, extensis alis, inde Deus responsa dedit populo. Vide Exodi 25. cap. Gloria Dei Israel, hoc est, Deus, dicitur discessisse de Cherub (frequens est Enallage illa numeri) ad limen Templi. Iudæi putabant Deum quasi alligatum ad hoc visibile Templum: ipse verò ostendit se ab itum parare, propter multas & magnas abominationes, quibus Templum foedabant. Veluti pater si filij in domum scorta introducunt, & sceleratè viuunt, vel eos domo eiicit, vel ipse aliò migrat: ita Pater noster cœlestis, cum in domum suam, idola (quæ passim in Scripturis scortis comparantur) inferrent, & sceleratè viuerent, ab eis recessit. Hodie quoque à nobis recedit, si imitemur Iudæorum prauum exemplum. Nihil autem hominibus publicè vel priuatim tristius potest accidere, quàm si Deus ab eis recedat. Quomodo verò à nobis recedere dicatur, qui cælum & terram implet, aliàs annotauimus. *Clamauitque ad virum qui erat indutus lineis, & qui atramentarium scribæ habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eum, Transi per medium Ierusalem, & signa Tãf super frontem virorum gementium & clamantium propter cunctas abominationes quæ sunt in medio eius, &c.* Priusquam emittat executores suæ vindictæ, iubet signari frontes illorum qui seruandi erant in illa clade. Duplicem ex hoc loco consolationem percipimus. Prima, Deum cum minimè putatur, omnibus temporibus, in regnorum magnis confusionibus atque ruinis, aliquos conseruare, qui ipsum rectè inuocent, & quibus scelera hominum seriò displiceant. Nemo autem paucitate fidelium debet offendi, sed potius cogitare, Ecclesiam Dei sæpe ad paucos admodum fuisse redactam. Altera est, quòd videmus Deum non temerè exerce-

re sua

re sua iudicia : terminum præscribit impiis & ipsi diabolo. In bellis milites non possunt grassari quemadmodum vellent: in persecutione non laxat tyrannis habenas, ut quæ in animo habent, omnia efficiant: in peste suos quoque habet signatos. Cum sub Davidis regno pestis grassaretur, Deus iubebat cum tempus esset, Angelum gladium recondere in vaginam. Curam suorum nõ abiicit. Hæc cogitare utile est. Nam pij quoque in magnis periculis mox labascunt. Hoc loco signati ab interitu, Dei bonitate liberantur, de qua re dicendum est vberius.

Deus mala non sinit grassari ultra modum.

Primum videndum est quis ille fuerit qui homines signavit. Vir dicitur fuisse. Virum vocat Scriptura, propter formam in qua visus est. Hieron. dicit, per hunc Salvatorem intelligi, iuxta id quod est magni consilij Angelus. Christum omnibus rectoribus asseruisse suam Ecclesiam, certum est.

Quis signavit homines.

Vnicus autem fuisse dicitur, qui signavit homines: Christus enim vnicus est redemptor noster, vnicus intercessor. Acto. 4. & 1. Timoth. 2. capite. Mundus ferre potest si Christum assertorem nostrum esse dicamus: sed si dicamus vnicum esse, id nequaquam potest ferre.

Vnicus fuit signator.

Vestitus fuit lineis, scilicet vestibus, & atramentarium scriptoris ad renes eius, hoc est, ad cingulum. Septuaginta reddunt, ἐν δὲ δὲ ἰσὺς ποδῶν, καὶ ζώνη σαπφείρου ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, &c. ποδῶν est vestis ad talos demissa. fuit autem vna ex octo vestium pontificis. Habitu pontificis vestitus lineis indumentis apparet, quia ipse est pontifex noster, qui hostia corporis sui Patrem nobis reconciliauit, qui pro nobis intercedit, nõsque quotidie per verbum suum docet. Vestis hæc candida fuit, qua innocentia eius denotatur, cui etiam hostes ipsi, Pilatus & vxor eius, Herodes, Centurio, milites, quin cælum, terra, scopuli, testimonium perhibuerunt. Impolluta debuit esse victima, ad Hebræos 7. capite.

Habitus signatoris.

Angelus ille typus Christi, siue ipse Christus, in visione iubetur per urbem ire & signare illos, qui in urbis expugnatione seruandi erant. Simile quid legitur in historia Rahabæ, quam speculatores iusserunt coccinea fila in fenestra suspendere, Iosue 2. Illis qui sanguine agni superliminare asperferant, parsum fuit, Exodi 12. Hodie quoque in urbium expugnationibus signantur ædes illorum quibus duces belli parcere volunt.

Quare signantur, nepe ut ab interitu seruentur.

Quos verò signare debuit? Viros gementes & clamantes propter vniuersas abominaciones factas in medio eius: non illos qui ad idololatriam & scelera conueniunt, aut in ea consentiunt, ne homines offendere oporteat. Elicimus hinc, multum referre quid faciamus rebus omnibus in deterius ruentibus: ne dicamus, Sequar multitudinis exemplum, ut fructum aliquem percipiam, tandem enim mihi, etiamsi me affligam, cum reliquis pereundum erit. Si publica es persona, ne desinas vrgere emendationem: si priuata, saltem tibi displiceat, quæ contra Legem Dei committuntur, & in teipso corrigas, quæ non potes in aliis. Noe & Lothus non accommodarunt se moribus corruptis aliorum, ut eorum aucuparentur fauorem, sed eos taxarunt, alioqui cum reliquis periissent.

Qui signati fuerint.

Qua parte sui signati sunt? non in brachiis, aut dorso: sed in fronte, hoc est, in apertissima parte, quæ se prima offert. Nam qui vera fide præditi sunt, non erubescunt eam publicè confiteri, Matth. 10. Roma. 10. Non pudere nos debet sponso nostri.

Qua parte signati sunt.

Quale autem fuerit hoc signum, variæ sunt & discrepantes Interpretum sententiæ, quas omnes hoc loco afferre non est operæ precium. *Taf* apud Hebræos significat signum, & vltimam literam Alphabeti. Hieronymus ad hunc locum ita scribit, Antiquis Hebræorum literis, quibus vsque hodie Samaritani vtuntur, extrema *Thau* litera, crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, &c. Putant itaque aliqui crucis formam frontibus impressam esse. Vt vt habeat, hoc certum est, quòd cruce Christi seruamur ab interitu. Cyp. con-

Quali signo & quomodo signati sunt.

tra Demet. Quòd ad passionem & sanguinem Christi pertineat hoc signum, & ille saluus atque incolumis referuetur, quisquis in hoc signo inuenitur, cõfirmatur testimonio dicentis Exodi 12. Et erit sanguis in signum nobis. Simpliciter dicimus, frontes seruandorum signatas esse aliquo signo, qualecunque fuerit. Non autem reuera hæc gesta sunt, sed duntaxat in visione. Hinc indubiè originem suam ducunt *Tau*, gestamina illa, quæ de collo nobiles & diuites mulieres suspendunt.

Deus omni-  
bus tempo-  
ribus suos  
habet signa-  
tos.

Antichri-  
stus suos e-  
tiam habet  
signatos.

In nouo Testamèto etiam signi in frontibus impressi fit mentio. Apocalypsis 7. capite, ostendit Christus Ioanni Apostolo homines propter ingritudinem spoliandos veritatis doctrina, & conscientias eorum falsa doctrina turbandas esse: priusquam tamen hanc grauissimam pœnam immittat, Angelus signat frontes hominum seruandorum. Deus enim semper suos habuit in medijs Antichristi tenebris, quos ab exitio communi ex gratia per Christum seruauit. Postea 13. cap. dicit, Antichristum signare frontes & dextras hominum, illòsque qui signum impressum non habeat, neque emere, neque vendere posse, &c. Pereunte toto mundo, Deus suos signatos conseruabit. Non autem satis est externè signari, hoc est, Baptistatum esse in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti: item accedere ad mensam Dominicam: nisi verum signum, quod nos ab interitu conseruat, menti impressum habeamus, nempè, veram fidem in Christum. Nam Ioannis 3. dicitur: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat. Et Ioan. 6. Hæc est voluntas Patris, vt omnis qui credit in Filium habeat vitam æternam. Quare si vera fide fuerimus præditi, non peribimus cum alijs.

## HOMILIA XXXI.

*Deus emittit Chaldaos, qui initio factò à Leuitis & Sacerdotibus, omnes exceptis signatis, promiscuè interficiant.*

5 Et illis dixit in auribus meis, *Transite per ciuitatem post eum, & percutite, non parcat oculus vester, nec misereamini:*

6 *Senes, adolescentes, & virgines, paruulos, & mulieres occidite ad perditionem: ad omnem autem virum super quem fuerit Thau, ne accedatis, & à Sætuario meo incipite: & inceperunt à viris senioribus qui erant coram Domo.*

7 *Et dixit ad eos, contaminate Domum, & implete atria interfectis, egredimini: egressi sunt itaque, & percusserunt in Ciuitate.*



Am emittuntur Babylonij, qui urbem eiusque incolas perdant. Nã vt reges & principes, suos duces & vexilliferos certis mandatis contra hostes suos mittunt: ita Deus sex illos viros, de quibus supra diximus, emittit, qui initio cædis factò in Templo, postea in plateis promiscuè in obuios quosque, paucis exceptis, grassentur. *Post eum*, scilicet signatorem: non enim quenquam antè interficere poterant, quàm certus hominum numerus signatus esset. Sic Genesis 19. capite Angelus dicit, se non posse delere Sodomam, antequam Loth cum familia demigret. In Ecclesiastica historia legitur, Hierusalem non antè potuisse expugnari, quàm Christiani inde discessissent.

discessissent. Vt signum est imminentis hyemis si Ciconiæ auolent, ita signum est perituræ urbis, si viri boni non amplius in ea habeant locum. *Percutite*. Primum in genere dicit nemini tribuendam misericordiam: sed omnes ad internecionem occidendos esse. *Senem, iuuenem*. Per species iam explicat, neque sexui, neque ætati, neque ordini parcendum esse. Iosue quoque præceptum fuit, vt Chananiæos funditus delendo nemini parceret. 1. Sam. decimoquinto capite, Deus mandauit Sauli, vt Amelechitas pessimam gentem ad internecionem caderet. *Causam habes Deut. vigesimoquinto*. Quia verò Saul, & regi & pinguioribus bobus atque ouibus pepercerat, Deus hanc eius inobedientiam indignissimè tulit. In formula iurifurandi militaris inter alia continetur, ne quis lædat fœminas, pueros, senes, ægrotos. Magnas causas esse oportet, si promiscuè in omnes læuiatur, vici & vrbes inflammantur, &c. Idem de Deo cogitandum est, non absque grauissimis causis tam horribilem pœnam immisisse Iudæis, voluisseque ne vel sexui vel ætati parceretur. Senes suo exemplo iuuenes ad mala incitabant: Mulieres idololatriam exercuisse, supra quoque dictum est: superbiam in vestitu & incessu, Isaias 4. capite, eis obiicit, cum res eorum meliùs adhuc haberent, quàm hoc tempore: quid postea factum esse putabimus? Filiis & filiabus suis instillabant idololatriam, exemploque suo prauo eos corrumpebant.

Quot verò infantes fuerunt, inquis, in vrbe Hierosolymorum & vicina regione, qui (vt Deus ad Ionam dicit) inter dextram & sinistram discernere non poterunt, quos vnà cum parentibus perire, an non fuit miserabile? Respondendum est, Deo iudicante, ne infantes quidem recens natos, innocentes esse: non enim immunes sunt à peccato originis. Si infantes illi ad ætatem adultam peruenissent, imitati fuissent mores paternos: deinde Deus potest infantes trãfferre in vitam æternam. Ne itaque dicas illis iniuriam factam, innocentem nocentis pœnam luere.

*A Sanctuario meo incipietis*, hoc est, à Leuitis & Sacerdotibus, qui quotidie in Templo & circa Templum versabantur. Iustum autem hoc erat iudicium Dei: illi enim suum officium non faciebant. Multum interest, vt Ministri Verbi in vrbibus & pagis rectè doceant, & sanctè viuant: si scèus faciant, suo exemplo plurimum nocent. Idem de principibus populi dici debet. Quot sunt hodie principes, qui bonos & pios haberent subditos, modò ipsi vellent? Sap. 6. dicitur, potentes potenter puniendos, scilicet, si suum officium neglexerint. Exempla huius rei habemus in libro Iosue non pauca. Sancti patres hunc locum per allegoriam exponentes, dicunt pœnam incipere à Sãctuario Dei. Idem dixit Petrus in 2. Epist. 4. capite. *Inceperunt igitur à viris senioribus, qui erant ante Domum*. Ab illis nimirum, qui dorsum Arcæ vertentes, orientem Solem adorabant. Obedientia militum proponitur. *Contaminate Domum, & implete atria interfectis*. Iudæi vt aliàs diximus, confidebant Templi sanctitate: sperantes res suas in portu esse, si venientes ad Templum sacrificia splendida Deo offerrent. Leuitæ enim qui veram pœnitentiam vrgere debebant, vrgabant externos illos cultus. Reipsa itaque in expugnatione vrbs experti sunt, se spe sua frustratos esse. Aliàs quoque fieri solet, vt in expugnationibus vrbium, homines in templa, tanquam asyla se conferant, quod victis interdum prodest: Israelitis verò nihil hoc tempore profuit. Dominus iubet milites Templum & atria, quæ multa erãt, contaminare. Iudæi quidem iam antea illa polluerant idololatria & sceleribus: sed pro nihilo ducebant, & nihilominus subinde gloriabantur de sanctitate loci: iubentur igitur milites Templum polluere, hoc est, omnia sanguine & cadaueribus implere. Ipsi milites sæpenumero in locis sacris stragem edere non audent, Deus igitur ipse iubet eos de sceleratis pœnas sumere in ipso Templo & atris.

Magnum fuisset videre cadauer illis in locis (vt si nostro tempore in templo clericus interficiatur) milites verò non absterriti religione locorum, omnia scedarunt. Acto. 21. capite, Iudæi existimabant Paulum introduxisse Trophimū Ephesium in Templum, atque sic Templum profanasse, ideò magno impetu in eum irruerunt: eumque extractum è Templo suis manibus iugulassent, nisi Claudius Lyfias nefariis eorum conatibus obstitisset: quid si cadauera in loco sacro fuissent conspecta? *Exite, exierunt itaque & percusserunt in ciuitate.* Postquam illi milites, sacerdotes, Leuitas, & alios qui in Templo erant, interfecerunt, egrediuntur è Templo, & in vicis vrbs obuium quemque prosternunt. Statim fecerunt milites illi quæ Deus ipsis præcepit: quòd autem postea ipsis quoque pœnas infixit, ideò factum est, quòd in inferendis his pœnis, non ipsius voluntatem respexerunt, sed suos potius affectus sequuti sunt. Non satis est, vt faciamus quod Deus præcipit, nisi sincero animo id faciamus.

## HOMILIA XXXII.

*¶ Ad querelam Prophetæ de interitu totius  
populi, Deus respondet, suamque  
iustitiam asserit.*

8 Et fuit, quum percussissent eos, remansi ego, & corruui super faciem meam, clamauique, ac dixi, *Abah Domine Iehouah, an perdes omnem residuum Israel, dum effundis furorem tuum super Ierusalem?*

9 Et dixit ad me, *Iniquitas Domus Israel & Iehudah magna est admodum, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas plena est peruerso iudicio: dixerunt enim, Dereliquit Iehouah terram, & Iehouah non videt.*

10 Et ego quoque, *Non parcet oculus meus, neque miserebor: sed viam eorum in caput illorum reddam.*

11 Et ecce vir indutus lineis, qui habebat atramentarium in lumbis suis respondit verbum, dicendo, *Feci iuxta id quod præcepisti mihi.*

**Q**uòd Deus, qui clemens est & misericors, tam atrociter etiam in illos seuiit, quibus homines natura feroces in vrbiū expugnationibus parcunt, magnas ob causas factum est, quas partim in superioribus concionibus audiuius, partim in vltima huius capituli parte audiemus. Primùm enim describitur querimonia Prophetæ de interitu populi: deinde Dei responsio, qua præcipuas causas eius rei complectitur.

Querela  
Prophetæ.

Effundere  
furorem.

Prophetæ  
anxij pro  
populo ora-  
runt.

*Et fuit cum percussissent eos.* Nimirum in Templo ad quod multi quotidie confluebant. *Remansi ego,* ne vnus quidem præter me superstes fuit. *An perdes omnes reliquias Israel?* Iterum metuit ne promissio facta patribus de benedicto semine aboleatur. *Dum effundis furorem tuum.* Metaphora ab aqua quæ tota simul effunditur, aut largis imbribus. Breuis quidem est hæc querimonia Prophetæ: at multa complectitur. Voluisset Prophetæ Deum parcere vrbi Hierusalem, quæ veluti pignus erat quòd promissiones Patribus factas, ratas habiturus esset: dum illa stare, bona spes erat populum Dei non profus extinguendum. Videmus hoc loco Prophetas etsi atroces pœnas suis prædixerint, nihilominus tamen nullo odio laborasse erga eos: non enim fuerunt ἀσπργοι. Iudæi quidem eos accusabāt, quòd odio & inuidia moti, tam dira prædicerent: at illi reip̄a testati sunt, sibi iniuriam fieri.

fieri. Etenim non solum solliciti & anxij fuerunt pro populo, sed etiam pro eo deprecati sunt. Moyses cupiebat deleri ex libro vitæ, modo Israelitis parceretur. Samuel Saulem reiectum à Deo, multis lachrymis prosequutus est. Ieremias euerisionem & captiuitatem populi deplorauit, Iere. 9. Valde peccamus, si non solum non pro aliorum salute, sed ne pro nostra quidem deprecamur. Item si modo ipsi pœnas effugiamus, de aliis parum aut omnino nihil sumus solliciti. Non enim desunt homines, qui publicis calamitatibus ad suum quæstum abutuntur.

Propheta cecidit in faciem suam. Alij quoque sancti suppliciter & demissè petendo veniam à Deo, in faciem prociderunt. Non tantum refert quomodo corpus orantium constitutum sit, quantum refert, ut animus rectè habeat, hoc est, ut vera fide præditi simus. Exempla in Scripturis occurrunt illorum, qui stantes, qui sedentes, qui iacentes, qui flexis genibus, & expansis manibus orant. In publicis cœtibus mos cuiusque gentis, cum superstitionem coniunctam non habet, sequendus est: in priuata oratione, liberum est sequi quod placuerit. Veteres serio oraturi, ferè prosternebantur. Quia animi humilitas ab orantibus imprimis requiritur. Nihil enim execrabilius superbo precatore. 1. Pet. 5. cap. Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam. Psal. 51. Cor contritum & humilitatum Deus non despiciet. Humiles igitur simus inter precandum, non solum erga Deum, sed & erga homines. Hoc quoque eliciendum est, ex hac querela Prophetæ, nos nunquam satis intelligere æquitatem iudiciorum Dei. Ferè semper aliquid in operibus Dei, quæ iustissima & rectissima sunt, desideramus. Et si multa legamus de iustitia Dei: tamen si contraria potius, quam quæ ipse nobis promisit, experiri videamur, mox tantum non iudicia ipsius ut iniusta reprehendimus. Reuocanda itaque est mens ad considerationem arcanæ Dei prouidentia. Quemadmodum rapidi fluuij cum in lacus aut maria exonerantur, quiescunt: ita si mens nostra æstuet, in abyssu diuinæ iustitiæ debet conquiescere. Alios quoque homines quibus idem accidit, non prorsus abiiciamus, sed semper in viam eos reducamus.

Veniendum iam est ad Domini responsionem, qui os Prophetæ obturat. Primum in genere dicit, *Iniquitas domus Israel & Iuda est maxima.* Viderat Propheta quomodo contaminassent Templum: & quod illi, quos optimos credidisses, pessimi esset: multa tamen adhuc Deus videbat, quæ Prophetæ non reuelabat: nam Deus abditissima quæque videt. Falluntur nostra iudicia: putamus sæpe aliquem multa indigna pati, quæ iustissimo Dei iudicio patitur. Non tamen omnes quos videmus variis malis premi, iudicemus hypocritas esse. Sunt enim aliæ quoque afflictionum causæ, qua de re egregie disputatur in libro Iobi, & ab ipso Christo, Lucæ 13. capite.

Iam per species explicat. *Impleta est terra sanguinibus.* Cum alij innocentes viri, tum Prophetæ occidebantur: partim interim fuit pessimis hominibus. Per sanguines Scripturæ etiam intelligunt atrocissima scelera, quæ mortem merentur. Omnia quidem peccata mortem merentur æternam: sed Deus vult ut de illis qui magna scelera patrât, magistratus capitales pœnas sumat, quod alij sibi ab eis caueant, & disciplina aliqua in populo retineri possit. *Et ciuitas repleta est peruerso*, sc. iudicio. Iudices erant *δωροφάγοι*. Fons tanti mali indicatur, quod dicerent Deum non curare mortalia. Nisi enim homines credant Deum dicta & facta nostra obseruare, & ei tandem rationem reddendam esse, in quæuis sceleta feruntur præcipites.

Habemus nunc causas, ob quas Deus, etiam Prophetas pro populo aliquo serio deprecantes, sæpenumero non exaudiat. Quia enim tales erant Iudæi, frustra Propheta pro eis intercedit. Alibi quoque apud Ieremiam & hunc Prophetam, negat Deus, se etiam sanctissimorum virorum precibus permouendum, ut eis partec. Nostras quoque preces auerfabitur, nisi his sceleribus vacui simus. Solom. dicit:

Gestus orantium.

Semper ferè accusamus Dei iudicia

Responsio Dei ad querelam Prophetæ.

Sanguines

Cur Prophetarum pro populo preces sunt irritæ.

Qui subducit aurē suam ne audiat Legem, etiā oratio eius erit abominabilis, &c. Hoc speculum nos quoq; intueamur. Deus testatur apud Ieremiam se non par-  
 furum illis gentibus, quæ iisdem flagitiis laborant, quibus Israelitæ laborarunt.  
 Nostri se- Hæc verò iam passim, etiā inter illos qui Euāgelij doctrina gloriātur, grassari quis  
 culum simi- non videt? Multi precio conducti illos à quibus nunquam læsi sunt, interficiunt.  
 le seculo E- Sanguines, hoc est, magna scelera publicè vigent: adulteriis, furtis rapinis, periuri-  
 zechielis, riis omnia plena esse, omnes queruntur. Quot nunc sunt qui nullam certam  
 religionem habent? qui Deum res nostras non curare, si non apertè dicunt, ta-  
 men vita sua testantur? Proinde ne miremur si Deus nos bellis, peste, fame fun-  
 ditus excindat. His enim omnibus rebus ita accenditur ira Dei, vt postea restin-  
 gui non possit.

Obedientia  
 Angeli.

In calce capitis, vir qui lineis vestibus indutus erat, dixit se omnia fecisse vt ei  
 præcepta erant. Hoc loco iterum egregium exemplum obedientiæ nobis propo-  
 nitur. Angelus enim ille, id quod à Deo in mandatis acceperat, extemplo facit, &  
 non aliter quàm ipse mandarat. Nos quod Deus præcipit, vel profus non faci-  
 mus, vel non citò, vel non illo modo & ordine quo ipse præcipit.

HOMILIA XXXIII.

*¶ Alia visio obijcitur Prophetæ, in cuius prima  
 parte ostendit ei Dominus quòd de-  
 creuerit totam urbem  
 inflammare.*

CAPVT X.

**I**T vidi, & ecce super firmamentū quod erat super caput Cherubim  
 tanquam lapis sapphirus, veluti species similitudinis solij apparuit  
 super eos.

**2** Et dixit ad virū illū indutum lineis, dixit, inquā, Ingredere in me-  
 dium rotarum quæ sunt sub Cherubim, & imple manus tuas prunis ignis de medio  
 Cherubim, & sparge super urbem: Ingressusque est in conspectu meo.

**3** (Cherubim autem stabant à dextra Domus, quum ingrederetur vir iste: & nubes  
 implebat atrium interius.

**4** Et recessit gloria Iehouæ à Cherub ad limen Domus: & repleta est domus nu-  
 be, & atrium repletum est splendore gloriæ Iehouæ.

**5** Sonitus quoque alarum Cherubim auditus est vsque ad atrium exterius, tãquam  
 vox Dei omnipotentis quando loquitur.

**6** Et fuit quum præcepisset viro induto lineis, dicendo, Tolle ignem de medio rota-  
 rum & de medio Cherubim: ingressus est, & stetit in medio rotarum.

**7** Et misit Cherub manum suam de medio Cherubim ad ignē, qui erat inter Che-  
 rubim, & sumpsit, posuitque in volas induti lineis, qui accepit, & egressus est.

**8** Et apparuit in Cherubim illis similitudo manus hominis sub alis eorum.

Vfus visio-  
 nis.

**H**oc capite, alia pars visionis continetur, qua Deus Ezechieli ostendit, se relicturum hunc populum, & nihil amplius cum ipsis commu-  
 ne habiturum: deinde se urbem ipsorum, incēdio consumpturū esse.  
 Visionis huius, quæ magnam habet affinitatem cum prima: singulas  
 partes ordine percuremus, & ad vsum vitæ nostræ accommodabimus. Primum  
 in fir-



in firmamento vel cœlo, vidit thronum ex sapphiro (vel cœlum erat sapphirinum, vt hæc visio in hoc à superiore visione differat) in quo sedebat quidam forma humana: sub pedibus eius erant quatuor Cherubim, supra 1. cap. dixit Animalia, iuxta illa erant rotæ, inter illas erat ignis velut carbones ardentes, &c. Ostenditur hac imagine, Deum curare & iudicare res mortalium. In fine enim præcedentis capituli audiuimus, Iudæos negasse Dei prouidentiam. Sub eo sunt Cherubim qui Angelos referunt. Nam vt principibus astant serui, quorum ministerio ad conficiendum res suas vtuntur: ita Deus quoque tametsi per se omnia conficere posset, tamen suos habet Angelos, hoc est, nuncios & ministros, quorum opera ex bona sua voluntate vtitur. Daniel dicit, innumerabilem angelorum numerum Deo assistere, expectantium nimirum mandatum eius. Angelus Gabriel ad Zachariam missus, Lucæ 1. capite: Ego, inquit, sum Gabriel, qui astiti in conspectu Dei, missusq; sum vt loquar ad te, & hæc tibi læta nunciem, &c. Cherubim alati finguntur propter celeritatem in conficiendis mandatis.

1 Deo omnes angeli adeoque omnes creaturæ subiciuntur.

Sedens ille incœlesti solio (postea aperte dicit Deus Israelis) iubet virum, hoc est Angelum, lineis vestibus indutum, ad medium rotæ iuxta Cherub ire, & manu accipere prunas, quas per urbem spargat. His ostenditur incendium urbis à Deo esse. Hostes enim non nisi Dei iussu eam inflammare potuerunt. Spargere iubet prunas per urbem. Nam si urbs aliqua multis in locis incendatur, ignis restingui non potest. Idem Angelus, qui antea homines signauit, vt ab interitu eos assereret, iam ignem spargit per urbem. Deus enim Angelis suis vtitur ad defendendum homines: & etiam ad inferendum eis pœnas. Cuius rei testimonia & exempla extant in sacris Literis. Psal. 39. Castra ponit Angelus Domini circum eos qui ipsum timent, & eripit eos. Satan fatetur se Iobum lædere nõ posse, quia Dei præsidio munitus sit. Psal. 91. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Hac consolatione vel promissione, Satan abusus est in Christi tentatione. Hagar eieccta è domo Saræ, in deserto errans & siti eneçta, ab Angelo erigitur, Gen. 16. Angeli educunt Lothum cum filiabus ex incendio, Gen. 19. Iacob metuens fratris Esau insidias, Angelica visione confirmatur, Gen. 32. Angelus ea nocte se inter castra Ægyptiorum & Israelitarum interposuit, quando per mare rubrum transeundum fuit, Exo. 19. capite. Helisæus flammeos currus vidit in monte, cum ab equitibus Syris circumdaretur, 2. Reg. 6. cap. Angeli ex carcere educunt Apostolos, Acto. 5. & 12. cap. Christus dicit, Angelos pueris additos qui eos contra varia pericula tueantur. Quin etiam regna & prouincias tuentur, vt in Daniele legimus.

2 Deus vtitur operam angelorum ad defensionem & vindictam hominum.

Angeli defendunt homines.

Interdum eorum opera vtitur ad puniendos homines. Cherub ante Paradisum collocatus erat, qui primos parentes ab ingressu eius arceret. Ægyptiorum primogenita angelus interfecit. Angelus vna nocte in castris Assyriorum ad Ierusalem, centena & octoginta quinque millia militum interfecit, 2. Reg. 19. Dauid vidit Angelum stricto gladio inter cælum & terram hærentem, qui grauissima peste populum afflixit, 2. Sam. vltimo cap. Angelus Herodem Agrippam concionem habentem ad populum percussit, Acto. 12. cap. Plura huius generis exempla congerere non est difficile. Deinde habet Deus angelos quoque malos, id est, diabolos, quorum ministerio pios aliquando in hoc, impios verò & in hoc & in futuro seculo cruciat.

Angeli vindictam sumunt de hominibus.

Veteres volunt hunc Angelum lineis vestibus amictum, Christum, aut certè eius figuram fuisse: is etiam defendit & punit homines. Primus aduentus ipse fuit humilis, omnes ad pœnitentiam vocauit: alter quo veniet ad iudicandum viuos ac mortuos, gloriosus erit, separabit habentes signum fidei à non habentibus: signatos secum ducet in æterna gaudia, non signatos autem tradet carnificibus

Angelus lineis vestibus Christi typus.

fuis torquendos. Additur vbi fuerint Cherubim. *Stabant à dextris.* Atrium interius, nimirum sacerdotum, & domus, hoc est, Templū & pars illa quæ Sanctum dicitur, impleta sunt nube. Significabat Deo recedente in tenebris ipsis versandum esse: sequentia tempora nubila fore. *Eleuata est gloria Domini ab ipso vel desuper.* Hoc est, quæ erat super Cherubim, *ad limen Templi.* Atrium repletum est splendore gloriæ Diuinæ, vt cerni posset Deum reliquisse suam sedem. Hæc vt plenius intelligamus repetendum est hoc loco, Deum celeberrimum Templum habuisse Hierosolymis, quod distinctū erat in suas partes: in secretiore, collocata erat Arca fœderis in cuius operculo vtrinque assurgebant Cherubim, inter illos habitare Deus aut sedere dicebatur, eò quod ibi responsa ederet. Templum hoc, imprimis vero Arca, erat testimonium præsentia Dei, nam vt alii ciues suas domos habebant, ita Deus suam quoque domum inter eos habebat, ibi volebat adorari, & rebus difficilibus consuli. Iudæi igitur gloriabantur hac Dei præsentia, suamque spem in visibili Templo collocabant. At Deus per Prophetam hanc spem inanem esse docet, sibi enim eorum mores ita displicere, vt omnino constituerit ab eis recedere. Et vidente Propheta, migravit e suo loco, vel sua sede (hoc enim ex splendore colligere facile fuit) vt cum vir honestus, cui displicent corrupti mores suorum ciuium, renunciat iuri ciuitatis, & in aliam urbem sedem suam transfert. Subiicitur, vocem alarum Cherubim procul exauditam esse, velut vocem Dei, cum ipse loquitur. Exodi 19. cap. Deus in monte Sina loquutus est cum populo, qui vocem eius ferre non valentes, petierunt à Moïse, vt ipse esset Dei internuncius. Potes etiã per vocẽ Dei, tonitru intelligere. Significat hîc strepitus, magnam mutationem, quæ breui sequuta est: & fortassis clamorem militum, impulsum arietum, hinnitum equorum, quadrigarumque strepitum &c. Cum Angelus lineis vestibibus indutus, accepisset in mandatis, vt prunas de medio rotarum acciperet, statim accessit: & Cherub extendens manus suas, prunas accepit illique porrexit: is accipiens exiuit, nimirum in urbem, vt mandata perficeret. Paulò ante etiã dixit, cum ingredi iussus esset, statim ingressum esse. Ex hoc loco colligimus, Angelos Dei paratos esse ad eius obsequium, & simul ac aliquid mandat, expedire. Alius Angelus statim dat ei prunas: concordēs enim sũnt & vnanimes in exequutione iudiciorum Dei. Principes suos habent seruos, qui sæpenuero negligenter sua munera obeunt, & inter se discordes sũnt atque inimicitias exercent, nihil tale est inter Angelos Dei ministros. *Cherubim manus habuerunt sub alis.* Manus, vt philosophus dicit, est ὄργανον ὀργάνων. Cicero dicit De natura deorum, Naturam dedisse homini manus, multarum artium ministras, &c. Absq; manibus nihil egregium perficere possumus. Significatur quòd Deus facultatibus necessariis Angelos instruxerit, & ad munus suum exequendum idoneos reddiderit. Hæc visio gloriæ Dei, terrere & erigere nos debet. Quãdo enim cogitamus Deo omnia subiecta esse, Angelorum exercitum ipsius nutum expectare, caueamus nobis ab illis sceleribus, quibus Iudæi Deum ad vindictam excitarunt: Erigere etiam nos debemus in omnibus periculis cogitatione potentia Dei, qui omnia mala hostium nostrorum consilia, facillè potest dissipare.

Deus habitat inter Cherubim.

Lex Dei.

3 Angeli e vestigio faciunt quod Deus iubet.

## HOMILIA XXXIII.

*¶ Altera parte visionis, ostenditur gloriam Dei relinquere  
Templum: gloria autem Dei iterum apparet  
visibili forma, vt in primo Capite.*

9 Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim: rota vna erat iuxta Cherub vnum

☉ rota

Et rota altera iuxta Cherub alterum: aspectus autem rotarum erat tanquam color lapidis tharsis.

10 Et aspectus earum (similitudo vna quatuor ipsis) ac si fuisset rota in medio rotæ.

10 Quñ ambulabant, in quatuor lateribus suis ambulabant: non reuertebantur dum ambularent, sed ad locum ad quem conuertebat se primus Cherub, post illum ibant, nec reuertebantur dum ambularent.

12 Et omnis caro earum, et dorsa earum, et manus earum, et alæ earum, atque rotæ plenæ erant oculis per circuitum quatuor ipsarum rotarum.

13 Iphis rotis acclamatum est à Cherub, O rota, in auribus meis.

14 Et quatuor facies erant unicuique Cherub: facies prima, facies Cherub: et facies secunda, facies hominis: et tertia, facies leonis: et quarta, facies aquilæ.

15 Et eleuati sunt Cherubim: hoc est animal quod vidi in flumine Chebar.

16 Et quum ambularent Cherubim, ambulabant rotæ iuxta eos: quum verò eleuarent Cherubim alas suas, vt attollerent sese à terra, non reuertebantur rotæ etiam ipsæ ab illis.

17 Dum starent illi, stabant: et dū eleuabant se illi, eleuabant se cum illis: quia voluntas animalis erat in eis.



Diximus Deum noua hac visione, Ezechieli duo præcipuè indicare voluisse. Primum, quòd vrbs Hierosolymorum inflammanda sit: quæ pœna quàm sit horribilis norunt omnes, præsertim qui magna incendia viderunt. Alterum, quòd Deus Hierosolymis migrare velit. Gloriabantur enim Iudæi, Deum ipsis fœderatum, & quasi ciuem ipsorum esse, ideòque nullum periculum metuendum. Deus itaque sibi eorum mores ita displicere dicit, vt deserere suam vrbe[m], suamque domum, hoc est, Templum omnino decreuerit. Vidit autem Propheta maiestatem Dei migrantem de loco suo, quæ hac visione repræsentatur. Hæc pars visionis pleraque habet communia cum visione primi capituli: quædam tamen differentia. Facit itaque hoc caput ad primi explicationem, & vicissim. Sunt autem in exponendis Scripturis, loci inter se diligenter conferèdi: sequentia item cum præcedentibus, ne à vero sensu aberremus. Cherubim vel animalibus quatuor, additæ fuerunt quatuor rotæ. Color earum fuit instar lapidis Tharsis, similes inter se fuerunt, & implicitæ, motus earum fuit ad locum quem respiciebat caput Cherub: (singulos habuisse quatuor capita vel facies, ad quatuor orbis plagas, primo capite diximus) nec vertebant se cum incederent.

Omnis caro earum vel eorum, dorsum, manus alæ earum, atque rotæ ipsæ plenæ erant oculis per circuitum quatuor ipsarum rotarum. Per carnem intelligunt interpretes corpus & substantiam rotarum, per manus radios, &c. Ego hæc verba simpliciter accipienda puto de ipsis animalibus, quorum caro, dorsum, manus, fuerunt oculatæ: seorsim enim rotas oculatas fuisse dicit. Confirmat hanc sententiam, quòd Apocalyp. 4. cap. singula animantia in throno Dei senas alas habuisse, & intus plenam fuisse oculis scribitur. In quo, vt in aliis multis, nostrum Prophetam imitatus videtur. Significatio singulorum, petenda est ex primo capite huius libri. Ad rotas ipsas clamauit, Galgal, hoc est, o rota, audiente me. Qui sublimis in throno sedit, vocauit rotas, quasi excitaret eas ad obedientiam. A rotis, & aliis creaturis sensu carètib[us], exauditur Dei vox, hoc est, obtemperant imperio præcipientis. Quando herus

Visio[n]is huius scopus.

Dei vox ab omnibus creaturis exauditur

seruum suum vocat, & hoc vel illud ei mandat, seruus expedit: ita Deo vocante creaturas suas, omnes ei obediunt. Vocare dicitur grandinem, famem, gladium, &c. Marci 4. capite. Orta magna tempestate in lacu, & irruentibus in nauim fluctibus, Apostoli in extremo vitæ periculo Christum de somno excitant. Excitatus increpasse ventum scribitur, dixisseque mari: Tace, obmutescere, & statim conqueuisse ventum, factamque esse tranquillitatem magnam. Barbaro ac surdo clemento sensus tribuitur ceu homini. Ventum & mare increpat, vt nos puerum petulantem. Significatur Domino non esse difficile compefcere suas creaturas. *Erantque facies vni: facies vnus erat facies Cherub.* In primo quoque capite dixit, quatuor animalia ( quæ hoc capite Cherubim vocantur ) supernè quatuor habuisse facies vel capita, infernè staturam humanam. Per faciem Cherub, hinc intelligenda est facies bouis, vt ex primo capite liquet. Vel fortè pro facie bouis, effigies Cherub, id est, pueri alati, apparuit in secunda hac visione gloriæ Diuinæ, vt etiam in hoc à superiore differat. Caluinus annotat, Ideò nunc faciem Cherub, hoc est, pueri alati apparere, vbi antè facies bouis apparebat, vt intelligeret Propheta, quatuor hæc animalia aliud nihil esse quàm Cherubim, tamen differant à recepta forma. Quatuor sunt Cherubim, quatuor rotæ, ad quatuor latera incedunt, vt significetur, virtutem Dei per quatuor mundi partes extendi. Singuli Cherubim habent faciem bouis, hominis, leonis, aquilæ. Significare videtur, Deum per Angelos & omnes creaturas, quarum hæc quatuor sunt præcipuæ, non solum operari, sed & idoneas efficere ad res illas, ad quas earum opera vt instituit, ne ratio, prudentia, robur, celeritas & reliquæ dotes necessariæ eis desint. Humana enim facies sapientiam & prudentiam significare videtur: leonina, fortitudinem: bouilla, iustitiam vel tolerantiam laboris: aquilina, pernicitatem & prospicientiam vel ( vt alij volunt ) castitatem. Hefychius quoque dicit, quatuor insigniores virtutes intelligi per hæc animalia. *Hoc est animal quod vidi in fluuio Chebar.* Enallage est numeri vñsata sacris Scriptoribus. Hæc sunt animalia quæ vidi ad fluuium Chebar in Chaldæa. Repetitur visio, ne Propheta ambigat de ipsa. Motum rotarum respondisse motui Cherubim dicit. Cùm Cherubim incederent, incedebant rotæ: cùm subsisterent, etiam ipsæ subsistebant: cùm Cherubim eleuarentur, eleuabantur etiam rotæ. Subiicit, *Erat enim ventus, spiritus vel voluntas animalium in eis.* Rotæ non discesserunt ab animalibus, non longius progressæ aut tardius sunt secutæ, quàm ipsa. Significatur hoc motu, omnes conuersiones in mundo, rerumque euentus, vt vt nobis fortuiti videantur, à Deo gubernari: ille enim mouet Angelos, illi rotas. Nullum horologium tam certos habet motus, quàm certa ratione à Deo vicissitudines omnium rerum reguntur. Semper solliciti sumus, ne vel tardius vel citius hoc vel illud fiat, quasi Deus nostro consilio indigeat. Reliqua ex primo capite repetenda sunt. Discamus ex his omnibus, omnes res quæ in mundo accidunt, mutationes imperiorum, pestem, famem, bellum, tempestates, res secundas & aduersas, non temerè & cæco impetu ferri, sed à Deo legitimè sapienter ad salutem fidelium suorum administrari. Ipsi sit gloria.

## HOMILIA XXXV.

*Propheta vidit maiestatem Domini  
egredi è Templo.*

18 *Et egressa est gloria Iehouæ à limine domus, & stetit super Cherubim.*

19 Et eleuantes Cherubim illi alas suas, eleuati sunt à terra in oculis meis: dum egrederentur ipsi, & rotæ erant è regione ipsorum, stetitque in introitu portæ domus lebonæ Orientalis, & gloria Dei Israelis super eos desuper.

20 Hoc est animal quod viderã sub Deo Israel in flumine Chebar, & cognoui tandem quòd Cherubim essent.

21 Quatuor facies erant vnicuique, & quatuor alæ vnicuique: atque similitudo manuum hominis sub alis eorum.

22 Similitudo autem facierum eorum erat vt facierum quas vidi iuxta fluum Chebar: aspectus earum, & ipsemet: vnusquisque contra faciem suam ibat.

**S**Ecunda parte huius visionis ostenditur quòd Iudæis persuasum difficile fuit, Deum migrasse ex Templo. Propheta enim testatur, se oculis suis gloriam Dei, quæ pulchra imagine describitur, recedentem vidisse, audiamus ipsius verba: *Et egressa est gloria Domini à lumine Templi, stetitque super Cherubim, &c.* Suprà capite 9. dixit, gloriam Dei Israel ablatam esse de Cherub ad limen Templi, hoc est, de propiciatorio vsque ad limen Sancti sanctorum, aut Templi quod *היכל* *hechal* nominat. Iam gloria illa pergit vsque ad portam Orientalem atrij magni, ibi constituerunt Cherubim sublimes è terra: gloria Domini fuit super eos, nempe Cherubim. Inferius cap. 11. De medio ciuitatis ascendisse scribitur, & stetisse super montem, qui est ad Orientem ciuitatis, hoc est, super montem Oliueti. Vtile autem fuit Iudæis tam fidelibus quàm infidelibus diligenter inculcari, Deum Templum & urbem Hierosolymorum deseruisse. Sperabant enim (vt iam antè dixi) se ideo liberandos esse ab impendentibus malis, quòd Templum haberent: neque fieri posse, vt Deus eos desereret. Confirmabant eos in hac falsa persuasione pseudoprophetæ, dicentes promissiones Dei irritas fore, si Templum vastaretur.

Quò autem omnia dilucidiora euadant, paulò altius repetendum videtur, in quem vsum Templum fuerit extructum. Patriarchæ longo tempore nulla templa habuerunt, sed, vt credendum est, in domibus suis, & ad altaria, quæ iussu Dei hinc inde erigebant, familias suas in vera religione instituerunt. Tandem cum populus Israelis ex Ægypto liberatus, in deserto erraret, Deus in medio castrorum, tabernaculum sibi erigi præscripsit, quod cum mouenda essent castra, facillè in alium locum transferri posset. Elapsis multis annis, à Solomone magnificum Templum sibi hoc consilio extrui voluit, vt populus ab idololatria abstractus, in legitimo ipsius cultu retineretur. Fuit enim Templum ceu vnica totius gentis parœcia, ad quam tribus solennioribus festis, omnes confluere debuerunt, & cultus externos exercere, qui potissimum in eo cõsistebant, vt Legem & Prophetas audirent, preces funderent, sacrificia spectarent, & ad conseruationem cultus Dei pauperumque aliquid contribuerent. Tantum Hierosolymis non alibi sacrificabatur, quanquam passim suas synagogas haberent, in quibus, Sabbatis ad auscultationem verbi Dei & preces, confluebant. Templum hoc Deus egregiis ornauit promissionibus: quòd preces quæ in illo loco fierent, exaudire, quòdque ibi præsens esse vellet. Non quòd Deus qui est immensûs, loco aliquo concludi possit. Solomon enim dicebat in dedicatione huius Templi, Cæli caelorum, hoc est, extimi, te non capiunt. Acto. 17. Paulus dicit, Deum in manufactis templis non habitare, scilicet, vt ibi circumscribatur aut concludatur. Promisit adhæc se rebus difficilibus ad Arcam responsa daturum populo, præscribens interim ei, quomodo se erga ipsum gerere deberet: rite enim colere ipsum debuerunt. Israelitæ horum omnium immemores, vt magnum abu-

Tēplo abusi  
sunt Iudæi.

sum Templum conuertebant, existimantes se quicquid facerent religione loci tutos fore. Magna confidentia gloriabantur de Dei præsentia, nec fieri posse existimabant, ut vrbs & Templum hoc, in quo Arca esset (quæ Dominus exercituum dicitur in Scripturis) funditus euerteretur. Hanc vanam eorum spem, Deus, Ierem. 7. capite, multis verbis reiicit, & queritur quòd Templum suum in speluncam latronum conuertant. Hoc loco Ezechiel dicit, se vidisse quòd Dominus iratus migrarit ex Tēplo: nec esse quòd existiment se loci religione tutos fore, protectorem illum ipsorum abiisse. Ut si dux aliquis urbem quam defendere conabatur, propter oppidanorum perfidiam vel hosti tradat, vel deserat. Surdis quidem, ut est in prouerbio, sancti Vates fabulam dixerunt. Utile tamen fuit hæc diligenter vrgere, ut inexcusabiles fierent impij, & imprimis ne pij postea rebus afflicti succumberent: sed omnia quæ à Deo per Prophetas eis prædicta fuerant, memoria repeterent: ut quæ cogitarent quòd etsi promissiones non impleantur pro nostro captu: tamen non sint inanes atque irritæ. Nisi enim animi fidelium illis prophetiis ceu anchoris fuissent confirmati, facile potuissent in desperationem ruere. *Hoc est animal, quod vidi sub Deo Israel.* Iterum ponitur singulare pro plurali: Hæc sunt animalia, quæ vidi sub Deo Israel. Vidit gloriam Domini in eo firmamento, quod capitibus animalium imminebat. Dicere enim potuissent, Prophetam nescire quidnam vidisset: dicit itaque se omnia distinctè vidisse.

Deus Israelis.

Deum subinde vocat Deum Israelis, quia Iacobo, (qui alio nomine Israel dicitur) eiusque posteritati sese aperuit, seque æterno fœdere eis adstrinxit. Posteris verò & filiis Israelis, non solum illi accensentur, qui ab eo iuxta carnem descendunt, sed omnes quotquot vera fide sunt præditi, ad Galat. 3. capite & alibi. *Quatuor & quatuor facies erant singulis.* Idem in primo & hoc decimo capite dixit. Si Israelitæ dociles & attentos se præbuisissent, non necessaria fuisset hæc repetitio: sed quia indociles, negligentes & pertinaces erant, ad tædium vsque eandem rem reperit, ut nihil excusationis haberent. *Vnusquisque contra faciem suam ibat.* Non descectebant ad dextram vel sinistram: sed rectà ibant, certumque scopum habebant ob oculos. Ita nos quoque Angelorum exemplo ad certum vitæ scopum collimemus.

## HOMILIA XXXVI.

*Ostendit proceres populi esse contemptores, & irrisores verbi  
Diuini.*

## CAPVT XI.

1 **T** eleuauit me spiritus, & introduxit me ad portam Domus Iehouæ Orientalem, quæ respicit ad Orientem: & ecce in ostio portæ viginti quinque viri, inter quos vidi IaaZaniabu filium Azur, & Pelatiabu filium Benaiahu principes populi.

2 Dixitque ad me, Fili hominis, isti sunt viri qui cogitant iniquitatem, & consulunt consilium malum in vrbe ista.

3 Dicunt enim, Non in propinquo est contritio, ædificemus igitur domos: hæc Ierusalaim est vt lebes, & nos vt caro.

4 Idcirco vaticinare contra eos, vaticinare Fili hominis.

5 Cecidit

5 Cecidit ergo super me Spiritus Iehouæ, & dixit ad me, dic, Sic dixit Iehouah, sic quidem dixistis domus Israel, & quæ ascendent in spiritu vestro ego nomi.

6 Multiplicastis interfectos vestros in hac vrbe, & implestis plateas eius interfectis.



N hoc capite, quod cohæret tribus superioribus (quatuor enim capitibus vna visio, quæ tamen multiplex est, comprehenditur) agit Propheta contra principes populi, qui capita & præcipui authores erant tantorum malorum. Nam cum populum reuocare ab idololatria, aliisque sceleribus debuissent, ipsi eum suo exemplo ad malum sollicitabant. Comminatur itaque eis grauem pœnam: postea subiungit consolationem de restitutione illorum, qui sponte in exilium Ieremiæ suâsu migrauerant. In calce capitis, ostendit quomodo in Chaldæam reductus sit, atque sic terminat hanc prophetiam.

Capitis huius summa.

Discemus ex hoc capite, quàm perniciosum sit, si proceres populi sint contemptores oraculorum Diuinorum: mox enim populum quoque inficiunt, & secum in ruinam trahunt. E diuerso magnum est Dei beneficium, si proceres sint pij. Deinde colligimus quòd principes si officium suum non rite faciant, à Prophetis reprehendendi sint ex verbo Dei. Sunt qui negent hoc fas esse: nam eleuari auctoritatem eorum, quam vtile sit magnam esse. At cogitandum erat, ipsos si in illis pergant, propter quæ reprehensionem merentur, potius amittere suam auctoritatem. Prophetæ Dei peccantibus non pepercerunt. Elicimus insuper hanc vtilem doctrinam, quòd Ministri Ecclesiarum sibi mutuò manus porrigere debeant. Ezechiel enim confirmat sermones Ieremiæ, licet eum expressè non nomet. Sunt hodie qui vt principum fauorem captent, symmystas suos traducant, quasi nimis rigidos & intractabiles, &c. Veniamus ad ipsa verba Prophetæ.

Vfus huius capitis.

Primum à spiritu ductus ad portam domus Domini Orientalem sistitur, vbi vidit viginti quinque viros in introitu portæ. Incertum est an fuerint senatorij ordinis, an alij seniores, vel magna auctoritate viri. Suprà 8. capite, Propheta vidit 70. ex senioribus Israelis. In lib. Numerorum indicatur ex omnibus tribubus 70. seniores delectos fuisse, qui populo præessent. Si de senatoribus hic locus accipiendus est, ideo duntaxat viginti quinque virorum fit mentio, quòd fortè reliquis supersticiosiores, aut senatus secretior fuerunt: illos vidit inter vestibulum & Sanctum.

Duo inter illos magnæ existimationis nominatim ponuntur, nempe Iazanias & phelantias. Hic Iazanias alius videtur fuisse ab illo cuius 8. capite, facta est mentio: dicitur enim filius Azur fuisse, alter filius Saphar. Dicuntur autem principes fuisse populi. Illi indubiè sua auctoritate & eloquentia omnes alios post se traxerunt. In aulis principum hodie quoque pauci aliquando consiliarij principes flectunt quòd volunt. In liberis rebus publicis, in quibus senatus multis viris constat, pauci totum senatum regunt. Ita factum esse illis temporibus in Iudæa non est dubitandum. Non parcat eorum nominibus, vnde videmus reprehensionem liberam esse debere.

Quomodo autem hi viri dicuntur in porta stetisse, cum superiore capite, omnes cæsi dicantur, qui signati non erant? Quæstio. Quidam dicunt ea quæ hinc narrantur, gesta fuisse ante ea quæ describuntur superiori capite. Legunt autem hæc verba in Plusquamperfecto: *Et spiritus me sustulerat, & adduxerat, &c.*

Dicendum potius hæc in visione facta esse. *Fili hominis.* Periphrasis est Scripturæ familiarissima, vt filius Adam aut filius hominis dicatur homo, quòd nos

Filius hominis.

nostræ conditionis admoneat. Dei filius incarnatus ut humilitatis exemplum nobis proferat, subinde se in historia Euangelica Filium hominis appellat. *Isti sunt viri qui cogitant vanitatem. In aen* iniquitatem, vanitatem. Cogitabant enim illa quæ Prophetæ dicebant, aniles esse fabulas. *Et consultant consilium prauum in ciuitate.* Quia fundamentum malum erat, non mirum quòd illa quæ superstruebant, mala essent. Cor prauum erat, inde manabant praua consilia. Explicat iam quod de malis consiliis dixit: *Non est in propinquo*, scilicet, interitus vel prophetia. In fine sequentis capituli, hoc expressius habetur: Visio, dicebant, quam Propheta videt, est ad dies multos, & in tempora longa prophetat, &c.

Principes iubebant alios ædificare domos suas.

*Ædificemus domos.* Jeremias & alij Prophetæ prædicebant eis excidium instare: iam planè id pro inani deliramento habebant. Impendente bello aut peste, homines non nisi coacti ædificant, expectantes tempora pacata. Illi omnia læta sibi promittebant, non futurum putantes, ut obsideretur vrbs ab hostibus, nedum ut expugnaretur: ideo dicebant, Si qui ædificare volunt, faciant. Jeremias 29. capite, Epistolam mittit captiuus in Babylone, qua eos admonet quo pacto se gerant. & inter alia, iubet eos ædificare domos, ostendens captiuitatem annis 70. duraturam, nec antè reducendos esse, ut pseudoprophetæ nugabantur. Christus Luca 17. dicit: Sicut accidit in diebus Noe, ita erit & in diebus Filij hominis, edebant, bibebant, vxores ducebant, & ducebantur nuptum ad eum vsque diem, quo intrauit Noe in arcam: & venit diluuium & perdidit omnes. Consimiliter etiam sicut accidit in diebus Loth: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant: cæterùm quo die exiit Loth è Sodomis, pluit igni & sulphure de cælo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit dies quo Filius hominis reuelatur. Ædificare ex se malum non est, sicut nec edere, bibere, emere, vendere, plantare, malum est: sed ostendit summam securitatem hominum, qui non secus agant, quàm si aternum in his terris viuere velint. Talis securitas erat in senioribus populi, qui alios præcipuè ad pœnitentiam excitare debebant.

Hierusalem est olla.

*Hæc olla & nos caro.* Jeremias 1. capite, vidit ollam bullientem ab Aquilone. Qua visione Deus ei ostendit, ab Aquilone gentem adducendam, quæ à Iudæis impietatis pœnas exigeret. Hanc visionem irridentes, dicebant, Non extrahuntur crudæ carnes ex olla, expectare aliquanto tempore oportet, dum fuerint elixatæ. Vrbs nostra est olla, nos sumus carnes in ea. Proinde non statim abducemur in captiuitatem, ut Prophetæ nostri nugantur, sed ad extremam ætatem in ea permanebimus. Pax erit in diebus nostris. De hac olla plura leguntur infra vigesimo quarto capite. *Idcirco vaticinare contra eos, vaticinare Fili hominis.* Deus nihil minus ferre potest, quàm si homines admonitiones suas respuant, ideo urget Prophetam ut horribiles pœnas eis denunciaret: & hoc mandatum repetit, ne cunctetur in obeundo suo officio. Parentes quoque indignissimè ferunt, si filij admonitiones serias eludant. Hodie multi sibi ingeniosi & arguti videntur, si possint proferre loca quæ inter se videntur pugnare, & verbi Dei authoritatem suis facetiis, imò blasphemis eleuare. *Irruens Spiritus Domini super me, dixit ad me, Dic, Sic ait Dominus.* Illi cum quibus pugnabat, nihil minus credebant, quàm Prophetas sancti Spiritus impulsu loqui: nihilominus tamè Deus repetere iubet Prophetam, se non sua somnia proferre, sed verbum Dei. Venit enim tempus, quo irriores illi sentire potuerunt, Prophetas non vana prædixisse. *Ascensiones spiritus vestri ego noui eam.* Hoc est, vnamquamque earum, vel singulas cogitationes vestras ego noui. Multa sunt Scripturæ testimonia, quæ ostendunt Deum omnes cogitationes hominum nouisse.

Deus videt cogitationes nostras.

Hieremiæ 17. capite, dicit Dominus, se corda & renes hominum scrutari, hoc est,



est, exactè scire arcana eorum consilia & concupiscentias. Christus Servator noster, verus Dei filius, in Evangelio saepe legitur aduersariorum suorum cogitatus vidisse. Psal. 94. Is qui aurem plantauit, non audiet: aut qui oculum finxit, non videbit? Siracides 23. cap. de adulteris agens, qui putant tenebras eos regere, præclaram sententiam ponit: Non intelligit, inquit, oculos Domini sole infinitis partibus perspicaciores, vias hominum omnes inspicere, atq; abstrusissima quæque perlustrare, &c. Hæc in nobis timorem Dei exuscitare debent, etsi enim quiduis simulare & dissimulare apud homines possimus, tamen Deum iustum iudicem nequaquam fallere poterimus. *Multiplicastis interfectos vestros in vrbe ista, & impleuistis plateas eius interfectis.* Prophetæ & alij, qui principum malos mores reprehendebant, ad supplicium trahebantur tanquam rebelles & seditiosi: non sumebatur supplicium de homicidijs alijsq; flagitiosis secundum legem Dei. Ad hæc multi erant, qui pauperes fame cogere mori.

HOMILIA XXXVII.

*J Denunciat præfectis populi iudicium durum  
& graue, quod contra ipsos exercendum sit.*

7 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, *Interfecti vestri quos posuistis in medio eius, ipsi sunt caro: ipsa autem est lebes: vos verò educam de medio eius.*

8 *Gladium metuistis, & gladium inducam super vos, dixit Dominus Iehouah.*

9 *Et educam vos de medio eius, dabòque vos in manum alienorum, & faciam in vobis iudicia.*

10 *Gladio cadetis, in termino Israel iudicabo vos: & scietis quòd ego sum Iehouah.*

11 *Hæc non erit vobis vt lebes, nec vos eritis in medio eius vt caro: in termino Israel iudicabo vos.*

12 *Et scietis quòd ego sum Iehouah: quoniam in institutis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, sed iuxta iudicia Gentium quæ sunt in circuitu vestro, fecistis.*



Vm Iudæis exitium iam iam immineret, securissimi erant, & admonitiones Prophetarum ex verbo Dei factas aspernabantur. Ipsi proceres quorum erat alios vitæ suæ exemplo ad pœnitentiam hortari, ridebant omnes prædictiones propheticas. Nam cum Ieremias, vt paulò antè audiuius, se ollam bullientem vidisse dixisset ad Aquilonem, & hac imagine significari à Babyloñiis urbem durissima obsidione premeandam, & breui quidem, ludebant dicentes: Caro in ollam posita, nò statim extrahitur, sed tum demum cum elixa fuerit: vrbs verò nostra est olla vel lebes, nos sumus caro, Prophetis testibus: concedetur itaque nobis tempus diutius commorandi in hac vrbe, neque statim in captiuitatem trahemur: secum ipsi dissident Prophetæ, nescientes quid dicant. Ezechiel itaq; confirmat sermonem Ieremiæ, & prophetiam de olla longè aliter implendam dicit, quàm profani illi homines sibi imaginentur.

*Interfecti, quos posuistis in medio eius, ipsi sunt caro: ipsa verò est olla.* Ollà, i. vrbe, im-  
k. iij.

pleuistis cadaueribus, quæ sunt quasi caro in olla. Vos igitur non habebitis locum amplius in illa olla. 2. Regum 21. capite, scribitur Manassen crudeliter sæuisse contra Prophetas Dei, & urbem impleuisse innoxio sanguine. Idem factum esse Zedechiæ tempore non est dubitandum, quia enim à vero Dei cultu descuerant, nolebant illos ferre qui eos hoc nomine reprehendebant. Hodie quoque sub specie vindicandæ religionis, optimi quique multis in locis exuruntur. Si quis vel verbulo testetur sibi luxum pontificum, idola, missas, & alia huius generis displicere, statim ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt vocant, carnicibus traditur. *Vos verò educam de medio eius.* Vt coqui fuscinula carnes ex olla educunt elixas: aut si olla nimis plena sit, aliqua frustra seponunt: ita ego vos ex hac olla, vel vrbe extraham. Mox enim dicam, quomodo vrbe relicta salutem fuga quærere frustra conati sint.

*Gladium metuistis, & gladium inducam super vos.* Etsi securi essent & pacem diurnam sibi promitterent, tamen animus eorum mali aliquid eis præfagiebat. Conscij sibi erant perfidiæ qua vsi erant contra Nabuchadonosorem: pangebant igitur nouum fœdus cum Ægyptiis (Jeremia reclamante) qui eos contra Chaldæos vsu postulante defenderent. Hac verò re, & Deum & Regem Babylonium contra se prouocarunt. Solomon Prouerbiorum capite 10. dicit: *Quod timet impius, eueniet ei.* Pericula imminetia impij propulsare volunt illicitis viis: sed tam abest vt hac ratione assequantur quod volunt, vt sese potius in extrema pericula coniiciant. Exemplis huius rei plena sunt omnia. Saul vt regnum in sua familia retineret, Dauidem occidere tentabat: Dauid ne diulgaretur adulterium commissum cum vxore Vriæ, maritum eius interfici curauit: sed his malis artibus neuter quod quæsiuit, est consequutus.

*Educam vos de medio eius.* Hæc repetitio non est inanis, nos quoque cum ferio alicui denunciamus futura mala, solemus repetere quæ modò diximus, *Audisne quæ dico? iterum dico, hæc & hæc tibi accident.* *Daboque vos in manum alienorum.* Vos cognatos interfecistis, alienis & hostibus ego vos tradam. Si vicini populi, bellum cum Iudæis gessissent, proceres qui sua cum ipsis commercia habebant, & fortassis sua de rebus variis consilia inuicem communicabant, sperare potuissent se euasuros periculum: diuitibus enim parcitur, vt magna pecunia se redimant, illis item quos hostes sibi non aduersatos fuisse sciunt. Peregrini verò & barbari milites, præsertim illi qui loqui cum hoste suo non possunt, in obuios quosque sæuiunt. *Faciam in vobis iudicia.* Iudicia apud vos & leges bonæ dormiunt, ego itaque iustè vos iudicabo & puniam. *In gladium cadetis, intra litem Israel iudicabo vos.* *ל אל & ל אל*, significat ad, apud, super. *Apud litem iudicabo vos:* bis dixit, *Extraham vos ex vrbe.* Mox repetit *Supra terminum Israel iudicabo vos.* Hæc intelliguntur ex historia, secundi Regum 25. capite, & Ieremiæ 39. & 52. Cum post longam vrbs obsidionem principes exercitus Babylonici in eam irrupissent, confederunt in porta, nimirum vt Babylonium Regem, vrbs dominum esse testarentur. His auditis Zedechias ex regia per viam occultam vnà cum nobilibus & militibus suis, fuga sibi consulendum putauit. Hostes verò re intellecta, eos insectati sunt, & comprehensos in campis Hierichuntinis, de fuga retraxerunt. Nabuchadonosor tum temporis in Riblath erat, in cuius conspectum cum Rex Iudæorum esset adductus, loquutus est cum eo iudicia, hoc est, exposulauit cum eo de perfidia, eumque pœna dignum iudicauit, filios eius ipso vidente obtruncavit, nobiles item & principes: tandem regi oculos erui iussit, & duabus eatenis vinctum abduci in Babylonem. Saraiam quoque & Sophoniam summos pontifices, à principe militiæ eò adductos, supplicio capitis affecit.

affecit: Postea Templum, regiam domum & urbem totam inflammavit. Hinc intelligimus quemodo caro illa nobilis, extracta fit ex olla, hoc est, quomodo Rex cum nobilitate & militia sua, urbem deseruerint, & in finibus Israelis, hoc est, in Riblath, extra patriam mactati sint.

*Ipsa non erit vobis in ollam.* Vos principes, inquit, non estis tam foelices, vt morituri sitis in patria. Lenit enim mortis acerbiter, si in patria & in amplexu nostrorum moriamur: Item si pro patria pugnantes oppetamus. Hinc Æneas apud Virgilium, metuens ne ignobili mortis genere, nempe naufragio, periturus esset, inquit:

—— ô terque quaterque beati,  
 Quis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis  
 Contigit oppetere.

Metu hostium fugietis quidem, sed non effugietis, dicit Propheta. *Et scietis quod ego Dominus.* Hæc verba velut intercalaris versus, subinde repetuntur. Ex verbo Dei cognoscere ipsum nolebāt: immittit igitur eis hostes, qui omnia illa mala eis inferant, quæ prædixerant Prophetæ: vt hinc colligant Prophetas, quos ipsi contempserant, à Deo excitatos, & ex ipso loquutos fuisse. *Ed quod in statutis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis.* Natura sumus queruli: quando vel morbum nobis Deus immittit aliquandiu durantem, cum ipso expostulamus: ne igitur quis accusare Deum crudelitatis posset, causam tam horribilis excidij subiungit. Deus scriptam Legem eis tradiderat, vnde discere poterant, quid faciendum, quid omittendum esset: sed illi abiecta Lege Dei, sibi ipsis quodammodo erant Lex: nequaquam solliciti de Lege aliquo modo implenda. *Fecistis secundum iudicia gentium.* Huic malo etiam accessit, quod secundum gentium iudicia, hoc est, mores & consuetudinem, vitam suam instituerunt. Receperunt cultus peregrinos, quos, vt fit, sequuta est vita scelerata. Sæpe Deus comminatus eis fuerat, quod si imitarentur Chananæorum mores, euomendi essent ex hac terra: nunc quia eos imitabantur, digni erant qui suis possessionibus eiicerentur. Lege Dei tanquam muro quodam à gentibus diremptos voluit Deus: at illi nihilominus impudenter Gētilium ritus amplexi sunt: hanc itaque eorum impietatem Deus non potuit non grauius vlscisci.

HOMILIA XXXVIII.

*¶ Propheta cum Palatias subito moreretur,  
 metuit exitium totius populi: Deus  
 consolatur ipsum, ostendens  
 captiuos sibi cura esse.*

13 *Et fuit quum prophetarem, Pelathiah filius Benaiab mortuus est: & cecidi super faciem meam, clamauitque voce magna, & dixi, Abah Domine Iehouah, tunc consumptionem facis residui Israel?*

14 *Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:*

15 *Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, & omnis domus Israel, vniuersa inquam ipsa sunt quibus dixerunt habitatores Ierusalaim, Elongate vos à Iehouah, quia nobis data est terra in possessionem.*

16 *Propterea dic: Sic dixit Dominus Iehouah, Etiam si procul eiecerim eos in gen-*  
 k. iij.

tes, & disperferim eos per terras, ero tamen eis in Sanctuarium paruum in terris ad quas venerint.



Proceres Urbis Hierosolymorum, præcipui authores fuerunt interitus totius populi: quos enim suo exemplo in recta via continere debuerunt, illos potius ab ea abstraxerunt: securi fuerunt & impij, ideò Propheta mandatum accepit à Domino, vt instare ipsis miserabilem interitum, forti animo prædiceret. Interea vt hæc prophetia confirmaretur, Palatias subito, siue domi suæ siue in Tèplo (nam in visione hæc facta sunt) mortuus concidit. Propheta subito hoc casu consternatus, procidit in faciem suam, nimirum ad deprecandum Dominum, Num, inquit, omnes reliquias perdere decreuisti? Hic Palatias, vt supra dictum est, fuit princeps populi, vir magna autoritate, à cuius ore omnes pendebant, ideò Propheta eius obitum, certum indicium esse putat, interitus totius gentis. Quia caput obiit, putat actum esse de toto corpore populi. Deinde Palatias nomen fatale habuit, à פלתי palath, quod est euadere, hunc quia videt interiisse, putat malum omen esse, quòd omnes פלתיים pelethim, hoc est, superstites, qui tãquam ex prælio, naufragio, aut incendio vix euaserant, simul perdendi essent. Hoc si fiat, non videt quomodo locus esse possit promissioni de Seruatore nascendo ex hac gente. Supplex itaque Deum precatur vt conseruet reliquias, ne promissiones prorsus aboleantur. Alioqui de Palatiæ impij contemptoris verbi Dei obitu non tam fuisset sollicitus. Sancti enim pereuntibus hostibus Dei, lætantur. Exodi 15. Israelitæ submerso Pharaone, epinicion cecinerunt, & choreas duxerunt. 1. Sam. 25. David cognita morte Nabalis, gratias agit Deo. Psal. 68. Vates dicit, Lætabitur iustus cum viderit vindictam, pedes suos lauabit in sanguine. Solomon 11. cap. Prouer. dicit, ciuitatem exultare, si impij intereant. Non quidem pij de interitu hostium Dei, ex prauo affectu lætantur, (alioqui excusari à peccato non possent) sed propter gloriam Dei vt impiis sublatis verbum eius propagetur: propter afflictos, vt ab eorum tyrannide liberentur: item propter ipsos impios, vt cessent peccare.

1. Palatias repete mortuus est.

2. Querela ropnera os mortem Phaltiz.

Gaudiu piorum de interitu impiorum.

Subita mors.

Discimus ex hoc loco, quàm fragiles & caducæ sint res humanæ. Subito enim Palatias ille expirat, quod mortis genus est horrendum. Piiis quidem mors non omnino improuisa accidit. Semper enim fatalem horam expectant, seque Deo cum eunt cubitum, & cum surgunt commendant, pectoribus suis semper infixam habentes admonitionem illam Domini: Vigilate: nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit. Sapientia 4. cap. Scribitur, pium etsi subito moriatur, tamen colligi in quietem æternam. De impiis verò scribit Paulus 1. Thess. 5. Cum dicent pax, pax, & omnia tranquillitas, &c. Lege reliqua. 2. Sam. 13. Amnon inter epulas à fratre subito interficitur. Ananias & Sapphira subito concidunt, Act. 5. Cerinthus, Arrius, in Ecclesiastica historia. Sunt autè varij casus, & nonnulli morbi, qui homini confestim vitam eripiunt. Non peccamus, si optemus vt compotes mentis moriamur. Christophorum verò vel alios diuos contra subitam mortem inuocate, impiu est. Palatias ille, indubiè multos annos adhuc sibi promittebat, & fortassis contra sanctos plus grassari volebat: at subito concidit, atque ita autoritas, eloquentia, dignitas ipsius, vno momento euertitur. Ne igitur in impiorum gratiam, quantumuis magna potestate & autoritate sint præditi, peccemus contra Dominum, neque consternemur, si dira contra nos moliantur. Athanasius Iulianum apostatam, appellabat paruam nubeculam, quæ momento dissipanda esset.

Eiam sancti aliquando dubitant de veritate promissionum.

In Ezechiele exemplum habemus imbecillitatis humanæ: iterum enim metuit, ne reliquiæ huius populi deleantur, & promissiones Dei de Messia pereant. Scire potuit ex sacris literis constãtiam promissionum diuinarum: quòdque Deus posteritatem

posteritatem Abrahamæ, etiam euerſa vrbe Hieroſolymorum, conſeruare poſſet: tamen quia non videt quomodo hoc futurum ſit, animo eſt perplexo & ſollicito. Hoc facit ad noſtram conſolationem, qui cum apparatus hoſtiles videmus contra Euangelicos, metuimus ne Eccleſia Dei prorſus extingatur. Conſeruabit Deus ſemper ſuam Eccleſiam, vtvt impij furiant. In alijs quoque caſibus ſæpe labſcimus: animi itaque verbo Dei erigendi ſunt. Petrus cum ſuper lacum iuſſu Chriſti ambularet, titubare incipiebat, ſed ruruſ animum colligit.

Sequitur reſponſio Dei, qua oblique errorem Iudæorum & Prophetæ corrigit. Iudæi, & ex parte ipſe Ezechiel, putabant Deum euerſa Vrbe & Templo, ſuas promiſſiones præſtare non poſſe. Deus verò oſtendit, etiam exciſa vrbe, & hac rebelli gente, ſe nihilominus habere ſuum populum. Primùm oſtendit ſe captiuorum curam non abiçiſſe: deinde promittit ſe reducturum eos. Colligimus hinc, quàm clemēs ſit Dominus, qui ad Prophetæ querimoniam: tam placidè reſpondet, non dicit, Iam antè ſatis tibi reſpondi. Ipſe nouit infirmitates noſtras, ideo nos non abiicit. Chriſtus, vt Heb. 2. legitur, per omnia ſimilis fratribus redditus eſt, vt miſericors eſſet & fidelis pontifex in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata mundi, &c.

3. Reſponſio  
Dei ad que-  
rimoniam  
Prophetæ:

Clementia  
Dei.

*Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinquitatis tuæ, & omnis Domus Iſrael, omnis inquam ea ſunt quibus dixerunt habitatores Ieruſalem, Elongate vos à Domino, nobis data eſt terra in hæreditatem.* Iudæi qui Hieroſolymis inſerant, illis qui cum Iechonia, hortatu Ieremiæ, ſponte in exilium migrauerant, decem item tribubus, inſultabant, dicentes, Abite procul, ite in malam rem, *ἐς κόρακας*: reſecti eſtis à corpore populi Dei, nõ habebitis partem in hæreditate terræ, Dominus repulit vos. Imprimis verò fratribus ſuis iracſcebantur, qui ſponte urbem reliquerant: *Nobis*, dicebant, *data eſt terra in poſſeſſionem.* Nos perpetuò in hac terra manebimus: nos ſumus populus ille Dei, ad quos promiſſiones pertinent. Urbem nequaquam putabant capiendam eſſe, &c. *Propterea ſic dicit Dominus, Etsi procul eiecerim eas in gentes, & diſperſerim eos per terras, ero tamen eis in Sanctuarium paruum, in terris ad quas uenerint.* Dominus dicit, Non ex leuitate quadam abierunt, ego eieci & diſperſi eos, neque propterea abdicati ſunt ab hæreditate populi mei. Etsi non habeant lapideum Templum in quo conueniant & ſacrificent (vnico enim in loco ſacrificare debebant) tamen adero illis, audiam preces eorum, vt ſolebam in Templo, melioribus temporibus, ſi vel in priuatis ædibus, vel alibi aliquot ex ipſis congregentur, vel aliàs ſinguli ad me clamauerint, non deero ipſis. Paruum Templum opponit magnifico illi. Salomonicum enim Templum citra controuerſiam ſplendidiffimum, pulcherrimum & opulentiffimum fuit. In Chaldæa nullum habebant templum, & fortè magnas congregationes Iudæorum fieri Chaldæi non permittebant: tamen Deo erant curæ, qui vice Templi ipſis erat. Poſteſt etiam legi, *In Sanctuarium* vel *ſanctificationem paucitatis.* Dominus paucis reliquijs vice Templi fuit. Plurimi quidem inter captiuos ethnicam religionem amplexi ſunt, habuit tamen ſuas reliquias Deus, vt Hefter, Mardocheum, Danielem, &c.

Qui Hiero-  
ſo. erant, ca-  
ptiuos pro  
extraneis  
habebant.

Colligimus ex hoc loco vtilem hanc doctriam, ne illis inſultemus, qui propter peccata ſua, morbis, paupertate, exilio & alijs malis premuntur. Nam quòd nos his malis non ſumus obnoxij, gratiæ Dei acceptum feramus oportet. Deus facile poſteſt illos quorum res afflictae ſunt, iterum in integrum reſtituere. Præterea erſi vexentur multis malis, nihilominus tamen non deſinunt eſſe filij Dei. Quòd ſi innocentes propter veritatis confeſſionem tyrânide premantur, multò minus eis eſt inſultandum. Inter magna peccata recenſetur gaudium de alienis malis. De impiorum quoque interitu, non ſimpliciter gaudèdum eſſe, paulò antè dixi. Prouerb. 17. qui gaudet in contritione alterius, non erit immunis. & 24. Cum ceciderit inimicus tuus ne lateris, multò minus ſi fratres tui cadant.

Non inſul-  
tandum mi-  
ſeris.

Afflictis  
Deus adest.

Papistæ no-  
bis insultât,  
quasi simus  
relecta mē-  
bra.

Deinde ex hoc loco consolatio desumenda est omnibus afflictis, si ab impiis contemnantur: si lecto morbis quasi affixi, si in carceribus & turremibus agentes, frequentare cœtus sacros non possint, aut impiis permixti, Sacramenta celebrare secundum verbum Dei, cogitent captiuos illos qui à fratribus suis cōtemnebantur, Deo nihilominus gratos fuisse. Ipse rectè inuocantibus eum, est vice Sanctuarij vel Templi, eos vbique exaudit: & illos qui apud homines nullo sunt loco, amat, tuetur & conseruat. Imprimis verò hodie nos consolari, hic locus debet contra Antichristianos, qui subinde obiiciunt nobis, eò quòd ab ipsis secessionem fecerimus, nos non esse membra Ecclesiæ. Iudæi exules, Babylonem ingressi sunt Dei iussu: nos Dei iussu exiimus de Babylone, hoc est, ab illis qui doctrinam pugnantem cum verbo Dei afferunt, nos seiunximus. Etsi qui Hierosolymis erant, iactarent se esse populum Dei, tamen non erant: sed squalidi & laceri illi, captiui atque pauperes. Non est iudicandum de Ecclesia Dei, secundum externam pompam: sed videndum vbi verbum Dei rectè prædicetur, & Sacramenta legitime administrentur.

HOMILIA XXXIX.

*J De tempore Messia, ministerio regnoque eius vaticinatur.*

17 Propterea dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Congregabo vos de populis, & adunabo vos de terris in quas dispersi estis, & dabo vobis terram Israel.

18 Et ingredientur illuc, & remouebunt omnes contaminationes eius, cunctasque abominationes eius de illa.

19 Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, auferamque cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum,

20 Vt in statutis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciuntque ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.


21 Et quorum cor ambulat ad cor contaminationum eorum, & abominationum eorum, viam eorum in caput eorum dabo, dixit Dominus Iehouah.

22 Eleuauerunt itaque Cherubim alas suas, & rotæ è regione ipsorum, & gloria Dei Israel erat super eos desuper.

23 Et recessit gloria Iehouæ è medio vrbis, stetitque super montem qui est ab Oriente vrbis.

24 Et spiritus sustulit me, reduxitque me in terram Chasdim ad transmigrationem in visione in spiritu Dei, & recessit à me visio illa quam vidi.

25 Et loquutus sum ad transmigrationem omnia verba Iehouæ, quæ ostenderat mihi.



Prophetæ nostro metuenti ne reliquiis Israelis consumptis, promissio de Messia ex hac gente nascendo, prorsus aboleretur, Deus respondet, & obliquè ostendit, quòd etsi omnes qui Hierosolymis erant extingueret: tamen non ideò cariturus esset populo suo. Inter illos enim, qui iam abducti in captiuitatem, nullo numero erant apud Hierosolymitanos, quosdam superesse, qui ad suum populum pertineant: seque curam eorum

eorum gerere. Iam addit egregiam promissionem de restitutione ipsorum in patriam, quæ ad eorum consolationem plurimum faciebat. Fuit autem hæc consolatio exulibus & captiuis valde necessaria. Babylonij enim victis insultabant. Cogebantur quotidie audire, Deum Israelis victum, Templum eius exustum, sacra vasa direpta esse. E diuerso videbant hostes suos rebus omnibus abundare, sacra eorum magno apparatu fieri. Grauius autem tentantur homines, si hæc accidant. Deus itaque per Prophetas suos hæc omnia eis prædixit, & in patriam restituendos promisit. Isaias annis circiter 115. antequam captiui abducerentur omnes, à 40. cap. vsque ad 49. Consolationem scripsit, qua captiuos contra scandalum sceleritatis idololatriarum, confirmaret, inque officio retineret. Patienter omnia aduersa sustinemus, si vel nos, vel filios nostros liberandos, & in integrum restituendos persuasum habeamus: Discimus autem cum alia multa vtilia ex præsentis consolatione, tum præcipue, qualem esse oporteat populum Dei. *Congregabo vos de populis, & adunabo vos de terris, in quas dispersi estis, & dabo vobis terram Israel.* Multæ fuerunt populi captiuitates. Primi enim Phul & Teglatphulassar, maximam decem tribuum partem armis ceperunt, 2. Regum 15. cap. & 1. Par. c. 5. Secundus Salmanassar Samaria & finitimis vrbibus expugnatis, omnes superstites in Mediam & Persiam abduxit, 2. Regum. 17. & 18. cap. Tertius Sennacherib aliis vrbibus Iudææ expugnatis, multisque captiuis in exilium abductis Hierosolyma cum exercitu profectus, illo amisso cum paucis in patriam rediit, 2. Regum. 19. Post hunc quartus Nabuchodonosor Ioachim vndecimo anno eius regni, sui vero imperij anno octauo, adducto exercitu cepit & abduxit. Mox reuersus Ioachim quem patris loco regem fecerat, vinctum cum multis aliis abducit. Tandem Zedechiam quoque vrbe inflammata abduxit. Theodoretus in præfatione Ezechielis, captiuitatem Iechoniæ Hierusalem tertiam, Iuda quartam, omnis verò Israel, sextam fuisse dicit. Quintam enim Israelis fuisse dicit anno tertio regni Ioachim filij Iosia, quo Nabuchad. regno potitus, in Iudæam cum exercitu profectus, & capta vrbe multos abduxit, de quo Danielis 1. cap. Caterum si quis diligenter consideret, Ioachim anno sui regni 8. Nabuchad. tributarius factus est, cuius rei etiam Iosephus meminit, & tertio anno ipsius Ioachimi, qui tertius est ab eo quo tributarius fuit, reuera autem vndecimus, Nabuchodonosoris verò octauus, Ioachim fuit abductus, & illo ipso anno etiam Iechonias. Sed si numeres Ioachimi captiuitatem, quam Theodoretus omittit, cum quo aliquos credendum est abductos esse, illa erit sexta. Euolutis annis 70. fatalibus, reducendos promittit in patriam. *Ego congregabo vos.* Vos, inquam, qui obediistis consilio Prophetæ, quibus illudunt fratres vestri. *Ego colligam.* Videbatur fieri non posse, vt in patriam redirent. Distracti enim per varias prouincias, mancipia erant hostium: in metalla, & pistrina trudebantur, colebant agros, & vineas eorum: breuiter, in seruiabant ipsis. Sperare itaque non potuissent, se iunctis viribus excussuros iugum, cum dispersi essent: Aut hostes eos manumissuros, qui crudeles erant & auari, ideoque illa vtilitate, quam ex eis percipiebant, carere noluisse: adhæc si propter impietatem & scelera sua hostes ab aliis victi fuissent, ne ab illis manumissionem sperare potuissent, ad quos iure belli spectabant. Hodie Turci quos captiuos abducunt, non facile dimittunt, præsertim si periti sint artifices: sed eorum opera ad res varias vtuntur. Deus itaque promittit quod ipse eos velit reducere, & collocare eos in patria terra. *Et veniet illuc, & tollent omnes contaminationes eius, atque cunctas abominationes eius ab ea.* Decem tribus idolis omnia compleuerant, postea Samaritani: Iudæi quoque idololatriam Gentium imitati sunt: sed reuersi in patriam omnia idola sustulerunt: didicerant enim in illa diuturna captiuitate, quantum Deo displicerent. *ꝑꝑꝑ sthikuz* execrationem, & abominationem significat, vt sunt idola, peregrini cultus, scelera. Munsterus reddit simpliciter, idola.

Promissio hæc de reducendis Israelitis in patriam fuit necessaria exulibus.

Captiuitates multæ.

Reductione sperare non potuissent, nisi Deus eam promississet.

Ab omni-  
bus corru-  
ptis reli-  
gio purgan-  
da.

Deus intel-  
lectū & vo-  
luntatem no-  
stram reno-  
uat.

Scriptura idola ferè scædis vocat appellationibus, vt videamus quantum Deo displiceant. Nos quoque illos quibus irascimur, non dignamur propriis nominibus appellare, eorum facientes mentionem. *Tollent omnes abominationes.* Deus enim à nobis postulat, vt non solum crassa idololatria aboleatur: sed omnia quæ cum verbo eius pugnant. De multis regibus dicitur, quòd sublata idololatria, excelsa non sustulerint. Iosias rex laudatur hoc nomine, quòd urbem & terram non à sordibus duntaxat idolorum expurgauit, sed excelsa etiam sustulerit, omniàque alia quæ in Templum inuenta erant ex traditionibus humanis. Hodie quoque non satis est repurgatam esse doctrinam & ceremonias, nisi dedicationes templorum, & alia festa atque ritus contra verbum Dei instituti, auferantur. *Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum.* Ne suis viribus hæc tribuentes, sibi placerent (vt fumus natura *φίλαυτοι*) Deum in ipsis hæc effecturum dicit. Per cor vnum quidam mutuam concordiam intelligunt, quæ egregia est virtus, ad quam multis argumentis Paulus ad Ephes. 4. cap. nos hortatur: sed de hoc potius loquitur, quòd vnum Deum culturi sint. Antè distracta fuerat eorum corda, vt mœchæ alicuius, multos habuerant patronos, &c. Spiritum quoque nouum eis promittit: quid hoc sibi velit, mox subiicit: *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Cor lapideum habuerunt, hoc est, pertinax & indocile: loco eius dabo carneum, hoc est, molle, quod cedat & locum det verbo Dei: quòdque morem gerat Domino. Ex hoc loco colligimus, qualis sit conditio hominis non renati. Saxea sunt corda nostra, nisi Deus ea transmutet in carnea. Antequam id fiat, si quid nobiscum agat, cum lapidibus & velut mortuis agit. Tam corrupta est natura nostra, vt nondum regenerati, quæ recta sunt non intelligamus, nedum velimus, aut perficiamus. Iere. 31. cap. dicit, *Conuerte me & cõuertar: quoniam tu es Deus meus.* Dauid, *Cor nouum crea in me.* Christus, *Caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus cœlestis.* Item, *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum.* Paulus, *Non est volentis, non currentis, sed miserētis Dei.* Item, *Ipse est qui operatur in nobis velle & perficere.* Hæc firmiter tenenda sunt contra Sophistas, qui salutem partim nostris viribus, partim gratiæ Diuinæ tribuunt. Dei opus est salus nostra, non virium nostrarum. De hac materia Petrus Martyr Vermilius in 7. cap. Epist. ad Romanos, & in aliis suis libris egregiè disputat. *Et in statutis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciãntque ea.* Ego efficiam vt studeant Legi meæ: antea quidem Lex in synagogis recitata fuit, sed nullo eius studio tenebantur. Cum regenerati diuino Spiritu vires vtcunque reparatas habeant, ad Legem Dei se accomodare possunt. Exactè quidem Legem præstare in hac corrupta natura non possumus, aspirandum tamen est ad perfectam impletionem. *Et sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.* Congruunt hæc verba cum verbis scæderis, quod Deus cum Abrahamo, adeoque omnibus hominibus pepigit. Deus esse vult populi sui, hoc est, Seruator & Redemptor animæ & corporis: requirit vicissim à suis, vt ipsum Deum agnoscant suum esse, ipsi soli seruiant. *Et quorum cor ambulat ad cor contaminationum eorum, & abominationum eorum, viam eorum in caput eorum dabo, dicit Dominus Iehouah.* Piis semper admixti sunt hypocritæ, qui simulant se verum Deum sincerè colere, interim sua habent idola: non verbum Dei sequuntur, sed propria consilia, his Dominus exitium minatur. Similem prophetiam habemus infra. 36. cap. & Ieremiæ 31. capite.

Restitutio  
Israelis quã-  
do & quo-  
modo facta  
sit.

Videndum iam deinceps, quando & quomodo hæc impleta sint. Euolutis fatalibus illis annis 70. (quos à captiuitate Iechoniæ diligentiores Chronographi numerandos censeant) Deus Cyro Persarum Regi Babylonem tradidit, eiusque cor flexit, vt Iudæis reditum in patriam concederet. Reduxerunt populum, Zerobabel, Esdras, Nehemias & alij, Iudæis se multos ex reliquis tribubus adiunxisse, ex Ieremiæ 30. capite intelligitur. Non quidem Iudæorum & decem tribuum plena facta



facta est illo tempore restitutio, sed per Christum, qui omnes qui ex Israelitis crediderunt, à peccato & inferis liberatos, in cœlestem Hierusalem, veram patriam transtulit: idque per Apostolos & alios suos seruos eis denunciauit. Qui primùm Hierosolymis in die Pētecostes tria milia, mox quinque milia prædicatione Euangelij ad Christianam fidem adduxerunt. Prophetæ, vt etiam Ezechiel, à particulari & corporali illa, ad hanc generalem & spiritualem, restitutionem descendunt. Hoc cùm Iudæi non intelligant, sed omnes prophetias de carnali restitutione interpretentur, in multos errores incidant necesse est.

Liberatio  
ex captiuitate  
Babylonis  
typusest  
liberationis  
veræ per  
Christum.

In calce capitis dicitur, Cherubim sustulisse alas, rotis sequentibus, & super illis gloriam Dei Israelis fuisse, quæ recesserit ex vrbe, & constiterit super montem Oliueti, qui vrbi est ad Orientem: deinde spiritum (alij ventum interpretantur) reduxisse Prophetam in Chaldæam, qui sibi restitutus, omnia exilibus retulerit, quæ in extasi illa vidisset. Multum enim referebat populum, qui à pseudopropheta turbabatur, edoceri de excidio Vrbs & Templi, deq; reliquiis mox in captiuitatem trahendis.



## Concio quinta Ezechielis.

HOMILIA XL.

*Propheta vt à Deo iussus erat, necessaria ad iter longinquum sibi comparat, quò representet Iudæos trahendos in exilium.*

CAPVT XII.

- 1 **H** T fuit verbum Ichouæ ad me dicendo:  
 2 **F**ili hominis, in medio domus rebellis habitas: quibus oculi sunt vt videant, & non vident, aures eis sunt ad audiendum, & non audiunt, quia domus rebellis sunt.  
 3 **E**t tu Fili hominis, fac tibi vasa transmigrations & transmigra per diem in oculis eorum: transmigrabis autem de loco tuo ad alterum locum, in oculis eorum, si forte videant, quia domus rebellis sunt.  
 4 **E**fferes autem vasa tua, tanquam vasa transmigrations per diem in oculis eorum: tu autem egredieris vesperi in oculis eorum, secundum exitus transmigrations.  
 5 **I**n oculis eorum perfode parietem, & educ per eum.  
 6 **I**n oculis eorum super humerum porta, in tenebris effer, faciem tuam vela, neque aspicias terram: quia portentum dedi te domui Israel.  
 7 **F**eci igitur sic quemadmodum præceptum fuerat mihi: vasa mea protuli tanquam vasa transmigrations per diem, & vesperi perfodi parietem manu, in caligine protuli, super humerum portauit in oculis eorum.

Quintæ concionis summa & partes.



Hoc capite, QUINTA CONCIO Ezechielis continetur, in qua Propheta, primùm per parabolam ostendit urbem grauissima obsidione premendam, expugnandam, & Zedechiam Regem, nobiles, atque consiliarios eius noctu se in fugam daturos, sed capiendos à Babyloniis: item reliquias populi abducendas esse in captiuitatem. Secundo loco ostendit obsessos in vrbe, magna fame, & siti laboraturos esse. Tertio, hæc mala mox ventura prædicit. Quæ verò vtilitas ex hoc sermone prophetico percipienda sit, suis locis annotabimus.

Repetitur qualis sit populus.

Principio dicit, Deum iterum admonuisse ipsum de contumacia suæ gentis. *Tu habitas in medio domus rebellis qui oculos habent ad videndum, & non vident, & aures habent ad audiendum, & non audiunt, quia domus rebellis sunt.* Ostendit qualis sit populus ad quem mittatur: nempe rebellis & contumax, qui non peccet ex simplici quadã ignorantia aut imbecillitate, sed ex mera malitia. Contemnebant oracula Prophetarum, nihil volebant audire aut videre, eò quòd rebelles erant. Tales hodie multi sunt, qui licet accedant ad sacras conciones, tamẽ negotium religionis non intelligunt, prauis affectibus excæcati contemnunt verbum Dei, ad clarissimam lucem oculos claudunt, ad clamorem aures obturant. Ideo autẽ repetit tales esse, cum quibus ei negotium erat, ne si experiatur fructum non respondere laboribus suis, officium suum deferat.

Deus iubet Prophetam se accingere ad iter.

Sequitur iam ipsum paradigma vel ipsa parabola, qua pœna indicatur Iudæis inferenda. Propheta potuisset nudis verbis dicere, futurum est vt Rex Iudæorum eiusque aulici furtim effugere volentes, ab hostibus capiantur, & vt superstites populi in exilium trahantur: Sed Deus iubet eum adiicere symbolum externum, sumere vasa transmigrations, ac si longam aliquam profectioem suscepturus esset. Cùmque Propheta iterum vno verbo dicere potuisset: Deus dixit ad me, esto peregrinus, id per partes explicat: Iussit me necessaria ad iter comparare, ab vno loco ad alterum migrare, exportare vasa, perfodere parietem, noctu exire, faciem velare, &c. Superuacaneum autem videtur, hoc loco prolixè disputare, an Propheta re ipsa hoc fecerit, an in visione, mox etenim referet, se exequutum esse quod Deus sibi mandarat. Hæc autem plus mouerunt populum, quàm si verbis simplicibus futuras calamitates prædixisset. Nam si hodie vir grauis senatorij ordinis, vel concionator aliquis magnæ existimationis sibi viatoris habitum sumens per urbem iret, festinans murum perforaret, supellestem suam exporteret, quis non insolentia rei moueretur? Et quò magis absurdum & ridiculum spectaculum esse videretur, eò altius mentibus hominum insideret. Si videas patrẽ vel cognatum tuum mox moriturum, omnino in alium locum velle migrare, caligas, calceos, vestem petere, vt in plateam eat, firmiter inhæret memoriæ, quàm illa quæ decumbens dicit. Ita Ezechiel voluit infigere memoriæ Iudæorum quid futurum esset. Oportuit autem non vno modo Iudæis inculcari, quæ, calamitates impenderent: nam illi qui urbem adhuc tenebant securi erant, captiuisque insultabant, quòd sine sanguine se hostibus dedidissent: captiui verò se deceptos querebantur. Alios quoque seruos Dei res magni momenti, non solum nudis verbis: sed & simulachris atque symbolis quibusdam repræsentasse, exemplis aliquot Homilia 10. ostendimus. *Fac tibi vasa peregrinationis.* Peregrè profecturi, ad iter necessaria sibi comparant, pileum, penulam, peram, baculum vel gladium, calceos, pecuniam: vocat vasa Hebraica phrasi. His se instruere iubetur Propheta, vt ostendat breui migrandum esse Regi & reliquiis populi. *Transmigra per diem in oculis ipsorum.* Voluit Deus eum interdium hæc facere, vt principes & populus hæc omnia conspicientes inexcusabiles redderentur. *Migrabis de loco ad locum alterum in oculis ipsorum, si fortè videant, quia domus rebellis sunt.* Germanica translatio habet, *Si fortè videant, quòd domus rebellis sunt.* Deus noluit Prophetæ suo promittere, in

tere, insolentia & nouitate illius rei, Iudæos ita promouendos, vt suam duriciem agnoscat & pœnitentiam agant: nihilominus tamen, ipse suo officio deesse non debuit. Si non speramus bonum euentum, vix & ne vix quidem labores suscipimus. Deus igitur iubet Prophetam, etsi euentus votis ipsius non respondeat, tamen facere quod iussus est. Si nulla alia ad nos vtilitas redeat, satis nobis sit quod Domino obtemperamus. Parentes si videant se absque fructu liberos castigare, mox animum despondent: Concionatores si absque profectu doceant: Magistratus si frustra se opponant rebus malis: putant consultum esse vt fileant. At hoc exemplum omnes excitare debet, vt studiosè iussis diuinis obtemperent, nihil anxie disputantes de illorum vel fine vel fructu, ne similes sint illi qui talentum suum panno inuolutum in terram defoderat, Matthæi 24. *Efferes vasa tua sicut vasa transmigrationis*, hoc est, quasi reuera migraturus esses. *Egredieris vespere*, significat Regem cum suis noctu erupturos. *Secundum exitus transmigrationis*. Qui iter longum facturi sunt, maximè illi qui patriam deferere coguntur, tristes sunt. Ouidius qui ab Augusto relegatus est in exilium, illam calamitatem pulchra elegia expressit. *Perfode parietem vel murum*. Postea manu hoc fecisse dicitur: nam si periculum vitæ agatur, non diu quærimus apta instrumenta, sed festinantes manibus euellimus lapides, vt periculum effugiamus: necessitas magnum telum est. Non per commune ostium exire iubetur, sed murum perfodere, vt significet urbem obsidendam, portas custodiendas ne quis egrediatur, & Regem cum nobilitate per viam occultam egressurum ex vrbe. *Super humerum portabis & efferes in caligine*. In obsidionibus aliquando dūces oppidanis discedendi, & secum quæ velint asportandi potestatem faciunt, significat autem Prophetam, non concedentibus hostibus, Regem & Principes, rebus preciosis onustus fugituros. *In caligine*. Noctis enim beneficio se euasuros sperabant. Deinde qui in exilium mittuntur, noctu ferè iter ingrediuntur. *Faciem tuam vela, neque inspicias terram*. Hæc mœstitia & pudore affecti signa sunt. In libro Hester 6. capite. Haman videns hostem suum Mardochæum summis honoribus affici, obuelat faciem suam, vt testetur luctum, pudet eum lucem intueri. 7. capite. Hamano suspendendo in crucem, faciem operiunt tanquam indigno qui lucem hanc aspiciat. Deus per Isa. 22. capite. Sobnæ minatur obuelandum eius vultum, hoc est, turpi morte periturum. Ieremiæ 14. capite, præ pudore caput suum operuisse scribuntur qui aquas quærebant & non inueniebant. Christo Seruatori nostro à seruis sacerdotum facies obuelata fuit. Fortè per Ezechielem etiam præsignificatum est, Regi Zedechiæ oculos eruendos esse. *Quia portentum te dedi domui Israel*. Portentum est quod aliquid futurum significat. Significabat hac specie peregrinationis, Regem & populum, qui tot calamitates euasisset, in exilium pellendum, id quod eis rebus florentibus ne in mentem quidem veniebat, putabant se tutissimos esse. Deinde non liberè, sed clam & noctu instar furum egressuros. *Feci ergo sicut iussus fueram*. Iterum habemus obedientiæ præclarū exemplū, exequutus est quod Deus voluit, non aliter quàm iussus fuit. Non ignorare potuit, Regem, principes & populum, qui cōciones serias ludibrio habebant, hanc actionem irrisuros, & dicturos, id quod accidisse sequentia testantur, quàm ridiculus est noster Ezechiel? quid sibi vult? Indignissimè autem generoso animo præditi, ferunt, si fabula sint, at quia Deus iubet eum hoc facere, statim obsequitur. Hodie ridet nos mundus tanquam stultos, qui propter Christum, honores, opes, patriam deferimus, in certissima vitæ discrimina nos immittentes. Sed quia Deus à nobis hoc postulat, sannæ impiorum contemnendæ sunt.

Obuelare faciem, est lugētium habitus.

Obedientiā Prophetæ.

Quomodo verò hæc impleta sint, vide Ierem. 39. & 2. Regum ultimo capite. Zedechias cum suis consiliariis & nobilibus, qui rebus adhuc saluis, de suis viribus sibi nihil non promittebant, & iactabant suum quoque telum cuspidem ha-

Hæc quæ re presentabatur impleta sunt.

bere acuminatam, cum viderent hostem, urbem occupasse, deserta arce vel regia, noctu per viam occultam, (an subterranea fuerit, an alioqui occulta, non exprimitur) ciuibus in discrimine relictis, se in pedes coniciebant, equites vero impeditos propter ea quæ ferebant onera, confectati sunt, & ad Regem Babylonium retraxerunt: de qua re 35. Homilia quoque diximus.

Nobis quoque hæc applicanda.

Hæc nobis quoque diligenter cogitanda sunt: Nam quia eadem scelera, quæ inter Iudæos grassata sunt, apud nos quoque vigent, idololatria, contemptus verbi Dei, crudelitas, periuria, fraudes, intemperantia, libidines, non perpetuò libertatem & domos nostras retinebimus: sed Deus hostes contra nos adducet, qui nostram ingratitude vlciscantur. Sed, esto incolæ non mutantur, tamen in singula momenta singulis expectandum est, quâdo Deus iubeat eos collecta sarcinula hinc migrare. Pœnitentiam itaque agamus.

## HOMILIA XLI.

### Explicatur parabola vasorum transmigrationis.

- 8 Et fuit verbum Iehouæ manè dicendo,  
 9 Fili hominis, an non dixerunt ad te domus Israel domus rebellis, Quid tu facis?  
 10 Dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Super ducem est propheta hæc, in Ierusalem, & super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum.  
 11 Dic illis, Ego portentum vestrum: sicut feci, sic fiet eis: in transmigrationem, & in captiuitatem abibunt.  
 12 Et dux qui est in medio eorum, super humerum portabit vestimenta sua in caligine, & egredietur: parietem serui eius perfodient, vt educant illum per ipsum, faciem suam operiet, ne videat oculo terram.  
 13 Et expandam rete meum super eum, capieturque sagena mea, & adducam eum in Babel, terram Chasdim, ipsam tamen non videbit, & ibi morietur.  
 14 Et omnes qui in circuitu eius sunt, ad auxilium eius, omniâque agmina eius dispergam in omnem ventum, & gladium euaginabo post eos.  
 15 Et scient quòd ego sum Iehouah, quando disperfero eos in gentes, & sparsero eos in terra.  
 16 Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, à fame & à peste, vt enarrent omnes abominationes suas in Gentibus ad quas deuenerint, & scient quòd ego Iehouah.

Parabola superior expōnitur.



Rima pars huius capituli vel concionis, quæ proluxa est, duo completitur. Primum parabolam vasorum transmigrationis: deinde expositionem parabolæ, quam nunc audiemus. Quia verò in superioribus, pleraque habuimus, ideò nunc ero breuior. Summa est, Regem cuius aulicis per viam occultam, rebus preciosis onustum, frustra fugiturum, & reliquias populi in exilium trahendas esse. *Et fuit ad me verbum Domini manè dicendo.* Subinde repetit verbum Domini factum esse ad se, hoc loco addit *manè*. Tèpestiuè enim admonuit Deus populum suum. Sunt qui aliis consulunt, sed non in tempore: magnum est si quis in tempore homines admoneat eisque consulat, non iam rebus deploratis. Quomodo Deus populo suo mature consuluerit, vide 2. Paralip. vltimo cap. Vbi legitur, Zedechiam Regem non egisse pœnitentiã, adhor-

Deus mature ad pœnitentiã vocauit Iudæos.

tante

tante eum Ieremia verbis Domini: pontifices idem & populum cumulasse peccata peccatis: postea subiicit: Idcirco misit Iehouah Deus patrum suorum, manè surgendo & mittendo, quia pepercit populo suo & habitaculo suo. At illi subsannabant nuncios Dei, &c. Vide reliqua. *An non dixerunt ad te domus Israel, domus rebellis, Quid tu facis?* Non candido animo interrogabant, vt quid sibi vellet peregrinantis habitus, intelligerent: sed vt eum tanquam stolidum aut furentem exploderent. Ideo addit, *Domus rebellis*. Prophetæ pro stultis & pro furiosis hominibus habiti sunt, *Tu*, habet emphasim quasi dicant, Virum grauem, Prophetam, non decet ita ineptire: quid tibi vis illa fictitia protectione?

*Super ducem est onus hoc in Ierusalem, & super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum, Hoc onus*, id est, grauis & minax hæc prophetia, spectat regem Zedechiam, Iudæos, & Israelitas illis permixtos. Credendum enim est multos cum abducerentur decem tribus, in urbem Hierosolymorum profugisse. Hic quoque locus ostendit, principibus mala quæ propter scelera sua eos manent, prædicenda esse. *Ego portentum vestrum, sicut feci, sic fiet ipsis*. Quod ego me ad migrandum accinxi, protendit vobis migrandum esse ex patria in exilium: putatis me ludere, sed serio implebitur, quod externa actione adumbraui. Quod ego facio in figura, vos facietis in veritate.

*Dux qui est in medio ipsorum, super humerum portabit in caligine, & egredietur*. Principes & nobiles habent suos equos gradarios, mulos, lecticas, carpenta, currus egregie ornatos, non pedes incedunt: sed Rex ipse sarcinam portabit humeris, (probabile enim est eum non solum aulicos suos, rebus preciosis onerasse, sed ipsum quoque quædam portasse) & pedes incedet.

Rebus desperatis, vt in naufragiis, incendiis, præliis necessitas cogit magnos principes facere quæ vulgus facit. Anno Domini 527. In expugnatione urbis Romæ, Germani milites docuerunt summum pontificem, quem humeris sublimè gestare oportet, pedes ire, & in arcem Angeli confugere. *Parietem vel murum effodient vt educant illum per ipsum*. Milites vel serui eius, murum effoderunt, vt effugere posset. Lyranus putat ostium viæ subterraneæ obstructum fuisse, & nunc apertum. In quibusdam arcibus sunt subterraneæ viæ, non omnibus notæ, quæ obstruuntur, & cum vsus postulat aperiuntur, vt nobiles exire possint.

Alij reddunt. *Et egredietur per parietem quem perfoderunt, vt efferant sua per eum*. Per murum illum res charas asportabunt. *Faciem suam operiet, ne videat oculo terram*. Magni principes habitum mutant, vel faciem operiunt ne ab hostibus cognoscantur. Alij putant Regi cum ab hostibus caperetur, obrectum esse vultum ignominie causa. Furibus velatur facies apud nos, cum ad supplicium ducuntur. Redi ad versum 6.

*Expandam rete meum super eum, capieturque in plagis meis.* מִצְדָּה *Mizodah*, rete & venationem significat. Qui sagenam vertunt, putant metaphoram esse à piscatione. Principes varia consilia captant rebus dubiis. Cogitant de deditioe, sperantes se benignè tractandos propter dignitatem suam, vel spem ponunt in pedibus: item per equos dispositos sperant se posse effugere: aut alioqui hostes fallere, quibus viæ non tam sint notæ: habitu etiam mutato cogitant se euasuros: sed sua spe frustrantur, si Deum hostem habent. Rem declarat apta & principi atque nobilitati notissima similitudine, sumpta à venatione. Principes multum delectantur venatione, toto aliquando die, etiam per loca auia & abrupta feras persequuntur. Varia habet canum genera, varia retia, maximos & incredibiles sumptus impendunt in venationem. Cerui, capreoli, apri, & aliæ feræ, quas venabulis aut telis conficere instituerunt, euadere non possunt: ita ego, dicit Dominus, tendam meas casses, in quas Rex cum nobilitate omnino incidet. Eadem similitudine vtitur Ieremias 16. cap. Quod Babylonij fecerunt, Deus sibi ascribit, illi enim venati sunt

Regem : sed non potuissent eū capere, & in suam potestatem redigere, nisi ipse voluisset. Si Deus gētem aliquā, vel hominem aliquem punire velit, frustra latebræ & effugia quærūtur : habet enim varia retia, quibus rebelles capiat. *Adducam eum in Babel terram Chaldæorum, ipsam tamen non videbit, & ibi morietur.* Non est dubitandum quin Rex & aulici eius deriserint & facetè eluserint verba Prophetarum Ieremiæ & Ezechielis, quasi inter se pugnantiā. Ieremias enim dixerat, Zedechiam visurum Regem Babylonium : Ezechiel verò dicebat, eum trahendum in Babylonem, nec tamen ipsam visurum. Vtrunque rectè vaticinatum esse, postea euentus docuit. Zedechias enim Riblatham, quæ in finibus Iudææ erat, ad Regem Babylonium adductus, eum vidit : filios item & principes suos vidit iugulari, sed postea effossi sunt eius oculi, & duabus catenis vincētus in Babylonem tractus est, vbi miser reliquo vitæ tempore conspectu Solis & Lunæ spoliatus, in carcere miserè obiit. *Et omnes qui in circuitu eius sunt, ad auxilium eius, omnesque alas eius dispergam in omnem ventum* Habebat externa auxilia, deinde suos *σωματοφύλακας* & milites exercitatos (per alas enim intelligit militum turmas : etiam Latini, equitum ordines, alas vocant) his indubiè plurimùm fidebat. Etenim pij quoque locorū munitioibus, fœderatis suis, militibus peritis & exercitatis, nimium aliquando tribuunt. Hæc omnia, si Deus regibus irascatur, eis nihil profunt. Cùm extrema necessitas milites illos vrgeret, hinc inde trepidi diffugiebant, vt ipsi incolumes essent : capti ab hoste, iterum dispersi sunt. De aliquot Roma imperatoribus legimus, quod prodiit à prætorianis militibus (quibus multum tribuerunt) miserè trucidati sint. *Gladium euaginato post eos.* Etiam cùm se euasisse putarent, victoris gladio perierunt. *Et scient quod ego sum Dominus, quando sparsero eos in Gentes.* Iam dicit, Ex sermonibus Prophetis nolunt me cognoscere : cognoscent itaque magno suo malo, quale sit meum ingenium. Inuenias magnos viros qui de Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, eorūque scriptis contemptim sentiant, & quæ de pœnis dicuntur, astutè conficta esse putent, vt homines in officio retineantur : sed tandè suo magno malo experiuntur vera esse quæ sacris Literis continentur. *Et relinquam ex eis viros numeri, hoc est, paucos à gladio, à fame, & à peste, vt enarrent omnes abominationes suas in gentibus, ad quas deueniunt.* Quod antè dixit, pluribus verbis reperit. Iudæi qui speculum virtutum esse debebant quod intuerentur vicinæ gentes, ita se gerebant, vt Dei nomen propter ipsos malè audiret : proinde Deus reliquias quæ peste, fame, & gladio non perierant, dispergi voluit inter Gētes, vt omnes exemplo ipsorum discerent sibi cauere ab illis sceleribus, propter quæ Iudæi patria pulsi fuerant. Voluit etiam Deus, vt Iudæi illi vbique præcones essent veræ religionis, & gentes apud quas exulabant, paulatim ad doctrinam de vno Deo, & de Messia, per Apostolos aliquando propagandam, assuefacerent.

Finis pœnarū Dei.

In captiuitate indubiè memoria repetierunt multa, quæ rebus saluis parum curauerant. Babylonij indubiè putabant religionem Iudæorum tot cladibus penè oppressam : sed tantum abest vt extirpare religionem potuerint, vt multò magis eam promouerint. Hodie quoque persecutiones seminarium quoddam sunt Euangelicæ doctrinæ. *Et scient quod ego sum Dominus.* Hoc sæpe repetit, re ipsa didicerunt Iudæi ita habere, quæ antea non credebant : possunt tamen hæc verba ad Gentes quoque referri, quæ didicerunt ex dispersione Iudæorum, quali ingenio Deus Israelis sit præditus.

## HOMILIA XLII.

*In Typo quodam famem & sitim, quæ obsessos maneat, prædicit.*

17 Et fuit verbum Iehouæ, ad me, dicendo:

18 Fili hominis, panem tuum cum tremore comede, & aquas tuas cum commotione & tremore bibe.

19 Et dic ad populum terræ, Sic dixit Dominus Iehouah super habitatores Ierusalem, super terram Israel: Panem suum cum timore comedent, & aquas suas in desolatione bibent: vt desoletur terra eius à plenitudine sua, propter iniquitatem omnium habitantium in ea.

20 Et vrbes habitatæ desolabuntur, & terra deserta erit, & scietis quòd sum Iehouah.



Ecunda pars huius capituli continet prædictionem de fame & siti, qua in diuturna obsidione cruciãdi sint. Antea principi & proceribus quæ euentura ipsis essent prædixit: iam ad populum se præcipuè conuertit.

Non autem nudis verbis rem proponit, sed addita parabola, vt supra quoque, idque hoc consilio, vt quæ dicebantur altius penetrarent in animos eorum. Tamen enim hoc tempore omnia negligenter, postea tamen reuocarunt & hæc & alia in mentem. In morbis & aliis afflictionibus quibus Deus nos exercet, sæpe animo recurrunt, quæ in concionibus aliquando audientes, non adeo magni momenti esse putauimus. Semen verbi Dei coniectum in corda nostra,

suo tempore fructum non pœnitendum profert. *Panem tuum cum tremore comede.*

*רעש raasht* tumultum, commotionem & trepidationem significat. *Et aquas tuas*

*cum commotione & tremore bibe.* *רגש regasthah*, sonitum, tumultum, strepitum interpretantur: *רגוה regessah*, pauorem, furorem, tremorem. Cum edere aut bibere

voluit, debuit festinare, tremere: quid autem hac re significatum sit mox subiicitur. Similem locum 4. cap. 16. versu habuimus. Sic agnum Paschalem Israelitæ comedere debuerunt, stando, circumcinctis lumbis, baculos habentes in manibus,

calceatis pedibus, festinanter, quæ omnia suam quoque habuerunt significationem. *Dic ad populum terræ.* Nimirum Chaldæorum, & regionum per quas dispersi fuerant captiui: vtilis autem & necessaria fuerunt hæc prædictiones. Populus enim qui sponte cum Iechonia in exilium migrauerat, pœnitentia ductus (vt sæpe dixi) indignabatur Ieremiæ, cuius suasu patrios fines reliquerant: frigidam eis suffundebant pseudoprophetæ, dicentes: satius fuisse ad extremum vsque spiritum pugnare, quàm se dedere: & mirifica populo promittebant. Propheta itaque dicit, res ipsorum non deteriore statu esse, quàm illorum qui adhuc in patria florere videantur. Subitam enim fore mutationem, & post varias clades, reliquias etiam in Babylonem abducendas esse. *Sic dicit dominus super habitatores Ierusalem,*

*super terram Israel.* Captiui prædicit quid Deus statuerit facere de incolis vrbis, & Israelitis, qui ex decem tribubus ad eos belli tempore profugerat. vel *habitatoribus Ierusalem super terram Israel.* Hoc est, incolis Ierusalem, quæ sita est in terra Israel. *Panem suum cum timore comedent, & aquas suas cum desolatione bibent.* Non repetit voces quibus paulò antè vsus est. *דאגה deagah*, sollicitudo, mœror, timor futuri mali. *שמש themamah* solitudo, desolatio, scilicet animi, hoc est, stupor, admiratio. Propheta in tumultu, trepidatione, dolore vel anxietate, panem comedere debuit, vt famem quam Iudæi in exilio, præcipuè verò in obsidione perlaturi erant, repræsenteret. Ne buccellam panis tranquillo animo comesturos significat. Nam in obsidionibus vrbiũ, sæpe à mensa relicto cibo ad defendendos muros, & repellendos hostes festinare oportet. Vigiles in turribus, & alij ad hoc constituti, significant ciuibus ad quas partes vrbis hostes colligantur. Deinde metuebant, ne si ad saturitatem pane vescerentur, postea famè morituri essent. Ad hæc metuen-

Præcipitur  
Prophetæ  
vt panem e-  
dat, & aquã  
bibat in tre-  
more & so-  
licitudine.

Interpreta-  
tio huius fa-  
cti.

dum erat, ne ut sit cibi inopia, milites in ædes irrumperent, & panem faucibus eorum extraherent. Assueuerant delicatissimis panibus, postea ne ater suppetebat. Idem est intelligendum, de aliis quoque cibi generibus. Aquas bibere debuit in dolore, anxietate & stupore, ut ostenderet aquæ inopia laboraturos. Hætenus preciosissimis vinis abundarant, postea verò ne aquæ, quibus recreari possent, eis suppetebant. Mirabantur se eò deuenisse, ut non tantum pecora atque iumenta, sed etiam magna hominum multitudo siti consumeretur. Quantum sit malum cum siti luctari, in febribus sæpe experimur. Hircius de bello Gallico libro 8. scribit Cæsarem Vxellodunum oppidum in finibus Cadurcorum in monte situm, aqua prohibuisse: fontis enim qui sub mœnibus magnus prorumpebat venas cuniculis intercidiisse, atque auertisse, atque sic factum esse, ut oppidani magna parte suorum siti amissa, necessitate coacti se tradiderint. Similibus exemplis plenæ sunt historiae, &c.

Terram vastandam esse ab hostibus.

*Ut desoletur terra à plenitudine eius.* Hoc est, ut intelligant non solum urbem obsidione premendam, sed terram, quæ veluti Paradisus Domini erat, & ut Scriptura dicit, lacte & melle fluebat, quæ frumento, oleo, vino, auro, argento, aliisque rebus preciosis abundabat, non sine stupore in vastitatem redigendam. Si magni exercitus terram aliquam ingrediantur, oppida diripiunt & incendio consumunt, arbores & vites excidunt, segetes proculcant, prædas abigunt. Hæc nobis quoque dicuntur, etsi regiones aliqua & oppida plena sint incolis & opibus, tamen

Causa efficiens harum calamitatum.

facile possunt exhauriri. *Propter iniquitatem omnium habitantium in ea.* **Chamaß** iniuriam & rapinam interpretantur. Non solum multis superstitionibus contaminati erant, sed rapaces, auari, perfidi, crudeles: ideo Deus eos fame & siti perdere decreuerat. Hodie quoque easdem ob causas Deus fame nos affligit. D. Cyprianus scribit contra Demetrianum, qui, ut & alij, Christianis imputabat quòd bella crebrius surgerent, quòd lues, fames, grassarentur: ideo fieri quòd deos Gètilium non colerent. Cyprianus inuertit dicēs, tot calamitates ideo accidere, quod Gentiles verum Deum non colunt. De famis causis producit locum ex Amos 4. cap. ex Aggæi 1. cap. In historiis Ecclesiasticis etiã memoriæ proditum legimus: si qua calamitas publica incidisset, conclamatum esse cõtra Christianos, Ad bestias, ad bestias, ad leones, tolle sacrilegos, scelestos istos homines non fas est viuere. *Urbes habitatae desolabuntur.* In tribu Iuda multa erant oppida, quorum quædam natura loci egregie munita fuisset credibile est: at cum oppidani audient totius Gentis Metropolitim expugnatam esse, desperata salute, se hostibus tradent, aut vi expugnabuntur. Multi cum hostis aduenire multis legionibus nunciabitur, se Hierosolymam, tanquam in locum munitiorem recipient, atque ita passim vrbes desolabuntur. *Terra in squallorem redigetur.* Quia ingressi sunt eam innumerati exercitus, & cultus agrorum neglectus est. *Et scietis quòd sum Iehouah.* Non enim poterant adduci, nisi grauissimis suppliciis, ut crederent Deum irasci sceleribus illis, quæ impudenter committebant.

Finis horum malorum.

Impleta sunt hæc omnia.

His quæ prædixit Propheta de fame, siti, agrorum vastatione, urbium euatione, omnibus euentus respondisse, Sacra historia testatur. Hæc mala nos quoque experimur, curandum itaque esse ut fontes obstruantur, ne alia quoque accedant. Nisi enim homines lenioribus pœnis ad pœnitentiam excitentur, immittit eis subinde grauiores, donec eos funditus extirpet. Discamus alienis exemplis cautionem & prouisionem incommodorum.

HOMILIA XLIII.

*Prædictorum malorum accelerati-  
nem prædicit.*



21 Et fuit verbum Iehouah ad me dicendo.

22 Fili hominis, quod est prouerbium istud vobis in terra Israel, dicendo, Prolongabuntur dies, & peribit omnis visio.

23 Ideo dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Faciam cessare prouerbium istud: nec dicent prouerbium istud vltra in Israel, sed loquere ad eos, Appropinquauerunt dies illi & verbum omnis visionis.

24 Non enim erit vltra visio illavana, nec erit diuinitio blandientis prophetæ in meo domus Israel.

25 Quia ego Iehouah loquar: quod loquar verbum, fiet, non protrahetur vltra, sed in diebus vestris domus rebellis, loquar verbum, & faciam illud, dixit Dominus Iehouah.

26 Et fuit verbum Iehouæ ad me dicendo:

27 Fili hominis, ecce domus Israel dicunt, Visio quam hic videt est ad dies multos, & in tempora longa iste prophetat.

28 Propterea dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Non protrahetur vltra omne verbum meum, quod loquar verbum, fiet, dixit Dominus Iehouah.

**I**N tertia parte huius capituli, ostendit Propheta pœnas illas, quas Regi, principibus atque aulicis ipsius, totiq; populo in hoc capite supra sacerdotibus, infligendas prædixit, iam iam instare. Negotium enim illi erat cum duobus hominum generibus. Primum genus, prorsus non credebat vaticiniis: sed potius ridebat. Quis, dicebant, Prophetis istis dixisset quid Deus in animo habeat? Si veraces essent, iam pridem impleta fuissent hæc omnia quæ prædixerunt. Alterum genus non prorsus negabat hæc ventura quæ prædicebantur, sed dicebant diu differenda. Deus itaque iubet Prophetam disertè dicere hæc omnia euentura certò & breui. Nos verò quia impendentibus malis, natura securi sumus, eò attētius hæc audire debemus, & veterum excutere. *Fili hominis quod est prouerbium istud vobis in terra Israel, dicendo: Prolongabuntur dies & peribit omnis visio?* Hæc interrogatio seruit vel indignationi, vel admirationi: miratur tantam pertinaciam populi qui educatus erat in vera religione. Quòd Deus Iudæis non statim vt merebantur, pœnas infligit, sed eis longo tempore & assiduè per Prophetas suos minatus est, flectere eos debuit ad veram pœnitentiam: sed illi contempta Dei patientia, sibi nihil amplius metuendum persuasum habebant. Quin prouerbij vice iactabant, Pœnæ diu dilatæ sunt, peribit omnis visio. Symmachus vertit *διατελεύσει* euanesceat in auras, irrita erit: res nostræ sunt in portu: Nō dicūt est vt pœnitentiā agamus, non contēnamus *μακροθυμίαν* Dei, Roma. 2. capite. Retinent hoc ingenium impij: cū enim ex verbo Dei docētur Deum detestari peccata hominum, & instare iudicium vniuersale, in quo iusto Iudici dictorum factorūque nostrorum ratio reddenda sit non mōuentur; Citius venisset, dicunt vel cogitant, si talis esset Deus qualem fingitis. circumferunt sua impia prouerbia. De hac securitate impiorum Christus Matthæi 24. Paulus 1. Thess. 5. & Petrus 2. Epist. 3. cap. loquuntur. In specialibus quoque Dei iudiciis, homines securi sunt. *Ideo dic ad eos, Sic dixit Dominus Deus, Faciam cessare prouerbium istud.* Dic ipsis non te affectuum impulsu, sed Deum ipsū dicere, quòd locum non amplius habiturum sit illud prouerbium: re ipsa magnòque suo malo experturos rem aliter casuram, quàm ipsi sperent. Si homines misericordia Dei ad peccandi licentiam abutuntur, accenditur eius ira, vt pœnas acceleret. *Loquere ad eos, Appropinquauerunt dies illi, & verbum omnis visionis.* Illi dicunt diu pro-

trahenda quæ prædicta sunt, & omnem visionem diurnitate temporis irritam fore: tu è diuerso cōtestare, dies illos appropinquasse, & res prædictas omnes nulla excepta, fore perficiendas. *Non erit ultra vlla visio vana.* Iudæi sua spōte quidem repudiabant Prophetarum doctrinam: sed accedebant pseudopropheta, qui, vt dicitur, frigidam aquã eis suffundebant, multa disputãtes de misericordia Dei, quæ tamẽ ad pœnitẽtes non impœnitẽtes pertinent: deinde vociferabantur, nõ posse deleri regnum Iuda, quia in promissione dicitur: Non auferetur sceptrum & legislator de Iuda donec venerit Schilo: si omnia euertenda essent, non habituram locum illam promissionem. Adhæc illa quibus Prophetæ dicebant irã Dei prouocari, ipsi veros cultus esse affirmabãt, atq; ita furor Iudæorũ ab illis cōfirmabatur. Propheta itaq; dicit, Nulla visio vana habebit locũ amplius. Perierunt enim illi pseudopropheta: aut si qui euaserunt, illis obturatũ fuit os. euentus enim stultorum magister, docuit eos vana spe Iudæos lactasse, non enim cum conditione fausta illis promiserant, nempe si vitã emendarent, &c. sed simpliciter. Facile erat videre quĩnã ex Deo loquuti fuissent, vel minus. Hinc veri Prophetæ à falsis discernuntur. *Nec erit diuinitio blanda vel blandientis, in medio domus Israel.* כספ *kasam*, diuinare, hariolari, generale est vocabulũ quod omnes species diuinationis comprehendit. Cōtra Legem Dei, Deut. 18. & Leuit. 20, auscultabant hariolis, magis, astrologis, qui eis assentabantur, dicentes, se ex positu astrorum colligere, omnia feliciter eis cessura. Isaias 47. prædicens Babyloniis exitiũ, Stent quæso, inquit, & feruent te contẽplatores cælorum, inspectores stellarum, & qui prædicunt ex mensibus dicant quĩdnam super te venturum sit. Pollicebantur Babyloniis magna, sicut & illi Israelitis, sed præstabant nihil. Astrologiam diuinatricem damnant nõ solum summi Theologi, sed & leges sapientissimorum principũ. Tertullianus vetustissimus Ecclesiæ scriptor, in Apologetico suo 23. cap. de Christianis ita loquitur: Astrologorum, aruspicum, augurũ, magorum artes, vt ab angelis desertoribus proditas, ne suis quidem causis adhibent Christiani. Gregorius Nazianzenus grauis Theologus, augures cæli perinde facere dicit, ac si quis conspecto palatio aut throno principis alicuius, eius cogitationes & consilia explicare conetur. Hac de re cum à multis aliis prolixè & eruditè est disputatũ, tũ à doctissimo philolopho, Thoma Erasto, in defensione libelli Hieron. Saonarolæ cōtra astrologiã diuinatricẽ, &c. His addẽdum est, adulationem semper quidem perniciosam esse, sed in causã religionis longè perniciosissimam, vt cum pseudopropheta & alij probant quæ nostro ingenio ad placandum Deum cōfinximus. *Quod loquar verbum, fiet, nõ protrahetur ultra, sed in diebus vestris, domus rebellis, loquar verbum, & faciam illud, dixit Dominus.* De certitudine meorum verborum, dicit Dominus, dubitare nõ debetis. Cælum & terra, dicit alibi, præteribit, verbum autem meum non præteribit. Homines mēdaces sunt, Deus autem verax est in minis & promissis, vt vt res diu protrahantur. Illud quod prædico per Prophetas meos, vobis superstitibus eueniet, non post aliquot secula. *Visio quam hic videt est, ad dies multos.* Cōfutat alterum genus hominum, quod non disertè dicebat, pœnas non vêturas: sed dicebãt, Fieri quidem potest, vt tandem hæc eueniant, de quibus sacri Vates dicunt: sed nos tunc non viuemus amplius. Disertè itaq; dicit, iam iã pœnas esse pro foribus. *Quæ ego loquar fiet, quæ vestri Prophetæ loquuntur in auras euanescent.* Si historiam cōferamus cum his, apparet omnia ad amissim impleta esse. Etenim si primo anno suæ vocationis hanc orationem habuit, mox quinto anno vrbs obsessa est, & impleri cœperunt omnia de quibus prædictum est. Cũmq; Rex soluta obsidione, cum exercitu contra Ægyptios Iudæorum fœderatos, tenderet, ne copias iungerent, securi erant, non cogitantes, mox rediturum & de illis pœnas sumpturum. Stupendam hanc Iudæorum cæcitatem considerantes, in nos descendamus, & castis precibus à Deo peccatorũ nostrorũ veniam petamus, ne pœnas pœnis accumulet.

# Concio sexta Ezechielis.

HOMILIA XLIIII.

*Contra pseudopphetas acriter inuehitur, & notis aliquot à veris eos discernit.*

CAPVT XIII.

- 1 **F**uit verbum Iehouæ ad me dicendo,  
 2 Fili hominis, vaticinare cōtra Prophetas Israel qui vaticinan-  
 3 tur, & dic prophetantibus de corde suo, Audite verbū Iehouæ.  
 Sic dixit Dominus Iehouah, Væ Prophetis insipientibus qui  
 ambulant post spiritum suum, & nihil viderunt.  
 4 Tanquam vulpes in desertis, Prophetæ tui Israel fuerunt.  
 5 Non ascendistis ad fracturas, neque sepisti sepem super domum Israel, vt sta-  
 retis in prælio in die furoris Iehouæ.  
 6 Viderunt vanum, & diuinationem mendacem, dicūt, Dixit Iehouah: & Iehouah  
 non misit eos, & populum sperare fecerunt, vt confirment suæ prophetiæ verbum.  
 7 An non visionem cassam didicistis, & diuinationem mendacem dixistis? Et tamen  
 dicitis Iehouah, cum ego non sim loquutus.

**H**oc capite continetur C O N C I O VI. Ezechielis quam contra pseu-  
 dopphetas habuit. Et primū quidem cōtra sexum virilem, deinde  
 contra muliebrem, ostendens peccatum ipsorum, & pœnam qua  
 affiendi sint. Cæterū contra illos præcipue agere videtur, qui in  
 Babylone erant, postea enim dicet, *Ad terram Israel non reuertentur.* Huc referenda  
 est historia, ex 29. 32. 33. 38. Ieremiæ, de falsis prophetis, qui gloriabantur se ex Spiritu  
 Dei loqui, populūque fausta prædicentes, efficiebant vt fracti captiuitate, cri-  
 minarentur Prophetas Dei. Pseudopphetæ illi fuerunt magna causa malorum,  
 quibus populus obrutus fuit, non quod ille excusari possit: veros enim Prophetas  
 quos Deus excitauerat, nolebant audire, sed sectabatur illos qui blanda ei loque-  
 bantur. Hodie quoq; multi doctores sibi deligunt, qui miseros inanibus promif-  
 sis lactent, reiectis fidis monitoribus, ideo patitur eos Deus decipi.

Discimus ex hoc capite, primū resistendum esse pseudopphetis. Inuenias  
 homines politicos, qui eos Dei iudicio relinquendos dicant, non reprehenden-  
 dos, ne pax publica violetur. Quasi verò pastores, lupos abigere non debeant. Pro-  
 phetæ omnibus seculis grauissimè in falsos doctores inuecti sunt. Christus ipse, li-  
 cet humanissimus fuerit, tamen falsos doctores acriter taxauit. Paulus & reliqui  
 Apostoli, subinde disputarunt cum suis aduersariis. Paulus Episcopum informans  
 præcipue ab eo requirit, vt contradicentes possit *ἐμσομίζεν*. Nihil enim tam est  
 pestiferum atque falsa doctrina. Neque solū viua voce, sed etiam scriptis contra  
 falsos prophetas pugnandum est.

Deinde colligimus semper dissidia fuisse inter doctores. Ezechielis tempore  
 multi erant, qui ipsum & alios veros Prophetas accusabant, quod Spiritu Dei

Scop<sup>9</sup> sextæ  
 concionis.

Doctores se  
 falsis pro-  
 phetis oppo-  
 nere debēt.

non essent præditi, ex quo ipsi loquerentur. Christi temporibus non omnes idem sentiebant, sed diffidiis plena erant omnia. Posteris temporibus idem factum esse historiæ abundè testantur. Etiam illi qui eandem religionem professi sunt, non semper in omnibus doctrinæ capitibus consenserunt. Paulus dicit, 1. Cor. 11. oportere hæreses venire, ut qui probi sunt, manifesti fiant. Quod quidam expectant communem consensum in religione vera, stultum est.

Discimus adhæc ut Deo grati simus pro luce doctrinæ, ne pseudoprophetarum, & pseudoprophetarum dolis rursus opprimamur. Paulus discipulum suum Tim. in 2. Epist. 4. c. valde obtestatur, ut prædicet sermonem, tempestiuè & intempestiuè instet. Nam fore tempus, cum sanam doctrinam non sustineant, à veritate ad mendacium aures auersuri sint. Hoc superioribus quoque seculis cum factum esset, agmina monachorum & monacharum puræ doctrinæ lucem extinxerunt.

*Vaticinare contra Prophetas Israel, qui vaticinantur.* Quod de falsis prophetis loquatur, verba mox sequentia testantur: dicit enim: *Dic prophetantibus de corde suo, audite verbum Iehouæ.* D. Hieronymus adhuc locum dicit: Non quempiam moueat quod

Vox Prophete  
in bonam  
& malam  
partem  
accipitur

Prophetæ appellantur. Hanc enim habet sacra Scriptura consuetudinem, ut vnumquemque vaticinationis suæ & sermonis Prophetam nuncupet: sicut prophetæ appellantur Baal: & prophetæ idolorum, & prophetæ confusionis, vnde & apostolus Paulus poetam Græcum (Epimenidem) Prophetam vocat, ad Titum 1. Vos, inquit, vestra somnia hominibus obtruditis pro veris oraculis: audite igitur quid ego ex Dei reuelatione dicam. Indignè ferebatur pseudoprophetæ, quod Prophetæ Dei dicerent se ex sancti Spiritus instinctu loqui. 2. Reg. 22. Sedechias impingens Micheæ alapam, dicebat, Num me reliquit spiritus Domini? *Væ prophetis insipientibus qui ambulat post spiritum suum & nihil viderunt.* Pseudoprophetas stultos vocat. Callidissimi quidem & astutissimi, humanaq; prudentia instructissimi erant: at nisi cum pietate coniugatur, stultitia est coram Deo. In rebus diuinis talpa sunt cæciores. Multi quoq; civili prudentia ornati, pueriliter de negotio religionis loquuntur. *Væ illis dicit.* Promittunt sibi & aliis omnia foelicia: sed Deus in animo

Væ.

& corpore in hoc & futuro seculo eos puniet. Christus quoq; væ ingeminat contra Scribas & Phariseos. Breuem hoc loco descriptionem habemus pseudoprophetarum. Pseudoprophetæ sunt qui ex corde suo prophetant, qui sua figmenta aliis obtrudunt, qui ex Deo non loquuntur, item qui ambulat post spiritum suum, hoc est, qui suas phantasias, sua somnia, loco verbi Dei proferunt, qui cum nullas reuelationes habuerint, iactant tamen visiones suas cœlestes. Ex opposito intelligis quoniam sint viri Prophetæ, nepe qui non ex suo corde loquuntur, & post suum spiritum ambulat, &c. Prudenter discernendi sunt veri à falsis: quod non difficile est illis

Quis sit falsus propheta.

qui Symbolum fidei & Decalogum tenent. *Tanquam vulpes in desertis prophetæ tui Israel fuerunt.* Pseudoprophetas vulpibus comparat. Vulpes astutæ sunt, voraces, timidæ, venatores eludunt, & cum mortuæ videntur, reuiuiscunt, suas habent specus in quos se recipiunt, nec solum in desertis locis se continent cuniculis, leporibus & auibus insidiantes, sed etiã villas & pagos noctu ingrediuntur, gallinas, anseres, anates,prehendunt, & auferunt. Ita pseudoprophetæ callidissimi sunt, timidi sunt, non in apertum prodeunt, latibula quaerunt, aucupia habent pecuniæ, blandi domos ingrediuntur, & in animos penetrant, ut hominibus imponant. Paulus in 2. Tim. 3. dicit de pseudoapostolis, quod subeant in familias & captiuas ducant mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis concupiscentiis. Vulpes in desertis quodammodo regnant: ita populus qui dispersus fuit, & veluti in deserto, magis fuit expositus prophetarum insidiis: nemo enim ferè erat qui se illis opponeret. Christus pseudoprophetas lupis, sed pelibus ouium tectis comparat. Matt. 7. cap. *Non ascendistis ad rupturas, neque sepistiis sepem super domum Israel, ut staretis in praelio in die Iehouæ.*

Vulpes delosa.

Hæc verba de pseudoprophetis & principibus populi, atque adeo de populo vniuerso

uerso

uerso exponi possunt. Prata, horti & vineæ, muniuntur sepibus, maceris & muris quæ si rumpantur ruptura refarcitur, ne à bestiis & hominibus vastentur. Vrbes cinguntur mœnibus, quæ si rupturas habeant, etiam reficiuntur: ne noctu ingredi & exire possint, qui volunt. In rupturis quoque stare oportet, vt abigantur feræ, item ne hostis urbem capiat. Hæc transferendâ sunt ad vineam Domini, ad domum Dei, hoc est, Ecclesiam, si rupturæ appareant, hoc est, scelera, hæreses, schismata, ob quæ Dei ira accenditur, doctores qui architectis comparantur, se debent opponere, tradentes vera dogmata, refutantes falsâ, adhortâtes homines ad veram pœnitentiam, taxantes scelera: opponere item se debent bono vitæ exemplo, & piis atque ardētibus precibus. Stare in prælio oportet in die Iehouæ, si immitat publicam calamitatem, salutem ciuium suorum defendere debēt. Id pseudopphetæ illi nō faciebant, imò ipsi erant bestię illæ, quæ vineam vastabāt, & hostes, qui ciuitatem Dei destruebāt. Videbant signa iræ Diuinæ multa, nihilominus principibus & populo blandiebantur, vt eorum fauorem captarent. Rex & principes se opponere pseudopphetis illis debebāt, se in rupturam ingerere, vt iram Dei auerterent, sed volebant omnino tales, opponebāt se piis Dei seruis, idē faciebat populus, iusto itaq; iudicio Dei, vinea deuastata fuit, & vrbs exciã.

Omnes ho-  
mines in ru-  
ptura stare  
debent.

Officium est omnium hominum, vt se in rupturas ingerant. Concionatores si videāt in Ecclesia omnia paulatim conuelli, inuehi noua dogmata, scelera grafari, non sint muti canes. Pij magistratus puniant sceleratos, restituāt collapsa iudicia & leges: Patresfamilias domesticos suos, Ludi-magistri discipulos suos recte instituāt, castigent. Omnes Deum orant ne sepem tollat, hoc est, sua defensione nos destituat. Exēpla egregia habemus in sacris literis, illorū qui in rupturas se ingesserunt, Moses nō semel tantū, sed aliquoties pro Israelitarū peccatis ad Dominum orauit. Vide Exod. 32, 33. & 34. cap. Aaron aduersus ignē Israelitas deuorantem, se quasi murum pro salute populi interposuit, Numeri 16. Pinēhas vindictam fumendo de scortantibus, iram Dei placauit, Num. 25. cap. Nehemias vsurariis & pauperū oppressoribus se opposuit, 5. cap. Alij quoque serui Dei iræ ipsius accensæ veluti murū sese opposuisse dicuntur. Nōne Deus hodie quoque meritò queritur sepem ruptā, & neminem esse qui se medium interponat? Cōcionatores, magistratus & alij ad corruptelas varias tacēt, metuunt sibi seruiliter, nolūt gratia excidere, opes perdere, sed si nemo sit qui se fortiter opponat, quæ potest esse spes salutis? si vulnera Ecclesiæ quæ curanda erant, negligantur, quid tandem futurum putamus? *Viderunt vanum & diuinationem mendacem*, Gloriabātur Deum sibi hæc vel illa reuelasse, cū scirent se mentiri. *Dicunt, Dixit Deus, & Deus non misit eos*. Vtebantur vsitato veris Prophetis exordiolo & clausula, Dominus dixit, cū Dominus eos non misisset. Sic etiam apud Ieremiã 23. cap. Deus dicit: *Currebant & non mittebam eos. Sperare fecerunt populum vt confirmet verbum*. Aufpicata populūque grata prædixerunt, vt eis facilius crederēt, facili enim blanditiis capiuntur. Veri Prophetæ dicebāt captiuitatē duraturam annis septuaginta, quique urbem adhuc tenerēt, mox etiã puniendos: Illi vicissim, Deū nō esse tam crudelem vt Gentem suam electam tot annis in captiuitate relicturus esset. Veri quidem Prophetæ, etiam gratiam Dei prædicabant, ne peccata sua agnoscentes in desperationem ruerent, interim vrgebant pœnitentiam, illi verò tantū misericordiam Dei amplificabant. *An non visionem vanam vidistis, & mendacē diuinationē dixistis? non dicitis Dominus dixit, cū non sim loquutus?* Vehementer virget pseudopphetas hac interrogacione, scitis, inquit, vos mentiri, interim Sanctum Dei nomen prætenditis. Colligimus ex hoc loco, quantā sit pseudopphetarum arrogancia & temeritas. Dicebant se visiones cœlestes habere, se missos esse à Domino, cū scirent se mera mendacia afferre, & sua sponte cucurrisse. Eadē impudētia hodie quoque videmus falsos doctores sua somnia & suas traditiones aliis

Pij cūm vi-  
dent signa  
iræ Dei præ-  
uenire de-  
bent malum  
instans.

Audacia  
pseudopro-  
phetarum

obtrudere. Mirabilia vel sibi vel aliis apparuisse dicunt, quibus idololatriam confirmant, iactant miracula, dicunt hæc, vel illa contineri in sacris literis, vel se patrum monumentis, de quibus ne literam possunt ostendere. Hac ratione incautos & simplices decipiunt, qui nihil huiusmodi à suis pastoribus expectantes, eos candidè secum agere sperant.

HOMILIA XLV.

### *Horrendam pœnam denunciât pseudopropheta.*

8 Propterea sic dixit Dominus Iehouah: Quia loquuti estis vanum, & vidistis mendacium, ideo inquam ecce ego venio ad vos, dixit Dominus Iehouah.

9 Et erit manus mea contra Prophetas qui vident vanum, & diuinant mēdacium: in cœtu populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, & terram Israel non ingredientur, & scietis quòd ego Dominus Iehouah.

10 Propterea quòd errare fecerunt populum meum, dicendo, pax, & non fuit pax: & ipse ædificabat parietem, & ecce ipsi complanabant eum luto infirmo.

11 Dic ad complanatores luto infirmo, Casurus est paries, erit imber inundans, & dabo lapides grandinis qui corruere facient parietem, & ventus turbinum scindet illum.

12 Et ecce cecidit paries, an non dicitur vobis, Vbi est complanatio qua complanastis?

13 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, & erumpere faciam spiritum turbinum in ira mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandinis in ira mea ad consumendum.

14 Et diruam parietem illum, quem complanasti luto infirmo & pertingere faciam eum ad terram, discooperieturque fundamentum eius, & corruet, & consumemini in medio eius, scietisque quòd ego Iehouah,

15 Et complebo furorem meum in parietem, & in complanantibus eum luto infirmo, dicamque vobis, non existit paries, neque extant complanantes eum.

16 Nempe Prophetæ Israel qui prophetant Ierusalem, & vident ei visionem pacis, & non est pax, dixit Dominus Iehouah.



Vemadmodum nihil est salubrius, quàm si Deus populo alicui det idoneos doctores: ita nihil est magis pestiferum, quàm si falsos doctores in populo aliquo grassari sinat. Homines enim natura ad varias superstitiones & scelera propensi sunt: Si iam accedant doctores, qui eos in erroribus & sceleribus confirmant, præscribēdo eis satis factiones gratas carni, non audiuntur amplius qui veram pœnitentiam vrgent, sed hostiū loco habentur. Id Ezechielis temporibus & ipsi & aliis sanctis Vatibus accidisse constat. Ideo Deus Prophetam suum contra impostores illos sermonem hunc dirigere voluit: & postquam eorum impudentiam detexit, nunc supplicium quo affiendi sint, eis denunciare.

Tragicus  
pseudopro-  
phetarum  
exitus.

Primum generatim dicit. *Ego venio ad vos*, scilicet in ira mea, vt vos perdam. Hostem habere Deum magnum est: illi indubiè non credebant Deum curare quid ipsi docerent, sed tandem suo malo experti sunt, Mox per aliquot membra explicat, quod vno verbo dixit, & mutatis verbis eandem rem exprimit, nempe à populo Dei reiiciendos esse. *Erit manus mea contra Prophetas qui vanum dixerunt.*

Manus

Manus Domini, pro graui vindicta accipitur, item pro eius potentia. Potentiam meam exeram, dicit, contra illos impostores. *In cœtu populi mei non runt.* וְרוּם *sod* arcanum, secretum consilium, interpretantur, item cœtum & localitium. Nunc quoque pseudoprophetae gloriantur se capita, columnas, candelabra esse Ecclesiae, qui ne membra eius sunt: alios proscribunt, sed ipsi reiicientur ex cœtu sanctorum. Horribilis autem est poena, si quis communione filiorum Dei priuetur. *Et in scriptura domus Israel non scribentur.* In catalogo, hoc est, in libro vitæ, in quo descripti sunt omnes veri Israelitæ. In futuro tempore loquitur, vt annotat Calvinus, sermonem ad communem vsum hominum attemperans: ab æterno enim filij Dei in libro vitæ scripti sunt. Huius libri multis in locis meminit Scriptura. Liber vitæ? Exod. 32. Moses iubet se ex libro viuentium expungi, tantū parcat populo. Psa. 69. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Dani. 12. seruandos esse ostendit quorum nomina in hoc libro conscripta sunt. Lucæ 10. Gaudete, vestra nomina scripta sunt in cœlis. Paulus ad Philip. 4. meminit suorum adiutorum quorum nomina sint in libro vitæ. Apoca. 3. ca. Qui vicerit, huius nomen non delebo de libro vitæ. 21. ca. In descriptione vltimi iudicij dicitur, Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis, &c. Deus non indiget libris, in quos hæc vel illa referat: humano more hæc ei tribuuntur. Urbes & academiae libros suos habent, in quos nomina ciuium & studiosorum referunt. Sic Deus librum vitæ habere dicitur, hoc est, catalogum eorum qui præordinati sunt ad vitam æternam: scriptus est hic liber, vt paulo antè dixi, à Deo ante secula æterna. Deleri ex hoc libro dicuntur, qui censebantur inter fideles, sed postea hypocritas se fuisse declarant. Segregabit Deus agnos ab hædis vltimo die, nos interea pro ciuibus regni Dei illos habeamus, qui Euangeliū non solum ore, sed & factis profitentur. *Et ad terram Israel non redibunt.* Ipsi promittebant populo, euoluto triennio reditum in patriam. Propheta verò vaticinatur, ne post septuaginta quidem annos reuersuros illos pseudopr. cū reliquis reduces in patriam, vel cœlestem Hierusalem non intraturos. Intelligimus ex hoc loco, quantum Deus cū omnem vanitatem, tum præcipuè mendacem doctrinam detestetur. In hoc enim capite, aliquoties obiicit impostoribus illis, quòd vana fuerit visio eorum, & mendax diuinitio. Discimus etiam patienter ferre, si falsi doctores, nos resecta membra Ecclesiae appellantes, nosque excommunicantes, & sibi & suis honorificos titulos tribuant. Deus enim hoc ipsorum peruersum iudicium nō moratur, illos nihilominus pro suis dilectis filiis agnoscit, quos illi cane & angue peius oderunt. *Propterea propterea quòd errare fecerunt populum meum.* Accusat pseudoprophetas quòd populum suum seduxerint. Causalis particula duplicatur vehementiæ gratia. Poenam prædixit, iam subiungit, Ideo hæc patientur, quia deceperunt populum meum: vel sic connectenda sunt, propterea quòd hæc, & hæc fecerunt, postea sequitur, Dic ad eos, &c. Appellat populum suum, Dei enim est populus, nō Prophetarum, Populus meus. ex omnibus autem sibi illum delegerat, vt in eo gloria sua splenderet. Petrus in 1. Epist. 5. cap. hortatur presbyteros vt pascant gregem Christi, non dicit gregem vestrum. Populum hunc Christus suo sanguine sibi acquisiuit. Quomodo seduxerunt illum populum? *Dicendo pax, & non fuit pax.* Principibus, nobilibus, & toti plebi denunciare iram Dei propter idololatriam & scelera debebant: sed sciebant veritatem odium parere, ideo dicebant omnia rectè habere, Deum ipsis velle propitium esse. Veri Prophetae etiam annunciabant pacem, sed longè aliter, nempe si in Messiam crederent, poenitentiam agerēt, &c. Alioqui actum esse de ipsis. *Ipse edificabat parietem, & ecce ipsi complanabant eum luto infirmo.* Relatiuū ipse, quidam Deum referre putant, qui muro hunc populum cinxerit, vt hostes submoueret: sed potius princeps pseudoprophetarum intelligendus videtur, cuius verba minores vel inferiores pseudoprophetae approbarūt. Vel indefinite potes

accipere, vnus aliquis murum ædificat coaceruando lapides, alter obducit malo cæmēto. Sensus huius loci est, murū quidem ædificant, sed absque bono cæmento, vel ostenditur eos non secus facere, quàm illos qui murū vitiosum pulchrè ornant, vt putetur fortis, cùm tamen vim procellæ non possit sustinere. I. pseudopropheta erigebant populū falsā doctrina, quam ornabant lenocinio verborum, docebant eos in sacrificia, Templum, opera sua confidere, his præfidiis tāquam murorum obiectu tutos fore, sed euentus docuit eos mentitos esse. Architecti prudētes vident vt rectè locent fundamentū, deinde vt rectè superstruant, alioqui ædificium stare non posset: Vide Mat. 7. & 1. Corint. 3. Sed hoc non considerabant illi.

*רין Chaiæ* parietem vel murum infirmum & debilem interpretatur. *הנ תaphel* insulsum, quidquid nō est rectè paratū & conditū, siue sit cibus, siue sit cæmentum, siue alia res. Si arenæ calcem nō admisceas, malè cohæret. Alij pro litura ipsa, accipiūt, qua superficies ruinosi parietis ornatur, &c. *נח* & *נח* *thoach* linire, obducere, deaurare significat. *Dic ad complanatores luto infirmo, Casurus est murus, erit imber inundans: & vos o lapides grandinis cadere facietis murum & ventus turbinum discindet vel disrumper eum.* Omnia illa quibus confisi sunt, euanescent. Rem tribus similitudinibus vel metaphoris adumbrat. Torrentes imbribus aucti secum trahunt lapides, arbores, alueo cohiberi non possunt. Grandines longè latèque omnia vastāt. Alloquitur grandinem, velut Imperator suos milites. Turbines altas arbores, turres & alia deiiciunt. Ostendit Propheta his similitudinibus duo præcipuè. Primum subito affutura mala de quib<sup>9</sup> vaticinabatur. Procellæ enim & grandines ex improviso veniunt. Securi erant Israelitæ, vt iam sæpe audiuius, ideóq; non putabant hæc sibi euentura. Deinde ostendit tanto impetu ventura illa mala quæ prædicebat, vt obsistere illis non possint. Quis obsistat torrentibus, grandini, vento? Tribuebāt multa suis viribus & suorum fœderatorum, quæ omnia irrita fuisse euentus docuit. Babylonij, cùm minimè expectarunt, venerūt magno impetu: fregeruntque muros eorum. *Et cùm ceciderit murus, an non dicetur vobis, Vbi est litura quæ obduxistis?* Nunc frustra, dicit, vos monemus penetrarunt in animos vestros pseudopropheta, qui vana spe vos impleuerunt, illis contradicere capitale est: sed euentu eos redarguente, liberæ erāt voces. *Et erumpere faciam ventum turbinum.* Eisdem similitudines repetit, in hoc differūt, quòd apertè dicit se hæc immissurum: nam pluuias, grandinē, ventos, hostes, Deus regit, non temere veniunt. *In furore in consumptionem.* Ter repetit in furore suo, hæc immittenda eis. *Denudabitur fundamentum eius,* hoc est, effodietur. *הא galah* aperire, reuelare, quæ enim effodiūtur, reuelātur. Significat Propheta, vt pulchrè Calvinus annotat, Deum ita patefacturum fallacias pseudoprophetarum, vt nihil super sit illis coloris, sed probrum ipsorum omnibus palàm fiat. Nam tanta est improbitas illorū impostorum, vt si cœnuieti fuerint mendacij in vna parte, in aliis tamen se rectè vaticinatos esse affirmant. Deus, dicit Propheta, non tantum euertet quidquid illi visi sunt extruere, sed discooperiet etiā ipsa fundamenta, vt totus populus intelligat prorsus fallaces, fuisse ne micā veritatis protulisse. *Consumemini in medio eius* Promittitis aliis, quòd intra triennium reducendi sint: sed peribitis inter ipsos: Vtque muro collabente, homines vel læduntur vel pereunt, ita vos peribitis. *Non existit murus, neque extant complanantes eum.* Prædicit eis certissimū exitiū. Euanuerunt consolationes illæ vanæ, & ipsi perierunt. Fieri potest vt aliqui rebus turbatis & desperatis, ab ipsis Israelitis sint interfecti. *Propheta Israelis, qui prophetant Ierusalem, & videt ei visionem pacis, & non est pax.* Ostendit quinam sint illi mali cæmentarij, nempe pseudopropheta, qui gloriabātur se vidisse quæ non viderant. Pacem denunciabāt illis, qui principi suo quem grauiter offenderāt, nondum erant reconciliati. Hic sermo ad nos quoq; pertinet. Christus enim prædixit nouissimis temporibus pseudoprophetas venturos. 2. pet. 2. cap. dicit, vt in veteri populo pseudopropheta fuerunt, ita inter

fideles



fideles fore falsos doctores: idem Paulus quoque saepe admonuit. Pseudoprophetae etiam hodie magnis clamoribus murum quidem erigunt, sed non adhibent tenacem materiam: salutem enim ostendunt in rebus nihili, dolis, minis, promissis, firmare sua volunt, rem eò apud incautos deduxerunt, ut oppressa redemptionis nostrae gratia (qua per Christum gratuito redempti credentes vitam habent aeternam) nemo aliud cogitare possit, quam vitam aeternam promerendam esse, vel omnino pereundum. Cum fidem in Christum virgere deberent & vitam sanctam, de suis indulgentiis, vigiliis, missis pro mortuis, operibus supererogationis, & aliis huius farinae, concionantur, quae omnia mole sua corruent. Non desunt qui cum bonos habeant doctores: tamen sub ipsis aedificant murum ruinosum, hoc est, falsis consolationibus se ipsos erigunt, multa afferunt quae licet in speciem videantur probabilia, tamen temporibus afflictis, & praesertim cum hinc decedendum est, instar bullae evanescent.

HOMILIA XLVI.

*I Agit contra pseudoprophetas, & quales sint ostendit.*

17 *Et tu fili hominis, pone faciem tuam ad filias populi tui, quae prophetant de corde suo, & vaticinare contra eas:*

18 *Et dic, Sic dixit Dominus Iehouah: Vae iis quae consuunt pulvinaria omnibus axillis manuum, & faciunt vela super caput cuiusunque staturae ad venandum animas. Nunquid animas venabimini populi mei, & animas quae sunt vobis vivificabitis?*

19 *Et contaminabitis me in populo meo pro pugillis hordei, & fragmentis panis, ut interficiatis animas, quae non morientur, & vivificetis animas, quae non vivent, mentientes populo meo audienti mendacium?*



Oc caput, ut dixi, duas habet principes partes, Vna est de pseudopropheta, quales sint, & quanae poenae eos, eorumque sectatores maneant: Altera, quae nunc sequitur, est de pseudoprophetis, quid faciant, & quae poenae illis quoque impendant. Hinc colligimus, Hostem humani generis, non solum viros, sed & foeminas excitavisse, quae Israelitas suis mendaciis fascinant. Costat ex veteri & novo Testamento, Deum quoque mulieres prophetico spiritu interdum ornasse. Maria soror Moysis prophetis fuit, de qua Exod. 15. Debora quae Ierusalem rexit, Iud. 4. & 5. ca. Anna mater Samuelis, 1. Sam. 1. cap. Hulda quae Iosias rex missis legatis consuluit, 2. Reg. 22. In novo Testamento habemus Annam prophetidem, Lucae 2. quatuor filias Philippi Evangelistae Actorum 21. cap. quae non solum legis & voluntatis divinae peritae fuerunt: sed etiam de rebus futuris, sancti Spiritus afflatu, praedixerunt. Sed quid, inquis, profuit donum hoc prophetiae, si mulieres in Ecclesia tacere debuerunt? Paulus enim in 1. ad Timoth. 2. cap. praescribens quomodo mulieres se in sacris coetibus gerere debeant, iubet eas silere & subesse, id quod mox explicat dicens, mulieri doctae non permitto, neque *audere* Teiv. Sic in 1. Cor. 14. Iubet eas tacere, & domi viros interrogare, si quid non recte intellexerunt: causas reddit, Adamum priorem formatum esse: deinde Adamum non deceptum esse, sed Euam, hoc est, primam deceptam esse. Et quia abusa est sua potestate, ab aliena pendere debent mulieres. Ordinem itaque hunc in Ecclesia Deus instituit, ut viri doceant & sacramenta administrant, mulieres vero domi erudire debent suos. Si Prophetissae prophetandi & docendi vices sibi in publico coetu usurparunt, non abrogat communem regulam. Deinde priuatim non modo a suis, sed aliis quoque consuli potuerunt. Et indubie gloria Dei per eas multum pro-

pagata est. Mulieres enim magnā habent gratiā ad persuadendum aliquid hominibus. Leguntur non paucae maritos suos, ad christianæ fidei professionē flexisse. Hodie quoque multæ honestæ matronæ, licet spiritu prophetico præditæ nō sint, tamen Euangeliū multū promouerunt. Hæc cum nō ignoret Satan, qui ut simius quidā Dei opera imitatur, excitat etiā suas prophetides, quæ dicant se afferre verbum Dei, cum ex suo capite omnia fingant. Tales nōnullas fuisse apparet Ezechie- lis tēpore, quæ populū alioqui superstitiosum & sceleratū, superstitiosiorē & sceleratiorē effecerunt. Mulieres aptū sunt organū diaboli ad fallendū homines. Hinc locustis illis in Apoc. Ioan. omnia depascentibus, vultus muliebres tribuuntur. Adamus cū adhuc innocēs esset, muliebrib<sup>9</sup> blāditiis in fraudē inductus est. Sāpson Dalilæ fraudibus, robur suū, oculos, vitā deniq; amisit. Cū Paulus & Barnabas Antiochiæ in Pisidia Christū annūciarēt, Iudæi extimulauerūt mulieres religiosas & honestas, quæ excitata persequutione cōtra seruos Dei, eos eiecerūt de suis finibus, Act. 13. in calce capitis. Quo minus periculi à fœminis imminere putatur, eò plus nocere Ecclesiis possunt. Israelitæ tā leues erāt, ut illis auscultarēt. Deus itaq; Prophetæ dicit. *Pone faciem tuam ad filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare contra eos.* Faciem ponere vel obfirmare contra aliquem, significat in certamen contra aliquem descendere. Hæc phrasis infrā aliquoties ponitur, cap. 20. 21. 25. 29. & 38. Non simpliciter iubet ut omissis viris se ad fœminas conuertat: sed ut strenuè, audacter, atque constanter, cōtra illas loquatur. Maluisset Prophe- ta cum viris decertare, quàm cum fœminis, quibus victis exigua ad eum redibat gloria. At pios doctores non oportet considerare, quid coram mūdo ipsis sit honorificum, sed quid gloria Dei & salus animarum postulet. Sæpe homines indocti, viles & contempti magnas turbas excitant in Ecclesia, his igitur fortiter resistendum est. Vno verbo pseudoprophetides describit, dicens: *Quæ prophetant de corde suo*, hoc est, sua somnia, non quæ Deus eis reuelauit. *Væ illis quæ consunt pul- uillos omnibus axillis manuum, & faciunt vela super caput cuiusque stature.* Quidam hūc locum secundum literam sic intelligunt, quòd maleficis artibus fuerint instru- ctæ, & virorum percontantium de varis euentis rerum, axillis puluillos subiece- rint, capitibusque illorum pepla apposuerint, quasi per hæc idonei fierent ad sus- cipienda oracula. Certum est quòd consulturis oracula, inusitati gestus & ritus præscripti sunt, ut maior religio eis incuteretur. In antrum Trophonij descēden- tes, ad sedem oraculi tunica linea induti, & vittis circa tunicam victi atque sub- ligati illius loci crepida pergebant, authore Pausania lib. 9. in Bœoticis. Alibi alij ritus prodigiosi vsitati fuerunt. Alij per allegoriam vel metaphoram hæc verba interpretantur, quòd opinionibus & volūtatibus hominum, suam doctrinā apta- rint, eosque in idololatria & sceleribus cōfirmarint. Puluilli enim res mollis sunt, cui cū voluptate incumbitur: & blanda verba ad tēpus aures titillant. חַסְדֵּי נִיִּסְפוֹרִיחַ interpretantur ceruicalia, Kimchi dicit esse pepla quibus mulieres faciē obuoluunt. Israelitæ dormiebant, ut dicitur, in vtranq; aurem: sed illæ subiiciebāt capitibus eorum ceruicalia, hoc est, in sua securitate eos confirmabant, & contra Deum peccantibus, pacē promittebant. *Super caput cuiusque stature.* Ut statura mu- tatur pro ætate cuiusque, ita illi accōmodabant doctrinam suam cuique ætati, se- xui, ordini. Aliis rebus delectantur senes, aliis iuuenes, illæ mirificè omniū affecti- bus inferuire poterant. Tales sunt qui hodie adulādo hominibus, eos in suis erro- ribus & peccatis confirmant, qui dicunt principum esse dare leges nō accipere, iuuenes scortari debere, &c. *Ad venandum animas:* Ut perdant eas. Metaphora sumpta à venatoribus, vel aucupibus. Multi freti suis & aliorum meritis, pœnitentiam non agebant: sed miserè peribant. Hac metaphora Solomon Prouerb. 6. ca. vtitur, dehortans pios à scortatione & adulterio: Mulier, inquit, venatur precio- sam animam viri, hoc est, illecebris verborum capit & perdit eum. *Nūquid animas populi*

Prophetant  
de corde  
suo.

Venantur  
animas.

populi

populi mei venabimini, & animas quæ sunt vobis viuificabitis? Sensus est, non finam vos impunè insidiari animabus populi mei, & animabus quæ vestræ sunt, id est, quæ ad vos veniunt, quæ vobis credunt, & à quibus lucri spes est, fausta prædicere: sentietis rem aliter casurã, vobis enim vestrisq; sectatoribus, mala, piis verò quibus dira prædicitis, bona euenient. *Et contaminabitis me in populo meo?* Quasi dicat, non permittã vltcrius hoc fieri. Homines sanctificare debent nomen Dei, in oratione Dominica primo loco precamur, vt Dei nomẽ sanctificetur: prophetices illæ, polleuebant & prophanabant nomen Dei. Sanctificatur nomen, auiculatione veræ doctrinæ, illæ eleuabant veram doctrinam, & loco eius sua somnia hominibus obtrudebant, atq; ita dissipabant pios cœtus. Efficiebant item, vt homines Deũ non metuerent, fiduciã in eo nõ collocarent, ab eo opẽ non peterent, sancta vita eum non colerent. *In populo meo.* Emphasim habet in populo meo, quem mihi peculiariter delegi, & in quo sedẽ cultus mei habere volui. *Pro pugillis hordei, & fragmento panis.* Hoc est, si quis vel minimam mercedem attulisset, statim audiebat quæ placerent. M. Cato, M. Celio, vt est apud Gellium, in oratione quadã exprobrat, quòd frusto panis conducì possit, vt taceat, vel loquatur. Non quidẽ rectẽ fecissent illæ mulieres, si propter magna munera, res falsas prædixissent: sed earũ impietas melius intelligitur ex eo quòd nomen Dei Sanctum propter exiguum lucellum ludibrio habuerunt. Amos 3. & 8. c. iudicibus obiicit, quòd pauperem vèdant pro calceamentis, hoc est, ob rem pusillam & leuẽ. Iudæ Ilicarioti peccatum hoc nomine grauius fuit, quòd ob exiguam pecuniolã Christum Dominum & præceptorem prodidit. Mich. 3. cap. de auaritia pseudoprophetarum scribit, quòd nisi aliquid in os eorũ iniiciatur, statim bellũ hominibus indicant. Deus Prophetis & ministris sua stipendia dari iussit, quæ illi potuerunt bona accipere cõscientia: sed veritaẽ obticere vel corrumpere propter munus paruum vel magnum, ingès est peccatũ. Quot sunt qui hodie sub plausibili nomine Dei hominibus aduiantur, & suas res curãt? *Vt interficiatis animas, quæ non moriuntur, & viuificetis animas quæ non viuunt.* Animæ quidem nõ moriuntur, vel interficiuntur, (sunt enim immortales) dicuntur tamen moti & occidĩ in Scripturis, si spoliata gaudio, luce, gloria, conspectu Dei, perpetuis doloribus ac supplicijs afficiuntur. Veri Prophetæ incredulis mortẽ denunciant, nisi resipiscant: viuificant autem, hoc est, vitam æternam illis promittunt, qui pœnitentiã agunt, & credunt in Filium Dei. Ipse enim Christus Io. 3. dicit, Qui credit in me nõ condẽnatur: qui verò nõ credit iã condẽnatus est, quia nõ credidit in nomẽ vnigeniti Filij Dei. Pseudoprophetæ & pseudoprophetissæ interficiebant animas, hoc est, æternã mortem ijs cõminabantur, qui filij erant Dei, idq; hanc ob causam faciebant, quòd cũ suspecta eis omnia essent, sibi ab eis cauerent, neq; offerrent eis munera: viuificabant animas, hoc est, vitã æternam illis promittebant quos Deus morti adiudicauerat, idq; hãc ob causam, quòd ab ore eorũ penderent, & multa dona eis afferrent. Hac nota hodie quoq; veri Prophetæ à pseudoprophetis possunt discerni. Qui impiis hominibus, adulteris, furibus, sicariis, quos Deus regno suo excludit, adulterinis suis clauibus cælũ aperiũt, & eò quòd redimant indulgentias, anathemata diuis suspèdunt, multas coronas apud Deũ eis promittunt: è diuerso piis hominibus, qui horum nihil faciunt, regnum cælorum claudunt, hæreticos eos appellãt, aqua & igni eis interdicut, ossa ipsorum aliquando ex sepulchris eruta, exurunt, veri Prophetæ nõ sunt. Quis negabit ad hunc ordinẽ quoq; illos pertinere, quibus non sufficit literis Propheticis & Apostolicis subscribere, nisi eorum portentosis somnijs subscribatur: Qui ferre illos nolunt, quantumuis maximis donis ornatos, qui nõ per omnia ipsis cõsentiant etiã in malis dogmatis? *Mentientes populo meo audienti mendaciũ.* Obiicit pseudoprophetis quòd impudenter mentiantur, dicẽtes sibi reuelatum est diuinitus, quòd hæc vel illa euentura sint, cùm res non ita habeant: suo populo obiicit, quòd

Abutuntur nomine Dei ad fallendũ.

Auaritia pseudoprophetissarũ.

Interitũ minantur piis, & salutẽ impiis promittunt.

Quomodo veri doctores à falsis discernendũ sint.

Mentiantur

hæc omnia libenter audiant, & se decipiendos exponant, sordebat enim eis veritas, nihilque eis accidebat, quod cum affectibus ipsorum non congrueret. Iusto itaque iudicio Deus à pseudopropheta & pseudoprophetissis decipi eos permittit. Eandem ob causam hodie quoque pseudopropheta & pseudoprophetides grassantur, pios enim & fideles Ministros mundus ferre non potest: illos qui leuiter & velut aliud agentes, scelera taxant, ut cunq; fert: illos qui scelera non modò non taxant, sed & sceleratè viuunt, amat: illos verò qui falsa docent & turpiter viuunt, in humeris gestat atque adorat. Iusto igitur Dei iudicio accidit, ut qui veritatem salutarem nolunt amplecti, mendacia audiant: ut qui reiciunt veritatem gratis offerentes, illos acquirant, qui mendacia eis magno vendunt. Si nolumus seduci à pseudopropheta, veritatem à veris doctoribus prædicatam amemus ex corde. Illud si fecerimus, Deus non sinet nos decipi: sin veritatem contempserimus, mittet spiritus erroris, qui nos decipiant, ut Achabo. 1. Regum 22. Vide 2. Thess. 2. cap. & 2. Timoth. 4. capite.

## HOMILIA XLVII.

*Denunciat pseudoprophetissis pœnam.*

20 Propterea sic dixit Dominus Iehouah: Ecce ego ad puluillos vestros, quibus ibi venamini animas, ut auolent è corpore, & dirumpam eos à brachijs vestris, & dimittam liberas animas quas venamini, animas, ut euolent.

21 Et dirumpam vela vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, & non erunt vltra in manu vestra in venationem, & scietis quòd ego Iehouah.

22 Propterea quòd dolore affecistis cor iusti mendaciter, & ego non affeci illud dolore: & propterea quòd roborastis manus impij, & non auertitur à me sua mala, viuificando eum.

23 Propterea, inquam, vanum non videbitis, & diuinationem non diuinabitis vltra, eruamque populum meum de manu vestra, & scietis quòd ego Iehouah.

**P**oenā subiūgit qua afficiendæ sunt pseudoprophetides, & qui eis auscultabant. Sūma est, fore & breui quidē, ut mēdacia earū detegantur. Digni quidē erāt Israelitæ, qui tales Prophetas & prophetides haberēt, quia pij prophetæ, patres & pastores, eis ludibrio erāt: nihilominus tamē pœna ab illis exigitur & iustè quidem. Dominus in Euāg. Mat. 18. Oportet, inquit, venire scandala: sed vā illi homini per quē veniunt. *Ecce ego ad puluillos vestros, quibus ibi venamini animas, ut sint volantes.* Apoliopesis est, Ego si veniā in ira mea, & accipiam illos puluillos. *Dirumpam eos à brachijs vestris, & dimittam animas quas venamini, ut sint volantes.* Sensus est, efficiam ut re ipsa experiamini, vos per vaniloquentiā & falsæ beatitudinis promissiones deceptos fuisse: nihil prodesse vobis, q; securi in vtrāuis aurē dormiuistis. Nō enim iuxta hominum peruersas opiniones, Deus iudiciū suū exercet, sed secundum verbum suū. Puluilis illis suis, adulatione & vanis pollicitationib. venatæ sunt animas, hoc est, imposuerunt hominibus eosq; spoliarūt suis opibus, feceruntq; ut fuerint volantes, hoc est, ut nihil certi haberent, sed instar auicularū, quæ ab vno ramo in alterū volant, modo hoc modo illud dogma amplexi sint, utq; Apost. dicit, semper discētes, nunquā ad cognitionē veritatis venire potuerūt. Calu. interpretat de altis speculationib. qui enim se pseudoproph. regēdos permittūt, nō cōtenti simplici veritate de crucifixo Christo, immiscēt se obscuris & perplexis quæstionib. Quō Papistæ animas volare fecerint, luce meridiana est clarius. Promittit Deus se liberaturum populū suū de manu illorū, quod nō de toto populo, sed reliquiis eius intelligendū esse, res ipsa docet. Multi simplices homines audiētes, plausibiles illas voces de gloria, de reuelationibus diuinis,

diuinis, de spiritu, & aliis huius generis decipiebantur, seque explicare non poterant. Sic nostris maioribus in papatu accidit, & multis nostro tempore, qui anabaptistas docentes audiuerunt: Deus itaque dicit, Ego liberabo eos: nisi nos custodiat, nemo satis cautus est contra pseudopphetiam. Oradus itaque est, vt hodie illos quibus à falsis doctoribus iniecta sunt vincula, eripiat, nosque custodiat ne in laqueos, quos multos nobis tendunt, incidamus. *Propterea quod mœrore affecistis cor iusti mendaciter.* Obiicit Pseudopphetis quod cor iusti mœrore affecerint. Omnes quidem homines peccatores sunt, i. Ioan. i. capite, sed Deus credentes in Christum pro iustis habet, & filij sui iustitiam eis imputat. Dira quæque iustis, hoc est, fidelibus comminabantur, & sua figmenta sub nomine Dei eis obtrudebant. Tamen si fideles sciant, pseudopphetarum minas irritas esse, tamē si quotidie tonitrua illa & fulmina excommunicationis audiant, terrentur, præsertim infirmiores, venitque eis in mentem, Fortè quod illi dicunt, non est omnino nihil &c. Quomodo fidelibus terrorē incusserint superiora quoque tempora indicant. Quot pias mentes turbauit doctrina de confessione auriculari, quod singula delicta enumeranda sint sacrificiis: item doctrina de satisfactionibus, de pueris qui absque Baptismo decesserunt, de transubstantiatione panis & vini in Sacramento Cœnæ, de Purgatorio, de Christo in iudicium venturo instar tyranni, vt infinita alia omittam? An non hodie grauius vulnerantur corda piorum si videant in tanta luce multos cæcutire, si audiant traditiones humanas sub pœna peccati mortalis hominibus loco verbi Dei obtrudi? Si audiant piam & verā doctrinam, conuictis lacerari, adhæc pios homines ferro & flâmis crudeliter aboleri? Iliade longius opus nasceretur, si quis sigillatim recensere vellet, quot modis pseudopphetæ piorum animos mœrore afficiant. *Et ego non affeci illud dolore.* Deus enim non territat suos rebus inanibus: sed legis prædicatione comminationeque pœnarū à peccatis eos deterret, pœnitētibus remissionem peccatorum promittit. *Roborastis manus impij, vt non reuertatur à via sua mala viuificando eū.* Vt erga pios crudeles fuerūt, ita blâdi erga impios, quos vanis pollicitationibus ita obdurarunt, vt securi in sceleribus suis perrexerint, *uiuificando eos*, hoc est, omnia fœlicia promittendo. Impij odio verbi Dei, iungebant se pseudopphetis & pseudopphetissis, afferebant eis larga munera, hinc factum vt res faustas eis prædixerunt, promiserint se pro ipsis apud Deum inrercessuros. Irâ Dei propter scelera denunciare eis debebant, vt liberarent eos ex diaboli laqueo. Quandiu quis conditionē suā non cognoscit, non ambit gratiā cœlestē. Dominus in Euangelio de scortis & publicis peccatoribus dicit ad Scribas & Phariseos, præcedēt vos in Regnū Dei. Humiliabantur enim corā Deo, hi verò sua merita iactabant. In papatu quoque impij blanditiis falforū doctorū obdurati sunt: audierunt enim quod si confessi fuissent, sua peccata sacerdoti, filios trussissent in pistrinū, emissent merita & satisfactiones clericorū, mox liberandi essent ex purgatorio. *Propterea vanū nō videbitis, & diuinationem nō diuinabitis vltra.* Hoc est, nō falsā spargetis deinceps in vulgus, non vanas diuinationes afferetis: augures enim erant, & maleficis artibus homines dementabāt. Mox enim obsessa vrbe fame & peste extinctas esse, verisimile videtur, itē ab hostibus cæfas esse qui in promiscuam multitudinē fœuierunt. Sed esto, euaserint omnia hæc mala, tamen luce meridiana manifestius fuit, omnia quæ magnis clamoribus pro oraculis Diuinis venditarāt fuisse meras nugas. E diuerso quæ veri Prophetæ prædixerunt, omnia eis euenerunt. *Etiam populum meum de manu vestra.* Maximum est Dei beneficiū, si homines custodiat & eripiat à pseudopphetis: magnum est si gregem à lupo conseruat, quantum igitur est bonum, si nos ab illis lupis tueatur? *Et sciētis quia ego Dominus.* Hæc clausula sæpe repetitur. Quoniā verò audiuiimus, tā pseudopphetides quàm sectatores earū, puniri, caueamus ab ipsis, & grati simus Deo, ne nos permittat seduci: seduloque oremus vt illos qui reguntur ab huiusmodi pestibus in veram salutis viam reducat.

Iustus quis,

Pseudopphet des iustos mœstia affecunt.



# Concio septima Ezechielis.

HOMILIA XLVIII.

*Quidam ex senioribus Israel, accesserunt ad Prophetam quasi consilium ab eo petituri, quibus Deus dicit non pro votis respondendum esse: quid autem Propheta eis respondere debeat, ostendit.*

CAPVT XIII.

- 1 **T** venerunt ad me viri de senioribus Israel, & sederunt coram me:
- 2 Et fuit verbum Iehouæ ad me dicendo:
- 3 Fili hominis, viri isti ascendere fecerunt idola super cor suum, & offendiculum iniquitatis suæ posuerunt ante faciem suam: num interrogatus respondebo eis,
- 4 Propterea alloquere eos, & dic illis, Sic dixit Dominus Iehouah, quicumque de domo Israel ascendere fecerit idola sua in cor suum, & offendiculum iniquitatis suæ posuerit ante faciem suam, & venerit ad Prophetam: ego Iehouah respondebo ipsi venienti in multitudine idolorum suorum.
- 5 Vt capiam domum Israel in corde suo, quòd separauerint se à me in idolis suis vniuersi ipsi.

Partes capit.

**H** Occapite, CONCIO VII Prophetæ Ezechielis continetur, in qua primùm hypocritas reprehendit qui simulabant pœnitentiam, cum in idololatria aliisq; sceleribus, obfirmatis animis pergerent: deinde denunciât eis pœnas: ex quibus nullis sanctorum intercessionibus liberandi sint. Isaias quoq; 58. cap. sermonem contra hypocritas instituit. Mox ab initio ostenditur qua occasione, & cõtra quos hæc oratio habita sit. Narrat quosdam de senioribus Israelis qui in Chaldaea degebant ad se venisse, & coram facie sua sedisse quasi sciscitandi gratia, quod Deus ipsi patefecisset, quomodo se gerere deberent in captiuitate, quid futurum esset, & quæ spes esset de vrbe Hierosolymorum. Deus monet Prophetam suum, vt cautè cum ipsis agat. Hypocritæ enim cum essent, non veniebant sincero animo, sed quemadmodum Scribæ & Pharisei in Euag elica historia ad Christum venisse leguntur, nõ vt ab eo discerēt, sed vt tentarent eum. Propheta cū videret ipsos ad se venire, cogitare potuisset, eos reiectis tandè pseudopphetis, vera oracula quærere, & verã vitæ emendationem velle amplecti, docilèsq; se præbere, sed animũ nõdum mutarāt. Non absimilis historia infrà 20. continetur. Describit initio quales nã sint. *Ascendere fecerunt idola super cor suũ.* Quantũuis præ se ferre videãtur, q; per te cõsulant me, & sciscitetur de voluntate mea, tamẽ corda sua nõ repurgarũt ab idolis, quæ adhuc colunt ex animo. Cor ipsorũ quod spiritus Diuini domiciliũ, & sedes esse debebat, est *ἰδωλολατρίαν*. Calvinus dicit,

Seniores cõsulant Prophetam.

dicit, hunc esse sensum huius phrasidis, quòd summum gradum in cordibus eorum idola obtineant, quæ iterum vocat immunditias vel Itercora. *Et offendiculum iniquitatis suæ, posuerunt ante faciem suam.* Hoc est, non cogitant de abiiciendis idolis, vel impietate in vniuersum, sed firmiter sibi proposuerunt in cordibus suis, quòd illa retinere velint. Alij hunc volunt esse sensum, idola tanquam Deum adhuc in oculis habent, respiciunt, reuerentur. Idololum offendiculū est in quod idololatræ peccādo impingunt. Vel intelligit de aliis sceleribus, quibus aliis ruinæ occasiōe præbebant. Non solum externa idola, sed interna quoq; abiiciēda sunt. Nō rectè illi sentiūt, qui nō antè ex tēplis idola amouenda dicunt, quàm ex cordibus fuerint amota. Concionatores quidem contra idola externa & interna clamare debent, & homines docere, quid Deus de vtrīsq; in verbo suo iudicet, interim magistratus omnia ex tēplis atq; delubris auferre debet. Nisi enim amoueātur ab oculis hominū, periculū est ne denuò adorentur. Vxori in adulterio deprehēta, vestes, annuli, literæ, & alia quæ à mœchis accepit, auferūt, ne ei in memoriā mœchi redeant: ita illa cum quibus spiritalē scortationē superstitiosi homines exercuerunt, auferenda sunt, ne ad malum procliuēs, in idololatriam relabantur. Sunt etiam interna idola, fiducia priorum meritorū, auaritia, ad Colof. 3. adulteriū, & alia, à quibus mentes nostræ repurgandæ sunt. *Num interrogatus respondebo eis? Quia me non sincero animo consulunt, & ex animi penetralibus idola & alias fordes non abiiciunt, quibus plurimū offendor, nequaquā respondebo ipsis. Respondere alicui, est signum beneuolētiae. Nos si odio aliquem habeamus, salutati vel interrogati vix responsione eum dignamur, aut non respondemus sicut vult: ita Deus cum non responderet illis qui ipsum interrogabant, significabat se illis iratum esse. Sic de Saule legimus, quòd Deus, cū à Palestinis premeretur, ei respōdere dedignatus sit.* דָּרָאשׁח *priore loco accipiunt pro interrogare vel consulere, posteriore loco pro respōdere. Calui. simpliciter ita reddit. An quæredo quærar ab ipsis: Vt sit sensus: putas ne illos sincero animo me velle cōsulere? Nequaquā. Nā si verè & ex animo me quærerēt, abiicerent sua idola & alias abominaciones. Atqui tāta est eorū pertinacia & impietas, vt hoc facturi nō sint: proinde me sincero animo nō quærunt. Atq; hāc ob causam postea in eorū hypocrisin inuehitur. Ego Iehouah respondebo: ipsi venienti secūdam multitudinem idolorum suorum. Omnibus illis, dicit, qui vobis similes sunt, simulantes pietatem & occultantes in cordibus suis idola, respondebo, non pro votis eorum, sed prout merentur sua multiplici idololatria. Vel in multitudine idolorum suorum, hoc est, licet fuerit cultor idolorum maximus. Antè negauit se responsurum ipsis, iam veluti per correctionem dicit, se responsurum, non quidem ex animi ipsorum sententia, vt falsi prophetæ, qui iucunda & grata eis respondebant, sed quæ minimè illis erunt grata. Vt cū iudex interrogatus, captiuo respondet, capitali supplicio afficiendum esse. Exemplum habemus in Achabo, 1. Reg. 22. cap. Is consulebat Micheā Prophetam de recuperanda Ramoth Gilead, non vt obediret rectè monēti, sed vt suffragatorem haberet suorum affectuum, at audit quæ non vult.*

*Vt capiam domum Israel in corde suo, quòd separauerint se à me in idolis suis vniuersi ipsi.* Hoc est, respondebo eis vt in apertum producam quod clausum habent in pectore: vt eorum impietas, quam fūco verborum tegunt, manifesta fiat. Etenim cum hypocritæ non audiunt quod sperant, sed à ministris Verbi Dei reprehenduntur, statim impatientes instar phreneticorum, animum suum produunt, seque vera pietate vacuos esse ostendūt. Israelitæ nolebāt videri, se ideò à Deo alienos esse, quòd idola colerent, sed in Dei honorem hæc omnia fieri inter pretabātur, at Deus eos à se defecisse clamat. Difertè enim in Decalogo idololatriā prohibuit

Videamus iam deinceps, quid ex prælectis verbis ad vsum vitæ nostræ excerpendum sit. Primū discimus quàm fallaces sint homines. Quis putasset fenes

Idololatria  
externa & im  
terna.

Vfus huius  
loci.

illos sepulchro vicinos, malo animo Prophetam consuluisse: Deus tamen malo animo eos venisse dicit, nimirum vt intelligerent num eius prædictiones, suis cogitationibus responsuræ essent. Aduersarij Christi sæpe ad eum venerunt tanquã discipuli, interim exitium ei struebant. Mat. 19. 21, 22. & alibi. Non itaq; statim fidẽ adhibeamus illis, qui de vera religione magnificè loquuntur. Inuenias enim qui nomen Dei & Euangelij suis affectibus prætendant. Et ferè fit vt illi qui præclare de promouendo Euangelio loquuntur, aliis sint peiores, religionem quam laudant, excisam: quam vituperant, restitutam cupiant. Fidendum quidem hominibus est, interim cautio adhibenda. Seruator noster dicit discipulis suis, Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.

Deinde videmus Deũ nihil latere. Aperit enim Ezechieli, quid senes illi in cordibus abditum habeant. Et si fallere possimus homines, tamen Deum fallere non possumus, De hac re multæ passim extant sententiæ. Prouer. 15. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Mox, Infernus & perditio, coram Domino sunt, quanto magis corda filiorum hominum. Ipse nouit clandestina consilia, quæ capiuntur contra pios: nec solum nouit, sed etiam si vtile sit, per certos homines suos monet ne impingant, vt hoc loco Ezechielem. In nouo Testamento exemplum habemus de Anania & vxore eius Sapphira, Acto. 5. capite. Et hac in re singularem suam ergo nos bonitatem declarat: astuta quoque aduersariorum consilia dissipat.

Discimus ad hæc, quomodo ad Deum accedendum sit. Accedimus ad Deum cum domi sacras literas tractamus, cum ad audiendum verbum ipsius & preces nos conferimus, & Sacramentis comunicamus. Cæterum sincero animo veniendum est, non quærendus est plebis applausus, non sequendi prauis affectus, alioqui Deus nos reiiciet, vt senes illos consulentes Ezechielem. Abiicienda sunt ex animis idola, & alia quæ Deus abominatur. Non meretur, dicit D. Hieronymus, veritatem audire, qui fraudulentè interrogat. Sunt hodie qui præ se ferentes studium inquirendæ, veritatis ex sacris libris & concionibus, interim testimonia prauarum opinionum quærunt, non mirum itaque est si nihil proficiant.

## HOMILIA XLIX.

*¶ Plenius ostendit quid respondere hypocritis illis debeat:  
immorigeris graues pœnas comminatur.*

6. Propterea dic ad domum Israel, Sic dixit Dominus Iehouah, Conuertimini, & conuerti facite alios ab idolis vestris, & ab vniuersis abominationibus vestris, conuerti facite facies vestras.

7 Si quispiam de domo Israel, & de peregrinis qui peregrinantur in Israel separauerit se, ne eat post me, & ascendere fecerit idola sua in cor suum, & offendiculum iniquitatis suæ posuerit ante faciem suam, veneritque ad Prophetam vt inquirat eum propter me: Ego Iehouah respondebo ei propter me.

8 Et dabo faciem meam contra virum ipsum & ponam eum in signum & prouerbia, succidamque eum: è medio populi mei: & scietis quod ego Iehouah.



Roximè audiuius quod quidã ex senioribus Israelis accesserint ad Prophetã, tanquã audituri, oraculũ Dei de futuris euentibus quodque Deus admonuerit seruum suũ, quales essent & quo animo ad ipsum venirent, ne alicubi impingeret. Negauit Deus se illis responsurum,

mox



mox subiecit, se & illis & aliis qui eodem animo ipsum consulturi sint, responsum quidem, sed non ut hactenus assueuerant, consulentes pseudoprophetas. Finem assignat, ut secreta cogitationes eorum in apertum protrahat. Sequitur iam plenius, quid Propheta illis nomine & iussu Dei, respondere debeat. *Conuertimini.* Metaphora videtur sumpta ab illis qui aberrarunt à via, in quam tandem reflectunt. Conuertimur si scelera & errores relinquimus. De pœnitentia multi prolixè scripserunt. *Et Conuertere facite ab idolis vestris.* Auertere scilicet oculos, vel vultus, corda, alii dicunt vxores vestras. Nam aliis quoque authores esse debebant, veluti vxoribus, liberis, cognatis, ut idola ex cordibus suis eiicerent. *Et ab vniuersis abominationibus vestris conuertere facite facies vestras.* Non solum ab idololatria, sed & sceleribus vestris, quæ multa sunt, abstinete. Opponitur illi quod dixit, eos posuisse offendiculum iniquitatis suæ, ante faciem suam. Non satis est ut quisque pro se ab erroribus & sceleribus sibi caueat: sed ab eo requiritur, ut alios quoque ad veram pœnitentiam hortetur. Signum hoc est veræ pœnitentiæ. Quamdiu non sumus de aliis solliciti, indicio est, nos non seriò pœnitentiam agere. Quemadmodum illi qui è naufragio enatarunt, porrigunt aliis funes, stirpes, & quæcunque ad manum sunt, ut eos extrahant ex aquis: ita nos liberati ex erroribus & sceleribus, aliis quoque manum porrigere debemus, eosque ad vitæ resipiscenciam inuitare. Præsertim illos quos in scelera dictis & factis nostris pertraximus. Ordo hac in re est seruandus, ut primùm nostris vitiis medeamur, deinde fratribus nostris succurramus. Sunt quidam proni ad corripiendum alios, cum interim ipsi pessimè se gerant, & suorum quoque vitia non corrigant. Christus Dominus dicit Matth. 7. cap. Quomodo dicis fratri tuo, sine eximam festucam ex oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo? Hypocrita eiice prius trabem ex oculo tuo, & tum perspicies, ut eximas festucam ex oculo fratris tui. *Si quisquam de domo Israel, & de peregrinis qui peregrinatur in Israel, separauerit se ne eat post me.* Repetit quæ paulò antè dixit, sed quibusdam adiectis. Repetitiones illas non ociosas esse aliquoties admonuimus: duris enim illis capitibus res non potuit satis inculcari. Si quisquam ex Israelitis, vel Profelytis qui ex Babyloniis ad Iudaismum conuersi, vel qui ante exilium eorum conuersi erant separatus fuerit à me, id est, non ambularit post me, sed à me defecerit, & iugum meum abiecerit, ut accedat ad Prophetam, scilicet verum, *ut eum Consulatur in me,* id est, de mea volutate, vel de nomine meo, *Ego Dominus faciam ut respondeatur ei ex me, vel propter me.* Id est, propter gloriam mei nominis, ut videat me Deum esse, qui penitissimos recessus cordis ipsorum cernat. Etenim homines sæpe numero putant se Deum quoque fallere posse. Vel per me, ut sit iurantis particula: vel respondebo in me, ut sentiant à me profectum, non à suis vulpeculis. Ideo autem existimat Caluinus, mentionem Profelytorum fieri, ut Israelitæ intelligant, quantum hypocrisis Deus offendatur, cum ne Profelytis (qui à Sanctis patribus genus non ducebant) parcere velit, si simulent religionem, in terim in pectore idololatriam foueant. Subiungit iam planius quid ipsis futurum sit. Primùm dicit, *Ponam faciem meam contra ipsum.* Quemadmodum illi offendiculum iniquitatis suæ posuisse dicuntur ante faciem suam, hoc est, constituisse, quod in idololatria sua & sceleribus pergere velint: ita ego quoque pergam in pœna. פנים *panim* facies, vultus, quandoque pro furore capitur, qui relucet in facie, ideo Thargum iram exposuit. Deinde, *Ponam eum in signum & prouerbia.* Ostendit non fore vulgarem pœnam, sed talem ut futuri sint in signum & prouerbum *למשל Maschal,* significat prouerbum vel exemplum. Spectaculo eritis omnibus hominibus: ut tum alia, tum hoc imprimis discant, non simulatè agendum esse cum Deo &c. Iere. cap. 24. comminatur Zedechiæ

Quæ pœnæ  
manent  
pœnitentiæ.

& principibus eius, reliquiis in Hierusalem & Ægypto habitantibus, quòd opprobrium, prouerbum, fabula & execratio futuri sint, in omnibus locis ad quos eos eiecerit. Micheæ 2. cap. dicit. Tollent super vos parabolam. Hoc Deus per Moysem Deut. 28. comminatus fuerat. Abacuc 2. cap. dicit de gentibus quæ à Babyloniis domitæ fuerât, Tollēt super eum (Regem Babylonis) parabolam. Valde autem nobis dolet, si videamus nos instar scopi esse, ad quos omnes sua tela iaculentur, hoc est, si videamus nos omnibus ludibrio exponi. Prouerbia dicit in plurali numero, vt ostendat multiplicem pœnam eis inferendam, vt in multis rebus, exempla & prouerbia esse possint. Addit, *Succidam eum è medio populi mei*, Leue est, fabulam vulgi esse, præ grauissima hac pœna. Etenim qui è populo Dei exciduntur, priuantur omnibus bonis, & vita æterna, quam Deus membris populi sui confert. In hac vita Sancti fuerunt fabula. Iob 17. cap. queritur Deum statuisse ipsum in parabolam & tympanum populorum & 30. cap. in prouerbiū, vbi alia vox ponitur. Dauid Psalmo 69. etiam dicit, factus sum illis in fabulam. quæ faciebāt prouerbiis locum dabant, Christus tam humanus erat, vt cum publicanis cibum caperet, id in prouerbum cessit. Patienter itaque ferendū est si mundus nos rideat, de futura enim gloria certi sumus. Sed obstinati illi hypocritæ, & in hoc & in futuro seculo pœnas dabunt.

Hinc colligimus quàm horribile sit scelus, si homines simulent se Deum colere, interim idololatræ sint & scelerati, neque de vita sua emendanda cogitent. Hodie illorum magnus est numerus. Audiunt quidam conciones, tamen vt equi indomiti, in omnibus sceleribus pergūt. Grauitatem huius peccati, colligimus ex pœnæ atrocitate, nam quò grauiora sunt peccata, eò grauius à Deo puniuntur.

Discimus deinde quàm corrupta sit nostra natura. Israelitæ ne in exilio quidem, corda ab erroribus & sceleribus purgabant, ob quæ tot malis erant affecti, tam altè radices fixerant in animis ipsorum: Deus itaque maioribus pœnis eos afficit. Si Deus magna aliqua cruce nos premat, ringimur si alię accedant. At cogitandum est, nostram carnem instar asini recalcitrantis esse: quò magis aggrauatur crux, tantò magis nostræ naturæ latètem vitiositatem, Patrísque cælestis clemētiam cognoscimus: his enim domare & humiliare vult carnem nostram.

## HOMILIA L.

*Deus dicit se decipere pseudopphetas, qui vnà cum populo pœnas daturi sint, in bonum suorum fidelium.*

9 Et Propheta quum seductus fuerit, & loquutus fuerit verbum, ego Iehouah seduxi Prophetam illum: & extendam manum meam super eum è medio populi mei Israel.

10 Et ferent iniquitatem suam, sicut est iniquitas quærentis, sic iniquitas Prophe-tæ erit.

11 Ne errent vltra domus Israel: non eundo post me, nec polluat in vllis præuaticationibus suis: sintque mihi in populum, & ego sim eis in Deum, dixit Dominus Iehouah.

Deus

**D**Eus iubet Prophetam illis senioribus, & aliis qui simulato animo eum consulturi sint, respondere quod audire nollent, nempe ut non solum quisque per se resipiscat, sed ut alios quoque ad resipiscantiam horrentur: nisi enim hoc faciant, gravissimè puniendos esse. His auditis, indubiè cogitarunt, vel etià palàm dixerunt, habemus alios quoque Prophetas, quos consulere possumus. Duo vel tres formidabile iudicium Dei nobis minantur & nos increpant, alii verò & plures quidè, qui non minus dicunt se Prophetas esse, & præditos Spiritu Dei, iubent nos bene sperare, illos itaque consulemus. Solent enim impii, si ex veris Prophetis non audiant quæ placent, se ad falsos conuertere. Dicit itaque Deus primo loco, se Prophetas illos quos ipsi colebant, seduxisse: idque eorum vitio: deinde se pœnas tam de pseudopropheta, quàm de ipsis sumpturum: tertio loco cur hæc facturus sit ostendit. *Propheta cum seductus fuerit, & loquutus fuerit verbum*, scilicet falsum aliquod: *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*. Audietis, inquit, ex illis mendacia, ego enim decipiam illos. Hæc verba & si dura videantur, alibi tamen similia leguntur. Isaïæ cap. 63. quærit Prophetam, cur Deus seduxit populum, ut secederet ab eo: Jeremias 4. cap. dicit Deum decepisse populum. 1. Regum 22. capite, iubet Deus spiritum mendacem egredi & decipere pseudoprophetas & Achabum. Alibi dicitur Deus, homines excæcare, tradere in reprobum sensum, &c. Hęc & alia loca, videntur Deum authorem mali constituere. Vbi sciendum est, Deum propriè loquendo, non esse authorem mali: est enim bonorum fons & origo, peccatum detestatur, prohibet, inque hoc & futuro seculo punit. Loca verò quæ secus videntur habere, multi ex veteribus exponunt per nomen permissionis, quam interpretationem si admittamus, non nuda & ociosa permissio intelligenda est, quasi Deus inuitus & coactus permittat, (posset enim impedire si vellet) nec ita permittit, ut ipse nihil agat. Ipse enim regit peccata, ne quouis tempore grassentur, nec quamdiu, aut contra quos, homines & diabolus vellent. Vtitur item peccatis hominum, prout ipsi visum est. Non quidem nouam malitiam instillat animis eorum, sed iam antè illic delitescentem, occasione per se non mala in lucem protrahit, ut ea ad sua consilia perficienda vtatur. Deus propriè loquendo, neminem decipit, falsos illos prophetas decepisse dicitur, nimirum per satanam, qui nihil potuisset, si Deus ei obstitisset. Quòd autem eos permisit decipi, fecit iusto iudicio, digni enim erant principes & populus, qui à pseudopropheta regerentur. Petrus Martyr in commentariis Epist. ad Corinthios, hanc quoque affert huius loci interpretationem. *Cum pseudopropheta aliquid loquutus fuerit, ego decipiam eum*. Hoc est, secus euenire faciam, atque ille dixit: quòd eius mendacia detegantur. *Et extendam manum meam super eum, deleboq; eum de medio populi mei Israel*. Pœnam cõminatur pseudopropheta. Et si enim iusto Dei iudicio populũ seduxerit, tamen quòd fecit, non coactus, sed sua sponte & propria culpa fecit, ut esset in magna gratia, & cuticulam suam curaret: Deus itaque ei minatur, quòd extendere super eum manum velit, hoc est, eum ferire, & delere de cœtu Sanctorum, quæ pœna formidabilis est. Prouerbio dicitur, longas esse Regum manus, quòd per suos, quibus brachiorum vice vtuntur, possint procul disitos, quibus infensi sunt, etiam inuitos ad se pertrahere eosque affligere: quantò magis hoc Deus potest, qui aliorum ad hanc rem opera non indiget. *Et ferent iniquitatẽ suam*. Tam sectatores pseudoprophetarum, quàm pseudoprophetas pœnas daturus ostendit, propter iniquitatem suam: pseudopropheta tam erat malitiosus ut multa dicerent, quæ aliter habere non dubitabant: populus tam erat malitiosus, ut alios Prophetas ferre non posset: utrosq; igitur simul perituros dicit. Multi homines dicunt, ego me re-

An Deus sit  
author mali.  
li.

Permissio.

Extendere  
manum.

Pœna Pro-  
pheta & po-  
puli seducti  
eadem.

gendum præbeo meo paracho: si ille me seduxerit, ipse dabit pœnas. Dabit quidem, & graues, interim tu quoque cum eo peribis: nonne audis pseudo-prophetis populum in pœna coniungi? Non facit cuiquam iniuriam Deus, non punit immeritos: homines tegunt suam malitiam, & aliquando in Dei prouidentiam eam reiciunt: quamuis in aliis rebus diuinam prouidentiam contemnant: tamen si peccent, dicunt, Forte sic Deus voluit, hoc factum est eius prouidentia. Dominus igitur per Prophetam dicit. *Ferent iniquitatem suam. Sicut est iniquitas quærentis, sic iniquitas Propheta est.* Proceres populi & populus consulebant prophetas falsos ex malitia, illi respondebant eis iuxta animi eorum sententiam ex malitia, utrosque igitur perire iustum facit Dei iudicium. Populum cum malis doctoribus perire, simili potest ostendi: Si imperitus & perfidus nauclerus nauim scopulo illidat, & ipse perit & populus. *Ne errent ultra domus Israel, non eundo post me.* Vt Deus in bonum suorum fidelium falsos prophetas sinit grassari, quo fidem eorum exerceat: ita in bonum quoque suorum, tam sectatores pseudoprophetarum, quàm ipsos pseudoprophetas, horribiliter punit. Etenim si pii, qui fœlicitate impiorum multum offenduntur, videant vindictam de illis sumi, in vera pietate confirmantur. Nisi Deus suis iudiciis impios sibi displicere interdum testaretur, etiam electi, ut Dominus in Euangelio dicit, si fieri posset seducerentur. Reuocat Deus suos suppliciis, quibus alios, & quibus ipsos afficit. Nam ut ferrum rubigine purgatur per ignem, ita nos à vitiis variis ærumnis purgamur. *Ne errent.* Nam quisque in sua via errat ut ouicula, rebus secundis & prosperis. *Domus Israel.* Non intelligit de omnibus Israelitis, nam & pseudopropheta Israelitæ erant, sed de veris Israelitis, hoc est electis. *Nec polluatur ultra in vllis præuaricationibus suis.* Quemadmodum equi cohibentur frænis, ita Deus nos à flagitiis afflictionibus alienis & nostris reuocat. Colligimus ex hoc loco, electos quoque non solum per infirmitatem & errorem peccare: sed interdum in magna scelera incidere. *ꝛꝛꝛ Pescha,* iniquitatem, præuaricationem, defectionem significat. Neque in vnum solum, sed in multa interdum scelera incidunt. Exemplum habemus in Dauide & aliis. Colligimus etiam quàm misericors sit Deus, qui coopertos sceleribus non repulit, sed per afflictiones in viam reuocauit. Nemo igitur propter peccatorum suorum magnitudinem, de misericordia Dei desperet, *Sintque mihi in populum, & ego sim eis in Deum.* Iam antè per circumcisionem visibiliter ascripti erant in numerum populi Dei, quia verò à Deo defecerat, digni erant qui prorsus ab eo repellerentur: is verò recepit eos in gratiam, fœdus cum suis renouauit, habuit eos pro populo suo, & se Deum ipsorum esse re ipsa declarauit. *Dicit Dominus Deus.* Hoc epiphonemate confirmat mentes fidelium, ne dubitèt quin de integro Deus ipsos recipere velit in gratiam.

## HOMILIA LI.

## J De Caritate annonæ &amp; Fame.

12 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo,

13 Fili hominis, terra quum peccauerit mihi præuaricando præuaricationem, extendam manum meam super eam, & conteram ei virgam panis, & mittam in eam famem, & succidere faciam ex ea homines & iumenta:

Deus



**D**EVS optimus maximus, in secunda parte huius capituli, per Prophetam suum Ezechielem, populo suo comminatur, quod propter manifestam idololatriam & scelera, in quibus absque vili spe pœnitentiæ obstinatè pergat, quatuor graua supplicia ei immissurus sit nempe famem, bestias malas, bellũ, pestem, quodque his malis non liberandi sint, etiam si eximii illi serui Dei, Noe, Daniel, Iob, pro eis intercederent. Primum genus supplicii vel flagelli quod commemoratur, est fames & difficultas annonæ. Statui autem, Deo duce, de hoc genere supplicii paulò vberius scribere. Etenim si rectè intelligamus quæ de primo hoc supplicio annotabimus, de reliquis quoque rectius iudicare poterimus. Deinde hoc flagello Deus nos hodie grauius exercet, multisque iam annis exercuit, quibus omnia victui necessaria magno pretio fuerunt comparanda, verendumque est ne annonæ pretium, nisi pœnitentiam agamus, in illa fructuum calamitate augeatur. Pater noster cœlestis non secundum nostra merita, sed secundum immensam suam misericordiam nobiscum agere dignetur. Cæterum vt omnia rectius intelligamus, audiemus primo loco vnde sit fames annonæque caritas, nempe à Deo. Deinde quàm horribile sit illud flagellum. Tertio loco, cur Deus graui hoc flagello homines castiget. Quarto quo pacto se diuites & pauperes famis tempore, publicè priuatimque gerere debeant.

*I. Vnde sit Caritas annonæ & Fames.*

Quod vocabula attinet, caritas est quando omnium illorum quæ ad hominis victum pertinent, puta, cibi, potionis, vestium, hospitiorum, lignorum, aliarumque rerum pretia immodicè augentur. Fames verò est, quãdo hæc quæ dixi, non haberi possunt, etiam si magna pecuniæ vis suppetat. Quamquam pauperibus & egenis caritas & fames perinde sit. Nam quia pecunia destituuntur, necessariis quæ carè veniunt eos carere oportet, ideòque esurire & tandem fame contabescere. Est autem fames alia publica, alia priuata. Publicam voco quando per omnes ferè regiones frugum est penuria: priuatam quando tantum pagus aliquis, vrbs vel regio, rebus ad victum necessariis destituitur. Quemadmodum verò aliæ calamitates ab irato Deo hominibus immittuntur, ita etiam difficultas annonæ atque fames.

Caritas & fames quo differunt.

Fames publica & priuata.

Deus enim in lege, suo populo famem comminatur, si verbo ipsius nõ obtemperent, Leuit. 26. capite, ad hunc modum loquitur. Si non audieritis me, neque feceritis omnia præcepta ista &c. seretis frustra semẽ vestrum, manu comedent illud inimici vestri. Quòd si vsque ad hæc non audieritis me, dabo cælum vestrum sicut ferrum, & terram vestram sicut æs. Et consumetur frustra fortitudo vestra, neque dabit terra ista fructum suum, & arbores regionis vestræ non dabunt fructum suum. Quòd si per hæc non recipiatis doctrinam meam &c. Frangam vobis baculum panis, coquent decem mulieres panem vestrum in clibano vno, reddentque panem vestrum in pondere: Comeditis autem & non saturabimini. Deuter. 28. planius & vberius de hac ipsa re loquitur dicens. Si non obedieris voci Iehouæ Dei tui, vt custodias faciendo omnia præcepta eius, & statuta eius quæ ego præcipio hodie tibi, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in vrbe ipsa, & maledictus in agro. Maledictum canistrum tuum, & conspersio tua. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, primogenitum bonum tuorum, & greges ouium tuarum, & percutiet te ardore & æstu, ariditate & rubigine. Eruntque cæli tui, qui sunt supra caput tuum, ærei, & terra

Fames Deus immittit.

quæ est sub te, ferrea. Dabit Iehouah pluuiam terræ tuæ puluerem & cinerem, è cœlis descendet super te, donec disperdaris. Paulò post addit: fructum terræ tuæ, & omnem laborem tuum comedet populus quem non noueras: & eris tantummodo oppressus & contractus omni tempore. Mox, Semen multum educes ad agrum, & parum colliges: quia absumet illud locusta. Vineas plantabis, & colles, & vinum non bibes, neque colliges: quia deuorabit illud vermis. Oliuæ erunt tibi in omni termino tuo, & oleo non vnges te: quia decidet oliua tua. Omnem arborem tuam, & fructum terræ tuæ absumet locusta. Item, Seruus inimicis tuis, quos miserit Iehouah contra te, in fame, in siti & nuditate, & penuria omnium rerum. Adducet gentem aduersum te &c. & deuorabit fructum iumentum tui, & fructum terræ tuæ, donec disperdaris, quæ non relinquet tibi frumentum, vinum nouum, & oleum, nec primogenitum bouum tuorum, nee greges ouium tuarum. donec perdat te. Et comedes fructum vteri tui, carnem filiorum tuorum. &c. Si euoluas scripta Prophetarum qui interpretes sunt legis, hinc inde inuenies (testimonia aliquot postea adducemus) Deum populo suo minari, quòd nisi pœnitentiam agant, frumentum, vinum, oleum, fœtus arborum, pisces, carnes & alia quæ ad victum hominis pertinent, sublaturus sit.

Apud Prophetam Amos 4. cap. dicit Dominus. Ego dedi vobis munditiam dentium in cunctis vrbibus vestris, & penuriam panis in omnibus locis vestris, & non estis reuersi vsque ad me, dicit Iehouah. Sed & ego prohibui à vobis imbrem, cum adhuc essent tres menses ad messem: & pluere feci super ciuitatem vnam, & super ciuitatem alteram pluere non feci: fundus vnus complutus fuit, fundus autem super quem non pluit, exaruit. Et proficiscebantur duæ tresue ciuitates, ad ciuitatē illam super quam pluere fecerā, vt biberent aquam, & non satiabantur: non tamen reuersi estis vsque ad me, dicit Iehouah.

Ex his verbis manifestè intelligitur penuriam rerum ad conseruandam vitam necessariorum, à Deo proficisci. Si fames à Deo non immitteretur, serui ipsius prophetæ, non potuissent tempus prædicere, quando ventura esset, quamdiu duratura, quando iterum auferenda, & alia huius generis. Legimus autē in veteri & nouo Testamēto, sanctos Dei Vates hæc omnia exactè prædixisse. Iosephus exponit somnium Pharaonis de septem pinguibus & macilentis bouibus, item de septem plenis & tenuibus spicis: ostendit Deum hisce significare septem fertiles & totidem steriles annos.

Helisæus prædixit septem annorum famem 2. Reg. 8. In nouo Testamento Act. 11. cap. narratur Agabum Prophetam afflatu sancti Spiritus prædixisse per totum terrarum orbem horrendam famem grassaturam esse, quæ postea sub imperatore Claudio fuit. Id Deus suis fidelibus in hunc finem prædici voluit, vt maturè sibi de victu prospicere possent, ne postea cogerentur tempore famis victum ab infidelibus petere.

Inuenies quidem Astrologos quoque de fertilibus & sterilibus annis potuisse quandoque prædicere. Thales vt est apud Diogenem Laertiū, accusabatur quòd occupatus studiis philosophicis, rem familiarē negligeret, is ostēdere volens quòd philosophiæ quoque ad comparādas opes vsus aliquis esse posset, oliueta omnia illo anno conducebat, quia ex physicis causis intelligebat, non fœlicem fore olei prouentum sequentibus temporibus, postea oleum magno pretio vendebat. Etsi verò periti Astrologi interdum causas physicas vbertatis & sterilitatis deprehendisse sibi videantur, tamen eorum prædictiones

prædictiones non raro fallunt. Deus enim non est alligatus causis secundis, sed multa agit præter communem cursum naturæ. Propterea inter prædictiones Prophetarum & Astrologorum magnum est discrimen. Nolo interrim Astrologiam artem nobilissimam, quæ suum usum & fructum habet, reicere. Prognostici illi libelli, qui de singulorum annorum bellis, morbis, terræ nascentibus, calore, frigore, siccitate & humiditate loquuntur, plerunque absque certa ratione ab imperitis confinguntur. Si legas hunc vel illum diem pluuium fore, reponetum fore serenum: si legas hunc vel illum diem fore ventosum, reponet tranquillum fore, & ita in reliquis, non minus rem acu tanges, quàm illi prognosticæ.

Prognostici  
libelli.

Mirari certè non immeritò possis, quòd fiat quòd homines quantumvis iudicio præditi, tamen huiusmodi vanos libellos legere dignentur. Ephemerides ex quibus festa, motus lunæ & alia huius generis peruntur, sunt vtilis & necessariæ: his contenti, practicas illas, ut vulgò vocant vel prædictiones de tempestatibus, bellis &c. abiiciamus: Agricola sua habent tempestatum & ventorum prognostica per totum annum, quibus etiam multi plurimum tribuunt, sed si quis diligenter obseruet, videbit eos quoque sæpius aberrare. Licet enim suas physicas rationes habeant, tamen (ut antè dixi) Deus dominus est totius naturæ, & his rebus non astrictus, omnia gubernat suo arbitratu. Hinc quoque colligitur, famem à Deo immitti, licet (ut postea dicemus) causis secundis utatur, quod Solomon voluit, ut populus in templo Hierosolymis collectus, tempore famis Deum precaretur, ut hæc pœnam ab eis auferret, commodam tempestatem & fertilitatem eis conferret, & ab ipsis grandines, pruinas, pestesque telluris varias depelleret.

Nisi enim à Deo irato hæc omnia immitterentur, sed casu fierent, quid opus esset precibus? Reg. 8. cap. Ad hæc legimus Leuit. 23. Deum mandasse ut populus Israelitis, postridie Paschæ gomer, hoc est, certam mensuram nouarum spicarum, vel ut alii exponunt, manipulum nouarum frugum offerret Domino, & tum demum nouis frugibus vesci inciperet.

Postea festo Pentecostes, quod alio nomine festum nouarum frugum appellatur, Domino panes offerrent coctos ex nouis frugibus. Hinc est quod olim in papatu feriis Paschæ panes & liba in Templo cōsecrarunt. Antumali tēpore festum Tabernaculorum celebrabatur, iam collectis frugibus. His festis & ceremoniis Israelitæ testari debuerunt, quòd fruges telluris, Deo tempestatum vero parenti acceptas ferrent, non suis laboribus & sudoribus. Deinde pro messe, cūctisque beneficiis gratias ei agere debuerunt: ipsūque ardentè precari, ut frugibus, quas in horrea conuexissent, benediceret, illasque quæ adhuc in agris essent, defenderet, ipsisque gratiam suam conferret, ut in timore ipsius, veraque pace suis illis donis fruerentur. D. Paulus scribit in 1. ad Timo. 4. cap. Omnes cibos in hoc esse conditos à Deo, ut cum laude & gratiarum actione illis utamur, reiiciendos esse, si cum gratiarum actione illis vescamur, cibos enim sanctificari per verbum & orationem. Proinde si ad mensam accedimus, vel ab ea recedimus, non pudeat nos, etiam clara voce, Deo gratias agere. Quæ malum, dementia est, quòd non pudet te intemperanter abuti, cibo & potu, aliòsque ad bibendum virgere, & pudet te Deo gratias agere pro donis suis?

Porrò si Deus homines fame castigare instituat, nullo negotio id potest. Nam quemadmodum tu seruum vel ancillam vocas, & aliquid iubes expedire: ita Deus 1. Regum 8. & Psal. 105. & passim alibi famem & caritatem

Ex incultis  
agris fames  
oritur.

annonæ vocare dicitur. Si venire eam iubet, adest: si recedere, recedit. Nam etiam abundantia omnium rerum, est quasi ancilla Dei, quam cum primum vocat, præsto est. Deus vocat illa quæ nondum sunt, ut sint, & mox præsto sunt, Roman. quarto: unde colligimus immensam eius potentiam. Multas autem habet vias & rationes, multa instrumenta, per quæ res ad victum hominis necessarias, vel aufert, vel pretia earum auget. Sæpe fit permisso Dei, ut agri & vineta omnino non colantur: ut in diuturnis bellis agricultura intermittitur, agricolæ miserè trucidantur, & captiui abducuntur. Nostra ætate agricolæ adiguntur in obsidionibus, ad faciendos aggeres, etsi multi ex illis bombardarum globis pereant, tamen parua eius rei habetur ratio inter homines. Deus verò in cuius conspectu pretiosa est piorum mors, eorum curam gerit. Psalm. 115.

Agri coluntur,  
sed frustra.

In bellis vites, sepes, arbores fructiferæ exuruntur, armenta & greges mactantur & abiguntur, aut inopia pabuli pereunt, hinc fit ut terra arari & coli non possit. Hinc oritur caritas olei, lactis, butyri, casei, carnis, lanæ, aliarumque huius generis. In multis fertilibus regionibus pauci agri coluntur metu vicinarum gentium. Peste grassante non rarò accidit, ut multi agri aratione & purgatione prætermissa sordescant, arbores & vineæ incultæ relinquantur, unde penuria panis, butyri, aliarumque rerum nascitur. Etsi verò agricolæ nullis laboribus parcant in colendis agris & vinetis, tamen sæpe culturæ & laboribus non respondent: rara enim est messis & vindemia. Diuus Apostolus. 1. Corinth. 3. Illum qui plantat & qui rigat, nihil esse dicit, sed Deum qui dat incrementum. Terra per se fruges nequit producere, nisi Deus ei benedicat, & commodam tempestatem concedat. Terra Israelitica quæ vetustis temporibus fertilissima fuit, hodie sterilis ferè esse dicitur. Ezech. 36. cap. promittit Dominus suo populo quòd terram illam vastam atque desertam, iterum fœcundam reddere velit. Hyems longa & aspera sæpe sementem & vites atque arbores perdit. Adhæc sementis & vites etsi hyemis inclementiam euadant, iam frigore, iam calore, iam humore, iam ariditate immodica læduntur. Terra Iudæorum cum sit calida, cum primum tempestitua pluuia caret, fruges pereunt. Nostra Heluetia fertilis est, si calidæ sint æstates, quia montosa est, multisque torrētibus & fluuiis irrigatur. Sunt etiam variæ pestes & vitia quæ sementi & arboribus nocent, mures, locustæ, bruchi, lumbrici, melanthæ. Flores vitium faciliè pruina & diuturna pluuia corrumpuntur. Ventus calidus & frigidus, arborum flores vel aufert, vel efficit ut immaturi fructus decidant. Aliæ pestes folia arborum & flores depascuntur. Si verò fructus arborum malignè proueniant, panis maiore copia indigemus.

Locustæ:

In vbertate fructuum pueros placare possumus, pomo, vel piro, quæ non minoris emere potes quàm panem, in fructuum calamitate. Passim legitur in historiis, locustas tanta turba irruisse, ut si se demiserūt in terram, multa iugera occuparint & contexerint, Exod. 10. cap. legis quomodo locustæ Ægyptios afflixerint. Plinius scribit in Cyrenaica regione legem esse, ter anno debellandi eas, primò oua deterendo, deinde fœtum, postremò adultas. Diuus Ioannes in Apocalypsi sua, ordines monachorum locustis comparat, non solùm propter ingentem eorum multitudinem, sed & quòd ex omnibus locis (quod in primis monachos mendicantes facere videmus) victum colligant, & fruges consumant.

In annalibus Heluetiorū legimus anno Domini millesimo trecētesimo sexagesimo quarto, mēse August. locustas in nubibus tanta densitate volasse  
in hac



in hac regione, ut in multis locis cælum vix per agmen eorum videri potuerit. Tiguri & aliis quibusdam in locis campanæ agitatae sunt, veluti coorta ingenti tempestate, olim factum est. Dominus apud Ioelem 1. capit. dicit, Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit hasil. In 2. cap. Dominus eas appellat magnum suum exercitum. Et si enim locustæ & alia insecta, parva sunt animalcula: tamen illis non potest obsisti vlla potentia: quin hostis potentissimus profligari facilius potest, quàm tales bestiolæ. Ad hæc si frugum spicæ emergere incipiant, si vites & arborum fructus annum fertilissimum nobis promittant, Deus subito fruges omnes, grandine contundere atque perdere potest: id quod in hisce regionibus sæpe vidimus. Grando magnitudine ouorum gallinæ, non semel hominum memoria, agros longè latè que compleuit, eosque ita infecit, ut sequentibus quoque annis steriles essent. Aliquando nimbis & procellis, frumentum, siligo, hordeum, & aliæ fruges ita opprimuntur, ut maturefcere vix possint. Hoc loco non multis disputandum videtur, an Lamiæ grandinem aut magnas tempestates ciere possint. Certum est maleficas & magos, nullam ex se potestatem habere lædendi homines. Ipse enim Satan, qui dominus impiorum vocatur, & cum quo pestilentissimi illi homines pactum ineunt, non plus efficere potest, quàm Deus iustis de causis ei permittit. In Evangelio non potuit nisi à Christo accepta potestate, porcos in lacum deturbare. Qualem igitur potestatem diaboli famulæ & famuli haberent, quomodo elementa commouere possent? Quum primùm autem Deus diabolo concedit potestatem, res stupendas, idque brevi tempore potest efficere. Quis nescit magos Pharaonis stupenda miracula edidisse, & in hoc Mosem atque Aaronem imitatos esse? In Iobis historia narratur, eius filios atque filias excitata tempestate à satana oppressos esse. Porcos illos in Evangelio è vestigio cum licentiam à Christo impetrasset, in lacum deturbat. Ad res multas satan maleficarum opera utitur. Scimus eas pagos, oppida non semel inflammasse, pecora & homines læsisse, & res stupendas & incredibiles suis artibus maleficis effecisse.

Grandines  
& tempestates  
fruges  
auferunt.

An Magi  
possint grā  
dinem pro-  
ducere.

Sæpe tormentis adactæ confitentur se pruinas, grandines, tempestates produxisse, viam & rationem ostendunt, sed diabolus præuidens tempestates venturas, ita eas fascinat, ut putent se eas concitasse & multa fecisse, quæ tamen non fecerunt. Fingamus animis, eas posse grandinem producere, tamen hoc non fiet, nisi Deo permittente atque volente. Veteres Romani crediderunt homines, fruges alienas, veneficiis & incantationibus posse pelli. Nam lege 12. Tabularum prohibita est segetum traductio his verbis. Qui fruges excitasset, pœnas dato. Néve alienam segetem pellegeris incantando. Ne incantanto, ne agrum defraudanto. Hoc est, nullo præstigiæ genere fiat, ut ager ad sterilitatem perducatur. Si dæmon Domino permitte hoc faciat, illud hominibus ut putent se id fecisse. Fruges item cum iam maturæ sunt & falcem postulant, possunt obteri vel demeti ab hostibus, item exuri. De Sampsonem legitur, quod vulpibus quarum caudis faces alligaauerat, in agros Palæsthinorum immisis, eorum sata perdidit. Sunt & alia in Scripturis exempla. Et si verò fruges repositæ sunt in horrea, & vina in cellas coniecta, fit ut fruges laboribus malignè respondeant: in trituratione, in furno, in canistro maledictio Domini sentitur: hac de re audiuntur crebræ agriculturalium querelæ. Vina sæpe in dolio acescunt, vapescent, & alia vitia cōtrahunt, sæpe effluunt.

Fruges col-  
lectæ pe-  
reunt.

De hoc iam nihil dicam, quod hostes omnia absument, quod granaria & horrea inflammant, quod vini dolia infringunt, vina effundunt instar aquæ,

Propolæ au-  
gent pretia  
frugum.

quæ omnia annonæ penuriam & caritatem gignunt. Accidit etiam, ut quando copiosè omnia proueniunt, & pax hominibus à Deo conceditur, sceneratores, monopolæ & propolæ, fruges omnis generis coemant & recondant, postea si agricolæ non amplius habent quod vendant, ipsi aucto pretio rerum ad victum necessariorum, aliorum insigni iactura, quæstum faciant. Fit etiam iusto Dei iudicio, ut fruges quæ ab auaris reponuntur, aliquando auolēt, aut alioqui corrumpantur, & ita pereant, ut nullus prorsus earum usus sit. Et si annona abundè suppetat, tamen in obsidionibus oppidani cōmeatu prohibentur, obfessis itineribus, ut cibi inopia ad impuros cibos descendant, & nisi obsidione liberentur, sese hostibus dedere fame cogantur.

Homines lu-  
xu multum  
absumunt.

Rabschaces minatur ciuibus Hierosolymitanis obsidione cinctis eò rem deducendam, ut aquæ inopia, lotio sitim restincturi sint. In bellis communiter fruges quæ hinc inde in oppida conueherentur, in castra conuehuntur, multoque plus belli, quàm pacis tēpore insumitur. Si vel metus sit belli, coemunt vrbes magnam vim frumenti & suum recondunt, donec constet de pace vel bello. Hoc quoque efficit, ut multi penuriam patiantur, quòd nonnulli principes per luxuriam multa prodigunt, utque sint ferendo, crebris exactioibus exhauriunt suos subditos, qui cùm hoc vident, neglecta re domestica, ipsi quoque heluantur, & totos dies potant. Ad hoc tam pauperes quàm diuites, in vestibus, suppellectili, cibo, potu, & aliis modum excedunt: si anni sint fertiles, sperant omnes sequentes annos quoque tales fore, nemo comparcit, omnes ferè omnia prodigunt: postea si subsequuntur anni steriles, nihil habent unde uiuant, obæratam fidem suam liberare nō possunt, atque ita nemo alterius inopiam subleuare potest. Si nunc malignus sit prouentus, & maledictio Dei accedat, res pessimo sunt loco. Deus minatur in lege sua, se baculum panis fracturum, hoc est, se subtracturum pani vim alendi famelicos. Nam quemadmodum senes & ægroti, si baculus ei auferatur, concidunt: ita nisi Deus pani indat vim alendi, saturari vix possumus. Etiam si parum cibi habemus, Deus homines potest alere, externo adminiculo non indiget. Deut. 8. legimus hominem non in solo pane viuere: sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei, hoc est, omne id quod Deus in cibum hominis destinat. Tempore famis sæpe obseruatum est, quomodo Deus panis baculum confringat, etsi enim quis multum comedat, tamen non saturatur. Quidam dicunt tempore famis, multos quodammodo numerare quod comeditur, præscribere apud se certam mensuram, quam si quis comedendo excedat, indignè ferāt: sed si quis rectè expendat, hæc maledictio est Dei, qui vigorem pani subtrahit. Idem enim in morbis quoque videmus accidere, in febribus multi sitim nullo modo possunt restinguere. Multi bene sunt vestiti, at vestes non diu durant, sed statim teruntur. Est enim hæc quoque benedictio Dei, si vestes & calceamenta diu durent. Israelitarum vestes & calcei in deserto Dei beneficio peculiari, nō attriti fuerunt. Sunt qui multas vestes induant, noctu stragulis & vestibus se tegunt, non tamen frigus arcere possunt. Hæc omnia Deus per Haggæum comminatus est. Atque sic Deus in magna rerum copia famem potest immittere, sin verò malignus sit prouentus, & nihilominus baculum panis, ut scriptura loquitur, frangat, eò peius res habent.

Deus fran-  
git baculum  
panis.

Ex his omnibus intelligimus quòd caritas annonæ & fames à Deo immittatur, quòdque ad eam rem naturalibus aliisque viis & modis vtatur, ipse enim cuncta gubernat. Hostes quantumuis potentes, neminem possunt bello infestare: insecta, pruinæ, grandines, procellæ, lædere & perdere fruges non possunt, nisi ita visum fuerit Deo, qui tempestatum

pestatum parens existit. Iob. 37. Niui præcipit, vt sit super terram, & imbrī pluuiæ, & sit imber pluuiarum fortitudinis suæ. Psalm. 147. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui germinare facit in montibus herbam. Qui dat iumentis pabulum suum, & pullis coruorum qui clamant. Mox. Qui adipe frumēti saturat te. Qui dat niuem sicut lanam, pruinam velut cinerem spargit, proiicit glaciem suam vt buccellas: coram frigore eius quis stabit? Mittit verbum suum & liquefacit ea: flat spiritus eius, & fluunt aquæ. Psalm. 148. Ignis & grando, nix & vapor, ventus turbinis faciens verbum eius. Montes & omnes colles, arbor fructifera, & omnes Cedri, Bestia & omne iumentum reptile & auis alata. Ieremias in fine capitis decimi quarti dicit. Nunquid sunt in vanitatibus gentium qui pluere faciunt, & nubi cæli dabunt imbres? an non tu es Iehoua Deus noster? te igitur expectamus, tu fecisti omnia hæc. Sunt multi prophani homines, qui annonæ caritatem & famem, fortuita putantes dicunt, semper quantum memoria possint repetere, fuisse vices rerum, pacem subsequutum bellum, abundantiam rerum, caritatem &c. ita etiam deinceps fore. Nos verò ex verbo Dei scimus omnia gubernari diuinitus, & nihil temere accidere. Etsi quo ad nos aliquid temere accidat, tamen non quo ad Deum. Christus ipse testatur in Euangelio, ne passerem quidem, quem nullæ leges vnquam defendunt, quique omnium insidiis est expositus, citra Dei voluntatem cadere super terram. Item omnes pilos capitis nostri numeratos esse. Ipsi Gentiles crediderunt Deum fruges & pecora tueri, gubernare tempestates, in hoc tamen peccarunt quòd virtutē Dei, aliis atq; aliis diis inferioribus attribuerunt. Coluerunt Cererem, Bachum, Floram, Robigum Apollinem *ῥόμιον*, à pascuis sic dictum, Palem pabulorum vel pastorum Deam, cui festum vel sacra Palilia pro partu pecoris celebrarunt. Pan quoque animalium Deus ab eis fuit cultus. Celebrarunt Bacchanalia Baccho, Robigalia Robigo, Floralia Floræ, vt illis propitiis, sceleriter vinum proueniret, neque robigo frumenta vel arbores corrumpere, neque intempestiuè florerent. Habuerunt suas ambaruales hostias, quæ vt ait Festus, rei diuinæ causa circum arua ducebantur, ab his qui pro frugibus faciebant. Scripturæ testantur Deum dare & auferre pabulū pecoribus: quantò magis homini propter quem bruta animantia & res vniuersæ conditæ sunt, alimentum subministrat? Psalmo 145. Quamdiu homines non credunt, copiam & inopiam frugum à solo Deo esse, non conuertentur ad percutientem eos hoc flagello, impatienterque ferent hanc pœnam. Non parum ergo interest, nos scire vnde sit fames & caritas annonæ.

### *II. Quàm horrenda sit pœna caritatis annonæ & famis.*

Sequitur iam secundo loco, quàm horribilis sit hæc pœna. Famem præsertim si diuturna sit, atrox esse malum, quiuis multis rationibus facillè potest intelligere. Si quis apud Iosephum de bello Iudaico lib. 6. capite 11. obsidionem Hierosolymorum legat, vel apud Eusebium in Eccles. hist. lib. 3. cap. 6. quæ ex Iosepho excerpserit, vel historiam de aliis vrbibus, quæ diuturnis obsidionibus ad cibi inopiam redactæ sunt, reperiet horrenda ad quæ homines dira fames impulit: Poetæ non temere male suadam vocant. Cùm Deus optionem faceret Dauidi regi, inter pestem, bellum & famem: pestem delegit, lenius reliquis malum, pleriq; enim qui peste laborant, intra paucas horas spiritū Deo reddentes, omnibus curis, molestiis, & mortis horrore liberantur. Qui in præliis cadunt, non diu excruciantur. Qui verò fame cruciantur, sperant sub-

inde aliquod remedium fore præsentibus malis, tandem lenta morte, ideoque miserima contabescunt. Quare Ieremias in Threnis dicit 4. cap. Melius habuerunt interfecti gladio, quàm qui fame perierunt, quia hi extrabuerunt, ab agri prouentu confossi: plerunque etiam accidere videmus, vt famem pestis cõsequatur. Apud Græcos *λῆμν* famem, & *λοιμὸν* pestem vna tantùm literula discernit. Etiam illi qui non solùm ad victum necessaria, sed etiam exquisitas delicias habent, si videant alios fame cruciari, nisi ferrei sint, eorum malis non leuiter afficiuntur. Si eis in plateis occurrant, laboriosi homines, mulieres, pueri quos fame enectos ex vultu colligunt, non parum ipsi quoque commouentur. Quòd si ipsos quoque famem ferre oporteat, & familiam videre famelicam, tanto maiore dolore afficiuntur. Sæpe homines pudet paupertatis, aperire suas miserias nemini audent, interim paulatim sua absument apum instar, mutuo accipiunt pecunias, oppignorant & vendunt vestes, domos, agros, incidunt in sceneratores, qui ita eos exugunt, vt nulla spes amplius supersit restitutionis eorum in integrum. In Genesi legitur Aegyptios pecora & agros Regi oppignorasse, fame dominante. Apud Nehemiam 5. cap. reduces ex Babylone queruntur quòd liberos suos vèdere compellantur. Famelici oberrant hinc inde & deficientibus viribus laborare non possunt, vix cutis ossibus hæret. In Threnis Ieremię dicitur. Nazareos qui niue candidiores fuerant, lacte nitidiores, quique specie præ margaritis rubuerant, carbonariis similes factos, formæ suæ pristinæ decus amisisse, multos penuria victus, animi deliquium passos esse, inque plateis mortuos concidisse, matres infantes suos lactare amplius non potuisse. Anno Domini 1527. quo Galli cum exercitu agrum Mediolanensem ingressi sunt, vt Mediolanum recuperarent, assiduis bellis omnia ita fuerunt exhausta, vt horribilis fames cõsequeretur: auctum fuit in immensum tritici pretium. Commeatus Argentorato & ex Heluetia supportatus fuit. Mediolani quotidie multi in plateis fame absumpti sunt: per totam regionem multi miserè fame interibant, non pauci in ore gramen herbâsque habere conspiciébantur. Multi milites ex castris domum redeuntes, ne cogerentur tantas miserias aspicere, iurabant se deinceps nunquam militatum abituros esse. Quemadmodum fames reperit bonas artes (pauperes enim multa excogitare necesse est, vt se honestè alant) ita stimulat interdum homines, ad imposturas, mendacia, vsuras, furta, latrocinia, & horrenda scelera.

Vnde Sapiens ille Prouerb. 30. dicit, se à Deo postulasse, ne paupertatem & diuitias sibi daret, sed suo demenso eum aleret, ne fortè satur abnegato Domino diceret, quis est Deus? & ne forte pauper factus, furtum committeret, & nomen Domini vanè vsurparet. Multi diuites fuerunt omnibus seculis, qui opum fiducia Deum non contempserunt, sed tanta est nostra infirmitas, vt nisi benè verbo Dei communiti simus, & Deus suo fræno nos retrahat, opibus abutamur. Multi quoque sunt pauperes, qui à furtis & aliis malis artibus abhorrent. Attamen sumus tam corrupto ingenio, vt latrante stomacho, mendaciis, dolis, & nefariis artibus necessaria comparantes (id quod etiam sub furci nomine intelligitur) nos ipsos excusemus, & peccata extenuemus. Factum quoque est, vt quidam famis impatientia sibi ipsis manus intulerint. Fame stimulante quidam ab humanis carnibus non abstinerunt, quin matres suos liberos ederunt, sicut factum est in obsidione Samariæ, item in prima expugnatione vrbs Hierosolymorù sub Nabuchodonosore, & in posteriore sub Vespasiano & Tito: posteris quoq; tēporibus in diuturna annonæ Caritate. Quanta verò hæc sit miseria, omnes præsertim matres intelligunt. Quòd fames multos pellat in exilium, exemplo nobis sunt sancti Patriarchæ,

Patriarchæ, Abraham, Isaac, Jacob, & alij sancti viri. Multi mendicitatem sibi deligunt, & ex illis non pauci multa nefaria committunt. Hoc anno 1570. tanta fuit in Italia fames, vt multi agricolæ ad trirèmes festinantes, suam operam nauarchis obtulisse referantur, ne fame contabescerent. Quare autem Deus tam horribili pœna homines afficiat, ex sequenti sermone intelligemus.

HOMILIA LII.

*Qua secunda est de caritate annona & fame,*

*III. Quas ob causas Deus annona caritatem & famem, pijs pariter atque impijs immittat.*



Terio loco audire volumus, quare Deus, qui clemens est & misericors, graui hac pœna homines adficiat. Multi enim cum de hac, tum de alijs pœnis corruptè iudicant. Plerique tam sunt stupidi, vt tametsi Deus ipsos castiget, non tamen cogitent quas ob causas id fiat: aut quomodo ex præsentibus malis emergere possint. Quod si causas inuestigamus propter quas & hæc & similes pœnæ vagentur, facilius & melius videbimus, quo pacto nos gerere debeamus. Multi si fames, bellum, seditio, pestis, aliæque graues calamitates accidunt, vociferantur hæc accepta ferenda esse nouæ religioni: nam si homines in veteri religione (papatum ita vocant) perstitissent, his & alijs pœnis immunes fore: quasi verò papistæ ab omnibus malis immunes sint. Cæterum hæc querela non est noua: etenim temporibus impij regis Achabi, diuturna fame dominante, Rex dicebat ad Heliam magnum prophetam, quòd Israelem turbasset, in ipsum conferens causam diuturnæ famis. (Sic Ionathan dicebat patrem suum Saulem turbasse populum cum milites à cibo abstinere iussisset) ille fortiter Regi respondens, Non ego, inquit, Israelem turbavi, sed tu & domus patris tui, quandoquidem reliquistis præcepta Domini & Baalim estis sequuti, i. Regum 18. capite. Idem postea legis de rege Ioramo, qui in Hælisæum conferens culpam famis, quæ Samariæ tanta erat, vt matres filios suos comederent, mittebat vnum ex seruis suis qui ipsum interficeret: Propheta autem à Deo præmonitus, insidias vitauit.

Fames non immittitur propter Euangelicam doctrinam.

Supra cap. 12.

In Ecclesiasticis historijs legimus quòd Gentiles si Deus mundum afflixit pruina, grandine, incendijs, eluione aquarum, & alijs malis, statim clamant, Hæc debemus Christianæ religioni: obiciantur bestiis, suspendantur, proiciantur in profluentem, indigni sunt qui lucem hanc aspiciant. Eusebius scribit historiæ Ecclesiasticæ lib. 9. cap. 7. Imperatorem Maximinum passim sua edicta publicè proposuisse, quibus indicari, omnia mala quæ mundus hætenus perpeffus sit, propter perniciosum errorem nefandorum illorum hominum, (intelligit Christianos) accidisse, qui vbique terrarum propemodum obtinuerit: gloriatum esse, suo tempore ideo neque famem, neque bellum, neque pestem fuisse, quòd simulachra colat, & Christianos supplicijs afficiat: hæc autem mala omnia, subitò vno eodemque tempore concurrisse, iactantiámque tyrannicæ contra Deum contumaciæ redarguisse. Nemo itaque miretur hodierno tempore similes voces audiri, impios omnia mala Euangelio accepta ferre. Nonne Christus Seruator prædixit hæc suis euentura esse?

## CAP. 14. IN EZECHIELEM

Lex.

Sacræ Literæ apertè & euidenter ostendunt, caritatem annonæ flagellum esse Dei, quo homines propter multiplicia peccata, & in primis propter idololatriam castiget. Nam vt suprâ quoque aliqua ex parte diximus. Deus in lege sua Leuit. 26. cap. dicit, Si autem non audieritis me, neque feceritis omnia præcepta ista. Et si decreta mea spreueritis, & iudicia mea abominata fuerit anima uestra, ita vt non faciatis omnia præcepta mea, & irritum faciatis pactum meum. Seretis frustra semen uestrum, nam comedent illud inimici uestri. In hanc sententiam loquitur etiam Deu. 28. Cap. 11. eiusdem libri dicit Dominus, Terra quam tu ingrederis vt possideas eam, non est sicut terra Ægypti, ex qua egressi estis, in qua feminabas semen tuum, & irrigabas pede tuo, vt hortum oleris. At terra ad quam vos transitis vt possideatis eam, terra montium & vallium est, de pluuia cæli bibes aquam. Est terra quam Iehoua Deus tuus requirit, semper sunt oculi Iehouæ Dei tui in ea, à principio anni vsque ad extremum anni. Erit itaque si obediendo obedieritis præceptis meis, quæ ego præcipio vobis hodie, ita vt diligatis Iehouam Deum uestrum, & colatis eum toto corde uestro, & tota anima uestra: dabo pluiam terræ uestræ in tempore suo, temporaneam & ferotinam, & ita colliges frumentum tuum, ac oleum tuum: & dabo herbam in agro tuo, pro iumentis tuis, comedésque & saturaberis. Cauete ergo vobis ne fortè seducatur cor uestrum, & recedatis colatísque deos alienos, & incuruetis vos eis, vnde irascatur furor Iehouæ in vos, & claudat cælos, ac non sit pluuia, neque terra det fructum suum, pereatísque celeriter à terra optimâ, quam Iehoua dat vobis. Deut. 32. cap. describitur Canticum Mosis, in quo indicat quòd idololatria Deum ad iram prouocarint, & inter alia dicit Dominus: Consumam super eos mala, sagittas meas consumam in eis, absumentur fame, &c. Historia sacra testatur comminationibus diuinis euentum respondisse. Legimus enim 1. Reg. 17. cap. & 18. sub Achabo tribus annis & sex mensibus continuam fuisse siccitatem & annonæ caritatem: non rorabat, non pluebat, quare neque folia, gramina, olera, semina atque alia feliciter nasci potuerunt. Quanta fuerit hæc calamitas, partim historia ipsa indicat, partim quisque nostrum facillè potest æstimare. Rex emittebat nuncios suos pro aqua ne pecora eius perirent. Causam tantæ famis ipse Propheta Regi exponit, nempe quòd à Deo defecerit, & apertam idololatriam exercent. Offert se (nimirum afflatu Dei) quòd miraculo ignis de cælo, probare velit suam religionem veram, & Baalitarum, quos Achab obseruabat, falsam esse.

Quod cum fecisset, omnes Baalitas iugulabat, mox itaque, vt historia prolixè ostendit, commoda tempestas subsequuta est. 2. Regum 8. capite, Helisæus prædicit suæ hospitiæ ex diuina reuelatione, annonæ caritatem venturam, quæ septem annis duratura sit: id quod factum fuit. Nam quia Israelitæ pergebant in idololatria, ob quam Deus antè diuturna fame eos afflixerat, pergit eos affligere, sicut in Lege, Leuit. 26. cap. comminatus fuerat, si pœnis sibi inflictis non mouerentur, se eas aggrauaturum: sicut parentes quoque erga liberos suos facere consueuerunt.

Prophetæ.

Apud Prophetas expressè inuenies, caritatem annonæ & famem, propter idololatriam & alia scelera populo Dei immissam esse. Loca euidentiora in medium adducemus. Isaias 3. capite, minatur populo ex ore Dei, se propter multiplices eius transgressiones, omne fulcrum cibi & potus ablatum esse: vt tametsi eis cibus & potus abundè superpetant, non tamen famem sedent, neque sitim restinguant. Ieremiæ decimoquarto capite, continetur concio ipsius, quam tempore penuriæ frugum & fructuum habuit, inter alia causam illius exponens, Nostræ, inquit, iniquitates rependunt nobis. Pseudoprophetæ famis tempore vbertatem frugum continuam eis promittebant, tempore fertilitatis

tatis

tatis dicebant, non esse metuendam sterilitatem & inopiam victus. His se regendos præbebant Israelitæ. Hoc enim est hominum ingenium, ut libenter illis auscultent, fidemque habeant, qui ipsis dicunt quod volunt. Itaque Propheta eis prædicit, quod fame & peste perituri sint: quicquid alij dicant, proiciendos in plateas, & insipientes relinquendos. Hæc ipsorum vxoribus filiis & filiabus euentura. Nam malitiam eorum, dicit Dominus, effundam super eos.

Ezechiel noster, in Babylone eadem docuit & prædixit, quæ Ieremias in Iudæa & Hierosolymis, nempe Dominum effecturum ut vrbs propter ipsorum idololatriam & flagitia obsidione prematur, multi peste & fame in ea pereant, idem illis etiam qui iam in captiuitatem tracti, & mox trahendi erant, euenturum. Suprà 4. capite, iussit Deus Prophetam urbem delineare in laterculo, eam obsidere, & toto obsidionis tempore, panem ex tritico, hordeo & variis leguminibus confecto, certo pondere vesci, aquam certa mensura bibere, loco prunarum quibus panem coquebat, stercus bouillum accipere. Quibus omnibus, ut ipse interpretatur, ostenditur Deum subtracturum pani vim alendi. Hierosolymis panem certo pondere comesturos, aquam bibituros certa mensura, lignis carituros. In obsidionibus enim si metuenda fuit penuria annonæ, omnes fruges ad belli duces perferre oportet, qui eas in singula capita certo pondere & mensura partiuntur: idem fit quo ad aquam in locis aridis, sæpe armata manu aqua afferenda est. Idem Hierosolymis accidit. In fine capituli, inedia perituros dicit propter iniquitatem suam. Postea 12. capite: iisdem propemodum verbis iterum famem prædixit. Capite 5. dixit, In statutis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & secundum iudicia Gentium quæ in circuitu vestro sunt, non fecistis. Propterea, Sic dicit Dominator Iehouah: Ecce ego ad te, etiam ego, & faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium. Et faciam in te quod non feci, neque facturus sum simile ultra, propter omnes abominationes tuas. Siquidem patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos, &c.

Iustum erat hoc Dei iudicium, suos enim liberos contra expressa legis verba immolabant Saturno, reprehensiones Prophetarum susque deque ferebant. Paulo post dicit: Et eris opprobrium & contemptus, &c. Repete verba ex superioribus, vbi quid per sagittas panis intelligat, annotauimus. Capite 6. Deus iterum dicit Prophætæ complode manus tuas & extende pedem tuum, & dic: Heu propter omnes abominationes malorum domus Israel, quia gladio, fame, & peste corruent, &c. Consule locum. Capite 7. iterum prædicit, Deum propter abominationes ipsorum mox pœnis affecturum, magnamque in populo afflictionem fore. Gladius foris erit, pestis & fames intrinsecus, qui in agro fuerit, gladio morietur, & eum qui fuerit in ciuitate, fames & pestis consumet. Aliquot verbis interpositis, etiam de diuitibus loquitur, qui annis sterilibus abutuntur, ad faciendum quæstum, aliisque esurientibus, conuiuia instruunt magnifica & luxuriosa: Argentum suum in plateas proicient, & aurum eorum prolongabitur: Argentum eorum, & aurum eorum, non poterit liberare eos, in die furoris Domini: animam suam non saturabunt, & ventres suos non implebunt, quia ruina hæc propter iniquitatem eorum erit. Etsi nunc omnibus deliciis affluant, tamen veniet tempus, quo vnà cum aliis pauperibus quorum ærumnæ hactenus eos parum affecerunt, fame peribunt. Præsenti hoc decimo quarto capite, dicit.

*Fili hominis, terra cum peccauerit mihi præuariano præuarcationem (byd maal perfidiam & defectionem significat.) Extendam manum meam super eam, & contendam ei virgam panis, & immittam in eam famem, & succidere faciam ex ea homines &*  
o.ij.

*iumenta, &c.* Quòd Ezechiel toties repetit hanc pœnam, ideo factum est, quòd tam erant pertinaces, vt eandem rem necesse habuerit subinde virgere. Paucis verò his verbis, Deus per Prophetam ostendit, se esse penuriæ rerum & famis authorem. Causas quæ eum impellât, ostendit, peccata & scelera: formam, quòd subtrahat vim alendi cibariis: effecta quòd & homines & iumenta perituri sint.

Oseas propheta 4. capite, totum agmen scelerum recenset, propter quæ Deus populum fame & aliis malis castigaturus sit. Sic autem loquitur: Audite verbum Iehouæ filij Israel, quia disceptatio ipsi Iehouæ cum habitatoribus huius terræ: nulla enim est veritas, nulla misericordia, nulla cognitio Dei in terra hac, &c. Postea 9. capite, Ne lateris Israel ad exaltationem sicut alij populi, quia fornicatus es à Deo tuo: dilexisti mercedem meretriciam super omnes areas tritici. Area & torcular non alet eos: & multum mentietur eis. Non habitabunt in terra Iehouæ, sed reuertetur Ephraim in terram Ægypti, & in Assur vbi polluta comedent.

Amos 4. capite, exprobrat populo, quòd peregrinationes religionis ergò in Bethel instituerint, idololatricis cultibus sese polluerint, idcirco dicit Dominus, Dedi vobis munditiem dentium in cunctis vrbibus vestris: quem locum supra adduxi. Non indigebant dentifriciis, quibus ex dentibus carnes aut alios cibos qui adhæsissent, elicerent: vix panem atrum acquirere poterant. Ex his testimoniis sacrarum Literarum, satis superque intelligimus, annonæ caritatem, pœnam esse scelerum quæ homines patrant, imprimis verò idololatriæ.

Peculiaris  
peccata fa-  
me puniun-  
tur.

Iam deinceps audiemus, quomodo Deus peculiaris peccata hoc flagello castigarit. Etsi enim quis non palàm idololatriam exercent, aut manifestis sceleribus sit obnoxius: tamen non existimare debet, quòd suo quoque vitio caritas annonæ non immissa sit, vel quòd ipse hanc pœnam non sit promeritus. Ieremias scribit 11. capite, suos populares in Anathoth mandasse sibi sub pœna capitis ne concionaretur: hanc audaciam dicit Deus, se penuria rerum & fame velle vlcisci. Lege verba Prophetæ: ex quibus apparet famem immitti à Deo hominibus, si verbum ipsius audire dedignentur, & Verbi ministris silentium imperent, aut piis præscribant quomodo & quid dicendum sit. Iustum autem est vt si homines pretiosum animæ cibum, verbum Dei aspernentur, Deus cibum corporis eis subtrahat.

Cōtemptus  
verbi Dei.

Ieremias 42. capite, Nabuchadonosoris vrbe deleta consulebant Ieremiam, vtrum in Ægyptum proficisci deberent necne: cùmque dissuaderet, illi nihilominus ad iter se accingebant, disertè itaque dicit Propheta, in Ægypto fame perituros. Consilia bona ex verbo Dei petita, ne hodie quidem impunè à nobis repudiantur.

Auaritia.

Priuari quoque cōmodi studium Deum ad iram prouocat. Cùm res nostras curamus, parum solliciti de gloria Dei, & propagatione Verbi ipsius. Israelitæ ex Babylone patriæ restituti, proprias ædes ædificabant splendide, domus Domini nulla ratione habita, idcirco Deus pœnam eis per Aggeum comminatur: dicens, ca. 1. Ponite cor vestrum super vias vestras. Seminabitis multa, & inferetis parum: comedetis, & non saturabimini: bibetis, & non inebriamini: inductis vos, & non calefietis, & qui se locauerit mercede, locabit se mercede quæ erit ac si decideret in sacculum pertusum, hoc est, pecunia illa inutilis ei erit, ac perinde illi peribit, ac si in loculum pertusum ponatur. Mox subiicit, Respicietis ad multum, & ecce parum, & intulistis ipsum in domum: at exufflo illud. Qua de causa: dixit Iehouah Dominus exercituum. Propter domum meam quæ est deserta, vos autem curritis quisque in domum suam: propterea super vos clausit se cælum, ne daret



ne daret vobis rorem, terra quoque claudit se, ne fructum suum ederet. Et vocavi siccitatem super terram hanc, ac super montes, & super vinum, & super oleum, quin & super vniuersa quæ profert humus & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.

Quòd Deus propter periurium & oppressionem pauperum, cum aliis pœnis, tum caritate annonæ homines castiget, ostendit insignis illa historia, quæ 2. Samuel. 21. capite extat. Fame dominante tribus annis, consulebat Dauid Dominum de causis eius: is respondebat, famem hanc grassari propter Saulem eiusque domum, quòd miseros Gibaonitas ( quibus temporibus Iosue & ipse & seniores interposito iuramento pacem promiserant ) oppressisset. Non autem est dubitandum quin Saul scelus suum ita defenderit, vt vulgò putaretur iuste fecisse. Deus ostendit hanc pœnam non antè auferendam, donec Gibaonitis, qui supererant, fuisset satis factum. Dauid itaque interrogabat Gibaonitas quomodo possent placari. Illi postulabant Saulis filios sibi tradi: quod cum fieret, septem ex ipsis in crucem acti sunt, & ita fames cessauit. Cur verò, dicis, filij vel nepotes, sceleris patris sui vel aui pœnas luunt? Indubiè eum moribus suis referebant, vt vulgò dicitur, mali corui, malum ouum.

Periurium  
& pauperū  
oppressio.

Insatiabilis quoque habendi cupido, fame punitur. Nam Isaias 5. capite queritur quòd in vinea Domini tantum omphaces prouenerint, & inter alia dicit: Væ iis qui coniungunt domum domui, agrum agro propinquare faciunt, adeò vt non sit locus pauperi. Pœnam subiicit: Decem iugera vineæ, facient Bathum vnum: & sementis Corus, faciet Ephah. Jerem. 34. capite legimus Regem & populum quasi conspiratione facta, seruos & ancillas Israelitas, quas iuxta Legem manumittere debebant, manumisisse quidem, postea autem retraxisse in seruitutem. Idcirco Deus annonæ caritatem & famem eis comminatur. Pauperes & serui non inclementer tractandi sunt, semper enim cogitandum est, & illos Deum habere in cælis.

Fraudes &  
doli.

Dominus apud Micheam 6. capite dicit: Sùntne adhuc in domo thesauri impietate congregati, & modius deficiens detestatus Domino? Nunquid iustificabo stateram impiam & sacculum ponderum dolosorum? Cuius vrbs diuites replèti sunt iniquitate, & habitatores eius loquuti sunt mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore ipsorum. Ego quoque ægrotare faciam te, percutiendo te, desolabo te propter peccata tua. Tu comedes & non saturaberis: tu feminabis sed non metes: tu calcabis oliuas, sed non vnges te oleo: & mustum, sed non bibes vinum, &c.

Superbiam puniri caritate annonæ, discis ex historia 2. Samuel. 24. capite. Vbi Dauid ex superbia numerasse legitur populum, & de populi multitudine gloriatus est. Deus igitur optionem ei dedit inter famem, pestem, & hostilem infestationem. Nam vno horum flagellorum ipsum Dauidem castigare decreuerat.

Deum Ebrietatem & crapulam fame castigare, intelligitur ex Ioële propheta, qui in primo capite iubet ebrios lugere: ingentem enim exercitum venturum qui omnes vites excindat, vt deinceps vino carituri sint. Ac si dicat, vestra ebrietate prouocastis iram Dei, vt posthac aquæ potu vos contentos esse oporteat. Quanquam in calidis regionibus sæpe ne aquam quidem salubrem habeant, qua sitim restinguant.

Item si decimæ & aliæ pensiones malignè persoluuntur, quibus Dei cultus conseruari debet, vel quibus pauperes alendi sunt, Deus caritate annonæ punit. Nam apud Malachiam frugum copiam eis promittit, si hæc debita bona fide persoluant.

Debita non  
persoluerè.

Si euoluamus veteres historias à Prophetarum temporibus, ad nostra vsque

Historia.

tempora, inueniemus tantam aliquoties fuisse omnium rerum caritatem, ut multi fame extincti sint. Interea legimus omnia fuisse corruptissima, & principes & subditos suum officium neglexisse. In actis Apostolorum legitur, sub Claudio imperatore magnam fuisse famem, Cuius etiam Suetonius & Dion meminerunt. Ob quas autem causas Deus tantam famem in mundo illis temporibus grassari passus sit, quibus inde potest colligere, quod Claudius Tiberius imperator, impius, libidinosus, & tam ebrius fuisse commemoratur, ut milites Biberium dixerint. Plerumque autem fit, ut quales sint principes, tales etiam sint aulici & subditi ipsorum. Apostoli hinc inde Euange. predicabant, quibus multi Iudæorum & Gentium contradicebant: nec solum fidem Christianam reiciebant, sed aliis quoque obstabant, quod minus eam amplecterentur. Quam ob causam Deus & fame & aliis calamitatibus eos adflixit.

Eusebius scribit libro 9. Ecclesiast. histo. 7. & 8. capite imperante Maximino qui crudeliter contra Christianos sæuebat, tantam fuisse annonæ caritatem, ut etiam opulenti homines in plateis conciderint, inedia extincti sint, & à canibus dilacerati. Iustum autem hoc Dei fuit iudicium, nam non multò antè plurimos Christianos bestiis lacerandos obiecerant. Abbas Vvspurgensis Germanus celebris historicus, scribit anno 895. imperante Lothario, tantam fuisse famem, ut homines se inuicem comederint. Nauclerus in suis Chronicis scribit, anno 839. tantam hinc inde fuisse annonæ penuriam, ut matres fame eas stimulante ne liberis suis pepercerint. Circa annu 1313. post obitum Henrici imperatoris, multis locis ut in Bohemia & Polonia, pestis & fames sæuiit, durauitque tribus annis: parentes suos liberos, filij parentes famis necessitate iugularunt. Lupi per agros in agricolas impetum fecerunt, etiam si intentas balistas circumferrent, eosque vorabant. Hac de re legis in Polonorum Chronicis. Hoc loco non est necesse sigillatim referre quando annonæ inopia laboratum sit, & quas ob causas Deus hoc flagello mortales afflixerit, hæc enim ex præcedentibus facile possunt intelligi. Quid intra annos quadraginta factum sit, quantum rerum pretia aucta sint, interim quæ flagitia grassata, necdum grassari desinant, nemo est qui nesciat. Habemus itaque præcipuas causas ob quas Deus omnibus sæculis annonæ penuriam immisit.

De statu nostri seculi.

Si nunc nostros mores diligenter examinemus, inueniemus flagitia illa, quæ Deus populo suo exprobrat, passim tam esse vulgaria, ut vix sperari possit aliqua pœnarum mitigatio. Morbus ita inualuit, ut remedij nulla ferè spes nobis relinquatur. Deus bone quantus est verbi Diuini contemptus? quam rari sunt qui conciones quotidianas audiunt? quam pauci admonitiones ex verbo Dei profectas, secum perpendunt? Deus exuscitat nos ostentis & portentis in cælo & terra, quorum statim obliuiscimur. Ante paucos annos cælum ardere non sine horrore conspeximus: vidimus eluiones aquarum, incredibiles grandines insolitas procellas & alia multa miranda, quotusquisque his rebus ad seriã pœnitentiam commouetur? Inuenies homines qui hæc omnia propter crebritatem securè contemnunt, & apertè negent irati Dei signa esse. Diuinum nomen multi temere vsurpant: vix quinque verba proloquuntur, quin sanctum Dei nomen interserant, nulla necessitate, tantum ex leuitate & praua quadam consuetudine: iurifurandi parua est religio: cædes, odium, inuidia passim grassantur: libidines, adulteria, stupra, incestus, Gentiles plus horruerunt, quam multi nunc inter Christianos. Quantus vestimentorum luxus conspicitur, annon aurum, argentum, sericum gestant, quos minimè decet?

Ebrietas hodie omnes ordines & ætates peruasit, quam ante annos non multos omnes detestati sunt, iniustæ vsuræ, monopolia mirabiles artes in omnibus contractibus, inque re monetaria, regnum hodie obtinent. Multi qui Christiani optimi haberi

haberi volunt, in huiusmodi fraudibus Iudæorum astutiam, & dolos longè superant: non cogitât opes illas infelices esse: vix eis venit in mentem iamiam morituris dictorum, factorumque Christo iusto iudici rationem esse reddendam. Nullum esse scelus, nullum flagitium, quod non in orbe dominetur: si non in omnibus, certè in aliquibus locis tam fit vulgare, vt pro flagitio vix amplius habeatur. Quin tam corruptè iudicat mundus de rebus omnibus, vt vitia virtutum nominibus ornet. An quæso, putas hæc semper impunita fore? Minimè gentium, alioqui vana esse oporteret omnia Prophetarum oracula, de quorum veritate nemo bonus vnquam dubitavit.

Possimus & aliam rationem inire, vt videamus quàm sint corrupta omnia, si omnem sexum, ætatem, conditionem hominum consideremus, quomodo, se quisque gerat, videbimus quàm digni simus hoc flagello, quòdque omne malum ex nobis sit. Multi ex doctoribus nullam adhibent diligentiam in docendo, ad hæc vitæ sunt dissolutæ: auaritiæ, & ambitioni, aliisque sceleribus se dedunt. Multi ex magistratu aspirantes ad altiores gradus, bonas leges non tuentur, priuato potius quàm publico commodo student, non coercent scelera tanta seueritate, quanta deberent, nolunt subire inuidiam. Coniuges inter se mutua odia exercent. Parentes potiore rationem habent sui pecoris, quàm liberorum: in scholis pueros castigari nolunt à ludimagistris, de cõcionibus scurriliter loquuntur, quæ cum pueri audiunt, pertinaces redduntur. Vsitata querela est, pueros in dies peiores fieri: sed nõne hoc fit vitio parentum, item senum, qui cum pueros ad virtutem hortari deberent, eos ad scelera pelliciunt? Breuiter, circumfer oculos per omnes ætates, conditiones, sexus, tot & tanta inuenies scelera, vt non sis miraturus, cur famis flagello tam diu Deus nos castigarit, sed potius cur non funditus nos extirpet.

Si verò caritas annonæ & fames, pœna est peccati, obiicis, cur ab hac pœna pij & fideles non sunt immunes? Certum enim est omnibus temporibus multos pios & bonos viros famem pertulisse. Vt nihil iam dicam de Abrahamo, Isaaco, Iacobo, quos hinc inde migrare fames compulit, nõne diuturna fame, qua Deus Israelitas Achabi impij tempore afflixit, multi quoque pij viri afflicti sunt? Ipse enim Deus Heliz affirmat superesse 7000 viros, qui suos poplites Baali non flexerint, hoc est, qui externis gestibus nullum ei honorem detulerint. De Paulo extat 1. Cor. II. Quòd famem & sitim pertulerit. Aliquot ex sanctis Martyribus, etiam nostris temporibus, fame à tyrannis necati sunt. Author Epistolæ ad Hebræos dicit, multos ex fide in solitariis locis, in speluncis, vallibus, montibus, vitam traduxisse: vbi indubiè cum fame conflictati sunt. Respondemus ad hæc. Etiam fideles esse peccatores, corrupta enim natura in sepulchrum vsque eos comitatur. Etsi non prolabantur in magna scelera, quod etiã interdum fit, tamen sunt focordes, non assiduè audiunt sacras conciones vt deberent, non resistunt malo vt possent, neminem enim nolunt offendere, bona non promouent tãto studio, quanto deberent. Itaque mirandum non est, Deum publicis calamitatibus eos vexare. Etenim si Deus summo cum ipsis iure agere vellet æternæ condemnationi essent obnoxij.

Hæc nondum, inquis, mihi satisfaciunt: nam si annonæ penuria & fame, idolatria & scelera castigantur: his pœnis imprimis obnoxij esse debebant, qui reliquis sunt peiores & sceleratiores. Etsi pij suos næuos habeant, tamen dolet eis, vellent se illos posse excutere, infideles verò nihil solliciti sunt de emendatione vitæ, non satis est ipsis, quòd ipsi Deum quotidie offendunt, vellent alios quoque peccare, nihilque ferunt indignius, quàm si vel ipsi nefaria patrare non possint, aut alios ad ea non incitare. Non tamen plus affliguntur fame, quàm ipsi fideles: imo tempore famis suas habent artes, quibus nõ solùm famem effugiunt,

Pij famè à Deo excutentur.

Cur Pij plus affliguntur quàm impij.

sed magnas opes colligunt : & piis hominibus oneri sunt. Pij mallent fame perire, quàm artibus illis, quibus impij vtuntur, vitæ necessaria comparare : non tamen potior est piorum, quàm impiorum hac in parte conditio. Hæc tentatio, omnibus sæculis homines valde turbauit : multi hinc collegerunt, Deum non curare res humanas : perinde ei esse, siue hoc, siue illud faciamus. Malachias 3. & 4. cap. Scribit, multos in has impias voces erupisse, rectè vel perperam agere, perinde est : Si quis iniuste agit, non punitur, si quis iuste, non afficitur præmio. Sciendum est hoc loco, maximum esse discrimen pij & impij in simili pœna : Item Deum non solum ad puniendum peccata hominum (quanquam peccata princeps causa sunt omnium malorum) sed alias atque alias etiam ob causas, famem, bellum, pestem, & alias afflictiones hominibus immittere. Duo illi latrones, quorum vnus ad dextram, alter ad sinistram Dei in cruce pendeabant, simili supplicio affecti sunt : attamen magna inter ipsos est disparitas, ille patienter ferebat omnia, & Iesum Messiam esse confitebatur : hic impatienter ferebat dolores, & contumelia Christum afficiebat. Deus multas habet causas, ob quas suis plures interdum afflictiones immittit, quàm aliis. Ex multis paucas ad nostram consolationem colligemus.

Primum Deus nos fame & aliis ærumnis ad agnitionem peccatorum veramque pœnitentiam incitat. Etenim cum pij à Deo aliquibus ærumnis affliguntur, statim causas inquirunt. Cum Dauid videret caritatem annonæ non cessare, confulebat Dominum, cur ita populo suo irasceretur? Mox audiebat (vt supra diximus) propter Gabaonitas id accidere. Fideles aliquando incidunt in varios errores & scelera, nec possunt verbo Dei in viam reuocari, donec Deus afflictionibus aliquibus eos emolliat. Ex 2. Amos Prophetæ audiuius, Deum dicere, quod tamen si populum cibi inopia & potionis afflixerit, nondum tamen ad ipsum reuersus sit, idque repetit, Vnde colligimus Deum famem ideo terris immittere, vt homines ad ipsum conuertantur. Quemadmodum equos si incitato cursu ferantur, aut à via exorbitent, fræno tetrahimus, ita Deus nos fame aliisque ærumnis in viam retrahit. Si puer aliquis fugam meditetur, aut iussus scholam frequentare nolit, mittuntur nuntij, qui eum de via retrahant, ita Deus suos habet nuntios, famem, morbos, qui nos ad Patrem nostrum & Præceptorem reducant.

- 2 Deinde Deus fame & aliis afflictionibus probat & examinat fidem nostram erga ipsum, & charitatem erga proximos nostros, item patientiam nostram. Sæpenumero putamus nos præclara fide præditos esse, sin verò multa aduersa nobis obtingant, tunc experimur, quàm sit necessarium, vt cum Apostolis clamemus: Domine adauge nobis fidem. Petrus ibat super lacum iubente Christo, cæterum cum sentiret ventum validum, exterritus cœpit demergi, vt Domini manu apprehensus confirmandus esset, Matth. 14. cap. Deus experiri vult quo pacto nos geramus erga proximos nostros, expectando solutionem debitorum, dando mutuum, donando, & aliis in rebus. Experiri vult, quàm patienter crucem feramus. Multa nobis præsumimus de patientia nostra, si res aduersæ nobis obtingant, sed cum ingruunt sumus impatientes, & tum demum rectè intelligimus, quàm simus imbecilles. Miles qui aciem nunquam vidit, multa sibi promittit de sua fortitudine, sed si videat instructum armis exercitum, si audiat bombardarum tonitrua, expauescit & trepidat. Deus quidem nouit quales nos simus, priusquam nobis crucem imponat, vult autem vt & nos nostram imbecillitatem cognoscamus, & alij. Multi sunt qui dicunt se malle fame perire, quàm ad furta, latrocinia, & alia scelera conuerti, sed fame stimulante, vident se nihil non aufuros, nisi potenti manu Dei retraherentur.

- 3 Ad hæc variis afflictionibus Deus prohibet ne in scelera ruamus: Veluti peritus Medicus ægroto dat *φάρμακα* pharmaca, ne in morbum incidat, ad quem

quem procliuem esse sentit: ita Deus scit quomodo nos affecti sumus. Infligit itaque nobis varias afflictiones, ne in scelera ruamus, sed cogitemus, hæc vel illa, male tibi cesserunt, caue itaque tibi: multis peccatis iam antè Deum offendisti, quibus si hoc accedat, grauius te castigabit. Germani prouerbio dicunt, pueros vestros ignem expauescere: ita si quis in magnis fuit malis, cauet ne suo vitio in maiora incidat. Quomodo nos in affluetia annonæ geram<sup>9</sup>, nõ opus est quod multis annotem<sup>9</sup>.

Accedit hæc quoque causa ob quam Deus fame & aliis malis suos exercet, nempe ut ardentius orent. Experimur enim nostro exemplo quod nihil habentes quo angamur, remissi sumus in nostris precibus, sin verò variis malis exeremur, ardentius oramus. Si quis abundat cibo & potu, non tam diligenter gratias agit Deo pro eius beneficiis, quàm ardentius esuriens ab ipso petit, ut iterum ei necessaria ad victum suppetant: pro aliis quoque orat, quos fame scit laborare: postea si Dominus eum liberet, ardentius gratias agit, precaturque ut & à se & ab aliis, famem depellat.

Ad hoc quoque fames & aliæ afflictiones conferunt, quod humiliamur sub Dei manu. Nostra caro insolenscit & imitatur pelles zobellimas, quas negant in fundo arcæ vestibibus refertæ, quiescere, sed sursum niti: ita nos sumus elato animo, neque satis nos ipsos cognoscimus. Quare Deus rebus aduersis domat nostram carnem, & cristas contundit. Docet nos quibus indigeamus, & quàm necessaria nobis sit gratia ipsius. Omnes homines si coniungant omnes suas vires & artes, non possunt vel culmum producere, non vnam, interim se tam gerunt insolenter, ac si non omnia ex liberalitate Dei acciperent. Deo subtrahente manum, res nostræ non aliter habent, quàm liberorum, quos primùm incedere, aut illorum quos natare docemus, cum primùm manum ab eis retrahimus, illi concidunt in terram, hi verò in fundum merguntur. Hæc tamen ante non expendimus, quàm Deus cruce nos exercent.

His accedit, quod Deus variis ærumnis in fidelibus suis desiderium alterius vitæ accendit, & contemptum huius vitæ eos docet. Nam si ex animi ipsorum sententia omnia eis euenirent, non vellent hinc migrare: de altera vita parum essent solliciti. Et si tot insidias, perfidiam & malitiam hominum experiamur: tamen præsentem vitam amamus, quid facturi essemus si nihil aduersi nobis accideret? Speramus subinde res in his terris melius habituras, quæ spes non minus vana est, quàm si vestem tuam speres longo vsu meliorem fore. Quotidiana experientia docet nos quod diutius vixerimus, eò pluribus malis vexari. Si cælebs viuas de te tantum es sollicitus, si vxorem ducas, duplicatur cura, si non sit apta tuis moribus, si infeliciter pariat, augentur curæ: si & illa habeat cognatos, pro illis quoque es sollicitus, si procreas liberos, augentur labores, & quod sunt adultiore, eò plus oneris tibi imponitur. Quod si tu & illi rebus necessariis destituantur, vitæ æternæ desiderio plus accenderis, in qua cibo & potione non indigebimus: sed Angelis similes ex omnibus malis recreabimur. Cogitas tandem tibi omnino moriendum est, quid faceres in hac misera & ærumnosa vita?

Vltimo loco, Deus fideles suos, quos fame, morbis, aut aliis ærumnis exercet, fidelibus pariter & infidelibus in exemplum proponit. Si sub cruce fortes sumus & constantes, aliis quoque animum addimus. Cogitant, Deus illis adfuit, ut patienter omnia ferrent: igitur tibi quoque aderit, ut famem & durissima quæque patientia vincas: si abiecto sumus animo, naturæ nostræ imbecillitatem melius cognoscunt. Impij ex illis afflictionibus colligere possunt, quid de ipsis futurum sit, cum Deus filios suos ita castiget: Si hæc in viridi ligno fiunt, quid fiet in arido? Omnes homines hinc cernunt, magnam iram Dei contra peccata: quod suis quoque, quia adhærentem habent naturam corruptam, non parcit. Ob has aliàsque causas, Deus pios homines fame aliisque priuatis & publicis afflictio-

nibus exercet. Et hæc de causis finalibus famis paucis annotasse sufficiat.

HOMILIA LIII.

*¶ Quæ tertia est de caritate & fame.*

*III. Quo pacto se tam diuites quam pauperes, famis tempore gerere debeant.*



Vltum interest fideles scire, quo pacto se in omnibus afflictionibus, siue priuatæ sint siue publicæ, gerere debeant. Proinde quarto loco audiemus, quo pacto nos famis tempore gerere oporteat, non solum erga Deum, sed etiam erga proximos nostros. Utque omnia rectius intelligamus, de officio magistratum, doctorum Ecclesiæ, patrumfamilias, diuitum, pauperum, totiusque Ecclesiæ, ordine audiemus.

Principum  
officium.

Magistratus omnia illa propter quæ supra diximus Deum nos annonæ caritate, aliisque pœnis adfligere, pro virili submouere debet. Cùm regnante Dauide fames tribus annis duraret, diligenter inquirebat, cur Deus populo suo irasceretur, efficiebátque vt eis reconciliaretur. Valdè metuendum est multos esse principes, qui non cogitant quænam famis aliarumque publicarum calamitatum causæ esse possint, & quonam pacto ira Dei placari debeat. Magistratum item decet, omnia illa tollere quibus subditi ad pauperiem rediguntur, vt sunt alea, luxus in cibo, potu, vestitu, & alia id genus. Non expectandum est donec iuuenes omnia sua prodegerint, sed initijs est obstandum: Rectè ille dixit:

*Quid iuuat amisso claudere septa grege?*

Veteres habuerunt leges sumptuarias, quas hodie quoque vtile esset reuocari, ne tot homines ad mendicitatem redigerentur. Ad hæc monopolis, propolis, fœneratoribus, & aliis qui omnium rerum ad vitam sustentandam necessariarum, precia grauât, frænum iniicere debent, vt pauperes omnia viliore pretio sibi comparare possint. Hac de re insigne extat exemplum, Nehemiæ 5. capite. Exorta fame variæ querelæ pauperum contra diuites audiebantur, quòd fœnus exercebant, liberósque & res eorum sibi vendicarent, quòdque conditio sua non melior esset, quàm in captiuitate sub ethnicis fuisset. Res ad seditionem grauissimam spectare videbantur. In his turbis Nehemias bonam nauabat operam, etenim zelo ardens, quomodo rebus afflictis succurreret, consilium capiebat, non dicebat Frustrà hoc faxum voluo, non sine vitæ periculo his malis mederi potero: sed increpabat proceres, quòd rem non ferio tractarent. Comitia congregabat, in quibus debitores & creditores compararent, argumentis aliquot diuites à suo proposito abducebat.

Primùm dicebat, Nos (nempe Esdras, Zorobabel & ego) populum, ex captiuitate reduximus, proinde vos iugum eis non denuò debetis imponere. Deinde dicit, Gentes lætarentur si hæc viderent: si verò Deum timeretis, hæc non faceretis: proponit eis suum exemplum, quòd nihil ab eis postulet, quod ipse non sponte facturus sit: iubet vt pauperibus per vsuras adempta restituant, nempe agros, vineas, domos, item pignora & alia. His rationibus tantum effecit, vt imperata facerent. Hodie quoque si pij magistratus officio suo non desint, multum possunt efficere. Romani & alij, habuerunt annonæ præfectos, qui dimissis passim frumentariis ad frumentum comendum annonæ subuenirent. Salomonem tales habuisse 1. Reg. 4. legitur, Vtile quoque fuerit magistratum fertilibus annis

annis frugum aceruos reponere, vt postea fame ingruente, agricolis commodato dare fruges possint, vt sementem faciant, & ne in foro precium immodicè au-geatur. Cùm rex Pharaon ex Iosepho intelligeret, post septē annos fertiles, totidē steriles venturos, vtilēq; fore si frugū thesaurū colligeret, cōstituebat ipsū œconomū, qui fruges cōseruaret & reponeret, quod nisi fecisset, multos postea fame perire necesse fuisset. Euseb. Eccl. hist. 2. li. 12. c. scribit de Helena gētis Adiabenorū regina, quòd in fame quæ Iudæā pressit, frumentum ab Ægyptiis comparatum, egenis distribuerit. Iosephus quoque illius rei meminit. Imitandum est hoc exemplum principibus & Rebus publicis. Multi quidem libenter inopiam subditorum suorum subleuant: sed in eorum facultate non est positum, non enim omne frumentum in suos distribuere possunt, cùm quid futurum sit nesciāt. Sæpe ex comeatus inopia vrbes hostibus dedere oportet. Legimus de Phalari tyranno, quòd hoc stratagemate munitissima Sicilia loca occuparit, simulato enim cùm oppidanis fœdere, fruges eis seruandas dedit. Curans interim, vt granaria in quibus condebantur, pluuiam admitterent, & sic inutiles redderentur. Illi fiducia depositi apud se tritici, proprio abutebantur. Tyrannus itaque obsessos, comeatus inopia ad deditiōem compulit. Sunt homines qui vno die omnia proferenda putant, neque cogitant quòd maiore periculo postea illis carendum sit. Solomon exemplo formicæ docet, cibum in futuros vsus reponendum, & non simul omnia absumenda esse. Vrbs Tigrina hoc nomine laudanda est, quòd non solum quotidie multis pauperibus, ex bonis publicis annonam, & alia necessaria suppeditat: sed & ciuibus suis fame dominante tolerabili pretio frumentum vendit, vt farciat eorum inopiam, & vt exteri quoque in publico foro fruges viliori pretio habere possint. Argentoratum vrbs ornatissima, hodie quoque à multis celebratur, quòd in illa annonæ caritate, quæ fuit anno Domini 1517. Item 1529. aliisque temporibus, suis ciuibus, & etiam peregrinis fruges liberaliter distribuit: suosque ciues, aliisque quos fames ad ipsos compulerat, quotidie alimoniam suppeditauit. Adhæc magistratus officium est, curare vt publicæ eleemosynæ rectè distribuuntur. In pagis Ecclesiæ aliquot, suos habent annuos redditus, vtile igitur fuerit à procuratoribus illorum, rationem accepti & expensi exigere, ne dum diuites opibus illis vtuntur, aut ex illis helluantur, pauperes cibo, victuque fraudentur. Multis in locis statis diebus panes distribuuntur pauperibus, quam eleemosynam vulgo Spendam vocant, vel à Germanica voce, quæ expendere significat, <sup>Spenda:</sup> vel à Græco vocabulo σπένδω, quod est, libo, vel sacrificio, & σπεινὴ libamē. Neq; parum retulerit vt magistratus pauperes ad certos labores cogat, veluti ad publica ædificia extruenda, & alia. Item vt validos mendicos, qui laborare nolunt, ditione sua pellat, ne oneri sint agricolis & aliis. Sæpe enim fit, vt illi speculentur absentiam virorum in villis solitariis, minisque adigant familiam illorum, vt carnes suillas, & alia eis conferant. Tales instar luporum prosequendi erunt, vt laboriosi & verè pauperes melius necessaria habere possent. Tempore Apostolorum eleemosynæ collectæ sunt, quibus tempore famis fidelium in dissitis locis, paupertas possit subleuari. Legitur enim Paulum non dedignatum esse pauperibus Hierosolymitanis afferre eleemosynam, quam in Macedonia & Achaia fideles collegerant. Diligenter in suis Epistolis Ecclesias hortatur, vt sibi pauperes commendatos habeant.

Ministri Ecclesiæ, populum sibi commissum pro concione docere debent ex verbo Dei, quòd fertilitas sit Dei donum: item quas ob causas Deus famem immittat, inuitare eum debent ad pœnitentiam, pauperes confirmare, & erigere, diuites adhortari, vt largas eis eleemosynas conferant. Deum item seriò precari debent, vt pauperibus sit propitius, eosque clementer respiciat. Ieremias enim cùm audiret populum fame affligendum, pro eo apud Deum intercedebat.

Ministrorū  
Verbi offici-  
cium.

Amos 7. capite cùm ex visione intelligeret famem imminere, orabat Deum, vt populo propitius esset, suisque ardentibus precibus famem auerteat. Iacob. 5. capite, dicit: deprecationem iusti efficacem, multum valere. Adducit exemplũ Helix, qui precibus suis cœlum clausit & aperuit. Cyrillus tempore famis vt succurreret egenis, preciosa vasa distraxisse legitur. Ministri igitur presertim illi, quibus bonorum Ecclesiasticorum administratio commissa est, suo officio non desint.

Patresfamilias & matresfamilias, liberis & domesticis suis inculcare debent, quòd cibum & potum ex Dei manu accipiamus, quòdque omnibus moriẽdum esset fame, si Deus manum suam clauderet: instillare debent liberis suis, vt quando ad mensam accedunt, vel ab ea recedunt, Deo pro cibo & potu gratias agant.

Diuitum  
officium.

Diuites imprimis tempore famis pauperibus cõsulant: ideo enim Deus ipsos opibus instruxit, vt aliis quoque manum porrigant, quod multis modis fieri potest. Si habeas colonos quorum laboribus vineæ & agri non respondent, ne importunè eos vrgeas ad solutionem debitorum. Incolas ædium tuarum ne vexes, cogitans eos vix maximis laboribus panem, vestes, ligna, nedum alia sibi comparare. Alios debitores ne vltra modum vrgeas, vt tibi satisfaciant, presertim si multos liberos habeant, & non suo vitio ad paupertatem sunt redacti: mercenariis persolue debitam mercedem: plus illis dato quàm petant, si videas eos esurire. Elargire tuas eleemosynas illis quos nosti rerum necessariarum penuria laborare. D. Paulus 1. Timoth. 6. hortatur diuites, vt sibi in cœlis thesaurum colligant, & in pauperes sint liberales & benefici. Deus tuas opes auget sua benedictione, si ad victum & cultum corporis necessaria pauperibus distribuas. Superioribus aliquot seculis multi idola ex pretiosa materia fecerunt, sacrificia eis obtulerunt, suspenderunt anathemata, putantes hæc Deo grata esse: nunc verò certò scimus ex verbo Dei, Deo obsequium præstari si viuis simulachris, hoc est, pauperibus, vestes, cibi, pecuniæ offerantur, aliæque necessaria, vt labori suo possint incumbere. Obiicis, te non posse tantum elargiri aliis, quantum velles. Minue itaque luxum in conuiuuiis, vestibus, supellectili, & aliis in rebus. Institue cõuiuia iuxta Christi doctrinam pauperibus & famelicis. Amos Propheta in diuites illos inuehitur, quibus non dolebat quòd Ioseph atterebatur, hoc est, quòd populus cum fame & egestate conflictabatur, ipsi securi interim voluptatibus indulgebant. Talis fuit diues ille purpuratus in Euangelio. Quòd si molestum est pauperes inuitare in domum tuam, dato eis vt domi suæ cum liberis vel atro pane satiari possint. Deus bone quantum vini effunditur ab ebriosis hominibus, quantum vini bibunt ab aliis adacti, quo pauperes recreari possent, vt idonei essent perferendis laboribus? Religio tibi esset si aliquem impelleres, vt vel teruncium alteri surriperet: at adigens alterum ad ebrietatem, Deum non metuis? Considera quanta sit hominum illa cæcitas. De eleemosyna quid sit, quæ eius sint species, quis elargiri eam debeat, cui, quid, quantum, quomodo: item de vitiis eleemosynæ, & alia quæ de hac materia disputari solent, non est necesse, vt hoc loco à nobis multa afferantur: plurimi enim hac de re copiosè scripserunt. Diuites diligenter caueant, ne difficultate annonæ ad spoliandos pauperes, quibus auxilio esse debent, vtantur, eosque sua crudelitate in exilium pellant. Sunt enim homines qui famis tempore de augenda re sua familiari, non sine iniuria proximi cogitent: cùmque de peccatis suis cogitare deberent, quibus fames attrahitur, ipsi cogitant de augendis rerum pretiis: quos Deus puniet. Prouer. 11. Ei qui comprimit frumentum, maledicet populus: benedictio autem super frumentum vendentis. Quidam dant operam, vt præsentem pecuniam instructi, obæeratorum & famelicorum prata, vineas, domos, sylvas & alia bona sibi vendicent: charitas postulat



stulat vt eis succurrant, ne vendere omnia sit necesse. Opes his artibus collectæ, fœlices & diurnæ non erunt. Experimur opes iuste partas sæpe diffluere, quid nobis de illis promitteremus, quæ dolis, fraudibus, & scelere partæ sunt? Cogitet quisque breui, Deo qui falli non potest, accepti & expensi rationem esse reddendam. Audi quid Deus in lege sua dicat. Leuit. 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, nutaueritque manus eius iuxta te, sustentabis eum, tam peregrinum quàm indigenam, vt uiuat tecum. Non accipies ab eo usuram vel incrementum: sed timebis Deum tuum, vt viuere possit tecum frater tuus. Pecuniam tuam non dabis illi ad usuram, neque pro incremento dabis illi frumentum tuum. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt darem vobis terram Chanaan, & essem vobis in Deum. Amos Propheta clamat contra illos qui penuria rerum ad pauperum oppressionem abutuntur. Audite istud qui absorbetis pauperem, & qui facitis cessare pauperes de terra, dicentes: Quando transibit mensis, vt vendamus frumentum: & sabbatum, vt aperiamus frumentum, minorem faciamus mensuram Ephæ, & maiorem faciamus Siclum, atque peruertamus stateras dolosas: vt acquiramus argenteo inopes, & pauperem propter duo calcemæta, atque quisquilias frumenti vendamus, &c. Lege reliqua. Seruator noster ultimo die, quando hædos ab ouibus separabit, & ultimam sententiam feret, electis suis dicet: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi. Esuriui enim & dedistis mihi edere: Sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Quid tunc dicturi sunt avari illi homines, qui nullum misericordiæ opus præstiterunt? Parum esset quòd esurientibus & sitientibus cibum & potum non dederunt, nisi omnium quæcunque ad victum pertinent pretia immodicè suis nefariis artibus auxissent: & pauperibus alimentum ab ore rapuissent. Peregrinos non modò non acceperunt hospitio: sed ciues suos suis usuris in exilium pepulerunt. Nudos non modò non operuerunt: sed suis debitoribus, quia soluendo non erant, vestes detraxerunt, & culcitram sub capite abstulerunt. Ægrotos nõ consolati sunt: sed augendo rerum pretia, multos in graues morbos coniecerunt, effeceruntque vt multi fame contabescerent. Captiuos non modò non consolati estis: sed vestros debitores nulla necessitate in vincula coniecistis. Vos avari infigite animis vestris hæc Domini verba, quæ pronuntiabit ultimo die, quando res omnino seria agetur. Cogitate quòd Deus per Solom. dicit, Præstat parum habere in timore Dei, quàm ingentes thesauri in trepidatione. Opes iniustas infœlices esse, ostenditur præclaro exemplo in libro Iosue 7. cap. Occupata vrbe Hierichuntina, Acham ex præda aliquot siclos argenti, pallium Babylonicum, & auream linguam, vel pugionem suffuratus erat contra Dei præceptum: cogitabat indubiè se absque testibus peccare, & profuturum sibi & liberis hoc furtum. Sed mirabiliter res detecta fuit, & ipse cum filiis & filiabus, item iumentis suis, atque omnibus quæ hahebat, eductus atque crematus fuit. Cur verò filios eius Deus exuri voluit? An conscij fuerint furti non scribitur, indubiè Deus voluit hoc miserabili spectaculo omnes parentes admoneri, ne iniustis opibus suis liberis consulere vellent. Hæ enim opes cum illis qui eas colligunt, tum illis qui eas possident, sunt exitio. Quomodo Acham ille miser consuluit suis liberis? Cõiecit eos in diras flammæ. Doce liberos tuos pietatem & bonas literas atque artes quibus se alant, reuoca eos à sceleribus.

Pauperes qui fame premuntur, hanc crucem patienter ferant. Vix quidem caro nostra adduci potest, vt famem libenter toleret. Cato dicebat, ventrem carere auribus, homines enim indignè ferunt admonitiones de vita rectè instruenda, latrantò stomacho: quærunt quod edant. Sed vt patientiores simus, sciendum est, non temere nobis hæc, & inscio Deo accidere. Quod enim copia & inopia à Deo pendeant, suprâ est expositum: item quòd Deum famelicorum vota &

Pauperum officium.

gemitus non lateant:quòdque Deus qui nos egestate premit,est Pater noster,sicut in oratione Dominica & Symbolo fidei confitemur:ideòque paterno animo nos castigat,non vt nos perdat.Qui fructus sint crucis fidelium, suprà paucis annotauimus,nempe quòd Deus cruce nos à sceleribus reuocet,quibus varias afflictiones attrahimus,quòdque timorem Dei, veram inuocationē & alia id genus in nobis exuscitet. Non primus es neque vltimus qui hæc perfert. Christus ipse nostra causa famē pertulit,Paulus & alij sancti viri fame cruciati sunt, de quibus & suprà dictum est.Promittit nobis Deus,quòd non velit nos suprà vires tentare. Nullus pater tam est immitis,qui filio quē amat,volēs onus imponat,süb quo cõcidat. Deus in mediis afflictionibus,in igne,aqua, captiuitate, fame nobiscū esse vult:& quãdo ei ita visum est,varias habet rationes,quibus suos ex omnibus malis liberet. Pauperes item se rectè erga Deum & proximum gerere debent: erga Deum,vt ab illis sibi caueãt,quibus ita offenditur, vt varias pœnas nobis immitat:incumbant assiduis precibus,& aliis piis exercitiis.Erga homines qui ipsis manum porrigunt grati sint,nũquã enim deerūt qui mutuũ dãdo,fideiubẽdo, donãdo,pauperes subleuabũt.Si nõ es soluẽdo,roga creditorẽ ne te nimis vrgeat, quæ promittis fideliter præstato.Multi paupertatē suã, & liberorũ multitudinē prætexunt,cũ satisfaciendũ est creditoribus,interim dies noctesque in cœnopolis desident.Pauperes itē iustis viis,& modis vtantur,vt ex fame emergere possint,laborent manibus suis,& potius ostiatim cibũ quærãt,quã vt ad illicitas artes cõuertantur.Satan nõ quiescit, sed obãbulat famelici leonis instar,vt famelicos,ad quæuis scelera stimulet,proponit eis illorũ exẽpla qui malis vsi artib⁹, in magno apud homines sunt precio.Christũ in deserto cum 40.diebus cibo abstinuisset,tetabatur: sed ipse perstat in verbo Dei.Paul.ad Rom.8.c.dicit,nullam afflictionē neque famem,nos à charitate Dei auellere. Saguntini maluerunt in obsidione diuturna fame perire, quã perfidi esse in suos socios& foederatos.Ne itaque à summo Monarcha famis impatientia deficiamus.De sanctis Patriarchis legitur, quòd famis tẽpore ex vna regione in alterã migrarint,vt & se & suos alere possent.Genef.12. cap.Abraham fame coorta,in Ægyptũ profectus est,quæ à veteribus propter fertilitatem,horreum mundi dicitur.Gene.26.c. Isaaco ad Abimelechum regem in Geraris profecto Deus apparuit & præcepit ei,ne in Ægyptũ descenderet:sed in Palestina maneret,se enim benedicturũ ei:mansit igitur & agros diligẽter coluit. Iacob filios suos aliquoties in Ægyptum misit, vt cibaria adferrent: postea ad filium Iosephum profectus,vnã cum liberis,à Rege humaniter exceptus fuit.In libello Ruth legimus Elimelechum vnã cum Naomi vxore sua,& duobus filiis,famis tempore è Bethlehem in regionem Moabitarum peruenisse.2.lib.Reg.8.Heliseus Sunamiti consulit,vt in terram Palestinorum migret,famem enim septem annis duraturam: quæ paruit eius consilio. Quòd si anni fertiles Dei beneficio redeunt, pauperes rem suã domesticam diligenter administrant, non omnia profundant,vt sæpe solent,minuant luxum.Illa in re sæpe à pauperibus peccatur, dicunt ptochodochia in hunc vsum extructa,vt illic alantur,& alia id genus.

Totius Ecclesie officium.

Tota verò Ecclesia,vt vno verbo dicam,pœnitentiã agere debet,hoc est, peccata sua agnoscere,& confiteri Deo contra quem peccauit. Precari debent, vt Deus peccata eis clementer remittat:& firmiter credere,quòd ipsis propter meritum Filij sui remittere illa velit:sibi cauere ab illis quæ sciunt Deo displicere,sudare illis omnibus quæ ipsi probantur:& omnia patienter ferre,quæ illis immitit,donec eos liberare dignetur. Ad hunc modum docent Literæ sacræ agẽdum esse,si ex fame & aliis pœnis emergere velimus, idem fecerunt sancti, tempore famis & aliis difficilibus temporibus. Vide Ioelis 2.& Amos 4.cap.

Promissiones de victu.

Habemus amplissimas promissiones,& exẽpla priuata & publica, quòd Deus pœnas reprimat aut mitiget,si ita nos geramus.Daniel Propheta dicit in sua oratione

tione

tionem 10. cap. Omnes peccauimus: & tua præcepta transgressi sumus, sacerdotes, senatores, populus. Etsi verò quidam grauius peccassent, nemo tamen excusari potuit. Non dicit, Hæc mala, huic vel illi sunt ascribenda: sed omnes in vitio esse confitetur. Lucæ 15. Filius prodigus cum res eius eò redactæ essent, vt cum porcis immundis cibis vesci eum oporteret, rectà se ad domum paternam contulit. Priusquam autem ad eam venisset: pater eo conspecto misertus est ipsius, obuiam illi progressus, eum amplexus & osculatus est: filius verò ad illum dicebat, Pater, in cælum peccaui, & in te, non sum posthac dignus vt filius tuus vocer: Ita nos quoque supplices fieri debemus Patri nostro cœlesti. Multæ extant promissiones quæ ostendunt Deum nobis fertilitatem reddere, vel tempore famis alere, si verbum ipsius in pretio habeamus, nobisque à peccatis caueamus. Sicut Dominus Deut. 28. Contemptoribus verbi sui famem minatur: ita vicissim promittit populo suo, si ausculetur verbo suo, & præcepta sua obseruent se aperturum thesaurum suum, & tempore cōmodo pluuias daturum, & benedicturum laboribus manuum ipsorum. Leuit. 26. dicit, terram producturam fruges & fructus, pane satiandos: lege totum caput. 1. Regum 8. & 2. Paralip. 6. cap. Legitur Solomonem ædificio Templi absoluto, & expansis manibus Deum precatum esse, vt si oritura sit fames, si non suo tempore pluat, si frugum pestes nascantur, & in hoc Templo oraturi sint, eos clementer exaudire dignetur, & fructus terræ conseruare, quod indubiè factum fuit, si ex fide vera precati sunt. Christus ipse nos iubet petere panem nostrum quotidianum, hoc est, quo indigemus. In libro Iob, Eliphaz rectè dicit In fame Dominus te conseruat à morte, & in bello à gladio. Proverb. 10. cap. Dominus animam iusti non finit esurire. Iustum vocat qui spem suam & fiduciam in Deo collocat: illum non finit esurire, nisi gloria Dei & salus iusti diuersum postulent. Psal. 33. Ecce oculus Domini est super timentes eum, & ad eos qui expectant pietatem eius, vt eruat à morte animam eorum, & nutriat eos in fame. Psal. 37. dicit regius Propheta Dauid: Tempore periculoso iusti non confunduntur, & fame oriente aluntur. Mox, Junior fui & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Licet iusti sint, misericordes, liberales, libentèrque mutuuum dent, tamen posteris illorum nihil deerit. Psal. 34. temerarij & audaces homines fame affliguntur, obseruantibus autem Dominum nihil deerit. In Prophetis multa hinc inde extant testimonia, quæ ostēdunt quòd Deus populo suo, si ad ipsum conuertantur, gratiam suam conferre velit, & vberitatem inducere. Osæ 2. Ioelis 1. 2. Amos 2. Zacha. 8. Malach. 3. Consule illa loca, si placet, & reperies quòd Deus fructuum & frugum calamitatem resarcire facile possit & velit. Christus Matth. 6. capite. ne nos nimis anxij & solliciti scimus pro cibo, potione, vestitu: dicit regnum Dei ante omnia quærentibus, & eius iustitiam, reliqua omnia conferenda, nempe cibum, potum, vestitum, hospitia, & alia quæ naturæ sustentandæ sunt necessaria.

Neque solùm nudis verbis Deus hæc promittit, sed suas promissiones conseruat multis priuatis & publicis illorum exemplis, quos tempore famis aluit, & ex omnibus malis eripuit. Quæ exempla sunt instar sigillorum, quibus promissionum tabulas munit atque corroborat. Pauca quædam ex multis duntaxat audiamus. Mosem Deus quadraginta diebus, & totidem noctibus, occulta sua virtute in monte Sina conseruauit. Exempla.

Heliam ad torrentem Carith, in solitudine ministerio coruorum manè & vesperè panes & carnes afferentium cibauit. Postulante enim necessitate, etiam carniuora animalia homini inseruiunt. Postea ad viduam Sareptanam missum, vnà cum illa sua hospita, præcipuè miraculo aluit, multis interim fame percutibus. Quod exemplum ad consolationem viduarum pertinet, & Lucæ. 4. cap. à Domino citatur.

Mox cū Isabellam reginam fugeret in deserto ab Angelo cibum & potū accepit, cuius virtute 40. diebus & totidē noctibus ad montē Orebum profectus est. Nostri temporibus Deus aliquot absque cibo & potu longo tēpore miraculosē conseruauit, quos multi vt viderent longū, emensi sunt iter: publica quoque exēpla ad nostram consolationem descripta extant. Deus populo suo Israelio, quem euocauerat in desertum, cibū & potum dedit, vbi humana ratio nullam cibandi tantā multitudinem inuenire viā potuisset. Samaritanos, qui iubente Propheta se hosti dedere nolebant, fame pressos, contra opinionē eorū liberauit, 2. Reg. 7. c. In nouo Testamento Christus turbas mirificē aluit. Matth. 14. quinq; panibus, & duobus piscibus, ingentem multitudinē hominum cibauit. Matth. 15. septem panibus & paucis pisciculis, quatuor ferē milia cibauit, & septē cophini fragmentorum sublati sunt. Hoc miraculum aliquoties edidit ad nostrā consolationē. Vtinā, dicis, nostris quoque temporibus idem Christus faceret. Si rē rectē expendamus, videbimus nos hodie quoque mirabiliter conseruari. Si rationē ineas, quid tibi opus sit, & vicissim quid lucraris, videbis Dei erga te benedictionē: potest enim & vult nobis benedicere, si ipsum obseruemus & colamus: sin verò neque Deum neque verbum ipsius curemus, rarò precemur, de vita emendāda non simus solliciti, maledictione eius premimur. Iacobus 3. cap. dicit: pugnatis & bellatis, non habetis, propterea quòd non postulatis: petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in voluptatibus vestris infumatis. Hoc loco Ezech. ostendit & sanctorum intercessionem fore irritam, nisi homines pœnitentiam agant. Romani & aliæ gentes, si artus com meatibus vexati sunt, sacrificiis atque supplicationibus deorum iram mitigare conabantur, quanquam falsis cultibus & ceremoniis, Deus magis iritetur quàm placetur. Sub papatu quoque ceremoniis superstitiosis homines Deum demereri volunt. Nos igitur quibus Dei verbum patefactum est, castis precibus, & vitæ emendatione Deum placare conuenit. Vtque finem huic tractationi tandem imponam, cū Christus 24. Matth. & 21. Lucæ vaticinetur, quòd nouissimis temporibus, ante vltimum iudicium, fames grassatura sit: & vt alia de quibus prædixit, ita hæc quoque iam in orbe dominetur, capita nostra leuare debemus, & nos comparare ad eius vltimum aduentum, vt læti coram tribunali ipsius appareamus, & cum ipso, omnibusque electis, ex fame aliisque ærumnis omnibus liberati, vitam æternam ingrediamur.

## HOMILIA LI.

*Quòd Iudæi sanctissimorum virorum inter-  
cessione à quatuor illis pœnis non pos-  
sint liberari.*

14 *Etsi fuerint tres viri illi in medio eius, Noah, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animam suam, dixit Dominus Iehouah.*



**N** secunda parte huius capituli, minatur Deus per Prophetam populo suo graues pœnas, à quibus ne sanctissimorum quidem virorum precibus possint liberari. Quatuor pœnarum genera commemorat, quibus affiendi sint, & singulis subiicit. Si Noah, Iob, Daniel, pro ipsis intercederent, nihilominus tamen has pœnas ipsis inferendas esse. Postea colligit, si tres illi viri non possunt vel proprios liberos ab vno genere harum pœnarum liberare, quomodo à quatuor simul vos liberarent? Iudæi multum confidebant

debant intercessioni sanctorum. Tot dicebant in Iudæa, & in exilio boni viri & religiosæ fœminæ, quotidie ardentes preces ad Deum pro conseruatione regni & reductione exulum, effundentes indubiè exaudiuntur, proinde non est vt nobis à Prophetarû minis metuamus. Hodie similes voces, à papistis audiuntur, Tot sunt vbique, dicunt, monasteria religiosorum virorum & virginum, in quibus tot ardentes preces, tot bona opera sũt, pro nobis vt salui simus & incolumes, nõ ergo est dubitandũ quin Deus nos cõseruaturus sit. Euãgelici quoque suæ professioni parum respondentes, cum minas audiunt ex verbo Dei, dicunt, Tot sunt boni viri, tot piæ matronæ hinc inde, quorum preces nobis pacem impetrabunt. Deus autem per Ezechielẽ refellit vanã hanc spem dicens: *Si fuerint tres viri isti in medio terræ, Noe, Daniel, & Iob, ipsi in iustitia sua liberabũt animas suas, dicit Dominator Iehouah.* Noe & Iob ante multa secula è viuis excesserant, Daniel adhuc superstes erat, quem cõstat multis annis vixisse. Sensus est, Esto duo illi egregij viri pro vobis intercedant: tamen quod vos attinet nulla erit vtilitas. Quin Danielis & aliorum quoque qui adhuc superstites sunt, preces pro vobis erũt irritæ. Quia spreto verbo Dei, de emendatione vitæ nõ cogitatis. Ideo autẽ illos nominat, quia magnæ in populo fuerunt existimationis. Noeũ Deus in arca cõseruauit cũ pauculis suis, pereunte toto mundo. Iob magnas ærumnas expertus est, tandem in integrũ restitutus. Daniel quoque inter tot hostes emergens, fidem suam illibatã conseruauit. Hos ponit pro omnibus alijs sedulis pœnarum deprecatoribus. Iere. 15. cap. dicit Dominus ad Prophetã: Si Moyses & Samuel corã me starent, non esset animus meus ad populũ istũ, eiice eos à facie mea, vt egrediãtur. Et si dixerint ad te, Quò egrediemur: dic ad eos, Sic dicit Dominus, Qui ad mortem ad mortẽ, qui ad gladium ad gladium, &c. Ex his locis Prophetarum colligunt papistæ, Diuos in cœlis apud Deũ pro nobis peccatoribus intercedere. Nisi enim pro nobis orare possent, Prophetas non sic dicturos fuisse. Prophetæ non dicunt, eos in cœlis pro hoc populo intercedere, sed casu ab impossibili posito, dicunt, Si illi redirent in terras & intercederent pro hoc populo, tamẽ eos nollem exaudire. Perinde est ac si tu dicas, patrem habuisti & fratres mihi charissimos, qui si redirent, & pro te intercederent, etsi in eorum gratiam nihil non fecerim, tamẽ nollem hoc vel illud facere. Deinde ipsi papistæ negant ante Christi aduentum sanctos fuisse in cœlis, sed dicunt eos fuisse in limbo patrum, interim non pudet eos hoc argumẽto vti. Nos nullum in cœlis agnoscimus intercessorem, præter Iesum Christum Seruatorem nostrum. 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum: sed etiam pro totius mundi. 1. Timoth. 2. Vnus Deus, vnus etiam *μεσίτης* Dei & hominum, Christus Iesus, qui dedit semetipsum preciũ redemptionis pro omnibus. Papistæ friuolum afferunt figmentum dicentes, Non negamus Christum vnicum esse mediatorem, nempe redemptionis: sed non intercessionis: acuta profectò hæc est & bella distinctio. An non hoc loco de precibus fidelium agit Apostolus? Pro bent suam illam distinctionem ex verbo Dei.

Dum in his terris versantur homines, vnus pro alio debet apud Deum intercedere. Paulus hinc inde petit preces Ecclesiarum. Iacobus 5. cap. dicit. Multum valet deprecatio iusti apud Deum. Sin verò homines hinc excesserint, nullæ valent preces, siue sint in tormentis, siue in æterna vita, frustra oratur. Corruũt hoc loco indulgẽtiæ populi, missæ pro defunctis, & alia pro quibus papistæ, quia *οὐκ ἔστιν ἄλλοις*, faciunt, tanquam pro aris & focis depugnant. Vide quã stultẽ faciãt qui filios & filias in monasteria in hunc finem detrudunt, vt eorum precibus & meritis tota aliqua familia iuuetur.

Cæterum si homines pergant in suis sceleribus, non cogitantes de pœnitentia, etiã sanctissimorũ hominum, quæ in his terris pro ipsis sũt preces, sunt irritæ

Hominẽs  
confidunt  
intercessioni  
sanctorum.

Iritæ sunt  
preces san-  
ctorum pro  
impijs.

Cur tres illos  
præ alijs no-  
minet.

papistæ hinc  
colligunt de  
sanctorum  
intercessio-  
nem pro vi-  
uis.

Vnicus in-  
tercessor.

Viui pro se  
inuicem ora-  
re debent.

Papatus rui-  
na.

Etiã viuẽ-  
tium preces  
pro impijs  
irritæ.

Nam Deus Iere. 7. cap. dicit: Et tu ne oraueris pro populo isto, neque leuaueris pro eis clamorem & deprecationem, neque intercesseris apud me, quoniam nequaquam te exaudiam. An tu non vides, quid isti faciant in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalem? Filij colligunt ligna, &c. Samuelem pro Saule orantē Deus reiecit, i. Ioannes 5. dicit, pro peccantibus ad mortem, non esse orandum, quod genus peccati in primitiua Ecclesia fideles cognoscebant, cum haberent donum discernendi spiritus. Nos qui non facile statuere possumus, quinam tales sint, promiscue pro omnibus orare debemus. Preces tamen quæ pro huiusmodi hominibus fiunt, quo ad ipsos, sunt irritæ & superuacaneæ. Quod si pij pro impiis orantes non audiuntur, multò minus impij pro seipsis orantes audiuntur. Hac de re audiamus aliquot testimonia sacrarum literarum. Isa. 1. capite, Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis. Et cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam. Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Micheas 3. capite, proceribus regni qui pauperes oppresserant, minatur quòd in vrbis obsidione, etsi sedulò ad Deum clamarint, non responsurus sit ipsis. Zach. 7. dicit, Viduas, pupillos & aduenas clamantes non audierunt, clamabunt & ipsi: sed non exaudiam eos. Prouerb. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & is, & non exaudietur & 28. c. Qui aurem suam auertit, quòd minus legem audiat, eius precatio quoque abominanda est. Non valebit illa excusatio, Auerti aurem à clamore Ecclesiastæ quem odi, non à lege Dei quam amaui.

Impij orantes  
nò exaudiuntur.

Rectè autem, & ex fide orantes, quantumuis grauitèr peccarint, Deus exaudit, id quod multis Scripturæ locis & exemplis intelligitur, quæ quiuis potest cõgerere. Hoc loco per Prophetam dicit Dominus: *Ipsi in iustitia sua eripient animas suas.* Etsi enim preces illorum aliis non prodesent, tamen ipsis aliis pereuntibus, proderant. Quomodo verò dicis, consistere potuerunt sua iustitia, cum certum sit omnes homines esse peccatores, & indigere gloria Dei, & David deprecetur, ne Deus secundum iustitiam suam cum eo agat? Calvinus scribit, hoc loco sub voce iustitiæ intelligi, quidquid pertinet ad regulam sanctè & iustè viuendi, sed interea hoc nihil derogare iustitiæ fidei certum esse: nam fideles iustos censeri apud Deum, & iusta censeri eorum opera, non proprio merito, non quòd afferant eiusmodi perfectionem coram Deo, quæ ipsis conciliet fauorem, & in qua consistant: sed quia Deus indulgenter pro sua paterna clementia illis ignoscit, & ita probat iustitiam eorum, quæ alioqui repudiari meritò possent.

Pij & impij  
permixti seruantur.

Non igitur est quòd homines dicant, Etsi piè vixero, tamen mihi in communibus illis malis, vnà cum aliis pereundū erit. Deus enim homines iustos & integros, potest in publicis malis conseruare. Sic seruauit Noeum, mundo pereunte per diluuium, item Lothum, Ieremiam, & alios multos. Etsi verò corpore pereant cum aliis, anima tamen ipsorum, in vitam æternam transfertur. Duo latrones qui Christo ad dextram & sinistram pendebant, eodem quidem supplicij genere afficiebantur, vterque animam exhalabat: sed magnum erat inter illos discrimen, quo ad animam vtriusque. Omnes itaque pœnitentiam agamus, non speremus scelerum impunitatē propter preces aliquot piorum, qui inter nos, vel alibi versantur: multò minus propter preces defunctorum quas pro nobis effundant coram Deo, nullis enim id Scripturæ locis probari potest.

## HOMILIA LV.

*Terram quam Deus perdere decreuit, nullis Sanctorum intercessionibus posse liberari à feris bestijs quas immittit.*

15 Si bestiam malam transire fecero per terram & orbauerit eam, & fuerit desolata absque transeunte propter bestiam.

16 Et tres viri illi fuerint in medio eius: uiuo ego, dixit Dominus Iehouah, quòd neque filios, neque filias liberabunt, ipsi soli liberabuntur: terra autem erit desolatio.

**D**escendit nunc ad secundum genus pœnæ, nempe feras bestias, quas Deum ipsis immisurum, nullisque precibus quo minus id faciat, impediendū esse ostēdit, Quòd malæ bestiæ interdum grassantur, non fit temere, sed iusto Dei iudicio puniētis peccata hominum, de qua re locus extat in libro Sapientiæ. Ab initio, homo omnium animalium Dominus constitutus fuit, sed post lapsum ipsius, aduersari ipsi cœperunt. Quia verò Deus nobis reconciliatus est, cohibet feras, ne obuios quosque discerpant. Comminatur autem in Lege, se violatoribus legis feras immisurum, à quibus perdantur: repetitur hoc in Prophetis: Hoc loco dicit se bestias malas immittere, quæ terram incolis priuent, & desolatam reddant, vt nemo per eam iter faciat. Grauiſſima itaque est hæc plaga. Exēplis aliquot hanc pœnæ speciem declarabimus.

2. Reg. 17. Salmanasar rex Assyriorū capta Samaria & vicinis oppidis, populum Israelis abduxit, & suos homines in illas terras traduxit, qui cū Deum Israelis non timerent, immisuris leonibus ab ipsis vexati sunt. 1. Regum 13. Propheta qui à Deo ad Ieroboam missus in via ad alium Prophetam contra eius mandatum diuertit, à leone postea iugulatur. Vtq; omnes viderēt id non casu accidisse, leo prope asinum & cadauer constitit. In libro Danielis legimus illos qui ipsi insidiati fuerant, in foueam leonum præcipitatos, statim disceptos fuisse à leonibus.

2. Regum. 2. cap. in calce, pueros 42. illudentes seni Helisæo, duo vrsi occiderunt. Vrsi in nostris alpibus sæpe pecora laniant. Lupi sæpenumero fame exagitati, non solum armenta & greges lædunt, sed etiam in homines impetum faciunt. Apri vastant vineas, hortos, agros, & fulmineis suis dentibus, homines quoque lædunt. Astulphus rex Longobardorum in venatione ab apro occisus est. Adhæc animalia σαρῶν ἐπιζῶντων sæpenumero efferantur & homines lædunt. Ab equis aliqui leguntur conculcati & discepti. Euripides à canibus laceratus est. Porci infantes in cunis vorasse leguntur: tauri homines prouocasse aut cornibus in eos insidiisse. Volucres hominibus quoque dant damna. Dominus in lege minatur, cadauera rebellium ab alitibus voranda esse, Iere. 7. cap. Pisces marini, & alia aquatilia, sæpe naues euertunt, & nauigantibus sunt horrore, item natantes deuorant. Serpentes in regionibus calidioribus, incolas multis malis afficiunt. Dipsades in deserto populum Israeliticum miserè vexabant, interiisset penitus nisi Deus remedium eis ostēdisset. Cæterum de serpente in Africa, quæ Attilius Regulus occidit, eò quòd multos milites occidisset, habes apud Lium. Cæterum Deus non solum per magna animalia, sed etiam per minutissima, sua iudicia exercet. Scorpiones magno cruciatu, nisi remedium adhibeatur, hominem occidunt. Palestinos ferocissimam & bellicosissimam gentem, Deus per mures afflixit, 1. Samuelis 5. capite. Cuniculos Balearibus insulis: populatis messibus famem attulisse: & Balearicos aduersus prouentum ipsorum, auxilium militare ab Augusto imperatore petiisse, Strabo & Plinius testantur. Idem ex M. Varrone annotat, à cuniculis suffossum in Hispania oppidum. Pharaonis cristas, Deus ranis, pediculis, tabanis, vespis, crabronibus & locustis, ita contudit, vt Moyſi supplex fieret. Antiochus, Herodes, Sylla, & alij plures, à vermibus & pediculis consumpti interierunt. M. Varro author est, ciuitatem ab ranis in Gallia pulsam, Plinius. De obsidione Antiochiæ soluta, propter magnam insectorum vim, videt Theodoretum Ecclesiast. historiæ lib. 2. cap. 30. Hodie Deus arborum flores & fruges agro-

Secundum  
genus pœ-  
næ.

Suprās. cap.

Leones.

Vrsi.

Apri.

Cicuta ani-  
malia.

Volatilia.

Aquatilia.

Serpentes.

Parua ani-  
malia.

Insecta.

Potentia  
Dei.

rum perdit per locustas, bruchos & erucas. Tineæ vestem preciosissimam corrodere possunt, atque ita homines damno afficere. Colligimus ex his, Dei exercituum magnam potentiam, qui non solum, cælis, stellis, elementis, & magnis bestiis, sed paruis quoque bestiolis utitur ad ea quæ vult expedienda. Videmus è diuerso nostram imbecillitatem, qui nullis viribus, nullo consilio, paruis illis animalculis possumus resistere. Bellicosissimis Gētibus debellandis vermiculi sufficiunt, quos Deus armat. Hæc cum ita habeant, sub potenti manu Dei humiliemur, & pœnitentiam agamus, vt ab his malis nos custodiat & liberet. Deus adhæc lupos, hoc est falsos doctores, & leones, id est tyrannos, vulpes, hoc est, homines dolosos, & versutos, lupas item, hoc est, meretrices hominibus immittit, ad castiganda eorum scelera. Satanæ quoque, qui leoni, & lupo comparatur interdum propter hominum scelera multa permittit. Cōfirmat nunc iureiurando quod bestiarum malæ, intercedentibus sanctissimis viris, non sint cohibendæ. *Viuo ego*, Hoc est, per meam vitam, vel per meipsum iuro. Non enim maiorem habet per quem iuret, Heb. 6. Deus suo exemplo docet, per quem postulante necessitate, iurandum fit, nēpe per ipsum, qui solus nouit recte ne iuremus, an secus. Species est abnegationis Dei, si per alios iuremus, Ier. 5. *Si filios & filias liberabunt*. Sēsus est, cōfiditis precibus sanctorū, sed tā abest vt vos liberaturi sint, vt ne liberos suos his malis eripere possint: nempe si terræ peccatricis opera imitentur. Colligis hinc, quàm stultum sit, reiecta pœnitentia, niri aliorum operibus & meritis. Quapropter seriò conuertamur ad Deum, & ipsi seruiamus. Hæc enim est vera ratio effugiendi publicas calamitates priuatâsque. Filij non existiment, se ex periculis propter parentum iustitiam liberandos esse: sed ipsi quoque iustitiæ studeât. Iudæi gloriabantur de Patrum sanctitate, cum interim eorū ingenium quo ad pietatē minimè referrēt.

HOMILIA LVI.

*De bello & peste idem affirmat quod supra de caritate annonæ, & de feris bestiis pronunciauit.*

17 *Vel si gladium induxero super terram ipsam, & dixero gladio, Per terram illam transi, & succidere fecero ex ea homines & iumenta.*

18 *Et tres illi viri fuerint in medio eius, Viuo ego, dixit Dominus Iehouah: non liberabunt filios & filias ipsi soli liberabuntur.*

19 *Vel si pestilentiam immisero super terram ipsam, & effudero iram meam super eam in sanguine, vt succidam ex ea homines & iumenta.*

20 *Et Noah, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius, Viuo ego, dixit Dominus Iehouah, si filiam liberabunt, ipsi iustitia sua liberabunt animam suam.*

Deus facile  
bella exci-  
tat.

Equitur nunc tertium & quartum genus pœnarum, quibus Deus homines afficit, nempe bellum & pestis. Quod bellum attinet, Deus per Prophetam dicit se immittere bellum terræ, seque dicere gladio, *Trāsi per terram*. Quibus verbis testatur bella non temere oriri, sed ab ipso immitti. Gladij nō feriūt, nisi Dominus præceperit. Sin verò ipse bello gentē aliquam persequi decreuit, nullo negotio id potest. Nā gladius est quasi famulus Dei, si dicit *Veni, venit, vade, vadit, redi, redit*. Dominus vocat illa quæ nō sunt, vt sint, & statim adfunt, Rom. 4. Sæpe cogitamus quomodo bellū posset oriri, cum neminē laceessimus, paci studemus: Quando Deum prouocamus, id facile potest excitare.



excitare hostes, quibus non est difficile causas belli varias inuenire. Illis consiliis quibus vitare volumus, sæpe bellum attrahimus. Hostes non possunt quando vel-  
 lent, & quos vellent, bello perdere, alioqui malè nobiscum ageretur, Deus frangat  
 impetum hostilem. Infrà 21. cap. Nabuchadonosor volète Deo ad Israelitas, non  
 ad alias vicinas gentes cum exercitu pergit. Quæ verò belli sæuitia sit, quæ victis  
 accidant, Cæsar prætor apud Sallustium in coniuratione Catilinæ enumerat: rabi-  
 virgines, pueros, diuelli liberos à complexu parentum, matres familiarum pati  
 quæ victoribus collibuisse, sanæ atque domus spoliari, incendia fieri, postremò  
 armis, cadaueribus, cruore, & luctu omnia compleri. Propheta vno verbo dicit,  
 gladio homines & iumenta excindi. Multi enim in acie, multi in oppugnationi-  
 bus urbium cæduntur, pecora maectantur, & abiguntur. Nemo potest verbis om-  
 nia mala quæ bellum secum affert, cõplecti. Causæ finales, ob quas Deus bello  
 gentes persequitur, sunt duæ præcipue: vna vt Deus castiget peccata homi-  
 num: altera vt piorum patientiam & fidem exerceat. Seditiones quoque non  
 temere sed diuina prouidentia excitantur. Cur igitur optimi quique pereunt?  
 castigat Deus peccata populi: nam si illi qui autoritate & consiliis pollent, au-  
 ferantur ex gente aliqua, multa mala eam manere certum est. Aliæ quoque  
 cædes non sunt fortuitæ. Etsi enim nobis sint fortuitæ, tamen si ad Dei arcanam  
 prouidentiam referantur, fortuitæ non sunt. Exodi 21. cap. Percutiens hominem  
 vnde moritur, morte interficiatur. Et qui non est insidiatus, sed Deus tradidit il-  
 lum in manu eius, ponam tibi locum quò confugiat. Deu. 19. casus de cædente li-  
 gna ponitur. Hæ cædes si non temere fiant, multò minùs in bellis & seditionibus  
 gladius temere grassatur. Orto bello, vel si metus sit belli, aut seditionis, orandum  
 est Deus, vt magnum hoc malum vel auertat, vel mitiget: fremendo nihil profici-  
 cimus. Orandum etiam, vt Deus alios defendat & liberet ab hoc flagello. Ca-  
 uendum etiam ab illis propter quæ bella & seditiones oriuntur. Addit, se non  
 posse exorari, & si sanctissimi viri inter eos habitarent, & pro ipsis intercederent:  
 non enim agebant pœnitentiam. Quartù pœnæ genus est pestis, paucis verbis  
 ostendit, vnde sit, quare immittatur hominibus, quomodo immittatur, quæ sint  
 eius effecta, item illos falli qui precibus sanctorum pestem ab impœnitentibus  
 auferendam sperent. Pestis non cæco impetu grassatur, sed à Deo immittitur ho-  
 minibus, id quod suprà multis ostendimus. Causa vero ob quam Deus peste ho-  
 mines flagellat, indicatur his verbis: *Cum effudero iracundiam meam super terram.* Ira  
 diuina flagitiis nostris accenditur, quæ hoc flagelli vlciscitur: testimonia Scriptu-  
 ræ multa suprà adduximus. Modum quoque ostendit dicens: *In sanguine*, scilicet,  
 corrupto, vel propter sanguinem corruptum. Deus efficit, vt propter aeris intem-  
 periam, sanguis humanus corrumpatur & vitales spiritus inficiantur. Habet va-  
 rias rationes, quibus pestem accendit. Effecta pestis ostendit cum dicit, *Vt excin-  
 dam ex ea hominem & iumenta.* Peste robustissimi quiq; , paucis ferè diebus extin-  
 guuntur. Nec solùm, vt vulgò persuasum est, iuniores corripit, sed senes quoque,  
 vt melius videamus Deum hoc telo homines ferire. Peste terra aliquando reddi-  
 tur desolata, vt pauci sint qui eam colât. Peste iumenta quoque intereunt: quan-  
 tum autem hoc sit agricolis malum, nemo facillè dixerit. Addit, sanctissimos si il-  
 lic habitent, ne filium aut filiam liberare posse, sed ipsos tantùm saluos fore: non  
 quòd sancti peste nunquam inficiantur, contrarium enim ex Scripturis potest o-  
 stendi. Quòd numero singulari nunc vtitur, seruit amplificationi, quasi dicat, sua  
 intercessione, ne vnicum filiolum vel vnicam filiulam, à morte eripere possent.  
 vel singulare ponit pro plurali, quod tritum est sacris Scriptoribus. Ne igitur alie-  
 næ iustitiæ & meritis cõfidamus, sed humiliemur sub potenti manu Dei, vt hæc  
 mala auertere vel mitigare dignetur. Alij quoque morbi, quorum magnum est  
 agmen, à Deo immittuntur. Quòd si vel paucos vel plures cum morbis cõflictari

Belli effecta

Causæ belli

Seditiones

Cædes for-  
tuitæ

Quomodo  
in bello nos  
gerere de-  
beamus.

De peste

Vnde sit

Quare im-  
mittatur.  
Quomodo.

Effecta pe-  
stis.

Preces in pe-  
ste aliquando  
profunt, ali-  
quando nō.

Morbi

audiamus, precibus nostris eos Deo commendare debemus. Et si enim illo tempore frustra pro Israelitis preces funderentur: tamen pro illis qui veram pœnitentiam agunt, non frustra fundetur. Quod homines morbis diuos præferunt, eorumque opem implorarunt, à Gentilibus manavit.

HOMILIA LVII.

*Quia Noe, Job, & Daniel, etiam si inter sceleratos illos Iudæos agerent, proprios liberos ne ab una tantum plaga possent eripere, non sperandum ostendit, quod à quatuor simul piorum intercessione liberandi sint.*

21 Sic enim dixit Dominus Iehouah, Quanto magis si quatuor iudicia mea mala, gladium, & famem, & bestiam malam, & pestilentiam misero contra Ierusalaim, & succidam ex ea homines & iumenta.

22 Attamen remanebit in illis enasis, qui abducentur captiui, filij & filia: ecce ipsi egressuri sint ad vos & videbitis viam eorum, & opera eorum, & consolationem accipietis super malo, quod induxero super Ierusalaim, de omnibus inquã quæ induxero super eam.

23 Et consolabuntur vos quum videritis viam eorum, & opera eorum, & scietis quod non sine causa feci omnia quæ feci in ea, dixit Dominus Iehouah.



Vemadmodum alij Prophetæ veræ pœnitentiæ impedimenta tollunt, ita etiam Ezechiel Iudæos quo minus veram pœnitentiam agerent, inter alia impediabat fiducia intercessionis sanctorum hominum, non quidem, vt hodie multos, mortuorum, sed viuorum. Hanc itaq; fiduciam vanam esse multis ostendit. Etenim Dominum quatuor habere flagella dicit, à quibus singulis sanctissimi viri Noe, Job, Daniel, si in terras redirent, non possent eripere coniunctissimos etiam homines, nedum alios. Iam concludens hanc concionem, dicit: Quare, si Deus quatuor illis pœnis vos simul persequutus fuerit, multò minus poterunt tres ille viri, sua intercessione vos liberare. Si liberos suos ab vna tantum ex his pœnis eripere non possunt, quomodo vos ab istis omnibus quatuor eriperent? Vanam itaque esse spem ipsorum.

Contra intercessionem sanctorum.

Propter illos qui intercessionem Sanctorum in cælis pro nobis vrgēt, adferam verba D. Hieronymi, ad huc locum. De his cunctis inquit, ne spiritualium parentum, quos magistros intelligimus doctrina: nec principes nos poterunt liberare, nisi filiorum fuerit assensus: & illorum obsecrationes suis conatibus iuuerint. Iustitia enim iusti erit super eum: & iniquitas iniqui in ipso commorabitur. Vnufquisque peccato proprio morietur: & iustitia sua saluabitur. Frustraque dicunt Iudæi: Abraham pater noster, cum opera Abraham non habeant. Quod si in aliquo est fiducia: in solo Domino confidamus. Maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine: quamuis sancti sint, quamuis Prophetæ. Legimus, nolite confidere

confidere in hominibus. Et iterum: Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in principibus. Non in principibus tantùm seculi, sed & in principibus Ecclesiarum, qui suas tantùm animas, si iusti fuerint, liberabunt. Filios autem & filias, quos in Ecclesia genuerint, si fuerint negligentes, saluare non poterunt, &c. Ex verbis Prophetæ colligimus, illos quos Deus exitio destinauit, nulla ratione posse eripi. Preces sanctissimorum virorũ, efficaces quidem esse, Eliæ exemplum euincit, qui cælum suis precibus aperuisse, & clausisse dicitur, Iacobi 5. Moïsi qui precibus suis Amelechitas ad fugam compulit. Omitto multa alia, quæ possent afferri. Cæterum si homines pergant in suis peccatis, vana est illorum expectatio, qui putant se aliorum precibus, malis eripiendos: nisi & ipsi resipiscant. Si uiuentium sanctorum preces illis nõ profunt, quid sperarent de defunctorũ precibus, de quibus nullum Dei verbum extat? Multò minus impœnitentes eripere alia possunt, quibus confidunt, vt sunt opes, clientelæ, milites, fœdera, arma, locorum munitiones, item externi cultus, templa, peregrinationes votiuæ &c. Solet Deus si homines vno flagello non moueantur, multa coarceruare. Veluti Princeps contra gentẽ rebellem, non vnum tantùm sed tres quatuor exercitus educit: ita Deus omnibus pœnarum generibus, rebelles obruit. Quisq; in se descendens, diligenter consideret, quid peste, quid bellis Deus apud nos profecerit, & ita res nostras instituamus, ne simul omnibus illis pœnis nos perdat. Quatuor has pœnas, vocat iudicia Dei. Vnde iterum elicimus, hæc non cæco impetu fieri, sed à Deo immitti propter peccata & alias causas: mox subiicit, se hæc omnia induxisse super Hierusalẽ. Vocat iudicia mala, ad opinionẽ hominũ respiciens, qui mala vocant omnia illa, quæ ipsis sunt aduersa. *Attamen remanebit in ea euasio, qui abducentur captiui filij & filie.* Non quidem omnes ad vnum his flagellis intèribunt, sed manebunt in vrbe aliqui superstitites viri & fœminæ, qui ad vos in Chaldæam captiui venient. Prophetauit enim Ezechiel in Chaldæa. *Ecce dicit, ipsi, egredientur ad vos. Ecce attentionis particula, de re subita & improuisa, aut noua & serua.* Decem tribus, & Iudæi qui cum Iechonia abducti erant, nihil minus expectabant quàm Hierosolyma euertenda esse, & reliquias trahendas in captiuitatem, sed fascinati à pseudopropheta sperabant se breui in patriam reducendos. Propheta itaque vaticinatur reliquias mox in Chaldæam venturas. *Videbitis viam ipsorum & opera eorum, & consolationem accipietis super malo quod induxero super Hierusalem.* Sensus est, Si ad vos captiui venient, considerabitis eorum mores & ingenium, pacatisque & tranquillis animis eritis. Tumultuabantur enim intra se, putantes Deum modum excessurum, si urbem sanctam & Templum euerneret, suosque fœderatos tam miserè perderet. Propheta dicit, si eorum mores obseruaueritis, facile apparebit Deum non potuisse aliter agere, quin iustitiam eius postulasse, vt ad vnum homines tam sceleratos extingueret. Repetit, *Consolabuntur vos cum videritis viam eorum, & opera eorum, & scietis quòd non sine causa feci quæ feci omnia in eâ.* Abducti in exilium, argumentum erunt iustitiæ Diuinæ: Iudæi Hypocritæ erant, & nisi quis inter ipsos versatus fuisset, cogitare potuisset Deum in exigendis pœnis modum excessisse. Falluntur enim nostra iudicia. Ipse Abrahamus sperabat multò plures bonos Sodomis reperiri posse, quàm reperti fuerunt.

Elicimus ex hoc loco, impios mentem non mutare, simulant ad tempus pœnitentiam, sed data occasione statim ad ingenium redeunt. Iudæi post acceptas varias clades, mores suos retinebant, plagisque variis non emendabantur. Non cogitabant de causis, ob quas tot malis erant obnoxij. Putabãt vel omnia temere accidere, vel in alios culpam reiciebãt, vel magis magisq; indurabantur. Hodie quoque pij homines mox in se descendunt, & ad Deum conuertuntur, impij verò peiores redduntur. Calore Solis cera liquefcit, lutum induratur, ita grassantibus pœnis, fideles statim mollescunt, impij verò magis indurantur.

Ecce

Vnus

Impij mentem non mutant.

Qui cau-  
sas iudicio-  
rum Dei in-  
telligūt, sunt  
pacato ani-  
mo.

Deinde ex hoc loco elicimus, nos tranquillo esse animo, si rationes iudiciorū Dei intelligamus. Israelitæ tumultuabātur cū audirent Iudæos reliquos in captiuitatē trahendos esse, existimātes Deum instar patris iracundi modū in pœnis inferendis excedere: at postquā viderūt quales essent Iudæi, etiam post tot mala accepta, tranquillis erant animis. Ingenium suum retinuisse, etiam tunc cū in patriam reducti essent, ex libris Esdræ, Nehemiæ, Haggæi, Zachariæ & Malachiæ colligitur. Ædificabāt suas domus, de domo Dei parum solliciti: vxoribus quas in exilio habuerunt reiectis, ducebant iuenculas alienigenas: decimas non persoluebant bona fide: opprimebant famis tempore pauperes. Hodie quoq; Iudæi passim oberrantes, argumentum sunt iustitiæ Dei. Sæpe putamus aliquem indignè tractari, qui iustissimas scelerum suorum dat pœnas. Deus peccata videt vbi nos nulla videmus, neque solū scit, quid quisq; agat, sed etiam quo animo agat. Non solū prophani, sed pij quoq; homines, sæpe de iudiciis Dei querūtur. Præscribere quodāmodo ipsi volunt, quomodo pios & impios tractare debeat, sæpe putant ipsum dormire. Pij apud Prophetam Habacuc queruntur impios florere. Altius quoque ascēdimus, & in arcana de æterna prædestinatione inquirere volumus. Rom. 9. 11. Deus aliquādo iudiciorum suorum rationes nobis aperire dignatur, multa verò sibi referuat: humiliter itaq; nos ipsi subiiciamus, expectantes donec in cœlis omnia videamus, quæ in hoc mortali corpore intelligere non possumus. Nemo nostrū directè Solem intueri potest, & arcana Dei lustrare volumus. Deus bone, quàm multa in physicis nos latent: interim ad illa arcana penetrare nitimur. Deus non indiget nostro consilio: nullus opifex ferret illum, qui de re sibi incognita vellet pronuciare. Multi anxie torquentur, qui si Dei arcana iudicia adorarent, animis essent pacatis & trāquillis. Psal. 51. dicitur, Tu Domine, cū iudicaris vincis. Videmus adhæc, magna mala boni aliquid adiunctum habere, cū præter expectationem reliqui quoque captiui fierent, quemadmodum Prophetæ prædixerant, veritatem prædictionum Dei intelligebāt. Hodie fiunt illa quæ Christus vltimis temporibus futura prædixit: ne igitur dubitemus, quin alia quoque quæ de cōsummatione mundi, de resurrectione mortuorum, & æterna vita piis communicanda prædixit, implenda sint suo tempore.

Malis bona  
sunt admi-  
sta.



## Concio octaua Ezechielis.

HOMILIA LVIII.

*Refutat vanam fiduciam Iudæorum, qui gloriabantur se vineam esse Domini, ideóque non excindendos esse.*

CAPVT XVI.

- 1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me dicendo:
- 2 **F**ili hominis, quid erit lignum vitis præ omni ligno, palmitē, inquā, qui est inter ligna syluæ?
- 3 **N**um capietur ex eo lignum ad faciendum opus: num capient ex eo paxillum, vt dependeat in illo vllum vas?
- 4 **E**cce igni datum est vt consumatur, ambas extremitates eius cōsumpsit ignis, et  
media

media pars eius exusta est, nunquid profuerit ad opus?

5 Ecce quum fuerit integrum, non apparabitur ad opus, quanto minus quum ignis deuorauerit illud, & combustum fuerit apparabitur ultra ad opus?

**H** Occapite continetur CONCIO VIII. prophetæ Ezechielis qua refellit perniciosam & stultam fiduciam Iudæorū, qui iactabant se esse vineam vel populū Dei, ideōq; nō esse excindendos. Prophetarum enim hoc præcipue fuit officiū, primū, vt populū propter scelera obiurgarent, hortarenturque ad verā pœnitentiā: deinde vt pavidas mentes, promissionibus diuinis rursus erigerent. Vt autē veræ pœnitentiæ locus esset, omnia eius impedimenta erant submouenda, velati q; pauci audire dignabatur Prophetas Dei, sed à pseudopropheta pendebat: q; cōfidebat intercessionibus piorum hominū, hoc alterū refutauit superiore capite: iam refutat quod ideo se perdēdos negabāt, quia vinea esset Domini. Quis, dicebāt, propriā vineam perderet? Prophetæ itaque ostendit vineā illā nullū fructum proferre, vites exaruisse, iustum itaque Dei esse iudiciū, vt exuratur. Populus Dei vineæ cōparatur, quæ metaphora vel allegoria frequēs est in Sacris literis. Deut. 4. 10. 32. Psal. 80. Deus vineā suā ex Ægypto transtulisse, eamque ad mare vsque plantasse legitur. Isa. 35. Iere. 2. 12. Osee 10. mentio fit vineæ. Nota est parabola Christi de vinea Mathæi 21. Christus singulos fideles Ioa. 15. vitibus confert. Idonea hæc est metaphora. I. Nā vitis est lignū humile, tortuosum & veluti aridū. Populus Dei vel ecclesia, humilis est & abiecta corā hoc mūdo, cōstat ferē ex hominibus paruæ existimationis. Quæ fuerit Christi tēporibus ecclesiæ facies, quāque miserabilis, euāgelica testatur Historia, cū Maria mater Domini, Iosephus, Zacharias, Elisabeth, Simeō, Anna, pastores, & alii quidam de media plebe Deū ritē colerēt: Pharisei verō Scribæ & Sacerdotes, verū Dei cultū abiēcissent. Etiā in nouissimo iudicio, sicut in libro Sapiētiae legitur, illi q; rerū potiūtur & splēdidissimis ecclesiæ titulis gaudēt in hoc mūdo, mirabūtu hos esse electos Dei, quos ipsi tāquā *καὶ δὲ πικρὰ*, igni & ferro psequuti sūt. II. Vitis inter fecūdiore plātas principatū obtinet, ita fideles feraces sunt bonorū operū. III. Vineæ magni æstimātur q; pauca iugera vitibus cōstita sufficiāt alēdis vinitoribus: Deus filii sui sanguine, vineā, hoc est, ecclesiā sibi cōparauit, amatq; suā illā vineā. IIII. Vineæ magno sūptu & labore colūtur, nulla arborū maiore cura indiget, nisi custodiatur breui tēpore perit. Ecclesia quoque nisi excolatur per Verbū, statim dissipātur. V. Coluntur autē in hūc finē vt fructū ferant: si frigore pereāt, vel auulsā nullos racemos, aut immaturos tantū proferant, excinduntur & in ignē cōiiciuntur, nemo frustra vult laborē & sumptum impendere. Deus quoque à singulis ecclesiæ mēbris fructus fidei inquir, q; si vel nullos proferūt, vel omphaces tātū, hoc est, scelera, vineā excindit.

His præmissis, verba Prophetæ plenius intelligamus, primū ponit parabolā siue similitudinē illā ab agricultura sumptam: deinde eā accōmodat ad urbē Hierosolymorū. Deus interrogat ipsum Prophetam, vt æquitas iudiciorū eius rectius intelligatur. *Quid est lignū vitis præ omni arbore, ramo inquā, qui est inter arbores siluæ?* Vitis siue consideretur per se, siue conferatur cū aliis arboribus, est vilis & abiecta. Arbores siluarū, licet steriles, suis tamen frondibus & proceritate, hominū oculos in se cōuertunt. Vites ob suauissimum quem proferūt fructum, sunt in precio: sin verō exarescant aut è terra euellantur, non merentur cum arboribus nemorum, quantumuis infructiferis conferri. Iudæi indignissimē quidem ferebant, si quis cum gentilibus eos conferret, at sua natura præstantiores illis non erant, sed gratuito Dei beneficio, qui multis dotibus eos ornauerat. Quia verō illi à Deo defecerāt, gentes multis nominibus eos excelebant. Hodie quoque naturaliter nihil habent homines quo

Quare populus Dei vineæ comparatur.

Partes capitulis.

Vitis propter fructū aliis lignis præfertur.

Iudæi non natura sua vel à seipis excellunt, sed gratuito Dei dono.

aliis præstet. Alii reddunt: *Quid erit lignum vitis præ omni ligno, ramo inquam, qui est inter ligna silvæ?* Calvinus reddit, *præ omni ligno rami*, id est, ramo, *quod est inter ligna silvæ.* Sensus in idem recidit, Iudæos quales tunc erant, si conferantur cum gentibus eas nihil excellere. Aridæ vites cum essent, non magis fructum ferebant, quam steriles arbores quæ sunt in silvis. *Num capietur ex eo ligno vitis lignum ad faciendum opus? Num capiet ex eo paxillum, ut suspēdatur in eo omni vas?* Postquam vitis exaruit, prorsus est inutilis. Ex aliis arbutis veluti ex hedera, & iunipero fiunt cochlearia, & aliqua do pocula: vitis verò ad tornaturam & omnia alia inepta est. Aliæ quoque arbores steriles variis usibus adhiberi possunt, ex ipsis tabulæ & varia instrumenta fiunt, vitis verò quæ exaruit nihil prodest, ne clavum ex ea facere potes, ex quo suspendas circulum mensæ, galerum, aut aliquid simile: breuiter, ad nihil prodest, nisi ut exuratur, & cito quidem, nam si fasciculi vitium ad aliquot annos seruentur, ne igni quidem fouendo apti existunt. Contundit his verbis cristas Iudæorum, qui subinde de sua dignitate immodicè gloriabantur, & sese super alias gentes efferebant. *Ecce in ignem conicitur ad consumptionem: duas extremitates eius consumpsit ignis, & medium eius exustum est, an utile erit ad opus?* Si integra vitis quæ exaruit, inutilis est ad opus aliquod, multò magis si in utraque extremitate vstulata fuerit: media enim pars quæ prorsus exaruit, si vel parum inflectatur, statim frangitur. Rabbi Solomō referente Lyrano dicit, per duo extrema intelligi illos qui primo fuerint translati in Babylonem capto Ioaachim filio Iosifæ, & illos qui postea fuerunt abducti cum Iechonia eius filio: per medium verò ligni quod fortius comburatur, intelligi populum qui fuit sub Zedechia, qui grauius fuerat afflatus, quam reliqui. Sed per unam extremitatem potius intelligamus decem tribus, per alteram illos qui cum Iechonia abducti erant, per mediam, illos qui adhuc Hierosolymis versabantur. Quod non omnes consumpti erant, acceptum ferre debebant Deo inuitati ipsos ad resipiscentiam. inde verò confidentiores redditi sunt, spei atque tota regione in circuitu vastata, urbem saluam fore. Factum igitur est, ut & media vitis pars quæ restabat, hoc est, urbs Hierosolymorum inflammata sit. Hodie quoque cum videmus alios in captiuitatem abduci, & variis ærumnis exerceri, cumque ipsi leuioribus poenis afficimur, ne pergamus in sceleribus, sed conuertamur ad Deum ne penitus nos deleat.

## HOMILIA LIX.

**I** Applicat similitudinem ad suum propositum, Hierosolyma instar aridæ vitis exurenda esse.

6 Propterea sic dixit Dominus Iehouah: *Quemadmodum lignum vitis inter ligna silvæ quod tradidi igni ut consumatur: sic tradidi habitatores Ierusalaim.*

7 Ponam enim faciem meam contra eos: de igne uno egressi sunt, & ignis alius consumet eos: scietisque quod sum Iehouah: cum posuero faciem meam contra eos.

8 Et dabo terram in desolationem, eò quod præuicati sunt præuicationem, dicit Dominus Iehouah.

Securitas  
impiorum.



**H**oc esse impiorum ingenium, ut quanto viciniore sint suo exitio tanto sint securiores, exempla ostendunt illorum qui perierant in diluuiio, Sodomæorum, Pharaonis, Balthasari regis Babylonicis, ite Israelitarum ante primum & secundum excidium. Multa autem erant quæ Iudæos securos & confidentes redderent. Inter alia dicebant: Vineam sumus Domini, non igitur prorsus nos excindet: quis ferat si quis vel vineæ sepe laceraret, vires gladio refecaret? Propheta refutans vanam hanc fiduciam, dicit, vitis quæ exaruit nullum alium usum esse, quam ut in ignem coniciatur. Hac de re iam deinceps audiamus

audiamus, sequitur enim applicatio similitudinis. *Quemadmodū lignū vitis inter ligna silvæ, quod tradidi ut cōsumatur.* Sensus est, vitis sterilis perinde atque alia ligna silvarū, igni destinatur: vt verò ligna cōiciuntur in ignem; ita ego urbē Hierosolymorū igne perdā. *Et ponā faciem meā in eos.* Hoc est, nō antè definam eos punire, quàm scelerū suorū pœnas dignas mihi perfoluerint. Pone faciem cōtra aliquid, significat cōstanter alicui rei insistere. Deus aliquando priuatim & publicè castigat homines, sed leuiter, & exiguo tēpore, nō ponens faciem suā contra eos. *De igne egressi sunt, & ignis cōsumet eos.* Ex vno igne incident in aliū, de pœna in pœnam ibunt. Hoc est, hominū ingeniū, vt cūm ex vno malo euaserunt, putēt se omnibus perfunctos esse. Hoc malo sublato, dicunt, tranquilli erimus. Similiter affecti erant Iudæi: cūm Nabuchadonosor soluta obsidione cōtra Ægyptios cū exercitu proficisceretur, sperabant cū nō rediturū: non cogitabant sæpe fieri, vt ex igne titionē extrahas, sed mox reponas in ignem. Prædicat Vates variis calamitatibus cōsumendos esse. Si cum his historiam conferas, inuenies omnia ad amissim impleta esse. Rediit Nabuchadonosor, post longam urbis obsidionē illos qui peste, fame, gladio non perierunt, secum abduxit in Chaldæam. Reliquis populi collectitiū præfecit Godoliam, quem cūm nefariè trucidassent, & in Ægyptum contra Prophetæ cōsiliū profugissent, ibi miserè à Babylonio interfecti sunt. Lege integrā historiam Ier. 41. 42. 43. 44. cap. Stultū est si quis putet se Dei vindictā posse effugere. Adhæc impœnitētes ex igne, itē afflictione huius seculi, in ignē æternū venerunt. In hoc deterior est eorū quàm sarmentorū cōditio: hæc enim mox in cineres abeunt, illorū verò ignis æternus est. *Scietis que quod ego sim Iehouah.* Hactenus Dei admonitiones & minas securè cōtempserant, dicentes satanam nō tam terribilem esse, vt pingitur: nec ignem Inferni ita calere vt fingitur: & nisi Deus suā iustitiam erga illos exercuisset, cōfirmati fuissent in impiis suis opinionibus. Nunc coguntur fateri Deum iustum & veracem esse: omnia enim illis euenerunt, quæ per seruos suos cōminatus fuit. *Dabo terrā in desolationem.* Terra illa erat veluti Paradisus Domini, sed in solitudinē redacta fuit. Idem omnibus tēporibus aliis quoque fertilibus regionibus accidit, *Eò quod prauaricati sunt prauaricationē.* Hoc est, quia grauissimè peccarunt, & à me perfidè defecerunt. *Hyd maal* nō significat simplex peccatum: sed perfidiā, defectio nem. Horribile fuit Hierosolymorū excidiū, atramen iustum. Peccarunt non ex ignorātia aut imbecillitate quadam, sed dedita opera: gentes ex ignorātia peccarūt, ideo leuiora fuerūt eorū peccata. Lucæ 12. cap. Seruus qui cognouit voluntatē domini sui, & nō fecit secūdū voluntatē eius, plagis vapulabit multis: qui autē nō cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. In morbis & aliis ærumnis querimur de pœnarū atrocitate, interim nō cogitamus, quàm grauitè Patrē nostrū cœlestē offenderimus, qui inuitus pœnas de nobis sumit. Hæc nobis quoque hodie applicemus: in hunc enim vsū sacræ literæ nobis à Deo traditæ sunt. Omnis regio cui Deus verā religionē patefecit, vinea Domini potest appellari. Colitur autem in hunc finem, vt fructus edat, id nisi fiat tollitur sepes, immittūtur feræ bestiæ, vrsi, apri, vulpes, excinduntur vites & in ignē cōiciūtur. Nō satis est ore tātūm iactare nos esse vineā Domini, nos habere sanctū Dei Euangeliū, baptizatos esse in nomine Patris Filii & Spiritus sancti, sed re ipsa hæc ostēdenda sūt. Nisi enim hoc fiat, quid aliud expectaremus, quā quod Iudæis accidit? Apud Ieremiā cap. 5. dicit Domin⁹, An non de gente quæ est sicut hæc, vltionem sumam? Hac de re Seruator noster loquitur Ioan 15. Nisi quis in me manserit, eiectus est foras, tanquam palmes, & exaruit, & colligent eū, & in ignem cōicient, & ardebit. &c. Aliis quoque similitudinibus eandem rem ostendit. Arbor sterilis excinditur & in ignē cō-

iicitur. Confertur autē pius fructiferis arboribus. Christus Matthæi 5. capite: Vos, inquit, estis sal terræ: quod si sal infatuatus fuerit, ad nihil valet ultra, nisi ut proiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Discamus ex hoc capite, excutere carnalem securitatē. Facit quidem ad consolationem, quod Deus suum populum vineam appellat. Hinc enim colligimus ipsius erga homines studium & amorem. Interim discimus quod nā sit nostrum officium, nempe ut culturæ respondentes, abundemus in bonis fructibus. Vites dum fructus proferūt, sunt preciosæ, alioqui sunt inutiles, neque ut alia ligna in alios vsus adhiberi possunt, sed tantum igni destinātur. Vana itaque est illa fiducia, si quis à Deo defiēs, sibi multa bona promittat.



## Concio nona Ezechielis.

HOMILIA LX.

*Recenset præclara beneficia, quæ Deus in gentem Iudaorum contulit.*

CAPVT XVI.

1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me dicendo:  
 2 **F**ili hominis, notas fac vrbi Hierusalem abominationes suas.  
 3 **E**t dic, sic dixit Dominus Iehouah super Ierusalaim, Habitatio tua & cognatio tua videntur esse de terra Chananæa, pater tuus est Emoraus, & mater tua Hitthæa.

4 Natiuitas autem tua talis est, ac si in die qua nata es, non fuisset præcisus umbilicus tuus, & aqua non fuisset lota ad lenimen, & sale non fuisset salita, & inuoluendo non fuisset inuoluta.

5 Nō misertus est tui oculus vllius, ut faceret tibi vnū ex his, ut miseretur tui: & proiecta es supra faciem agri, cum abiectione animæ tuæ, die qua nata fuisti.

6 Et transui iuxta te, & vidi te cõculcatam sanguine tuo, & dixi tibi: In sanguine tuo viues: dixi inquam tibi, in sanguine tuo viues.

7 Decem millia veluti germen agri dedi te, & multiplicata es, & magnificata es, & ingressa es ornamentum ornamentorum, vbera intumuerunt, & pilus tuus germi nauit, tu autem eras nuda & discooperta.

Cõtra quos habitata sit hæc oratio.

Scopus eius

Qualis sit.

**N**ONA CONCIO quæ hoc capite, quod prolixum est, continetur, præcipuè contra Iudæos qui in patria residui erant, fuit habitata. Quanquã enim Ezechiel in Chaldæa suis hominibus vaticinaretur, conciones tamen ipsius Deus voluit Hierosolymã venire, ut Iudæi inter ipsius & Ieremiæ doctrinã, summum viderent consensum. Sūma huius orationis mox ab initio ponitur, patefacit Hierosolymitanis suas abominationes. Oratio est aspera & vehemens, tempus enim & mores illorum hominum corruptissimi talem requirebant. Deus enim vult ut Prophetæ nō solūm placidè, sed etiam asperè agant cum hominibus. Non autem est dubitandum, quin hæc oratio malè sit accepta, ut & hodie asperæ obiurgationes. Rem non nudis verbis proponit, sed per allegoriam, vel similitudinem sumptam à matrimonio, ostendens gentem Iudæorū erga Deum, cui veluti matrimonio astricta sit, perfidè agere. Finge virū nobilitate & diuitiis insignem, puellam



puellam expositā, ex sordibus liberatā domi educare, bene vestire, tandē eam ducendo in vxorē thori cōsortem facere, & varia ornāmēta cōferre: hāc verò pristinæ suæ cōditionis immemorem, contempto marito sectari adulteros, omnia ornamenta quæ ab eo accepit, ipsis donare, hanc quis nō pœna dignissimā iudicaret? Talem esse gentem Iudæorū Deus dicit, quā ex paucis initiis auxerit & locupletarit, præ aliis gentibus insignē reddiderit, & veluti sibi desponsarit: illā abiecta in Deū fiducia, falsos deos sequutā esse, scœdera cōtra verbum Dei cū Ægyptiis & aliis gentibus vicinis sanxisse: se itaque pœnas meritas de ipsis sumpturū cōminatur. Eandē allegoriā apud alios quoq; Prophetas habemus, Ier. 3, & 13. Hoseæ 12. & c. Ideo autē per parabolā rem proponit, vt altius animis eorum infigat. Christus seruator noster, gētis Iudæorū etiam variis parabolis duritiē & ingratiudinē exprobrauit, & pœnas prædixit. Partes eius?

Partes huius cōcionis sunt quatuor præcipuè. Prima est cōmemoratio beneficiorū Dei, quæ in hunc populū cōtulit. Altera exprobratio malitię Iudæorū, qui nō solūm immemores fuerāt acceptorū beneficiorū, sed etiā iniurii in Deum. In tertia denūciat eis pœnas, quibus à Deo adficiēdi sint. In quarta restitutionē populi promittit. Hunc verò sermonē, quod de aliis quoq; sæpe monui, nemo existimet ad solos Israelitas pertinere, sed singulæ regiones, vrbes, pagi, quin Vnus? singuli homines, eū sibi accōmodantes, cogitent quibus beneficiis à Deo ornati sint. Singulæ enim gentes, & singuli homines, peculiaria sua habēt dona, pro quib<sup>9</sup> eos gratos esse decet. Colligimus etiā ex hoc sermone, quā scœdū sit adulteriū, maximē in illis quæ maximis beneficiis à maritis afficiūtur: itē, requiriā concionatoribus, vt peccata aliorū reprehendāt, & eis in memoriā reducant. Medici, inquit Theodoretus, illos qui ægrotationis sensum nolunt percipere morbi grauitatē docēt vt percepto illius sensu, desināt morbo supeditantes materiam causas suis offensionibus enutrire, sed medicæ artis legibus obsequātur: hoc etiā Deus erga eos qui peccāt, & ita affecti sunt vt sensum morbi non capiant, continenter facit. & c.

Primā partem dixi cōtinere cōmemorationem beneficiorū quibus Deus gentē Iudæā affecit, ad amplificandā eorū perfidiā, & defectionē, iustitiāque Dei in inferendis pœnis manifestius declarandū. Nam vt vxor quam maritus amat & liberaliter tractat, si ab eo perfidē discedat, minus potest excusari: ita gens aliqua quę plurima beneficia accepit, si à Deo deficiat. Vix etiā aliud ad pietatis studiū homines efficacius excitat, quā diligēs beneficiorū Dei erga nos cōsideratio: ferrei sint oportet, quos illa nihil cōmouent. Hāc ob causam alii quoque Prophetæ beneficia Dei populo suo collata sæpe cōmemorant. Apostoli quoque ad gratię nobis in Christo exhibitæ diligentē cōsiderationē nos sæpe reuocant, & ex ea adhortationes, dehortationes, obtestationes adducunt. Parētes, suos liberos, patroni, suos clientes, beneficiorū cōmemoratione ad officium faciendū hortātur. *Et fuit verbū Iehouæ ad me. Facit attētos lectores hoc exordiolo, quod sæpe iteratur. Notas fac Hierosolymis suas abominations.* Iubet Prophetā peccata exprobrare Iudæis. Nisi enim homines intelligant se peccasse, quomodo resipiscēt. Natura quidē intelligimus abstinendū esse à cædibus, adulteriis, furtis, mendaciis & c. sed quia vitio originis notitiæ illę naturales, valde obscuratæ sunt, ideo Deus tradidit nobis Decalogum, vt lex naturæ renouata illustrior fieret: Decalogi verò interpretes sunt Prophetæ. In aliis quidē hominibus statim videmus peccata, quæ in nobis non animaduertimus: nobis enim indulgemus, præsertim si in cultu Dei obtemus, semper existimātes quæ bono studio à nobis fiāt, nō posse nō placere Domino: præcipitur itaque Prophetæ, vt in lucē peccata ipforū protrahat. At frustra, inquis, id fecit, nā mordicus idololatriā retinuerūt, inque sceleribus per-

q.iii.

Locus originis:

stiterunt. Non ideo frustraneæ fuerūt conciones propheticæ: nã electis ad salutem, reprobis ad *ἀναστροφὴν* fecerunt. *Habitatio tua, & cognatio tua de terra Chanaan.* Hoc est moribus vestris Chananæos refertis, quos Deus ex terra vestra expulit. Chananæi ex Cham descenderunt: Hebræi ex Sem: insolenter gloriati sunt de suis maioribus, quasi non gratuito Dei beneficio & illi à Deo vocati fuerint Christus Ioã. 8. gloriantes de patre suo Abrahamo, dicit filios esse diaboli cuius potius ingenium referant. *מְקוֹרָהּ mekorah* habitatio, commoratio, colonia, locus originis. *Patert tuus est Amorraeus, mater tua Hitthæa.* Fuerūt & hæ ex gentibus illis à Deo proscriptis. Numerantur in Lege & in libro Iosua septē: Chananæi, Hitthæi, Emorraei, Perizæi, Hiuaei, Iebusæi & Gergefæi, qui vltimi alibi ferè omittuntur. Ex his eos ideo genus dicit ducere, quòd à pietate patrum descuerant, & illarum gentium impietatem æmulabantur. Chananæorum sicut & Emorraeorum nomen interdū est generale & omnes illas nationes comprehendit, interdum speciatim certam quandam ex illis populis nationem. Quando Deus eos vocauit ex Ægypto, pessimi fuerunt. Vnde colligitur Dei misericordia, qui nihilominus tot eos beneficiis cumulauit, Ioannes Baptista Matth. 3. cap. etiam Iudæorum superbiam contundit, cū dicit, *Genitura viperarū. In die qua natus es, nō est præcisus umbilicus tuus.* Perstat in allegoria: recens natam dicit caruisse obsterice, quæ umbilicum præcideret, quæ aquis eam lauaret ad abstergendas sordes. Theodoretus ita interpretatur: *non est præcisus umbilicus tuus*, hoc est Adhuc Ægyptiacum hauris alimentum: generationem ipsius, ex Ægypto exitum vocat. Afferūt autem medici, foetum in vtero materno veluti quãdam radicem habere umbilicum, per quem nutriatur & augeatur. Cū igitur obstetrices partem illam umbilicis, à qua propendet infans, incidere cōsueuerint, moraliter per trãssationem ait, *Umbilicus tuus non est præcisus*, hoc est, hodie quoque ab vtero materno, id est, Ægypto impietatis attrahis alimentum. *לֵנִי lenire*, hinc vertunt *non lota es ad lenimen.* Quidem deducunt à *לָנָה Schaah* quod significat linire, item recedere, declinare, aspicere: non erat quæ eam lauaret aquis, vt absterfis sordibus videri posset. *Sale non es salita.* Sale asperferunt corpuscula, vel vt caro duresceret, vel vt humores prauis cōsumerentur. Galenus sale aspersos infantes obuolui fasciis præcipit. Auicenna festinandum inquit, vt infantum corpuscula perluantur aqua, in qua colliquatus sit sal, vt occalescat umbilicus, atque item cutis: ita tamen vt non cōtingantur nares, aut os. Ratio illius redditur, quòd mox editum infantem ob nimiam teneritudinem omnia infestent. Quo nomine semel bisque sale ablucere persalubre sit, præsertim si exuberet sordibus, & nimio plus sese promat humectatio: cōfestim verò ab iis tepidiore confouendum esse aqua. Adicit Galenus, salis potestate cuti callum induci, sic vt densior solidiorque iis quæ intus sunt partibus reddatur. Vide Cælium Rhodig: antiquarum lectio lib. 6. cap. 2. *Neque fascia inuoluta*, multum refert vt tenera corpuscula, fasciis rectè inuoluãtur, ne membra distorta fiant. *Nullus oculus est tui misertus.* Nemo fuit repertus, qui tui curam susciperet. *Proiecta es super faciem agri.* Liberi qui exponuntur, vel fame, vel iniuria tēpestatis pereunt, vel feris alitibusque, nisi ab aliquo suscipiantur, præda fiunt. *Cum abiectioe anima tua,* vitæ tuæ nulla fuit habita ratio. His verbis ostendit miseram conditionem Hebræorū in Ægypto. Mortuo enim Iosepho, nouus Rex immemor beneficiorū, quæ totum regnum à Iosepho acceperat, metuit ne crescerēt, ideo immoderatis laboribus eos opprimere voluit, quod cū non succederet, sed præter eius voluntatem, subinde auerentur, mandauit obstetricibus vt recens natos masculos iugularēt, tandem ad apertam vim conuersus pueros in profluentem abiici iussit. In illis miseris nemo erat qui eorum curam susciperet, Regemque à nefario proposito reuocaret. Ægypti

Conditio populi in Ægypto.

ptii enim cum Rege conspirabant. Sors Israelitarum non fuit melior, quàm puellæ quæ exponitur, & omni ope & auxilio humano destituitur, quã in sordibus, nisi Deus eam conseruet, necesse est perire. *Et transiui iuxta te, & vidi te conculcatam in sanguine tuo.* Cùm tyrannicè oppressi essent, Deus eos respexit. Sic etiam ad Moysen dicit, Vidi vidi afflictionem populi mei. Hodie quoque morbis, fame, aliisque ærumnis oppressos, à quibus homines abhorret & oculos auertunt, Deus aspicit, eorùmque curã gerit. *In sanguine tuo vines.* Ad verbum est, *in sanguine tuo vine.* Imperatiuũ pro futuris sæpe ponuntur apud Hebræos. Infans recens natus, in sanguine & sordibus viuere nõ potest, nisi quis eius curã gerat, & à sordibus abstergat: ita Israelitæ nõ videbãtur posse viuere in illa tyrannide, cùm soboles mascula occideretur: Deus autẽ per Moysen & Aaronẽ cõsolatus est populũ, promisitque in mediis afflictionibus se ipsis nõ defuturũ esse, eorũque in magnã gentẽ augere velle. Non statim liberauit eos Deus à Pharoonis tyrannide, nã grauitè peccarãt in Ægypto. Deinde voluit etiã, vt ardentius liberationẽ peterent, & Dei virtutẽ melius cerneret. Hodie quoque Tyrãni sperant se ecclesiã Dei funditus extirpaturos, sed in sanguine Deus eã inuitis hostibus conseruat. *Decem millia velut germen agri dedi te, Vel, magnam te feci, vt si quis in agro sementem faciat, magno numero prouenit* Valde auctum fuisse paucis annis populũ Israeliticũ in Ægypto, historia testatur. Est autem magnum Dei beneficiũ, si homines multiplicentur, perinde est ei multos vel paucos alere: peccant qui hoc beneficio cõtempo, queruntur hominum nimis magnam esse multitudinem, & fore vt fame multis perendum sit. *Et ingressa est ornamentũ ornamentorum.* Hieronymus reddidit, peruenisti ad mundũ muliebrem. *Quidã vertũt, venisti in pulchritudinẽ pulchritudinũ,* hoc est, summũ decorẽ, vt referatur ad pulchritudinẽ corporis, sequitur enim, *Parata sũt, vel prominuerũt vbera tua,* mox additur, eã vestimẽta nõ habuif se. *Pilus tuus creuit,* Vt solet cùm puellę incipiunt nubiles esse. Ostendit tẽpus pubertatis. Capilli sunt præcipuum ornamentum mulierum. *Tu eras nuda.* Non habebas vestes quãs indueres. Dolet nubilibus virginibus, si vestibus destituãtur, fraudant suũ genium, vt spẽdidẽ amiciri possint. Significat Prophetã, humana ope fuisse destitutos, cùm iam tẽpus liberationis appeteret.

Hæc ad nostrã doctrinã trãserẽda sunt, cogitandũ quales fuerimus priusquam nobis Deus manus porrexerit, vt ex sordibus peccatorum nos educeret. Nascimur filii iræ, iacemus in sanguine, hoc est, rei sumus peccatorum, & nisi per Christũ viuificemur, necesse est nos æternũ perire. Paulus ad Titũ, Et nos, inquit, quãdoque fuimus stulti, inobediẽtes. Quod de singulis dicitur, de tota Ecclesia est intelligẽdũ. Paulus ad Ephes. 2. cap. & 4. 1. Cor. 6. & 12, explicat quo in statu res eorũ fuerint, antequã à Deo in populũ fuerint asciti vtile autẽ est ad reprimendum nostram superbiam, & cognoscendum immensam Dei misericordiam, sæpe cogitare quales simus nostra natura.

## HOMILIA LXI.

*¶ Pergit in commemoratione beneficiorum, quibus  
Deus Iudæos affecit.*

8 *Et transiui iuxta te, & vidi te, & ecce tempus tuũ erat tẽpus amorũ: expãdi autem amictum meum super te, operui ignominiam tuam, & iuravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Iehouah, & fuisti mea.*

9 *Et laui te aqua, laui inquam sanguinem tuum à te, & unxi te oleo.*

10 *Vestiui te præterea discoloribus, & calceavi te taxo, cinxi que te bysso, & operui te serico.* q.iii.

11 Ornauit te in super ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, torquē in gutture tuo.

12 Dedi etiam circulum in aribus tuis, & innaures in auribus tuis, & coronam glorię in capite tuo.

13 Ornata itaque ex auro & argento, & vestis tua fuit byssus, & sericū & polymitū: similā & mel & oleū comedisti & decora facta es valde, & profecisti in regnum.

14 Egressum igitur tibi est nomen inter gentes, propter pulchritudinē tuam, absoluta enim erat ob decorem meum, quem posueram super te, dixit Dominus Iehouab.



Ergens in cōmemoratione ingentiū beneficiorum, quibus Deus populū Israelis sibi obstrinxit, perstat in allegoria sumpta à matrimonio. *Transiui iuxta te, & vidi te.* De Deo tanquā de viatore

loquitur. *vidi te*, non quòd interea eorū curam nō gesserit, non enim potest suorū obliuisci. Nos nisi amici nostri se nobis offerūt, interdū eorū obliuiscimur: at Deus, et si nostri oblitus videatur, aut nos ipsius obliuiscamur, tamen nos respicit. *Tēpus amorū.* Quādo puellā expetūt maritos, hoc est, eras nubilus, & matura viro. Gen. 15. dixit Deus Abrahamo, posteritatē ipsius 400 annis in exilio futurā, quibus exactis sint educendi. Vnde verò hi anni numeri sint, nō vna est Chronographorū sententia. *Expādi alam meā super te.* Texi turpitudinē tuā, tēque in meā tutelam recepi. Quomodo Deus populū suū, à probris Ægyptiorū asseruerit, in Exodo narratur. Porrauit eos vt aquila. Deut.

Nuptiæ.

32. *Iurauit tibi, inii tecū fœdus & facta es mea.* Quem ad iuuenis vxorem ducit, & cōiugalem fidem ei quasi iureiurando promittit: ita Deus populū Israelis sibi quasi desponsauit. Respicit ad illud quod Deus in monte Sina legē suam promulgauit, dicens: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, de domo seruitutis & c. Fœdus quod pepigit cum primis parentibus, quod cum Noe, & Abrahamo renouauit, nunc quoque renouat, fœderis enim in Ægypto quodāmodo obliti esse videbātur, promittit se fore Deum ipsorum, vicissim postulans vt se rectē erga ipsum gerant & c. Hoc fœdus æternum est: nos quoque fœdere sibi astrinxit, noster quoque sponsus est. Paulus dicit, Desponsauit vos vni viro, virginem castam exhibete Christo. Quamuis fide dignus sit vel verbo tantum promittens, attamen iusiurandum quoque adhibuit. Facit hoc ad consolationem nostram, nam vt pius maritus defendit vxorem suam: ita Deus nos proteget contra tyrannos, nobis ideo insidiātes, quòd fidē sponso nostro datam frāgere nolumus. Cauendū autē ne perfidi simul in sponsum nostrum, ideòque meritas pœnas luere oporteat. *Laui sanguinē tuū à te.* Ablui sanguinem quo adhuc cōtaminata eras ab vtero materno. Alludit ad transitum per mare rubrū & per Iordanē, quo sacramentū Baptismi adumbratur, ad varias item lustrationes legis. *Vnxi te oleo.* Apud Oriētales olei vsus ferē fuit idem qui apud nos balneorum. Mariti in gratiā vxorū suarum balnea domi suę extruunt, eas aliquando in thermas lotum mittunt, vt se mudent & vires exhaustas recuperēt: ita Deus suā spōsam lauit sanguine Filii sui, id quod sancto Baptismo adumbratur. Item sacerdotes eis dedit, qui sacro oleo ungebantur. *Vestiui te discoloribus.* Recenset quomodo sponsam suam preciosis & multis vestibus, ornamentis & gemmis ornarit. Dicolors vestes vsitarę fuerunt Orientalibus, vt Heluētis ante aliquot annos caligę discolors. Hieronymus dicit: Indui te variis legis ceremoniis, quarum studio occupata, idola derelinqueres. *Calce auit te taxo.* Sēsus est, calceos parauit ex optimo corio. Rabi David Kimhi scribit *וַחַבְחַשְׁבַּח* animal esse, cuius pellis varios habeat colores: Hieronymus vertit hyacinthum. Vide plura apud Contr. Gesnerum in historia melis vel taxi. *Amiciui te bysso & operui te serico.* Preciosas vestes non ex lana tantum, sed ex lino dedit sponsę suę. *וַחַבְחַשְׁבַּח* Septuaginta reddunt.

*Ἐίχαριον*: est autem *Ἐίχαριον* sericum aut bombycinum quoddam vestimentū. D. Hieronymus tenuitatem huius vestis volens exprimere, subtilius transtulit, quod tenui stamine atque subtegmine contextum esset. *Et ornavi te ornavi.* Non solum necessariis vestibus, sed etiā variis ornamentis, quæ mox per partes enumerantur, te ornavi, nihil omittens earum rerū, quas spōsis suis nobilissimi viri conferunt. *Vestis tua fuit byssus, sericū, polymitum.* Repetit vestes fuisse pretiosas, acu pictas, arte phrygionica factas. Nemo ex hoc loco colligat, mulieres debere sumptuoso vestitu uti & tot ornamentis. Deus enim non luxum docet, sed his verbis ostendit se cum populo suo egisse, ut indulgentissimi mariti cum vxoribus. Nobilibus semper maior splendor ex auro & pretiosis vestibus permixtus fuit, modus tamen illis quoque obseruandus est. Petrus & Paulus docent mulieres ut fide bonisque operibus malint ornari, quàm sumptuoso vestitu, auro, gemmis & aliis id genus. De vestitu quædam annotavi in cōmentario meo in Prouerbiorum Solomonis ultimo capite. Comprehendit his omnia beneficia, quæ Deus in deserto in eos contulit: dedit eis ne vestes & calcei eorum attererentur: interdum eos columna nubis ab æstu defendit, noctu columna ignea eos direxit; hostes quoque eorū cohibuit, ne in eos impetum facerent. *Similam & mel & oleum comediisti.* Ut maritus vxori suæ cibum & potum cōmunicat, nō ipse solus delitiis fruitur, ita Deus cibum & potum delicatum dedit Israelitis. In deserto dedit eis manna, è durissima rupe aquam, item coturnices. Postea eos duxit in terram fluentem lacte & melle, hoc est, quæ non solum ad victum necessaria, sed etiam ad honestam voluptatem facientia habuit. Magnum hoc est Dei beneficium, si regio aliqua necessaria ad victum habeat: si vrbs in fertili loco sita, annona abundet. *Profecisti in regnum.* Facta est in amplissimum regnum, quod postea in duo dilapsum est. *Egressum est nomen tuum inter gentes.* Iudæorum nomen & Hierosolymorum per totum orbem celeberrimū fuit. Numeratur etiam in externis bonis nominis celebritas.

Vestitus la-  
xuriosus.

Cibus & pe-  
tus.

Nunc considerandum est, quæ beneficia Deus in nos quoque cōtulerit, ut ingratitudinem nostram accusemus & deploremus. Beneficia quædam sunt priuata, quædam publica: nemo autem omnia posset recensere. Deus dedit nobis animam & corpus, animam ornauit intellectu & voluntate, patefecit nobis suum Euangelium: corpus instruxit multis donis. Integros habere sensus est magnum donum, scelicitas matrimonii, liberorum, cōcordia publica, depulsio diaboli, & alia. Hæc omnia considerantes, ne dicamus nos miseros esse, neque vllis à Deo peculiaribus donis ornari, sed potius Deo pro illis gratias agamus.

Beneficia  
Dei varia.

HOMILIA LXII.

**¶ Deus ex postulat cum populo suo, quod pro innumeris beneficiis ingratisimus fuerit.**

15 Fisa es autem pulchritudini tuæ, & fornicata es propter nomen tuū: & effudisti fornicationes tuas ad omnem transeuntem: erga eam erat desiderium tuum.

16 Et accepisti de vestimentis tuis, fecisti que tibi excelsa discoloria, & fornicata es in eis: non futura sunt similia, neque erit vnquam populus qui talia faciat.

17 Tulisti præterea vasa gloriæ tuæ, de auro meo & argento meo, quæ dederam tibi, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es cum eis.

18 Tulisti quoque vestimenta tua discoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & suffimentum meum dedisti coram eis.

19 Et panem meum quem dederam tibi, simulam & oleum & mel quibus cibavi te, posuisti coram eis, in odorem quietis, et ita fuit, ait Dominus Iehouah.

20 Tulisti insuper filios tuos & filias tuas, quos generasti mihi, & immolasti illos eis ad consumendum: nunquid parum est tibi de fornicationibus tuis?

21 Et immolasti filios meos, dedisti que eos ut transire faceres eos per ignem illis.

22 Et cum omnibus abominationibus tuis & fornicationibus tuis non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda & discooperta, & conculcata in sanguine tuo.

23 Et fuit post omnem malitiam tuam, (væ væ tibi, dixit Dominus Iehouah.)

24 Aedificasti tibi excelsum, & fecisti tibi excelsum in omni platea.

25 Ad omne caput viæ aedificasti excelsum tuum, & abominatum reddidisti decorem tuum, & aperuisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.

**P**ostquam multa & magna beneficia recensuit, quæ Deus in Iudæos ex mera misericordia, veluti maritus in vxorem suam, liberaliter cōtulit: iam in secunda parte huius capitis, commemorat maximam ingratitude[m] populi erga Deum, prosequens allegoriam à coniugio sumptam. Quemadmodum verò vtile est considerare beneficia quibus Deus nos ornat, ita è diuerso vtile est intelligere, quàm ingrati sumus Deo. Nisi enim grauitatem peccatorum nostrorum agnoscamus, nunquam de medicina serio cogitabimus. *Fisa es pulchritudini tuæ.* Si fœmina propter formam insolescat, peccat: cogitandum enim est, vnde sit forma, nimirum à Deo: deinde quare eam hominibus conferat, non vt sibi placeant, sed potius vt dent operam, ne quid sua forma indignum faciant: cogitandum item est formam bonum esse fragile, mox enim deflorescit, quando quis vel non bene curatur, vel luxuriosè viuunt: morbis quoque & senio formæ dignitas aufertur. Pauci sunt qui hoc dono non abutantur ad fastum & libidines. Aliis quoque Dei donis, diuitiis, claritate generis, dignitatibus, eloquentia, rectè est vtendum: incitamenta potius debent esse ad virtutem, quàm peccandi occasiones. Quo quis plura dona à Deo accepit, eò modestior esse debet. *Fornicata es propter vel secundum nomen tuum.* Turpe est si vxor quæ multa dona à marito accepit, ingrata sit: turpius si scortetur: longè verò turpissimum, si nobilitate & nominis celebritate abutatur ad fatiendam libidinem. Quantò enim aliqua maioris fuerit existimationis, tantò castior esse debet. Quare Deus non immeritò exprobrat suæ sponsæ, quòd tamen si in magna dignitate fuerit, tamen eam non puduerit scortari, Duo autem esse genera scortationis annotat Caluinus, quæ Deus in populo suo reprehendat. Primum situm est in superstitionibus, quòd vndique sibi asciscebant idola, & Deum non purè colebāt ex eius præscripto. Alterum situm est in vetitis fœderibus, quæ cum exteris contra præceptum eius pangebant, plus sibi de eorum quàm de Dei auxilio promittentes. Vt cum mulier viri auxilio non contenta, alios defensores quærir. *Effudisti fornicationes tuas ad omnes pratercuntes.* Si vxor aliqua forma viri capta, matrimonium violet, turpe est, sed longè turpissimum, si quæ commune fiat scortum, & hominibus etiã ignotis se impudèter prostituat. Tales erant Israelitæ, omnes deos quicunque offerebātur amplexi sunt, etiã ignotos coluerunt. Verbo effundèdi significatur magnus ardor libidinis. *Erga eum erat,* scilicet, desiderium tuum. Sensus est obuium quenque expetiisti. Argumentum est inexplebilis libidinis si mulieres, omnes nullo discrimine appetant. *Et accepisti de vestimentis tuis, fecisti que tibi excelsa discoloria, & fornicata es in eis.* Excelsa discoloria, vt annotat Oecolampadius, lectos vocat & cubilia, quibus

Propter formam non superbiendum.

Meretrix famosa & celebris.

Scortationis duo genera.

quibus impudica scorta amatores suos alliciunt, vt meretrix illa Prouerb. 7. Intexui funibus lectulū meū, strauī tapetis pictis ex Ægypto &c. Vel loca excelsa delegisse sibi dicit, vt procul appareat scortationis locus, & nō necesse sit eum diu quærere. Solomon ædificauerat excelsa in gratiā vxorū suarū, quem postea imitati sūt multi Reges, ita paulatim aucta sunt excelsa. Varia fuerūt, hoc est, variis diis dedicata. *Nō futura sunt similia, neque erit populus qui talia faciat.* Amplificat eorū idololatriā: Nō erunt qui tot aras cōstruant, & falsis cultibus ita addicti sint. Solent qui educati sunt in pura religione, si ab ea deficiāt, reliquos vincere superstitione. Hodie qui nostrā religionē perfidē deserūt, in processibus primi sūt, globulos precatorios, vt vocāt, palām ostentāt, seque tam insolenter cōtra nos gerūt, vt ipsis etiā papistis interdū displiceāt. *Tulisti vasa gloriæ tuæ, quæ dederā tibi &c.* Mulieres sua κειμήλια diligenter custodiūt, famem potius tolerāt, q̄ vt ea vendāt. Hier. 2. cap. Nunquid obliuiscetur spōsa ornatus sui, aut virgo fasciæ pectoralis suæ? Proinde argumentū est magnæ libidinis, si hæc in adulteros profundant. Exprobrat Propheta Iudæis q̄ instar adulteræ, quæ ex suis ornāmētis masculinas facit imagines quib⁹ se oblectet, opes suas in idola pfuderint. D. Hieronymus, Iuxta literā, inquit Domin⁹ lege præcepit, vt fierēt thuribula, phialę, candelabrū, Arca testamenti, cunctaque vel aurea vel deaurata, & alia ex argento: quæ omnia cōflauit Hierusalem, & & vertit in idola Belis siue Bælis, Chamos, & Astaroth, & Melchom. Iuxta intelligentiam spiritualem, de auro & argento Sacrarum literarū idola facimus, quando gratiam sensus & eloquentiæ, hæretica prauitate corrumpimus &c. Hodie opes ecclesiæ conferuntur ad idololatriam. *Operuisti illas.* Imagines vestiens, non secūs facis quā si adultera vestes suas amatoribus cōferat. *Oleum meum & suffimentum meum dedisti coram eis.* Olei vsus fuit ad fouēdas lucernas & in libaminibus, illi ad cultus idololatricos adhibebāt. De suffimento Exodi 30. cap. In aureo altari quod thymiamatis vocatur, quotidie manē & vesperi Thymiamā incensum siue suffimentum offerebatur: vt verò in vnico altari, ita soli Deo offerendum erat, nulli creaturæ. Quicumque tale sibi fecerit incensum, dicit Lex, vt id olfaciat, peribit anima eius. Quid per thymiamata significatū sit Dauid docet Psal. 140. dicens: Dirigatur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo. &c. Nostrum altare Christus est, per quem Sancti preces suas Deo Patri offerunt manē & vesperi, hoc est, iugiter. Per Christum preces fidelīū, qui manē, hoc est, ante eius aduentū in carnē, orarunt: & qui vesperi, hoc est, ad finem oraturi sunt, gratæ fuerunt, sunt & erunt, hoc suffimentum Iudæi alienis diis obtulerunt. Oleum & suffimentum suū vocat, partim q̄ in cultu Dei eorū vsus erat: partim quòd ipsius dona erant: sequitur enim. *Panem meū posuisti coram eis.* Iudæi idolis, vt hodie quoque moris est, offerebant panem, oleum & alia. Vt si adultera mœchis suis delicatos cibos, & preciosa vina quæ à marito suo accepit, largiter suppeditet. *In odorē quietis.* ad excitādum odorē suauissimum: vt scilicet vobis sint propirii. Hæc phrasī sæpe apud Moysen occurrit. Calvinus, Non dubium est, inquit, quin odor quietis significet iustam expiationem, qua placatur Deus, ita vt recipiat homines in gratiam. Hoc pāssim de legitimis sacrificiis dicitur, quia non alia fuit ratio, qua se reconciliarent Deo homines, nisi cū offerrent sacrificia ex eius mādato &c. Notandum etiam hoc loco quòd panem suum vocat, terra enim non sponte fruges profert. &c. Christus iubet nos petere panem nostrum, nostrum vocamus, quia ipso indigemus ad conseruandum corpus, non quòd ex Dei benedictione eū non habeamus. *Et ita fuit, dicit Dominus Iehouah.* Non potes inficiari quæ dico: ego enim sum testis, omnia sic habere. Solent enim idololatræ tergiuersari: *Tulisti insuper filios tuos & filias tuas, quos generasti mihi, & im-*

*molasti illos eis ad consumendum*, vel ad deuorandum, id est, vt in idolorum gratiam igne consumerentur. Exprobrat Iudæis quòd filios suos idolis mactauerint. Vocat suos filios, non solùm quòd Dei beneficio liberi procreantur, sed propter fœdus quod cum Israelitis pepigit, quod quasi coniugium fuit: idèo liberi qui ab eis oriebantur, Dei erant. Et si enim ipsi fœdus violarent, tamen Deus ex sua parte fidelis erat. Vide plura de hac re apud Caluinũ. Grauis est iniuria, si vxor communes liberos vendat, aut occidat. *Num quid parum est tibi de fornicationibus tuis?* hoc est, parum ne tibi videretur, quòd fidem coniugalem violasti, nisi insuper liberos communes miserè iugulando te probares adulteram? Repetit quia immanissimus est cultus: *Et immolasti filios meos, dedisti que eos vt transfire faceres eos per ignem illis.* Hostis humani generis Ethnicos eò insanix redegit vt suis diis humano sanguine litarint. Quare de re consule Lactãt. De falsa religione libro 1. capite 21. & Diuinarum institutur. aduersus gentes libro 5. capite 10. Quando & quibus authoribus cœperint humanæ, vel potius inhumanæ illæ hostiæ, non satis constat. Videtur autem hæc insania statim post diluuium ortum habuisse. Nam gentiles ex traditionibus patrum acceperant, Christum humanam naturam assumpturum, vt in cruce victima factus Deum nobis propitium redderet: sperarunt itaque Deum humanis victimis placari. Deinde verisimile est eos audiuisse ex patribus suis de Abrahamo qui paratus fuerit Isaacum Deo immolare, atque hinc collegisse, Si grata fuit eius voluntas, quanto magis si nos reuera filios ipsi offeramus?

De victimis  
humanis.

Quando  
cœperint &  
quid mouerit  
homines  
ad eas.

Ad hæc fortassis cogitarunt, si ea quæ nobis sunt charissima & suauissima Deo offerrent, non posse non ipsi grata existere: nihil autem nobis charius esse liberis nostris. At cogitandum erat Abrahamum quæ fecit, Dei iussu fecisse, nec fingendos nobis esse novos cultus, sed retinendos quos ipse Verbo suo præscribit. Quòd autem immolatione filiorum sperarint se Deum placare & remissionem peccatorum consequi ex Mich. 6. cap. colligitur: vbi dicit: *Num offeram filium meum primogenitum?* Alios etiam fines, habuerunt. Si bellum immineret, immolarunt humanas hostias vt victoria potirentur, victoriis potiti gratias egerunt suis diis. Tiresias Thebanis victoriam promissit, ea conditione vt Creontis filius victima fieret pro patria. Delphicum oraculum Messeniis in acerrimo bello quod cum Lacedæmoniis gesserunt, consulentibus promissit victoriam, si virginem intactam ex Æpytidarum familia immolassent. Ibi cum Aristodemus vnus ex præcipuis illius familiæ, filiam quam habebat vnicam, patriæ amore sacrificio destinasset, quidam amore puellæ, vt miseram seruaret, finxit ex se grauidam & idcirco Deo sacrificari non posse.

Finis immo-  
lationis ho-  
minum.

His auditis, pater è vestigio filiam dissecuit: non multò post cum in somnis filiam sauciam & concisam vidisset, ad sepulchrum eius sibi ipsi manus intulit. Carthaginenses, teste Lactantio, cum victi essent ab Agathocle rege Siculo iratum sibi Saturnum putantes, vt diligentius piaculum solueret, ducentos filios nobilium immolarunt.

Hanc historiam de Carthaginensibus ab Agathocle Sicilia tyranno obsessis, plenius ex Diodori Siculi libro 20. referre erit operæ-pretium. Dicebant, inquit, Saturnum illis iratum fuisse, quia prius ipsi excellentiores ex filis suis sacrificabant.

Postea verò clam emptis infantibus atque educatis, liberorum immolabant loco: cumque diligenti facta inquisitione, multi ex suppositis inuenirentur sacrificari, facile animos induxerunt, vt crederent ad obsidionem vrbis hostes idcirco diuinitus missos fuisse, quòd præscos Deorũ honores non serua-



seruarent: itaque Deos placare studentes, ducentos ex nobilissimis adoleſcētibus publicè sacrificarunt: trecenti verò alij, quoniam suspectos sese videbant, sponte se tradiderunt. Erat autem apud eos ænea Saturni statua, cuius manus ad terram extensæ ita erāt in gyrum, vt qui peruenire ad eum adoleſcentes cogebantur, in ingentem foueam igne repletam inciderent. Plutarchus in libro suo de superstitione, in huius ipsius historiæ mentione scribit: qui liberis caruissent, à pauperibus puerulos coemisse in hunc vsu, veluti agnos aut auium pullos. Præterea in more fuisse tradit, vt assisteret mater ἀρεγκτος καὶ ἀσέναντος, hoc est citra lacrymas & gemitus: quod si illachrymari aut ducere suspiria deprehenderetur, honore indigna censebatur, puer nihilominus immolabatur, &c. Vide Cælium Lect. antiq. lib. 13. cap. 23. In lib. 2. Reg. 3. cap. exemplum habes de rege Moabico. 16. ca. de Achaz, qui liberos suos immolarunt. Græci ad Troiam profecturi, Iphigeniam immolarunt. Cicero de Gallis in oratione pro M. Fonteio scribit: Si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur: humanis hostiis eorum aras ac templa funestant. Quis ignorat eos vsq; ad hanc diem retinere illam immanem atque barbaram consuetudinem hominum immolatorum? Iustinus lib. 26. scribit: Gallos in bello contra Antigonum, cùm extra omnibus interitum minarentur, sperantes deorum minas cæde suorum expiari posse, coniuges & liberos suos trucidasse. Hac de re plura leguntur apud Iulium Cæsarem lib. 6. de bello Gallico. Augustinus Saturno iuuenes à Gallis, dicit, solitos sacrificari. Plutarchus scribit, peste Lacedæmona exhauriente, oracula monuisse eam cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immolassent: captiuos quoque ad sepulchra sacrificarunt. Verg. lib. 10. de funere Pallantis scribens, qui ad eius tumulum occisi sint, ostēdit. In horum locum postea bustarij successerunt. Sacrificarunt item homines, vt ex interaneorum positu futuros euentus cognoscerent, vti legitur de Heliogabalo & Iuliano. Quibus autem ceremoniis & ritibus Gentiles vsi sint, nō planè constat: proculdubio suos peculiare gestus, & concepta verba habuerunt. Plutarchus in libro de superstitione, cuius antè meminimus, tradit eos tibiis cecinisse & tympana pulsasse, ne vox exaudiri posset. Diu autem durarunt hæc sacrificia. Tertullianus in suo Apologetico scribit, in Africa pueros Saturno oblatos fuisse vsque ad procō sulatum Tiberij, qui sacerdotes illius religionis crucibus affixerit. Plinius 657. ab vrbe condita, à senatu Romano hanc consuetudinem tradit sublatam esse, dicens, non satis existimari posse, quantum Romanis debeatur, qui sustulerint monstra, quibus hominem occidere religiosissimum fuerit.

Vide quomodo diabolus homines facinet.

Ceremoniæ & ritus.

Quædo sublata.

Leges extant diuinæ, Leuit. 18. & 20. Deut. 21. ne more Gentiliū victimæ humanæ immolentur, pœna transgressoribus constituta. Iudæi verò, vt alias leges, ita hanc quoque violantes, idolis filios immolarunt, ritu à gentibus mutuato. Iere. 7. cap. legitur, non procul ab vrbe Hierosolymorum in sorte Ben-jamin, Tophet, hoc est, sacellum & aram fuisse in valle Hinnō, in qua Molocho filios filios immolarint. Idolum eius, vt quidam Hebræorum tradunt, æneum & concauum fuit, in quod includebant filios & filias, & ne subiecto igne miserabilis eiulatus exaudiretur tympana pulsabant, vnde excelsum hoc Tophet est appellatū, hoc est, tympanum. Alij volunt idoli brachiis candentibus pueros impositos fuisse, & tostos: alij duobus accensis rogis per medium eorum ductos, esse pueros: & quosdā non exustose esse, sed tantum per ignem lustratos: duæ enim species fuerunt oblationis puerorum. Hunc Moloch, putāt Hebræi Saturnum fuisse, quod admodum est probabile, nam Ethnici Saturno, vt Lactātius scribit, propter odium Iouis pueros immolabant: de Carthaginensibus iam antè diximus. Nostra demum memoria, Carolus V. Imperator, in aliquot insulis Occidentalibus, victimas humanas sustulit. Ferdin. Cortesius in sua ad Carolum V. de Occidentalibus insulis narratione, mira scribit de prodigiosis sacris Temixitarum in America. Idola sanguine

Tophet.

Moloch.

Filios in monasteria detrudere.

hominum oblatorum conspersa, se inuenisse & aboleuisse dicit. Quantùm ab illa immanitate abesse putas illos parentes qui hodie quoque liberos suos Francisco, Dominico, Benedicto, item Claræ, Verenæ & aliis diuis consecrant, mundo mortuos dicunt, & veluti victimas Deo oblatos: qui in monasteria inuitos & reluctantes tanquam in ergastula detrudunt? Quos verò in cœnobiis æstus libidinis miseri illi perferant, quibus ignibus vrantur fœdum est vel cogitare. Hæc de humanis victimis, quia ad aliorum quoque sacre Scripturæ locorum interpretationem faciunt, paulò vberius annotare volui. Plura inuenies apud Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 26.

Bonæ intentiones.

Discimus ex hoc loco, quonam dementia homines perueniant, si à regula verbi Diuini deflexerint: etiam illa quæ nefariè ab eis fiunt, putant pietatis esse officia. Iudæi teneros liberos, sine vllò respectu pietatis in gratiam Moloch interimebant, immanitatem bestiarum, quæ fœtus suos amant & pro eis pugnant, feritate superantes. Hodie qui luce verbi Dei destituuntur, teterrima flagitia committunt. Videmus etiam quid de bonis nostris intentionibus, vt loquuntur, sit iudicandum. Sunt multi qui omnia putant Deo grata esse quæ bona intentione vel Zelo fiunt, id quod falsissimum esse multa ostendunt. Nam si bona intentio sit probanda, non reiiciendi erunt qui filios suos immolantes, humanos affectus veluti exuere videbantur. Fuerint aliquot qui hac ratione molestia liberorum se liberari, & vni & alteri consulere voluerint, vt eos opulentos efficerent, tamen multos credendum est fuisse, qui bona intentione id fecerint: nihilominus tamen id Deo gratum non fuit. Psal. 106. filios suos dæmonibus dicuntur immolasse.

Pueri sunt Dei.

Discimus item liberos Dei esse quantum ad fœdus, ideoque signo fœderis circumcisione in numerum populi Dei allegebantur. Hodie quoque Baptismo recipiendi sunt in cœtum sanctorum, & sanctè educandi. Si illi filios iugulabant in gratiam Dei vel potius falsorum deorum, cur non potius eos leniter castigaremus postulante necessitate? *Non es recordata dierum adolescentiæ tuæ.* Cùm in idololatria & sceleribus pergerent, non veniebat eis in mentem pristina conditio, quomodo oppressi fuissent graui seruitute, & à Deo asserti. Quemadmodum adulteræ non repetunt memoria, quæ beneficia à maritis acceperint, ita illi securi erant. Nobis quoque cogitandum esset, qualem seruitutem sub papatu perpeffi essemus, & sub tyrannis, vt Deo gratos nos præberemus. Qui ex summa paupertate emerferunt, qui ex magnis morbis recreati, qui ex infimo loco euecti sunt, pristinae suæ conditionis non debent obliuisci. Cohibet nos à peccatis, si quales fuerimus, nobiscum expendamus. *Et fuit post omnem malitiam tuam (væ væ tibi dixit Dominus Iehouah) ædificasti tibi excelsum in omni platea.* Ad omnia priora accessit hic cumulus impudentiæ, quod non solum in collibus, vallibus, & lucis, sed in priuatis ædibus, in omnibus compitis, in viis publicis, erexisti excelsa. <sup>23</sup> gab quidam interpretantur lupanar: Aquila vertit *לבונון* foueam, vt significet specum tenebrosum, in quo prostitutæ versantur: alij cacumen, summitatem, excelsum: idem significat *רמח ramah* & *במח bamah*: accipitur pro celsitudine montium, vel pro acervo lapidum super quibus offerebatur sacrificia idolis. Per parenthesin inserit *væ væ*, vt veterum eis excutiat: his enim rebus sperabant se Deum sibi propitium reddere. Hodie non solum in montibus & vallibus sunt facella ad quæ curritur, sed in publicis viis, in biuiis, si magna aliqua arbor sit secus viam, tabula alicui diuio facta ex ea suspenditur, vel imaguncula ei includitur. Quin in locis amœnioribus magna monasteria in honorè diuorum extruuntur. Patefacto nunc Euangelio, multis in locis cumulat superstitio.

*Abominabilem reddidisti pulchritudinem tuam.* Meretrices quæ se pudore absterfo omnibus promiscuè prostituunt, contemnuntur, licet sint formosæ

mosæ: postea si forma deflorescat, profus reiciuntur. Ita Israelitæ qui in magno precio apud omnes fuerant, propter idololatriam & scelera contemnantur. *Aperuisti pedes tuos omni transeunti.* Quemadmodum scortum in publica via gestibus impuris ad se allicit prætereuntes: ita illi impudenter idololatriam exercuerunt omnium gentium idola colentes, veluti Romani Pantheon habuisse leguntur, hoc est templum omnium deorum.

HOMILIA LXIII.

*Prosequitur similitudinem de muliere meretrice, & ostendit Iudæos impudenter scortatos esse, malamque pro beneficijs gratiam Deo retulisse.*

26 *Et fornicata es cum filijs Ægypti, vicinis tuis magnorum membrorum, multiplicasti que fornicationem tuam ad irritandum me.*

27 *Propterea ecce extēdi manum meam super te, & diminui statutū cibum tibi, & dedi te in animā odio habentiū te filiarum Pelisthim, quæ erubescūt de via tua turpi.*

28 *Fornicata es præterea cum filijs Assur, eò quòd non esset saturitas tibi: fornicata es inquam cum eis, eò quòd non esses satiata.*

29 *Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan, terræ Chasdim assimilata, nec etiam in hoc es satiata.*

30 *Quàm infirmum est cor tuum, dixit Dominus Iehouah, quòd feceris omnia ista, opus mulieris meretricis dominium sui habentis?*

31 *Quòd ædificaueris excelsum tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum feceris in omni plata: & non fuisti similis meretrici spernendo mercedem.*

32 *Mulier adultera pro viro suscipiet alienos.*

33 *Omnib. meretricib. scortatores dāt mercedē, tu verò dedisti dona tua cūctis amatoribus tuis, & munera dedisti illis vt intrarent ad te vndiq; propter fornicatiōes tuas.*

34 *Et fuit in te contrariū mulierum in fornicationibus tuis, nec post te erit similis fornicatio: cum enim dederis mercedē, & merces non sit data tibi, fuisti alijs contraria.*



Eus per Prophetam suum exprobrat populo scortationē, quā impudēter exercet, hoc est, idololatriam & fœdera cum impiis. Vtq; melius videant quantopere hæc detestetur, multis vehementibus, & vt prima frōte videri posset, obſcœnis & turpibus verbis rem agit. Multum autem refert homines scire quā Deo displiceat, quòd nefariē fecerunt. Nō autem in Iudæis tātum Deo displicuit, quòd ipsū deseruerunt, sed hodie quoq; in omnibus ei displicet. Audiamus verba Prophetæ. *Fornicata es cum filiis Ægypti, vicinis tuis qui magna sunt carne.* Quēadmodum adultera vno & altero mœcho nō cōtenta, alios atque alios appetit magna carne, hoc est, (honor sit auribus,) benē mentulatos. (Caro enim apud Hebræos inter alia significat membrum virile) sic populus Dei non contentus alijs idolis, etiā idola Ægyptiorum coluit. Vix autem alia natio tam fuit superstitiosa. Etenim non solum homines, sed pecudum figuras & cætera genera bestiarum, auium & piscium coluerunt, & quædā pudēda dictu, tanquā deos adorarūt. De varia Ægyptiorū idololatria, passim multa leguntur apud Prophetas. Ecclesiastici scriptores multa cōtra eā scribunt. Origenes in Exo. c. 7. Homilia quarta. Eusebius de præparatione Euangelica li. 2. ca. 1. Augu. in libro de Baptismo contra Petilianum. Hieron. in 46. caput Esaiæ. Lactantius aliquoties

Crassa idololatria Ægyptiorum.

eorum superstitiones damnat. Apud prophanos quoq; scriptores Ægyptiorum su-  
perstitiones malè audiunt. Herodot. in Euterpe copiosè scribit quæ animalia pro  
diis colant. Philostratus in li. 6. de vita Apollonij. Athenæus lib. 7. Cicero in Tusc.  
quæf. li. 5. & De natura deorum 1. Lucianus in Dialogo de sacrificiis. Diodorus Si-  
culus, &c. Iudæi in primis sibi cauere debuerunt ab Ægyptiis à quibus crudeliter  
fuerant oppressi, quique masculam eorum sobolem extinxerant. Argumentum  
est magnæ impudentiæ, si quæ rem habeat cum illis, qui liberos eius iugularunt.  
Vide infra 23. cap. *Multiplicasti fornicationem tuam.* Leuius peccat quæ ex carnis im-  
becillitate, semel & iterum adulterium cõmittit, postea resipiscit, quàm quæ im-  
pudèter pergit in adulterio. *Ad irritandum me.* Non ex incitria peccabāt, sed ex ma-  
litia (pueris enim inculcabatur Decalogus) ideo Deū ad iram prouocabāt. Quā-  
dohomines in aliis quoq; sceleribus pertinaciter pergunt, Deum irritant. Res per  
species potest explicari. *Propterea extendi manum meā super te.* scilicet ad puniendum te.  
Expostulat cum eis quòd etiam pœnis affecti, non egerint pœnitentiam. Hoc ar-  
gumentū fuit pertinacissimi animi. Pueri qui bonæ sunt indolis, verbo admoniti  
faciunt quod rectum est: alij si cædantur virgis officium faciūt: pessimi verò sunt  
qui ne plagis quidem emendantur. Tales erant Israelitæ, qui nullis plagis ad pœ-  
nitentiam excitari poterant. Duo autem pœnarum genera commemorat quibus  
à Deo castigati sint. *Diminui statutum vel demensum tuum.* Primum genus pœnæ est,  
quòd caritate annonæ & fame eos afflixit. Mariti si videant vxores suas lasciuire,  
minuunt cibum & potum: ita Deus fertilem illam terram, vel sterilem fecit, vel  
aliis rationibus famem induxit, quæ res expergefaceret eos debuit, vt causas eius  
in lege inquirerent, vitamque suam emendarent. *Et dedi in animam odio habētium  
te filiarum Phelisticum.* Alterum genus pœnæ est, quòd vexati sunt ab hostibus suis. Pa-  
lestini vsque ad Davidis tēpora sæpe pugnarunt cõtra Iudæos, postea quoq; rebel-  
larunt. Filias vocat oppida & vicus eorum. *In animam.* Hoc est, effeci vt hostes tui,  
pro votis suis tecum agerent. *Quæ erubescunt de via tua turpi.* Indicat tanta scelera  
fuisse Iudæorum, vt etiam Palestini Deum ignorātes, ea horruerint. Nos dicimus,  
*si habend sich fur dich gschampt.* Malè agitur si in populo Dei scelera grassantur, quæ  
gentilibus sunt abominationi. Paulus Corinthiis obiicit in 1. Epistola 5. cap. inter  
eos stuprum huiusmodi audiri, quod etiam inter Gentes portenti loco habeatur.  
Fortassis circa hæc tēpora Palestini rebellātes, armis vexarunt populū Dei. Si ma-  
ritus vxorem suam adulteram daret matronis, quarum maritos amatores habuif-  
set, malè tractaretur: ita Deus tradidit Iudæos Palestinis, quorum idola religiosius  
colebant, quàm ipsi. Notanda autem est illa phrasid, quòd dicit se tradidisse illos  
hostibus. Hostes enim vt vt ferociant, non tamen possunt quenquam lædere, nisi  
Deus velit, imò nec satan nos potest lædere, nisi permittente Domino. Cæte-  
rùm Deus iusto iudicio hostibus sæpe illos subiicit, qui ipsi nolunt subiici. Solet  
item Deus sæpe publicè & priuatim leuioribus pœnis homines excitare ad pœ-  
nitentiā: quòd in sceleribus & superstitionibus pergant, postea funditus excindit.  
Exēplo nobis sunt Sodomitæ quos bello finitimorū regū vexatos, per Abrahamū  
liberauit, & tandem cū non resipuissent, funditus deleuit. Quare ne simus socor-  
des, quando Deus nos castigat, sed colligamus ipsum nobis irasci nisi pœniten-  
tiam egerimus. *Fornicata præterea es cum filijs Assur, eò quòd non esset saturitas tibi.*  
Non cõtenti idolis Ægyptiorum, etiam Assyriorum idola coluerunt. Vna quæq;  
natio propriis idolis seruit, tu omnibus, nec vlla te satietas capit: bis vel ter dicit,  
eam non potuisse saturari. Sunt adulteræ quæ nunquam satiātur, sicut de Messala  
legitur: ita idololatræ. Hodie experimur homines qui alibi quàm in Christo salu-  
tem quærunt, sursum & deorsum cursitantes, nunquam tranquillo animo esse.  
Hunc locum Calvinus exponit de altero fornicationis genere, nempe de peruer-  
sis fœderibus,

Fames.

Bellum.

Gen. 14.

De fœderi-  
bus.

sis fœderibus. Imminētibus periculis nunc ad Ægyptios, nunc ad Assyrios, aliásq; vicinas gentes missis legatis fœdera cum eis inibant, non contenti præsidio Dei.

Quòd fœdera attinet cum impiis, distinguendum est inter illa: nō enim vnum est genus fœderū. Sunt fœdera quibus aliis ad ferendum opē obstringimur, quæ valde sunt periculosa: id quod cum ex aliis multis, tū ex Iosaphati fœdere cum impio Achabo colligitur. Est deinde aliud genus fœderis, quod cū vicinis pangitur, de pace seruanda in finibus & cōmerciis. Tale fœdus Abrahamus & Isaacus cum vicinis habuerūt. Et si verò periculosum sit cū illis fœdera inire qui hostes sunt veræ religionis: fœdera tamē quæ inita sunt priusquā vera religio patefacta est, nō temerè sunt rescindēda. Res declarari potest simili de cōiugio. Paulus I. Cor. 7. iubet, vt Christiani coniuges retineāt quæ volūt in eodē cōiugio manere, etiā si non amplectātur eandē religionē. Quo ad Israeliticū populū Deus simpliciter prohibuit, ne cum Ægyptiis, à quibus tam crudeliter oppressi fuerāt, fœdus inirent, aut aliis gentibus, ipse enim defensionem eis promisit. At alia nunc est ratio: præsidii humani cōcessum est vti. Apertum signum fuit incredulitatis Iudæorum, quòd alibi quàm apud Deum auxilium quærent. *Et multiplicasti fornicationem tuā in terra Chanaam, terra Chaslim.* Quidā hunc locum ita intelligunt, Iudæos nō solūm Chanaanos imitatos esse in varia idololatria: sed etiam in Chaldæam misisse nuntios vt discerent ritus quibus Chaldæi suos deos colerent. Sic Achaz ex Damasco formam aræ intulit in templum Domini Hierosolymis. Est argumentum portentosa libidinis, si mulier aliqua lōgum iter emetiatur, vt amatores inueniat. Ego hæc verba ita interpretor, Iudæos non solūm in terra Chanaā, quā Deus eis possidendam dederat, idololatriam exercuisse: sed non paucos ex illis, qui iam abducti erant sub Ioachimo & Iechonia, propter Idololatriam quam exercuerunt, nihilominus in exilio idola Chaldæorum coluisse. Extremæ autem impietatis fuit argumentum, quòd ne accepto malo in viam salutis redierunt. *Quam infirmum est cor tuum, quòd feceris omnia ista, opus præualidæ meretricis.* An non dolendum est, dicit, te tam esse inconstantem, miseram & mollem, vt te non pudeat omnia operā nobilis scorti facere? *מלח שחללה* procax, dominatrix. Reginæ inter scorta nihil non audent, pro arbitrio suo omnia faciunt. Id quod in meretrice Babylonica, quam D. Ioannes depingit, est manifestum. Vxor constitutum habere debet, se marito fidem coniugalem seruaturam. Pij homines ne in dubium quidem vocare debent, an hæc vel illa, quæ cum verbo Dei pugnant, velint recipere necne. Iudæi verò supersticiosissimi erant, quotidie novos deos, & novos cultus excogitabant, aut si quos ab aliis inuentos vidissent, recipiebant. Idē superiorib. sæculis factitatum esse nemo inficiari potest, quādo ab otioso aliquo vêtre, nouum simulachrum erigebatur, quando nouæ indulgētiæ proclamabātur, quando noua missa celebrabatur, homines immemores verbi Dei, illuc certatim confluebant. *Quòd edificaueris excelsum tuū in capite omnis viæ, & excelsum tuum in omni platea.* Meretrix perfrictæ frontis, locum deligit excelsum vel notum, qui à prætereuntibus facile inueniatur, vt amatores multos habeat. Prou. 7. dicitur de mœcha, q. in plateas vaga amatores ad se pellexerit. Tales Israelitæ fuerunt: nō clām, sed palām & impudenter idololatriam exercuerunt. In omnibus biuiis, collibus, sub omni ferè arbore excelsa, sua idola habuerunt, de quo supra. Quid dicturus esses Ezechiel si hodie videres tot sacella, ciboria, tēpla, collegia, monasteria? *Non fuisti similis meretrici spernendo mercedem.* *כלל* contumelia afficere extenuando, vilipendere. Non fecisti sicut meretrix contumelia afficiēdo mercedem, s. oblatam: vt exigua meretrices munera quæ ab amatoribus eis offeruntur, spernere solēt, vt maiora accipiant, & stultos argento emungant: iā hæc iam illa amoris pignora infatiabiles appetunt. Mœchi sunt liberalissimi in sua scorta, sicut videre est in Herode qui saltanti filia in gratiā suæ meretricis, dimidium regni sui pollicetur. Propheta negat

Iudæos similes fuisse meretrici quærenti magnam mercedem, sed gratis ad explendam libidinem se aliis prostituenti. Id verbis mox sequentibus explicabit: *Mulier adultera pro viro suo accipiet extraneos.* Hunc puto esse simplicem sensum, non fuisse similitudinem adulteræ, pro viro suo accipienti extraneos. Sunt enim quædam quæ licet maritis fidem non seruent, sed alios admittant: tamē manent cum suis maritis, & adulterium quantum possunt celant & dissimulant. Hanc illis non similem fuisse dicit Deus, sed illis potius quæ maritum, liberos & domū deserunt, ut libidinem suam expleat. Israelitæ palam defecerāt à Deo, ubiq; idola erigebāt & excelsa, relicta domo Dei, hoc est Templo, in quo sacrificia offerenda erant, peregrinationes suscipiebant ad sua idola. An non hodie quoque multi deserunt suas paræcias, liberos, cognatos, & peregrinationes longinquas suscipiunt, ut idola adorerēt? *Omnibus meretricibus dant mercedē.* Ferè fit ut mulieres quia laborare nolunt, interim volunt heluari, & splendide vestiri, se aliis prostituat: pauca sunt, quas non ad scelus rerum necessariarum inopia cōpellat. *Tu verò dedisti dona tua cunctis amatoribus tuis, ut intrarent ad te undique.* Tu verò cōtra morē, tuis amatoribus ingentia præmia dedisti, nullisq; pepercisti sumptibus: tua dona, quæ maritus tuus tibi dedit ad conciliandum & cōseruandum amorem mutuum, trāstulisti in adulteros. Plus veniæ meretur, quæ vi pecuniæ victa, fidem coniugalem violat, quam quæ alios præmiis inuitat & conducit. Talem si quis vxorē habeat, pereat necesse est: nam præterquam quod in mœchos & lenas multa confert, atq; conuiuuis multa absumit, præterea rem familiarem negligit, tantum de explenda sua fœda libidine cogitans. *Fuit contrarium in te mulierum &c.* Contra vulgarem morē meretricum te geris, ne teruncium quidem accipiens, tua mœchis largiris, tam inexplebilis es libidinis. *Nec post te fornicatio.* Non facile posthac tā impudētem mulierem reperire licebit. Hæc ex historia intelligi possunt. Israelitæ enim fœdera inierunt cum impiis, ex quibus nullam vtilitatem perceperūt. 2. Reg. 16. legimus de Achaz patre Ezechia, quod cum à Rezin rege Syrorū, & Patee rege Israelitatum Hierosolymis obsidione premeretur, legatione missa ad regem Assyriorum Tiglatphular, se ei seruiliter subiecerit, & vltro tributarium fecerit, ut obsidione liberaretur. Isaias 30. & 31. & 57. c. Ezechiam, eius consiliarios, totumque populum reprehendit, quod metu regis Assyrij, fœdus inierint cum rege Ægyptio, cuius equitatu, quo præstantior non erat, consulentes, sperabant se ab Assyriorum potentia tutos fore. Legatos ille miserat, onerarat amplissimis muneribus. In salforum deorum cultum multum insumebant, tot excelsa construendo, ordinando sacerdotes, suspendendo anathemata. Nostro quoq; tempore, nulla sumptuum habita est ratio, id quod ex anathematis, insanis monasteriorum ædificiis, sacerdotiis opimis, preciosis simulachris, vasis aureis, vestibibus sumptuosis, & aliis id genus rebus colligitur. Quia verò Christiani sponte hæc faciunt, non inuitati præmiis, non adacti minis, eò minus excusari possunt. Discamus ex hoc loco, religionem non constituendā esse ex humana ratione, sed ex verbo Dei, alioqui Deū grauitè offendimus: & quò maiores sumptus & labores impendimus, eò magis iram eius prouocamus. Discamus item peccatorum initiis obfistere: nemo repente est turpissimus. Nisi cupiditates nostras frænemus, tādē omnis pudoris obliuiscimur. Exēpla habemus in idololatriis, ebriis, scortatoribus, sceneratoribus, aliisque multis.

## HOMILIA LXIII.

*Minatur Iudæis, quòd magno suo probro pœnas daturi  
sint adulterij & patricidij.*

35 Propterea meretrix audi verbum lehouæ:

36 Sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd effusa est turpitudò tua in fornicationibus tuis, super amatores tuos, & super omnia idola abominationum tuarum, & iuxta sanguinem filiorum tuorum, quos dedisti eis,

37 Ideo ecce ego congrego omnes amatores tuos cum quibus oblectata es te, & omnes quos dilexisti, cum vniuersis quos odio habebas: congregabo inquam eos aduersum te vndique, & reuelabo turpitudinem tuam eis, videbuntque omnem turpitudinem tuam.

38 Et iudicabo te iudiciis adulterarum & effudentium sanguinem, dabòque te sanguinem iræ & zeli.



Equitur tertia pars huius capituli, de pœna qua Iudæi adficiendi sint. Perseuerãs autem in allegoria à matrimonio sumpta, repetit paucis præcipua capita accusationis, ac si iudex cum maleficũ condemnat, causas sui iudicij reddat, dicens, Quia hæc & illa fecisti, idcirco audi quæ sententia contra te lata sit. Eò quòd effusa est turpitudò tua, &c. *שׁוֹרְפֵי שְׂחָתֵי* Hieronymus vertit æs: Septuaginta *χαλκόν*, vt sit sensus: Quia prodegisti æs, hoc est, pecuniam tuam, vt tibi emeris amatores. Alij dicũt significare partẽ inferiorẽ mulieris, hoc est, pudenda. Targum, *Pro eò quòd reuelata est, vel discooperta turpitudò tua.* Effundere est discooperire, retegere: nam quod diffusum est, retegitur, & conspectui obicitur: prior sensus videtur simplicior esse. *Reuelata est turpitudò tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super omnia idola abominationum tuarum.* Quia impudenter scortata es, fœdera pangendo cum externis gentibus, & sectãdo idola abominationum, hoc est, abominanda, quæ Dominus detestatur, idcirco hæc & hæc tibi euenient. *Et in sanguinibus filiorum tuorum quos dedisti eis.* Quia filios tuos immolasti idolis, & innocẽtem sanguinẽ fudisti. *Ecce ego congrego omnes amatores tuos, cum quibus oblectata es, &c.* Sententiã contra ipsos latam, iam profert. Idem Iudæis euenturum prædicens, quòd meretricibus, quarum perfidiam & fœditatem amatores tandem deprehendentes, eas vestibus & ornamentis, quæ eis dono dederunt, spoliant, pulsatasque deserunt. Antea cæci infano amore, omnibus admonitionibus contemptis, neglexerunt proprias vxores, liberos, cognatos, sua profuderunt in meretrices, eas omnibus aliis prætulerunt: nunc pœnitet eos laborum & sumptuum præteritorum, eas nudant coram omnibus, perfidiam earum & veneficia omnibus patefaciunt. Item qui vxores suas tandem vident meretrices esse, domo eas omnibus ornamentis spoliatas, exturbant. Similiter Deus egit cum Iudæis: Babylonios contra eos eduxit, qui spoliarunt eos non solum vestibus & supellectile, sed libertate, & religione. Atque ita patefacta sunt cum summo dedecore, quæ hæctenus celabantur. *Ægyptij & alij cum quibus fœdera sanxerant, & quorum idola adorauerant, spectatores fuerunt cladis eorum: non tulerunt eis auxilium, non condoluerunt eis, id quod aliqua ex parte lenit hominum miserias.* Iustum autem Dei fuit iudicium, vt ab illis, quorum auxilio plus tribuebant quàm diuino, in aduersitate perfidẽ desererentur. Vicini quoque qui hostes ipsorum erant, lætabantur eorum malis. Valde autem nobis dolet, si illi quos nos amare credebamus, quique rebus secundis nos sectari solebant, nos deserant rebus aduersis, & tantum sint spectatores malorum. Item si hostibus nostris lætitiæ causa, nostris malis offeratur. Auget & hoc nostra mala, si in proparulo pœnas demus cunctis videntibus. Deus patefecit Iudæorum iniquitatem omniumque ludibrio eos exposuit. Similem comminationem legimus Nahum 3. cap. de Niniuitis, *Ecce ego contra te, dicit Dominus exercituum, & retegam fimbrias tuas super faciem tuam, & ostendam gentibus pu-*

Sententia  
contra adul-  
teram.

Iudæi om-  
nium pro-  
bris expo-  
siti.

Leges cōtra  
adulteria.

denda tua, & regnis fœditatem tuam, & iniiciam in te sordes & ignominia afficiam te, &c. Perinde fore dicit ac si quis meretricis ornatæ corpus scabie confectum omnibus publicè sublatis eius vestibus ostendat. Apocalyp. 17. cap. de meretrice Babylonica dicit: Amatores eius, odio prosequuntur eam, & desolatam eam facient, & nudam, carnes eius comedent, & ipsam igne cremabunt, &c. *Et iudicabo te iudiciis adulterarum.* Ostendit se secundum leges de ipsis pœnas sumpturum, ut quarum scelera imitatæ sunt, earum supplicia subeant. Leuitici 20. & Deute. 22. cap. adulterum & adulteram lex iubet interfici: etiam ante latam legem in monte Sinai, capitale fuisse ex Thamaris historia intelligitur, quàm Iudas grauidam esse videns, igni cremasset, nisi manifestis iudiciis, illam ex se concepisse intellexisset, Gene. 38. cum Abimelechus rex Gera Isaacum obseruasset familiariter cum Rebecca ludere, colligebat hinc eius maritum esse, non fratrem: itaque capitale fecit suis aulicis, si cum illa muliere rem haberent. Genes. 20. Apud alias quoque gentes adulterium capitale fuit. Iosephus in Ægypto accusatus adulterij cum hera sua, traditur præfecto rerum capitalium, & in carcerem conicitur. Legge Julia apud Romanos adulteri capite plexi sunt. Adhuc D. Hieronymi ætate adulterium capitale fuisse, cum ex aliis locis tum ex commentariis eius in Abacuk colligitur. Cornelius Tacitus refert apud veteres Germanos, adulteram deprehensam à marito, positam fuisse nudam in conspectu cognatorum, postea præcisus eius crinibus, fustibus per pagum ab eo fuisse agitatam. Nec mirum tam seueriter adulteria coercita fuisse: quid enim à periuris differunt, qui fidem coniugalem violant? Literas, sigilla, clauēs, monetam, merces, adulterare magnum est scelus, quid si quis matronas alienas adulteret? Quæ mala ex adulteriis nascantur, longum esset referre. Prouerb. 6. confert sapiens inter se furtum famelici, & adulterium, ostenditque hoc illo longè grauius esse. Quòd verò quidam Legem diuinam de adulteriis, negant executionem suam habuisse, impudentiam suam testantur. Dauid quidem capitali supplicio affectus non est, non enim superiorem magistratum in terris habuit. Quid verò Deus: Suas partes nō neglexit, quibus eum pœnis affecerit, longum esset commemorare. Christum Ioan. 8. ignouisse dicunt adulteræ, & non considerant quòd Christus sibi iudicum partes non vsurpauit, quòdque secūdo demum aduentu iudicabit sceleratos. De pœnis adulterij consule Petrum Martyrem Vermilium in 2. Sam. 12. capite: & Theodori Zuinggeri Theatrum vitæ humanæ. Quòd verò posteris temporibus pœnæ adulterij vel mitigatæ, vel potius penitus sublatae sunt, Romanis pontificibus debemus, qui inuecto impuro suo cœlibatu sacerdotum, omnia adulteriis impleuerunt. Non puduit Alexandrum 3. (quemadmodum habetur extra de Iudiciis l. At clerici) dicere: Episcopum posse dispensare de adulteriis & aliis criminibus leuioribus. Apostolus excludit scortatores è regno Dei, Apostolici verò illi scilicet, etiam adulteria habent pro leuioribus criminibus. Principes his auditis remissi fuerunt in puniendo adulterio. Nam

Quid Domini facient, audent cum talia fures?

Leges cōtra  
homicidiū.

*Iudicabo te iudiciis fundentium sanguinem.* Effusi quoque sanguinis pœnas daturus dicit, secundum leges. Etenim non solum liberos suos, in gratiam aliorum deorum nefariè & crudeliter occiderant: sed etiam Prophetas, & alios pios homines: cædes iniustæ passim grassabantur. Deus statim à diluuiò hanc legem tulit, ut qui effundit sanguinem, eius sanguis effundatur, Gen. 9. & Exoc. 21. cap. Lex iubet homicidas, qui volentes aliquem occidissent, ab altari auelli. Ibidem Lex iubet, ut dominus qui cornupetam bouem admonitus non reclusit, si postea hominem occidat, vna cum boue suo occidatur. Etiam illos qui probabant se sine proposito cædem fecisse, & iudicum sententiis absoluebantur, ad mortem summi Pontificis exulare oportebat, Num. 35. capite. Ibidem dicitur:

Ne accipiatis



Ne accipiatis precium redemptionis pro vita homicidæ, qui ad mortem condemnatus est: sed omnino interfici debet. Item, terram à sanguine qui in ea effusus est, expiari non posse, nisi per sanguinem illius, qui sanguinem effudit. Hæc cogitanda sunt illis qui hodie in bellis iniustis, operam suam locant imperatoribus ad iugulandum homines, itē illis qui ex cupiditate vindictæ in alios irruunt, aut in iudiciis infontes cōdemnant. Plura de hoc versu inuenies. c. 23. *Dabo te vel ponam sanguinem iræ & zeli*, hoc est, sumā de te supplicium capitale. Nō aliter curabo te interficiendum, quā solent mariti iracundia & odio flagrantes & zelotypia laborantes, qui deprehensis nequaquam parcunt.

## HOMILIA IXV.

*¶ Pergit in commemoranda pœna, qua Iudæi à Deo adficiendi sint.*

39 *Dabo te præterea in manum eorum, destruētque excelsum tuum, & confringent excelsa tua, item nudare faciam te vestimentis tuis, & auferent vasa gloriæ tuæ, & dimittent te nudam & discoopertam.*

40 *Et ascendere faciam super te cœtum, & lapidabunt te lapide, & confodient te gladius suis.*

41 *Atque comburent domos tuas igni, & facient in te iudicia, in oculis mulierum plurimarum, & cessare faciam te, ne sis meretrix, & etiam mercedem non dabis ultra.*

42 *Ira requiescere faciam iram meam in te, & recedet zelus meus à te, & conquiescam, nec irascar amplius:*

43 *Eò quòd non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, sed prouocasti me in omnibus his, & etiam ego ecce viam tuam in caput dedi, dixit Dominus Iehouah, nec tamen fecisti cogitationem super omnibus abominationibus tuis.*



Vemadmodum Ezechiel præclara beneficia Dei in Iudæos collata, & è diuerso eorum turpem ingratitude proluxè commemorauit: ita etiam pœnam qua adficiendi sint, multis verbis commemorat. Idque non solum propter homines sui seculi, vt eos expurgaret: sed etiam propter posteritatem, & nos quoque, vt considerantes pœnæ magnitudinem qua illi adfecti sunt, nobis eorum exemplo ab illis rebus priuatim & publicè caueamus, quibus isti Deum ad ultionem prouocarunt. Semper enim in conspectu habenda sunt Pauli verba ad Roma. II. cap. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne quâ fiat, vt nec tibi parcat. Pergamus in descriptione pœnæ de ipsis sumendæ. *Dabo te in manum eorum*, nempe amatorum & inimicorum. Iustum erat Dei iudicium, vt ab illis cum quibus, dissuadentibus Prophetis, fœdera inierant, & in quorum gratiam idola coluerant, malè tractarentur. Hodie quoque fit, vt qui homines præferunt Deo, iustas pœnas luant. Tradidit etiam eos in manus illorum, qui semper in eos hostili fuerunt animo. Phrasi illa, *Tradam te in manus eorum*, iterum indicatur, hostes ipsos non ante potuisse lædere, quā Deus manum suam ab eis retraxisset. Illi quibus antè multum tribuerunt, & hostes, non solum ociosè spectarunt supplicium de eis sumptum, sed diripuerunt eos. *Destruent excelsum vel lupanar tuum, & confringent excelsa*

Iudæos tam  
ab amicis ve  
teribus, quā  
hostibus  
spoliandos.

*sa tua.* Vnico tantum in loco, nempe in Templo Hierosolymitano, Deo offerenda esse sacrificia, frustra clamabant Prophetæ: Israelitis passim aras & excelsa erigentibus, ideo Babylonios adduxit Dominus, qui & Templum & aras atque sacella omnia, funditus euerteret. Superioribus aliquot seculis in multis celeberrimis urbibus frustra contra simulachra in templis conciones habitæ sunt. Deus itaque Turcas excitauit, qui templa cum idolis inflammarent. *Nudare faciam te vestimentis tuis.* Prophetæ hortabantur eos, ne peregrinum habitum assumerent, & ne modum in vestitu excederent, sed surdis, ut prouerbio dicitur, canebant fabulam: venerunt itaque hostes qui vestimenta eis exuerent. Germani superioribus annis Hispanico vestitu induti ab Hispanis militibus vestibus exuti, & crudeliter vexati sunt. Deinde alia quæ ad ornatum fecerunt illius gentis, ei detracta sunt.

Vasa gloriæ

*Auferent vasa gloriæ tuæ.* Vasa gloriæ vocat preciosa & elegantia. Aurea, argentea, stannea vasa, reliquis contractis secum auexerunt. Idem fieri in multis bellis audiimus. Sed vix terræ quæ alios spoliat, nam vicissim spoliabitur. Hoc repetitur infra 23. cap. *Dimittent te nudam & discooperantam.* Populus excisa & direpta vrbe erit instar mulieris cui vestimenta detracta sunt. *Ascendere facient super te congregationem.* Tam amici & fœderati tui, quàm qui semper hostili animo in te fuerunt, numerosum contra te exercitum adducunt, non igitur est quod speres te euasuram periculum. Orientales hodie quoque numerosas copias contra hostes educunt. Magni illi exercitus longè latèque omnia populantur ac vastant. Nemo usque adeo viribus excellit, ut vnus cum pluribus manum conferere possit. Ne Hercules quidem aduersus duos. Inuenias milites qui contra multos victoriam sibi promittentes, cum in hostes incidunt, statim fuga salutem quærunt. *Lapidabunt te lapide.* Lex adulteras lapidibus obruere iubebat, ita te quoque, dicit, lapidibus obruent. Adducebant enim hostes tormenta & machinas quibus saxa ingenti pondere in tecta domorum & plateas proiciebant, miserabilemque hominum stragem edebant. Quanquã verò ista horribilia fuerunt, tamen bombardarum nostra tēpestas vsus est longè horribilior. His enim muri solo æquantur, deiiciuntur turres, domus, &c. *Confodient te gladiis suis.* פתח ביתך (quod hoc tantum loco inueniri dicunt) interpretantur perfodere trucidare, quidam disseccare, ut sit sensus, Gladiis suis te dissecabunt, vel perfodient. Quotquot enim capta vrbe, hosti resistebant miserè trucidati sunt. Turcæ hodie suis gladiis homines miserè concidunt.

Domus exurentur.

*Comburent domos tuas igni.* Ut in aliis, ita ædificiis quoque modum excessisse Iudæos, ex Prophetis colligitur, hostis igitur ipsa exulit. 2. Regum ultimo capite, Nabufardam domum Domini, domum Regis, & domos Hierusalem per circuitum incendisse legitur. Miserabile est si hostis eò usque procedat: quot enim sumptus faciendi, quot labores suscipiendi sunt, priusquam, vel vna domus extruatur? *Facient in te iudicia.* Exequentur mea iudicia, afficientes te iustis suppliciis. Non quidem hostium hoc fuit propositum, qui longè aliud spectabant, nihilominus tamen Deus, qui eorum opera ad inferendum pœnas populo suo vsus est, ipsis ascribit, quod propriè sibi competit. Vel de hoc loquitur, quod Ieremiæ 49. cap. legitur, principes regis Babylonis expugnata vrbe, consedisse in porta media, &c. *In oculis mulierum plurimarum.* Si meretrix condemnetur, & pœnas luat videntibus matronis quas læsit, magno dolore afficitur. Sannæ hostium homines valde commouent. Auxerunt dolorem populi vicinorum hostium sarcasmi: per mulieres enim vicos & oppida hostium intelligit. Hostes verò lætatos esse de ipsorum miserabili interitu, conciones quas Propheta contra ipsos habuit, ostendunt. Æquiore animo magnas ærumnas ferimus, si nostri hostes nõ sint conscij: item si pauci adsint spectatores: aut si alij casus nostros miserantur.

*Et cessare*

Et cessare faciam te, ne sis meretrix. Ut exoletæ & vlcerosæ meretrices contemnuntur, ita Israëlità in exilium tracti contemnebantur ab illis quibus fœderati fuerant. *Mercedem non dabis vultrâ.* Qui antea, vt amatores ad se pellicerent, nullis sumptibus pepercerant, tanta rei familiaris inopia laborabunt, vt vix emendis panibus pecunia suppetat. Hodie quoque Deus homines cessare facit à scortatione, crapula, ebrietate, superbo vestitu, &c. summam paupertatem, morbos & alia id genus eis immittendo. Nos quoque dicimus, *ics ioil dir disoder das glegen oder vertriben.* Faciam vt ab hac re cesses, nimirum subtrahendo peccandi materiam & occasionem. *Ita quiescere faciam iram meam in te, & recedet zelus meus à te, & conquiescam nec irascar amplius.* Sensus est, omnibus deletis (exceptis pauculis) nō opus fore, vt easdem pœnas repetat: decriit enim materia, Non amplius, inquit, amatores tui me ad zelotypiam adducent. Recedet item zelus, quia maritus adulteram domo expulsam contemnit, atque ita sedatur eius indignatio: nō enim magis de ea est sollicitus, quàm de alia quauis: Alij generaliter zelum accipiunt, pro ardore vlciscendi. Non potest grauius irasci hominibus Deus, quàm dum finit eos vias suas ire, sublata castigatione, nam quem diligit castigat, Heb. 12. Medicus quando ægrotum cessat curare, desperauit de eius valetudine. *Eò quòd non fueris recordata dierum adolescentia tua.* Noluisti cogitare qualis ex quali facta esses, & vt te, quæ ignobilis eras, illustrem reddiderim. Iudæi querebantur de nimia seueritate Dei, igitur iusta esse sua iudicia pronunciat. Memoria repetere debebant pristinam suam conditionem, item beneficia quæ à Deo acceperant: sed omnium erant obliti, æquum itaque fuit, vt grauibus pœnis excitarentur. Hodie quoque priuatim & publicè quales fuerimus, & quales nunc sumus, cogitare debemus, ne prouocemus iram Dei. *Prouocasti me in omnibus his.* Nullum peccandi finem faciebant. Alij reddunt, *Tumultuata es contra me: viam tuam in caput dedi.* Secundum viam, id est, studia & opera tua, tecum agetur: præmium tuis factis dignum percipies. Prouerbio dicitur, *Vt sementem feceris, ita & metes.* *Nec fecisti cogitationem super omnibus abominationibus tuis.* Ne in mentem quidem tibi venit, vt respiceres. Est hoc perituri populi certissimum argumentum, si homines accumulatas iniquitates & pœnas, non modò nullis precibus, lachrymis, vitæ melioris instituto mitigare conantur, sed ne aliqua cogitatione earum magnitudinem considerant. Hodie videmus illam peccandi infinitam licentiam, scelerumque mollem securitatem. Alij reddunt, *Dedi viam tuam super caput tuum, vt non perficeres nefarium cogitatum in omnibus abominationibus tuis,* hoc est, pœnis cohibui te, ne omnes nefarios cogitatus tuos opere perficeres. Multa nefanda sæpe patremus, nisi Deus manu sua nos retraheret.

Deus quasi fati. tus desinet eos punire.

HOMILIA LXVI.

*¶ Confert Iudeos cum Amorrhæis, decem tribubus & Sodomitis, vt ostendat grauitatem peccatorum quæ admisserant, quàmque digni sint pœna.*

44 Ecce quicumque parabolicè loquitur, de te loquetur parabolicè, dicendo, Sicut mater, sic filia eius.

45 Filia matris tuæ es tu, quæ abominata est virum suum, & filios suos: mater ve-

stra Hitthæa, & pater vester Emorraeus.

46 Soror autem tua maior, Someron ipsa est, & filia eius, quæ habitat ad sinistram tuam: soror autem minor te, quæ habitat à dextris tuis, est Sedom & villa eius.

47 Et quidem in viis earum non ambulasti, nec secundum abominationes earum fecisti, veluti paululum paucillimumque foret: sed corrupta es præ illis, in omnibus viis tuis.



Eluti hodierno die multi, quando Deus priuatim vel publicè pœnas sumit ab hominibus, eum more iracundi patris modum queruntur excedere: ita Iudæi quoque, cum Prophetæ futuras pœnas prædicarent, negabant se illas promeritos, patrum suorum merita Deo quasi opposcentes: ideo multis modis idololatriam & scelera per seruos suos eis exprobrat. Hoc loco comparatione amplificat peccata eorum, atque ostendit pœna dignissimos esse: confert enim eos cum tribus pessimis gentibus, quæ iam pœnas suorum scelerum graues dederant: nempe cum Chananæis, Israelitis & Sodomitis. Eandem docendi rationem Christus quoque sequutus est, Matth. 10. 11. & 12. capite. Vtile etiam fuerit hodie mores nostros conferre cum illorum moribus qui Euangelicam doctrinam respuunt, vt peccatorum nostrorum atrocitatem agnoscentes resipiscamus. *Ecce quicumque parabolice loquitur, de te loquetur parabolice, dicendo.* Omnes gentes sua habent proueria, quæ sunt instar oraculorum: experientia enim docet plerunque vera esse: adhibetur autem variis euentibus. *Sicut mater sic filia eius.* Turpitude Iudæorum hoc prouerbio vulgò notata fuit. *Griss schlecht grummen noch.* Latini dicunt, Mali corui malum ouum. Nunquam ex malo patre, bonus filius: E squilla non nascitur rosa, & si quæ alia sunt huius generis. Plerunque fit, vt filij similes sint parentum. Matrem impiam, impudicam, superbam, prodigam, referunt filia suis moribus. Fit etiam vt ex malis boni nascantur. E diuerso ex bonis parentibus, boni filij plerunque nascuntur, interdum tamen mali quoque. Hinc prouerbio dicitur, Heroum filij noxæ. Experimur etiam hoc vsu venire, vt si sit pater bonus, mater mala & è diuerso, filij peiorem partem sequantur. Item si aliquibus virtutibus parentes ornati sint, tamen quantum ad vitia tantum, filij eos imitantur. Natura enim proni sumus ad mala. Non parum itaque retulerit qualem quis vxorem ducat. Exempla multa habemus parentum bonorum, qui degeneres filios habuerunt, & è diuerso non desunt exempla eorum qui cum parentibus malis orti essent, tamen pietate & virtute excelluerunt. Noe, Chamum filium pessimum habuit: Isaac, Esauum hominem prophenum, qui ius primogenituræ edulio permutauit. Iacob duodecim filios habuit, ex quibus Rubenus patris thorum incestauit: reliqui Iosephum Ægyptiis venderunt. Samuel filios malos habuit, quorum auaritia occasio fuit, vt mutaretur forma Reipublicæ. Ezechias optimus princeps, habuit filium Manassem: qui urbem Hierosolymorum, innocenti sanguine compleuisse legitur. Amon rex pessimus, optimum filium Iosiam habuit, is genuit pessimos filios, qui magna erant causa eorum scelerum, in quæ nunc Ezechiel inuehitur. Non autem mirum est ex malis parentibus malos filios nasci: hoc enim eorum merito fit, Deus sic vlciscitur scelera ipsorum, adulteria, auaritiam, &c. Impij parentes plerunque formant filios ad suos mores, laudant vitia in eis, domi nec verbis nec vitæ exemplo eos erudiunt: ad conciones & scholas raro mittunt. Quod autem interdum etiã bonos liberos suscipiunt, fit Dei singulari bonitate. Quod bonis parētibus boni filij nascuntur, est benedictio Dei, qui promittit se piis eorūque posteritati benefa-

cturum

Parabolæ  
vel prouer-  
bia.

Ex malis pa-  
tribus ma-  
li, ex bonis  
boni filij na-  
scuntur, &  
contra.

aturum esse. Pij etiam nihil omittunt, quod ad rectam eorum educationem pertinet. Quod autem ex bonis parentibus malos nasci non raro experimur, ideo fieri est probabile, ne probitas filiorum hæreditaria existimetur. Si semper boni essent, naturæ hoc tribueretur. Fit quoque interdum, ut pij parentes remissi sint & indulgentes erga liberos. Considerant magis quomodo locupletare & prouehere suos liberos in hoc mundo possint, quam ut in vera pietate eos instituât, Parentes si suo officio non desint, postea si degeneres videant liberos, minore molestia afficientur. His ita explicatis prouerbum hoc bene intelligemus: Dicent, inquit, filiam referre mores matris, ideoque dignissimam fuisse supplicio. *Filia matris tuæ est tu.* Moribus respondens matris tuæ, *du taust dica diner muter nur verlaugnen.* mox subiicit quæ sit mater eorum dicens: *Mater vestra Hittæa, & pater vester Emorreus:* item qualis sit mater: *quæ abominata est virum suum, & filios suos,* hoc est, quæ contra fidem & charitatem peccauit, quæ adultera & parricida fuit.

Quibus moribus præditi fuerint Chananæi passim in Lege & Prophetis habentur, fuerunt idololatræ, crudeles, libidinosi, superbi, auari. Osee 12. cap. Chananæo, (similis es) in cuius manu est statera dolosa, cupiens vim inferre. Leuit. 18. 20.

& Nume. 33. plura inuenies, ob quæ à Iosue funditus sunt deleti. Non quidem ex his gentibus orti fuerunt: sed profus similes illis erant: illorumque potius scelera imitati sunt, quam patrum ex quibus secundum carnem prognati erant, fidem & pietatem: proinde propter opera sua, dicuntur orti esse ex Chananæis: frustra itaque patrum pietate nitebantur. *Soror sororum tuarum es tu.* Moribus tuis respondes sororibus tuis: mox subiicit quænam sint: nempe Samaria & Sodoma, item quales sint, quæ abominatæ sunt viros suos & filios suos, hoc est, tam turpes & libidinosæ, ut propter adulteros, etiam filiorum suorum nullam rationem haberent. Samariam vel regnum decem tribuum, maiorem vocat sororem: nimirum quod hoc regnum, maius fuit regno Iuda, tempore enim Sodoma fuit antiquior. Filias eius vocat viculos & oppida. Græci quoque præcipuas vrbes metropoles appellant. Dicit eam habitare ad sinistram. Nam respectu vrbs Hierusalem, est versus Septentrionem. Sodoma est ad dextram, hoc est, ad Meridiem. Appellatur autem soror minor, eò quod regnum Iuda latius dominabatur, quam illa regnarit. De corruptissimis, Israelitarum moribus, passim legitur in Scripturis, sicut etiam de Sodomorum moribus, ob quos horribili Dei iudicio funditus interierunt. Gen. 13. Sodomitas dicit pessimos fuisse. Gen. 19. scribuntur obsedisse domum Lothi, & duos Angelos postulasse ad stupra, vim fecisse Lotho, ut eum occiderent, &c. *Et in viis earum non ambulasti, nec secundum abominationes earum fecisti veluti parum & modicum foret, sed corrupta es præ illis in omnibus viis tuis.* Dixit Iudæos moribus suis referre Chananæos, Sodomæos, & decem tribus: iam per *ἁνωρόθωσιν*, hoc est, correctionem, subiicit peiores illis esse. Non vult dicere, eos in eorum viis profus non ambulasse: sed ut postea explicat, illis magis peruersos fuisse: ac si parum esset abominationes Gentium illarum fecisse, nisi malitia eos longè vicissent. Quid verò, dicis, potuerunt cumulo scelerum, quæ istæ gentes patrarunt, adicere? Prophetas habuerunt quorum monita, etiam euerfis Sodomis, & regno decem tribuum contempserunt: deinde maiore ardore idola sequuti sunt, quam ipsæ gentes: ut facere videmus hodie quoque illos qui verbum Dei semel perfide abiecerunt.

Ex hoc loco discimus, impios serio & grauius reprehendendos esse. Ezechiel <sup>Impij acriter taxandi.</sup> non est contentus, quod matrem ipsorum Chittæam, sorores Sodomæ & Samariam facit: sed addit, illas gentes meliores fuisse Iudæis, quas constabat pessimas fuisse, & horribiliter à Deo punitas esse. Isaias quoque primo capite, Principes populi, principes vocat Sodomæ, & populum Dei, populum Gomorrhæ: quæ gens hodie ferret, si cum Sodoma conferretur. Postea 57. cap. vocat eos filios veneficæ:

In nouo Testamento Ioan. Baptista, & ipse Christus Seruator noster populum Dei appellant genimina viperarum, & semen diaboli. Proinde si blandis verbis nihil proficitur, idololatria & scelera vehementibus verbis reprehendenda sunt: moderatio interim iusta adhibenda, & curandum ne affectuum impulsu feramur. Iudæos liberas illas reprehensiones indignè tulisse res ipsa ostendit: existimabant se grauissima cõrumelia affici, ideóque multos sanctos Vates iugulabãt. Hodie quoque multi *παρρησίαν* illam indignè ferunt, & præscribere concionatoribus volunt, quid & quomodo doceant. Cogitandum potius erat, quodnam officium esset concionatoris & auditorum. Silentio concionatoris atrocitas peccatorum non minuitur. Non est bonus chirurgus, qui vulnerato parcens, facit vt postea de vita periclitetur. Ita non sunt in bonorum concionatorum numero censendi, qui blanditiis homines in sceleribus confirmant. Discimus etiam, de quo postea quoque, peccata non esse paria: sed alia aliis esse atrociora. Ezechiel enim pronuntiat Iudæos scelestiores esse, tam Sodomitis, quàm decem tribubus Israel.

## HOMILIA LXVII.

*Vt constet Iudæos sceleratiores esse Sodomitis, commemorat quæ scelera inter eos vulgaria sint.*

48 *Vino ego, dixit Dominus Iehouah, si fecit Sedom soror tua & filia eius, sicut fecisti tu & filia tua.*

49 *Ecce ista fuit iniquitas Sedom sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia ocij fuit ei, & filiabus eius: & manum egenti & pauperis non apprehendit.*

50 *Eleuata sunt autem, feceruntque abominationem coram me: & abstulisti eas sicut vidi.*



Vm Ezechiel Iudæis scelera exprobraret, & venturas pœnas denunciaret, tergiuersabantur & obtendebant maiorum suorum merita, ideo copiosè in omnibus ferè concionibus, eandem rem, aliis tamen atque aliis verbis vrget. Hoc loco obiicit eis, quòd matrem quæ Chittæa, patrem qui Amorrhæus fuerit, sorores item Samariã & Sodomam moribus suis referant. Vt si vir honestus vxori suæ perfidæ exprobrat vitia parentum & sororum. Addit, Iudæos superare malitia has Deo inimicas gentes, vt hinc colligant, se atrocissimum supplicium promeritos esse. Si quis interrogasset Iudæos, num hæ gentes iustè punitæ essent à Deo? respondissent, iustissime: Nam hæc & hæc patrarunt: nunc cùm audiunt se grauius peccasse, nihil aliud expectare debuerunt, quàm grauius supplicium. Non quidem eleuare vult Sodomæorum peccata, quæ horribilia sunt, sed atrocitatem peccati & supplicij Iudæorum per collationem ostendere. *Vino ego, dixit Dominus Iehouah, si fecit Sodom soror tua & filia eius, sicut fecisti tu & filia tua.* Incredibile videbatur quod dixit, Iudæos Sodomitis sceleratiores esse, ideo Deus iuramentum adhibet. Iurat autem per vitam suam, hoc est, per seipsum (causa ad Heb. 6. cap. redditur) Hierusalem cum filiabus, hoc est, minoribus vrribus & pagis, peiorem esse Sodomam & filiabus eius. Hinc facilè colligere poterant, se grauiores pœnas commeritos esse. Non autem contentus hæc in genere dixisse, per species recenset peccata Sodomita-

Sodomitarum, vt ex his cognoscant suorum peccatorum atrocitatem. Primum quod ponitur in hoc catalogo est superbia, fons & origo multorum peccatorum. Nisi enim modestè & humiliter de nobis sentiamus, non paremus verbo Dei, sed omnia nostro arbitrio facimus. Exempla superuacaneum esset hoc loco congerere. Secundum est satietas panis. Dominus dederat eis fertilem terram, quæ vocatur in Scripturis Paradisus Domini, hoc magno Dei beneficio abusi sunt ad crapulam & ebrietatem: ex quibus alia quoque scelera oriuntur. Hodie quoque ferè fieri videmus, vt quo fecundiores sunt regiones, eò peiores ibi sint homines. Tam enim sumus corrupti, vt cum materia nobis luxuriæ suppetit, vix nos cohibeamus. Per se saturitas non est damnanda, sed luxus. Si victus nobis abundè suppetit, Deo gratias agamus, donis eius rectè vtamur, & pauperum curam rationemque habeamus. Tertium est pax quieta, vel abundantia ocij. Si vrbs aliqua diuturna pace fruatur, est insigne donum Dei, nam ipse inter benedictiones suas in Lege numerat. Ferè autem fieri videmus, vt qui longa pace fruuntur, pacis bona non expendant, socordes & securi in peccatis reddantur, item ocio se dedant. Ocia verò multos ad scelera pertrahere, exemplo Dauidis & aliorum est manifestum. Laborem qui à Deo hominibus præcipitur, refugiebant, conuertebant se ad artes vanas. Quartum peccatum est quòd manum pauperis & egeni non firmarunt. Qui rebus omnibus abundant, rarò aliorum malis afficiuntur, superbi quoque immites sunt erga pauperes. Maximum autem est peccatum, si quis proximum suum non subleuet, præsertim si absque vilo suo incommodo hoc possit facere. Quantumnam est peccatum, pauperem variis artibus opprimere? Quod phrasim attinet, roborare manum pauperis, est manum ei porrigere, titubantem confirmare, prolapsum erigere. Vide Leuit. 25. capite, & Amos 4. Quintum est quòd se superbè extulerunt, abominationemque fecerunt coram Domino. Tandem excusso iugo, & abiecto metu supplicij, impudenter in omnia scelera sese proicientes, etiam contra naturam nefandis libidinibus sese polluerunt. Solent autem homines certis quibusdam gradibus ad nefanda scelera progredi. Resistendum itaque est Satanæ tentationibus, ne tandem nos in exitij barathrum demittat. Rarò pedem reflectunt, qui viam scelerum semel ingressi sunt. De supplicio Sodomitarum paucis dicit: *Et abstuli eas sicut vidi.* Horribilis historia euersionis & deletionis Sodomorum prolixè describitur Gen. 19. capite: Dominum descendisse, & vidisse vtrum clamorem, qui ad eum venit, opere compleuissent necne, 18. cap. legimus. *Sicut vidi.* ἔλαβον est, sicut vidi, scilicet iustum esse, vel esse oportere: vel sensus est, sicut mihi visum est, sicut apud me decreui. Deo non esse difficile, homines sceleratos vno momento perdere, horribilis hæc historia ostendit. Cauendum itaque ne iisdem flagitiis simus obnoxij. Interitus Sodomitarum sæpe in Scripturis proponitur: est enim memorabile iræ & vindictæ diuinæ contra securos & impenitentes exemplum. Isa. 13. c. Babylonem subuertendam prædicit à Deo, sicut Sodoma & Gomorrha euersæ fuerint. Iere. 49. ca. Idumæos prædicit similiter euertendos, Amos 4. & Soph. 2. & c. Porrò Iudæos sceleratiores fuisse Sodomitis Ierem. in Threnis 4. cap. etiam dicit: Maior est iniquitas populi mei, præ peccato Sodomæ momento euersæ, nec admotæ sunt manus. Sed quomodo dicunt Prophetæ eos grauius peccasse, quàm Sodomitas? non enim legimus scelus, quod Sodomiticum vocant, inter ipsos grassatum esse. Quod paulò ante attigi, nunc planius dicam. Sodomitæ caruerunt scripta lege & verbo Dei: non ergo mirum si in tenebris versantes impegerunt: caruerunt etiam Prophetis. Hi verò Prophetas, quorum Deus multos eis misit, non solum contempserunt: sed etiam nefariè occiderunt. Deinde neque exemplis Sodomæ, neque aliarum vrbiū moti sunt ad resipiscenciam, licet adhuc vestigia Diuinæ iræ vi-

Peccata Sodomorum.

Superbia.

Crapula &amp; ebrietas.

Securitas &amp; ocium.

Crudelitas.

Abominanda libidines.

Interitus Sodomæ.

Hoc exemplum sæpe in scripturis adducitur.

Quomodo scelera populi Iudaici grauiora sint peccatis Sodomitarum.

derent. Grauius autem peccant, qui videntes quo modo multi propter scelera sua afficiantur, nihilominus in illis pergunt.

Christus Seruator noster Marth. 10. ca. tolerabilius fore terræ Sodomorum & Gomorrhæorū, dicit, in die iudicij, quàm ciuitati quæ gratiam Dei per Christum oblatam respuit. Si autem grauius punietur, ergo grauius etiam deliquit, quàm illæ ciuitates. Hoc ipsum nominatim de Capernaum cap. 11. pronunciat. Scelera Sodomitarum quæ hoc loco recitantur, ferè omnia hodie publicè regnant, superbia, crapula, ebrietas, securitas, crudelitas erga pauperes, nefariæ libidines, iniustæ cædes, &c. Contemptus verbi Dei, qui grauius, Christo teste, punietur, quàm terra Sodomorum, hodie est admodum vulgaris. Multi enim verbum Dei non solum, quod per se graue est, pertinaciter contemnunt: sed ferro & flammis crudelissimè persequuntur. Nemo est inter nos, qui si sciret Sodomitam aliquem in mensa sedere, cum eo cibum capere vellet, interim cum verbum Dei à multis securè contemnatur (quod grauiore pœna Deus prosequuturus est) nemo horrore afficitur. Terrere debet exemplum Sodomorum animos remissos: etsi enim in hac vita impunè peccemus, respiciendum tamen semper est ad diem futuri iudicij, in quo Christus non secundum hominum peruersam opinionem, sed secundum verbum suum mundum iudicabit.

Qui audiūt  
Euāgelium,  
sed contem-  
nunt & non  
resipiscunt,  
Sodomitis  
grauius pec-  
cant.

## HOMILIA LXVIII.

*¶ Iudæos multò peiores esse Israelitis, ideòque  
non impunè euasuros.*

51 Porro Someron secundum dimidium peccatorum tuorum non peccauit: & multiplicasti abominationes tuas præ illis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas fecisti.

52 Etiam tu porta pudorem tuum, quæ iudicasti sororem tuam in peccatis tuis quibus abominationes fecisti præ eis: iustificatæ sunt præ te: tu inquam etiam erubescere, & porta ignominiam tuam, cum iustifices sorores tuas.



Anta est ingenij nostri corruptio & prauitas, vt cum aliorum peccata acutè cernamus: tamen ad nostra securi cæcutiamus. Eodem morbo Iudæi quoque laborabant, qui cum acriter ab Ezechiele & aliis reprehenderentur propter peccata, sibi in illis blandiebantur: itaque per collationem peccatum eorum exaggerat, peiores esse dicens ipsis Sodomitis & Israelitis. De Sodomitis proximè dictum est, sequitur nunc de Israelitis. *Samaria secundum dimidium peccatorum tuorum non peccauit.* Per urbem Samariam intelligit regnum Samariæ, quia vrbs illa quam Amri condiderat, erat metropolis totius regni. Hoc regnum alio nomine Israel & regnum Ephraim, & regnum Decem tribuum appellatur. Propheta dixit Israelitas peiores fuisse Sodomitis, iam dicit dimidia ex parte scelerationes esse Israelitis.

Iudæos mul-  
tò peiores  
esse Israeli-  
tis.

Sed quomodo, dicis, res ita se habet? cum constet Israelitas iugum Domini prorsus excussisse, Iudæos verò retinuisse verbum Dei & ceremonias ab ipso præscriptas? Melior certè videtur qui Legem utcumque retinet, quàm qui prorsus abiicit & conculcat. Respondeo multis modis vnum peccatum altero grauius aut leuius dici: sed quoad præsentem locum, Iudæi maxima acceperant



ceperant à Deo beneficia, habebant Legem, Sacerdotes, Templum, Arcam, Prophetas multos, tamen nihilominus pergebant in sceleribus. Quò autem quis plura accipit beneficia, eò grauius peccat, si in benefactorem suum sit iniurius. Peccata nō sunt paria sed vnum altero est grauius. Audiuerant, imò viderant suis oculis, quibus pœnis vicini eorum affecti essent, propter illa ipsa scelera quæ inter eos quoque grassabantur, viderant vrbes & pagos ardere, & omnibus illis quæ Prophetæ ipsis comminati fuerant suentum respondisse, non tamen reuocari potuerunt ad penitentiam. Israelitæ metu tyrannorum prohibiti ad Templum Hierosolymitanum non veniebant, Iudæi verò sponte ruebant in idololatriam, & nullæ conscientiæ lucta Legem violabant, adhæc continuabant & cumulabant peccata, ideo sceleratiores erant Israelitis. Ex hoc loco refutantur Stoici, qui dicunt peccata esse paria. Dicit enim Propheta, Israelitas non dimidia ex parte tam sceleratos fuisse, atque Iudæos. Libri primi Regum decimosexto capite, Amri dicitur fecisse omne malum in oculis Domini, & peius fecisse omnibus qui fuerunt ante ipsum. Secundi Regum tertio capite, Ioram filius Achab malum fecisse dicitur, verum non sicut pater & mater eius: abstulisse enim statuas Baal, quas pater fecerat. Quemadmodum autem in peccatis, ita etiam in pœnis certi quidam gradus sunt.

*Multiplicasti abominationes tuas præ illis.* Etsi Israelitæ multas habuerint religionis corruptelas: puduisset tamen eos multarum rerum, quas Iudæi mordicus retinebant. Quomodo verò ipsi omnes Templi partes polluerint, supra audiuius.

*Et iustificasti sorores tuas.* Sodomam minorem, Samariam maiorem sororem populi Iudaici, paulò antè vocauit. Sensus est, Si actiones tuæ conferantur cum illarum actionibus, apparebit illas gentes iustiores esse, quàm tu sis. Iudæi tot sceleribus cooperti erant, vt comparatione eorum alij populi quantumuis scelerati, pro sanctis haberi possent. Nos quoque dicimus, *Der machts den gilt, der bhalt den bin eeren.* Iustificare aliquem.

*Etiam tu porta pudorem tuum.* Pœnam prædicit: Sustine pudorem, ignominiam, vel confusionem tuam, hoc est, omnino confunderis coram toto mundo, quemadmodum Sodomitæ & Israelitæ. Quàm intolerabile sit ignominia affici, vel hinc constat, quòd meretrices quantumuis impudicæ indignè ferunt se contemni & ignominia affici. *Quæ iudicasti sororem tuam.* Iudicandi verbum hoc loco idem significat quod reprehendere aut damnare. Iudæi non solum melioribus temporibus, cum adhuc piè viuerent, sed postea quoque cum à pietate degenerassent, condemnarunt fratres suos, dicentes eos scelerum suorum iustas debitasque pœnas perfoluisse, fuisse apostatas, crudeles, auaros, libidinosos, &c. & verè quidem hæc ab eis dicebantur. Nam secundi Regum decimosextimo capite, multis illa peccata Samariæ, ob quæ funditus excisi sunt, commemorantur. In hoc autem peccabant Iudæi, quòd non cogitabant se ex mera gratia seruari, & omnino dignos esse qui similiter perirent. Israelitæ quales.

Etenim si huiusmodi calamitates accidant, rectè iis est vtendum. Huc pertinet caput decimum tertium Lucæ, de illis quos dum sacrificarent Pilatus armis oppressit, & de illis super quos turris Siloe corruit. Deinde mores & vitia fratrum vicinorumque suorum acriter reprehendebant, cum ipsi non solum iisdem vel similibus, sed etiam, Deo teste, grauioribus laborarent. Comune est hoc hominum vitium, qui cum in vitiis aliorum oculatissimi & rigidissimi sint censores, tamen sua & suorum vitia securi negligant. Hanc humani ingenij cæcam φιλαυτία. Seruator noster, Matth. septimo capite, taxat: φιλαυτία  
i.ij.

Cur, inquit, vides festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo non animaduertis? hoc est, cur alterius leuiculis vitiis offenderis, tuis verò & maximis quidem blandiris? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eximam festucam ex oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo? Indignatur illis qui vitia obseruant vt ea emendent, quid si vitiis proximi tui delesteris, vt eum in odium adducas? An igitur propriis vitiis obnoxij, alios monere non debent? Dominus iustum ordinem præscribit: Hypocrita eiice prius trabem ex oculo tuo, & tum perspicies vt eximas festucam ex oculo fratris tui. Rectè ille dicit:

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Peccabant igitur Iudæi in hoc, quòd tam audacter Israelitarum scelera damnarent, quasi ipsi immunes essent à sceleribus, cum grauiora commisissent. Hunc morbum etiam Gentiles notarunt, Inspice, dicunt, manticam quæ in tergo est. Ad hæc miseris non est insultandum, sed videndum quo modo eos subleuemus: peccabant itaque Iudæi etiam hac in parte. *Porta ignominiam tuam, cum iustifices sorores tuas.* Iterum denuntiat eis pœnas & causam repetit, quòd sorores eius, si cum ea conferantur, pro iustis haberi possint. Ideo autem repetit, quòd nūquam satis intelligimus peccatorum nostrorum atrocitatem, & quàm digni simus pœna. Dilatio pœnæ eos confidentes reddiderat. Hanc rationem eos secum inire voluit Propheta: Qui alios, qui multò meliores sunt, dicit pœnam pro meritis esse, ostendit se quoque pœna dignissimum esse. Est autem sarcasmus, sic nos dicimus, *Heb das.* Hæc omnia ad nostram vtilitatem accõmodanda sunt, aliorum exemplis edocti, Deum timeamus, rectè viuamus: conferentisque vitam nostram ad regulam verbi Dei, quæ praua sunt corrigamus.

## HOMILIA LXIX.

*Iudæos non magis restituendos in pristinum statum, quàm Sodomam & Samariam, quæ iam pridem funditus deletæ erant.*

53 *Conuertam igitur captiuitatem earum, id est, captiuitatem Sedom & filiarum eius, & captiuitatem captiuitatum tuarum in medio earum:*

54 *Vt portes ignominiam tuam, & erubescas de omnibus quæ fecisti, dum tu eris consolationi illis.*

55 *Et sorores tuæ & Sedom & filia eius reuertentur ad antiquitatem suam: & Someron & filia eius reuertentur ad antiquitatem suam: tu quoque & filia tuæ reuertimini ad antiquitatem vestram.*

56 *Non fuit autem Sedom soror tua in rumore in ore tuo, in die superbiarum tuarum.*

57 *Antequam scilicet reuelaretur malitia tua, sicut tempore opprobrij filiarum Aram, & cunctarum filiarum Pelistim quæ sunt in circuitu eius, quæ te spernunt circumquaque.*

58 *Scelus tuum & abominationes tuas portasti, dixit Iehouah.*

Adhuc



Dhuc loquitur de iusto Dei iudicio, quo Iudæi propter sua scelera perdendi sint: quia enim peiores erāt Sodomitis & Israelitis, iustum erat vt pœnas, & graues quidem, luerent. Dicit & repetet, probro afficiendos, paucis comprehendens mala omnia quæ ipsis inferenda erant. Iudæi interim vana spe seipſos erigebant, sperantes hæc mala eis vel non euentura, vel se excusso iugo Babyloniorum, mox à Deo restituendos esse. Ita nos quoque solemus, si audiamus nos libertate nostra spoliandos, dicere, Excuiemus iugum dominorum: at vanissima est hæc spes. *Conuertam igitur captiuitatem earum, &c.* Vos dicitis, Deus reducet nos ex captiuitate: conuertam igitur captiuitatem, hoc est, reducam captiuos earum, &c. ironicè hæc verba accipiuntur, vt sit sensus: quando Sodomam & Samariam restituam, te quoque restituam: at vtrunque iam pridem funditus perdidisti, (nam ab excisa Samaria, plures quàm centum anni euoluti erant) fieri itaque non potest vt restituaris. Non enim promitti eis restitutionem, verba mox sequentia videntur ostendere: *Vt portes ignominiam tuam, & erubescas de omnibus quæ fecisti.* Ideo vos non restituam, vt dignam vestris factis mercedem accipiatis. Probro affecistis nomen meum, ideo probro atque dedecore vicissim afficiemini. Nunc laudi vobis ducitis, quæ contra meam legem committitis: at pudebit vos aliquando vestrorum scelerum. *Dum tu eris consolationi illis.* Hoc consolatur miseros, si alij iisdem pœnis afficiantur, secundum illud: *Solatiura est miseris, socios habere pœnarum.* Cùm illi qui tracti erant in Babylonem, viderent Hierosolymitanos quoque adduci, aliquid leuationis sentiebant. Si quis putet se solum alicui malo obnoxium, molestius fert. *Et sorores tuæ, Sodoma & filia eius, reuertentur ad antiquitatem suam.* Repetit quod dixit, nunquam restituendos esse in pristinum statum, & iterum ironicè loquitur. Si Sodoma, Samaria, & filia ipsarum hoc est, oppida, pagi & vici, in pristinam dignitatem & libertatem restituantur, etiam tu restitueris. Sed non est sperandum Sodomam restituendam, quæ ante multos annos conflagrauit. De decem tribubus, Deus apud Oseam 2. cap. dicit, Non vocabitur amplius populus meus, degenerarant quodammodo in gètes. Non ergo Hierosolymitani restituentur: vana enim spe eos pseudopropheta lætabant. An non habebant promissiones de restitutione? an non elapsis annis 70. in patriam reducti sunt? Respondeo, maximam partem gladio & fame periisse, pauculas tantùm reliquias in patriam reductas esse: deinde nõ amplius Reges suos habuisse. Ioannes Oecolampadius admonet in suis in hunc librum Commentariis, quòd hic locus per interrogationem sic legi possit: *Reducam ne captiuitatem earum? Sorores tuæ Sodoma & filia eius reuertentur ad priora sua? ac si dicat, nequaquam. Et non fuit Sodoma soror tua in sermone, vel rumore in ore tuo in die superbiarum tuarum.* Cùm in ocio esses & tranquillitate non faciebas mentionem horribilis euerſionis Sodomorum. Quin cùm in iisdem sceleribus versareris, superbia, crapula, ebrietate, &c. non veniebat tibi in mentem, quòd simili pœna adficienda esses. Horrendum Dei iudicium, quod Deus contra Sodomam & vicinas vrbes exercuerat, subinde ob oculos eorum versari debuit, eòsque in officio continere, sed rara admodum erat Sodomæ mentio. Hodie quoque hac in re peccatur à multis populis. Cùm enim ex animi sententia eis omnia succedunt, non proponunt sibi exempla iudiciorum Dei, quæ cohibeant eos ne insolēcant, cuius generis sunt non solum delictio Sodomorum, sed etiam vniuersale diluuium, interitus Pharaonis cum exercitu suo in mari rubro, excidium Chananæorum, euerſio Hierosolymorum & alia multa. In prophanis quoque historiis, vt de his nihil dicam quæ subinde accidunt, plurima extant. Quid dico? multos inuenias, qui non solum aliorum tristes casus, sed ne suos quidem, secum expendant, vt in timore Dei retineantur. *Antequam reuelaretur malitia tua, sicut tempore filiarum Syria & cunctarum filiarum Pheliphim quæ sunt in circuitu eius, quæ te spernunt circumquaque.* Non habebant

in conspectu horribilem interitum Sodomorum: aut alia exempla iudiciorum Dei, donec ipsorum quoque vrbs in cinerem & fauillas esset redacta. Dicit igitur, Non cogitas quid Sodomis acciderit, donec detegantur scelera tua, vicinifque gentibus Syriis atque Palestinis probro futura sis, hoc est, donec funditus excindaris. Prophetæ quidem non desinebant detegere, & in lucem protrahere scelera ipsorum, sed illi partim celabant, partim eleuabant: alij quoque non exaggerabant dum vrbs staret, postea verò capta & exusta vrbe, detecta sunt à vicinis & aliis gentibus, quibus omnibus ludibrio fuerunt. Florentibus enim vrbibus homines flagitia earum dissimulant: sed si expugnentur & euertantur, omnes liberrimè in eas inuehuntur, dicentes dignissimas fuisse quæ perirent, iam enim putant sibi impunè fore: pauci sunt qui dicant, Idem nobis quoque potest accidere. Priuatim quoque si homines prosperè habeant, ferè non deteguntur eorum vitia: sed si Deus eos præcipites dederit, passim malè audiunt, secundum prouerbum, Arbore deiecta, quiuis colligit ligna. *Secundum tempus filiarum Syriæ.* Quidam interpretantur de clade quam à Syriis acceperant Hierosolymitani, tempore regis Achaz: quando Palestini quoque in eos irruerunt, tunc etiam patefacta esse scelera Iudæorum, non est dubitandum. Iam enim dixi, rebus aduersis libera esse hominum iudicia. Obseruemus nos dum fœlices sumus, quid aliis gentibus acciderit, quæ violarunt legem Dei, emendemus vitam nostram ne tandem cum eadem mala experti sumus, nimis serò nostra vitia & pœnas, cum aliarum gentium conferamus. *Prauas cogitationes tuas & abominationes tuas, tu portasti.* חַסִּים *chassim* cogitationem significat, & meditatũ scelus. Ostendit eos iustam mercedem suorum scelerũ referre, nec esse quòd Deũ iniuriam facere ipsis querãtur. Sibi ipsi auctores erant omnium malorum. Iudæi, vt Hieronymus annotat in hoc caput, somniant in aduentu Messiæ sui, & in mille annorum regno, Sodomam restituendam in antiquum statum, ita vt sit quasi paradisi Domini. Samariam quoque pristinam fœlicitatem recepturam, vt de Assyriis in terram Iudæam reuertantur: Hierusalem quoque tunc ædificandam esse, & omnes filias eius, vrbes videlicet, viculos & castella, quæ sub ipsius potestate futura sint, vt prius florituras, & ipsam Hierus. auro & argento & preciosis lapidibus extruendam, &c. Huius figmenti ideo facio mentionem, vt omnes videant, quàm stultè & pueriliter prophetias interpretentur, qui Christum reiiciunt. D. Hiero. annotat hæc, de quibus Propheta vaticinatur, in Ecclesiæ statu omnia impleta esse, & quotidie impleri. Per conuersionem Sodomorum, conuersionem Gentilium ad Christum significari: per conuersionem Samariæ, hæreticorum ad vnitatem Ecclesiæ, à qua recesserunt: per conuersionem Hierosolymorum, Christianorum. Nicolaus de Lyra, per Sodomam, Amonitas & Moabitas intelligit, eò quòd Loth pater eorum habitavit Sodomis, Gene. 13. capite. Per Samariam, Gentiles ibi habitantes. Per Hierusalem, populum Iudæorum: de omnibus enim istis, aliqui, vt Acta Apostolica testantur, per prædicationem Apostolorum conuersi sunt ad fidem Christianam. Alij per Sodomam intelligunt in vicinia habitantes, &c. Restitutio Hierosolymorum facta est sub Esdra, Nehemia & reliquis, quibus se de decem tribubus quidam coniunxerunt, perfectissima verò facta est in Christo. Duplex itaque est restitutio, corporalis & spiritualis quam gentes in Christo consequutæ sunt. Ego malo illos sequi, qui putant Prophetam hoc loco non promittere restitutionem illarum gentium, in verbis verò sequentibus, reliquias saluas fore vaticinatur.

*¶ Propheta reliquijs promittit Deum memorem fore fœderis sui, easque conseruaturum.*

59 *Quia sic dixit Dominus Iehouah, Faciam tecum sicut fecisti, quia contempsisti iuramentum, ut irritum faceres pactum.*

60 *Recordabor tamen pacti mei, quod pepigi tecum in diebus adolescentiæ tuæ, & confirmabo tibi pactum sempiternum.*

61 *Et recordaberis viarum tuarum, & erubesces, cum receperis sorores tuas maiores te, cum minoribus te, & dabo eas tibi in filias, at non ex pacto tuo.*

62 *Et confirmabo pactum meum tecum: sciésque quòd ego Iehouah.*

63 *Vt recorderis, & pudefias, neque sit tibi vltra apertio oris, propter pudorem tuum, cum placatus fuero tibi in omnibus quæ fecisti, dixit Dominus Iehouah.*



Varta pars huius capituli, est dulcis consolatio, quòd Deus cum reliquijs quas sibi conseruarit, in gratiam redire velit, easq; restituere. Solent enim Prophetæ asperis comminationibus suas conso- lationes subiicere: ne homines pij ad desperationem adigantur, existi- mantes spem promissæ in Christo salutis sibi eripi. Debétque hæc ratio docendi perpetuò in Ecclesia conseruari. Cõprehédit hic locus summam totius Christianæ doctrinæ, quæ pœnitentiam & fidem præcipuè vrget. Sunt au- tem huiuscemodi prophetiæ, quæ veluti stellæ in tenebris lucent, diligenter ani- mis insculpendæ. Videamus singula ordine. *Faciam tecum sicut fecisti, quæ contem- pisti iurandum, ut irritum faceres pactum.* Maxima pars populi impia erat, cùm- que Prophetæ grauiter à Domino puniendos dicerent, tanquam clypeum obii- ciebant fœdus, quod Deus cum ipsis inierat, dicentes: An putatis Deum fœdus suum violaturum? Deus pepigit cum primis nostris parentibus iam iam expellen- dis è Paradiso fœdus, & promisit eis se Filium suum missurum, qui natus ex Vir- gine, serpentis, hoc est, diaboli caput & potestatem contundat. Hæc promissionem Noëo renouauit, postea Abrahamo, cùmq; eduxisset suum populum in desertum ad montem Sinai, fœdus cum ipsis pepigit, vel potius cum patribus ipsorum ini- tum renouauit: ostendens quid ipse factururus esset, & quid vicissim ab ipsis postu- laret. Populus veluti iureiurando interposito obedientiam promisit. Exodi 24. Omnia quæcunque locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Verbum *וְיָשָׁב* iurandum & execrationem significat, ideo quidam interpretes dicunt, Pro- phetam ad maledictiones respicere, quibus Deus legem suam sanxerit. Hoc iustu- randum violarunt Iudæi, nam omnes leges Dei contumaciter transgrediebantur. Deus itaque dicit, eos frustra gloriari quòd ipsum habeant fœderatum & pro- tectorem, cùm à fœdere priores discesserint, & ne vnum quidem caput illius in- uiolatum custodiant. Finge populum aliquem fœdus certis conditionibus pepi- gisse cum aliquò principe: is vocat eum in auxilium iure fœderis, sed populus ille non solum tergiuersatur, sed apertè negat auxilia: postea in angustiis constitutus, petit & ipse principis auxilia, is dicit, Vobis fœdifragis & perfidis non sum am- plius obstrictus. Vxor perfida frustra petit à marito defensionem, quam ei pro- misit cùm illam duceret, cùm ipsa prior fidem conjugalem violauerit. Vanam itaque dicit Propheta esse eorum spem. Et si verò plerique à Deo perfidè defecif-

Fœdus Dei cum hominibus.

Testamen-  
tum vetus  
& nouum.

sent, tamen erant quædã reliquæ (Deus enim semper habet, habebitq; suã Eccle-  
siã) an etiam illæ propter impios desererent? Addit Propheta: *Recordabor tamen pacti  
mei quod pepigi tecum in diebus adolescentiæ tuæ.* Boni in hoc populo, qui promissionibus  
Dei crediderunt & piè vixerunt, propter malorum ingratitude à Deo nõ fue-  
runt exclusi à fœdere. Hominũ malitia, fœdus Dei non prorsus irritũ fecit. Dicit e-  
nim se recordari fœderis quod cum hoc populo tempore educationis ex Ægypto  
(quod vocat dies adolescentiæ eius) pepigerit. Ad Rom. 3. c. dicit Apostolus: Si quidã  
fuerunt increduli, nõ incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam: si nõ omnibus  
præstitit quod promiserat, tamẽ multis præstitit. *Et confirmabo fœdus sempiternum.*  
Intelligit nouum fœdus vel testamentum, quod per Christum sanxit, de quo Ier.  
31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriã cum domo Israel fœdus nouũ, &c.  
Testamentũ vel Fœdus vetus & nouũ, re ipsa & substantia inter se non differunt:  
nam vtrobique salus per Christum promittitur fide receptum: differunt inter se,  
quod ad ceremonias, politica instituta, atque diuersas circumstantias. Quod verò  
dicitur illud abrogatum, hoc manere, sciendum abrogatam quidem esse partem  
veteris Fœderis, nõ in vniuersum abolitũ. Vocatur fœdus sempiternum. Fœdera  
enim plerunq; ad certum tantũ annorum numerum durant. Consolari autem  
nos debet, quod Deus aeterno nos fœdere sibi astrinxit, ideòq; in agone mortis,  
aliisq; periculis nos non deseret, sed à nobis vocatus cõtra Satanam & alios no-  
stros hostes nos defendet: multi enim metuunt ne tandem Deus eos deserturus  
sit. *Et recordaberis viarum tuarum, & erubesces.* Quid Deus vicissim à nobis fœdera-  
tis suis postulet, ostendit. Ipse fœderis initi recordatur: vult autem vt ipsi recor-  
dentur viarum suarum, hoc est, idololatriæ & scelerum: deinde vt erubescant,  
non enim nobis placere debemus in malo, Qui peccata sua non agnoscunt, gra-  
tiæ nobis in Christo exhibitæ non possunt participes fieri.

*Cum susceperis sorores tuas maiores te cum minoribus te.* Sodomam minorem, Sa-  
mariam maiorem sororem Hierosolymorum vocauit: iam de omnibus gentibus  
loquitur, quæ in maioribus & minoribus fuerunt peccatis. Has omnes assumes,  
hoc est, ex omnibus gentibus multos ad Christum adduces, ipsiq; Ecclesiam  
colliges. Apostoli enim prædicarunt Gentibus quomodo per Christum reconci-  
lientur Deo Patri. Alij etiam quotquot ex Iudæis verè crediderunt, gentibus ob-  
lata occasione fuerunt authores, vt relictis superstitionibus, diuini fœderis fie-  
rent participes. Hodie quoque qui verè credunt alios hortantur & instigant, vt  
Euangelio credant, & sanctè viuant. *Dabo tibi illas in filias.* Gentes agnouerunt ex  
Hierusalem Euangelium prodiisse: & quia regeneriti sunt per hoc, eam veluti ma-  
trem agnouerunt. *Non ex scelere tuo.* Ne suis meritis ascriberent: ex parte eorum  
violatum fuit fœdus. In Bibliis magnis Geneuæ excusis, habetur hæc explicatio:  
Non propter fœdus illud vetus tecum initum, sed propter gratiam quam asse-  
quutæ sunt per Christum meum. *Confirmabo pactum meum tecum.* Iterum repetit,  
vt certi simus Deum nobis propitium esse propter Christum. *Scietis quòd ego Ieho-  
nah.* Quia promissa præstitit, licet hominum culpa fœdus irritum factum esset, o-  
stendit se veritatem ipsam esse, nõ esse mutabilem vt homines. Hæc phrasis sæpe  
repetita, hoc loco alium habet sensum. *Vt recorderis & pudefias, neque sit tibi ultra a-  
pertio oris, propter pudorem tuum.* Iterum repetit quid gratiam consequutos facere  
oporteat. Recordari debent scelerum suorum. Sunt multi qui vitia, virtutum ho-  
nestis vocabulis ornant, quique peccatorum atrocitatẽ extenuant. Deinde vult  
accedat pudor. Quidam gloriantur de sceleribus, ebrietate, adulteriis, quos non  
verè scelerum pœnitet. Addit, ne sit eis amplius apertio oris propter probum  
tuum. Non debent imitari pueros malos, qui cum castigantur, responsantes ex-  
cusant quod fecerunt, sibiq; iniuriam fieri queruntur. Daniel in oratione sua 9. c.  
tibi Domine iustitia, nobis confusio faciei, &c. *Cum placatus tibi fuerò in omnibus quæ  
fecisti.*

*fecisti.* Deus non vnum & alterum duntaxat peccatum vult nobis remittere, sed omnia. De peccato in Spiritum sanctum dicitur, quòd non sit remittendum: sed huic obnoxij, non serìò petunt peccati remissionem. De omnium peccatorum remissione, multæ in Scripturis præclaræ promissiones, multa egregia exempla leguntur, quæ omnia hoc loco adducere, superuacaneum videtur, breuitati enim studemus.




## Concio decima Ezechielis.

HOMILIA LXXI.

*J* *Ænigmate duarum aquilarum, significatur Zedechiam contra datam fidem à Nabuchodonosore defecisse ad regem Ægyptium, ideòque periturum.*

CAPVT XVII.

- 1  T fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:
- 2 Fili hominis, ænigmaticè loquere ænigma, & parabolicè loquere parabolam ad domum Israel.
- 3 Et dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Aquila grandis grandium alarum, longis alis, plena plumis, cui inest varietas, venit ad Lebanon, & tulit summitatem Cedri.
- 4 Summitatem nouellarum plantationum eius auulsit, & adduxit illam ad terram mercatorum, in urbem negotiatorum posuit illam.
- 5 Postea tulit de semine terræ, & posuit illud in agro seminis: tulit illud iuxta aquas multas, instar salicis posuit illud.
- 6 Et germinauit, & effectum est vitis luxurians humilis staturæ, vt respiciant rami eius ad illam, & radices eius sub ea sint: & effecta est vitis, fecitque palmites & emisit propagines.
- 7 Et fuit aquila vna grandis magnarum alarum, & multarum plumarum: & ecce vitis ista congregauit radices suas iuxta eam, & ramos suos extendit ad eam, vt irrigaret eam lineis plantationis suæ.
- 8 In agro bono iuxta aquas multas plantata est, vt faciat ramos & ferat fructum, & efficiatur vitis grandis.
- 9 Dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Num prosperè ceder? nõ me radices eius euellet, & fructum eius excindet & siccabit, omnes frondes germinis eius siccabit, & non cum brachio grandi, & populo multo ad euellendum eam à radicibus suis.
- 10 Et ecce plantata est, nunquid prosperè ceder? an non cum attigerit eam ventus Orientalis, siccabitur siccando, & in lineis germinis sui areset?

Summa capituli.

Continuatio. Vfus.

Partes.

Ænigma vel parabola de aquila

Aquila.



Er integrum hoc caput, quod **CONCIONEM X.** huius Propheta continet, reprehenditur Zedechias rex, quòd contra datam fidem, à principe suo Nabuchadonofore defecerit ad regem Ægyptium, ideòque pœnas ei denunciat, & in calce admiscet consolationem de regno Christi. Commodè autem hæc cõcio superiori subiicitur. In superiore enim ostendit quomodo fœdus cū Deo initum violarint, in hoc verò, quomodo fidem hominibus datam fregerint. Vfus præcipuus huius capituli est vt discamus, Deum subditos punire, si nõ considerantes beneficia quæ accipiunt à suo magistratu, contra iusiurandum defectionem moliantur: Zedechias enim subditus, & vt loquuntur, vasallus fuit Nabuchod. Cæterum non nudis verbis rem proponit, sed per ænigma, parabolam vel allegoriam, vt vehementius penetraret in animos Regis & principum, eòsque ad attentionem excitaret. Nam si sermone familiari & vsitato vsus fuisset, contempserunt: quia verò allegorico vtitur, magis adficebantur. Hanc ipsam ob causam Christus Seruator noster crebris vtitur parabolis. Ostendere volens, cur verbum Dei non ab omnibus recipiatur, Ecclesiastem similem facit seminatore Matt. 13. Docere volens donis quæ Deus nobis confert, rectè vtendum esse, parabolam affert de illo qui seruis suis talenta distribuit, Matth. 25. Hortari nos volens ad vigilantiam, profert parabolam de decem virginibus, &c. Matth. 25. Partes verò huius concionis sunt tres præcipuæ. Prima est ænigma vel parabola de geminis aquilis: Secunda est explicatio huius parabolæ: Tertia est promissio de conseruanda regia profapia, & regno Christi. Iam primam partem interpretabimur. *Et fuit verbum Iehouah ad me.* &c. Exordiolo eos ad attentionem more suo præparat, ne putent eum quæ dicturus est, ex se confingere: sed sciant verbum esse Dei, &c. *Ad domum Israel.* Intelligit Iudæos. Mox narrat ænigma vel apologum. Breuiter quidem & paucis dicere potuisset, Rex Babylonicus Iechoniam vnà cum potetioribus abduxit, Zedechiam eius loco constituit, & iureiurando sibi adstrinxit, is quia perfidè defecit ad Regem Ægypti, pœnas dabit: sed Prophetico more rem multis sub parabola narrat, quæ sic habet: Fuit aquila magna, passis alis, longis pennis, oppleta plumis, varietate insignis, quæ ad Libanum venit, & ibi cedri cacumen & aliarum frondium summitatem euellens, in terram vrbemque mercatorum transtulit. Mox etiam semen vel granum vitis accepit, quod seuit in agro fertili, iuxta aquas instar salicum, excreuitque hoc semen in vitem luxuriantem, humilem tamen, quæ palmites suos ad aquilam extendebat, radix quoque eius ei subiiciebatur: fuitque vitis fructifera. Erat autem altera quoque aquila visendæ magnitudinis, ad quam hæc vitis radicem suam & palmites flexit, vt ab ea irrigaretur. Altera itaque illa robustior aquila, id conspicata, fructus vitis decerpit, eamque nullo negotio radicitus euulsi, &c. Hoc est ænigmaticum illud oraculum, cuius totam seriem breuiter interpretabimur, quod non erit difficile, mox enim breuis quidem interpretatio ab ipso propheta subiicitur, ex qua promptum est colligere, quid singulæ huius ænigmatis partes sibi velint. Conferenda autem est historia, quæ in vltimis libri posterioris Regum & Paralip. capitibus continetur, cum hoc loco, vt omnia sint euidentiora. Vtque omnia in breuem summam redigam: primum commemorat beneficia quæ Zedechias accepit à rege Babylonio: deinde ingratitudinem regis Zedechiæ: tertio pœnam quam rex Babylonis de eo sumpturus sit. Comparat Nabuchadonoforem aquilæ. Aquila omnibus nationibus & gentibus in ostentis imperij magnitudinem portendit, quod multis exemplis ostendit Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis. Aquila multis virtutibus prædita est, quas Imperatores & Principes imitari decet, strenua est, minimè inuida, conuitorum contemptrix, velox. Illa quam ossifragam appellant, pullos quos aquila *γυμνάστος* nido eiicit, ad se recipit, educat, benignèque tuetur donec adoleuerint.

Pyrrhus



Pyrrhus, teste Plutarcho, rebus à se præclare & fortiter gestis, Aquilæ cognomen-  
 tum fortitus est: Nabuchadonosor multis virtutibus fuit ornatus: in primis celeri-  
 rate in conficiendis rebus, sicut Iulius Cæsar. Aquila hæc grandis dicitur, vt ma-  
 gnitudo & amplitudo regni eius significetur. Imperator fuit totius Orientis, qua-  
 lis hodie est Imperator Turcicus. Orosius scribit, legatos Hispanorum ad eum  
 venisse, vt pacè supplices ab eo peteret. Alæ diffusæ, pennæ & plumæ discolors  
 significat multos illos variòsque populos, regiones, vrbes, ex quibus ingentes suas  
 copias pedestres, & equitum alas collegit. Per plumas etiã diuitias, quibus locuple-  
 tissimus fuit, significatas esse dicere possumus. Germanica nostra lingua per plu-  
 mas diuitias significamus, dicentes, plumas alicuius minuendas, hoc est, pecunia mul-  
 tandum esse. *Venit ad Libanum.* Mòs Libanus notus ex sacris literis, fuit in finibus ter-  
 ræ Iudaicæ, & insigne eius decus, habuit enim altissimas cedros, quales apud nos  
 sunt altissimæ abietes, ex quibus mali nauium fiunt. Per hunc montem intelligit re-  
 gionem Iudæorum, vel ipsam urbem, quid si intelligamus ipsam domum Regiã, quæ  
 quia specie quadã montis Libani saltum retulit, eò quòd ibi excelsæ arbores essent,  
 saltus Libani dicta est: *1. Reg. 7. Tulit summum ramum cedri.* Hoc est, summitatem, cacu-  
 men. In Scripturis per cedros potentes viri significantur. In Psalmis, Confringeret  
 Deus cedros Libani, hoc est, potètiore. Hoc loco significatur Ioachim vel Iecho-  
 nias nepos Iosifæ ex filio, cui rex Babylonius regnum abstulit, quod altissimæ cedro  
 confertur, nam toto orbe notissimum erat. *Caput vel summitatem furculorum eius decerpit.*  
*βλαστήματα,* germinia, sunt partes summæ & extremæ stirpium, hoc est, ramorum  
 teneriorum. Babylonius cum rege Iechonia abduxit principes, consiliarios, artifi-  
 ces industrios, florèmq; populi: tenerimam quoq; Regum prolem, & matrè Regis  
 secum abduxit. *Intulit in terram negociatorum, in ciuitatem mercatorum posuit eam,* scilicet  
 summitatem furculorum. Hoc est, eos in Chaldæam transtulit, urbemq; Babylo-  
 nem, quæ totius gentis celebre fuit emporium. Quidam vt annotat Oecolampa-  
 dius, ideo volunt mercatorum urbem dici, quòd ad eam (tanquam ad mercatum  
 negociatores) ex omnibus gentibus multi, quia Regia ibi erat, cõfluerent. Altera  
 Babylò, nempe Roma, dici potest vrbs mercatorum, quia ibi omnia sunt venalia:  
 Sacramenta, sacerdota, remissio peccatorum, &c. *Tulit de femine terræ.* Aquila hæc  
 accepit semen vel granum terræ, acinum vinaceum, & seuit in agro fertili. Hoc  
 est, rex Nabuchadonosor loco Iechoniæ, Zedechiam patrum ipsius, regem con-  
 stituit. Nabuchadonosor iure belli potuisset ipsis aliquem principem Babyloniũ  
 regem dare, sed ne motus orirentur, dedit eis ex ipsa gente & stirpe regia, Zede-  
 chiam regem, quem sibi tributariũ fecit, satisq; liberaliter tractauit. *Posuit illud in*  
*agro seminis.* In agro fertili & apto sementi excipiendæ seuit hoc semen. In terra  
 Iudæ, quæ fertilissima fuit. Tota terra Israelis lacte & melle fluxisse dicitur, sed tri-  
 bus Iuda reliquis fertilior videtur fuisse. Quem minimum secum abducere po-  
 tuisset, collocauit in solio patrio. Infrã 21. Ierusalem sylvam agri vocat, quòd sita  
 esset in regione optima & feracissima: nempe in terra Iuda. *Iuxta aquas multas in-*  
*star salicis posuit illud.* Scilicet semen vel granum vitium. Salices amant aquas, sceli-  
 citèrque ad ripas fluuiorum nascuntur: ita vitem illam plantauit in loco pingui vt  
 adolescere posset. Hoc est, Zedechiam tolerabilibus conditionibus Regem fecit,  
 non tyrannicè cum eo egit, sed ita vt crescere potuerit.

Aquila ma-  
gna.  
Alæ pennæ,  
Plumæ.

Libanus.

Cacumen  
cedri.

Summitas  
furculorũ.

Terra & ci-  
uitas merca-  
torum.

Semina-  
ræ.

Ager semi-  
nis.

Seuit hoẽ  
semẽ iuxta  
aquas.

Semen hoc  
adoleuit.

Vitis humili-  
lis

*Et genuit & effectum est vitis luxurians.* Semen hoc vel acinum vinaceum  
 emerit, & magnos truncos ramosq; procreauit. Zedechias 11. annis regnasse le-  
 gitur, prioribus annis sui regni, metu regis Babylonij, in officio persistebat, eisque  
 obediebat: quãdiu verò obedientiam illi præstitit, res eius bono fuerunt loco.  
*Humilis staturæ.* Vt hæc vitis luxuriaret, tamen nõ assurgebat in altum, sed humi-  
 repebat, Rex enim nolebat vt Zedechias se contra ipsum efferret, sed submissè se  
 gereret, cognosceretque gratuitum beneficium.

Palmites vitis respiciunt ad aquilam

Alteraaquila.

Denunciat interitum ludæis.

*Cuius palmites respiciebāt ad ipsam*, scilicet aquilam. Zedechias sciebat se quasi precario regem constitutum à Nabuchadonosore. *Radices autem eius subter ipsam fuerunt*, supple aquilam: latuit sub alis aquilæ. Vt vites humorem ex terra per radices educunt: ita rex Iudæorum ab aquila defensionem habuit. *Fecit palmites, & emisit propagines, vel flagella*. Significat foelicem rerum Zedechiæ successum: dum perstitit in obedientia: fuit instar vitis fructiferæ, &c. *Et fuit aquila altera grandis, &c.* Per alteram hanc aquilam intelligit regem Ægyptium, qui ipse quoque potentia & opibus floruit.

*Ecce vitis illa expandit vel collegit radices suas ad illam.* Hoc est, rex Zedechias contra datam fidem, fœdere cum Ægyptiis pacto defecit à rege Babylonio, sperans se excusso iugo integram libertatem posse recuperare. *Vt irrigaret eam ab areolis, alueis vel sulcis plantationis suæ.* Alludit ad consuetudinem Ægyptiorum, qui exundante Nilo, fossas & sulcos ducunt, quò totum Ægyptum veluti hortum irrigēt. Sensus est, Contulit se ad Ægyptium, sperans se ab eo adiuuandum, seq; coniunctis cum eo copiis, Nabuchadonosorem facile repulsurum. Iere. 27. c. scribit, quomodo habita sint hac de re Hierosolymis comitia. *In agro bono iuxta aquas multas plantata est, vt faceret ramos, & ferret fructum, essetque vitis magnifica.* Per epanodon repetit beneficia quæ rex Nabuchadonosor in Zedechiam contulit, vt euentius appareat magna ei<sup>9</sup> ingratitude. Nabuchadonosor occupata vrbe, nō minus eum potuisset captiuum abducere, quàm nepotem ipsius ex fratre Iechoniam, vel iure belli occidere: sed constituit eum Regem relinquens ei opes & alia. Nisi eius beneficio factus fuisset Rex, nunquam euectus fuisset ad hoc fastigiū, id quod inde colligimus, quòd cum occubuisset pius princeps Iosias, Ioachaz eius filius à populo Rex delectus est: Rex Ægypti victor, mox eum deposuit, & Ioachim regem constituit Nabuchadonosor deuicto rege Ægyptiorum, Ioachim confirmavit in regno, postea cum rebellaret, eum in captiuitatem traxit, eiúsq; filium Iechoniam patri substituit, hoc abducto Zedechiam regem declaravit. An nō potuisset dicere, Ioachimus eiúsque filius perfidè egerunt, nolo igitur vt tu Rex sis? Adhæc rex Babylonius nulla sua asperitate, occasionem dabat ei rebellandi, sed collegam quodammodo illum sui imperij habebat, vt prouincias illas melius retinere posset in officio. Si quis molestus fuisset Zedechiæ, habuisset aquilā illam protectricem & vindicem, quæ ex Oriente statim aduolasset. Et si verò non tanta Iudæorum esset libertas, quāta sub prioribus aliquot Regibus fuerat, tamen cogitandū erat quid suis moribus promeruisent, & facile fieri posse, vt si ad maiorem libertatē aspirarent, omnes fortunas suas, vitā deniq; amitterent. Sequitur de pœna tantæ perfidiæ, *Num foeliciter habebit?* Ostendit sub figura, fieri non posse vt hæc perfidia impunè ei abeat. Interrogationes illæ crebræ ad rei amplificationem faciunt.

*Nōne radices eius euellet?* Veniet, inquit, aquila illa fortior, mira pernitate, & folia, fructus, radicē deniq; vitis auellet, vt penitus arefcat. Regem cū liberis & populo radicitus extirpandum denunciat. Cur Israelitæ vitibus cōparantur. 14. c. copiosè explicatum est. Si cum his cōferas Historiā, inuenies proceres aulæ, regiósq; liberos Reblatthā perductos, & ibi gladio vindice sublatos esse, vt de mala illa pro genie, vt illi dicebāt, ne catulus quidem relinqueretur. *Nam cum brachio grandi & populo multo.* Regem Babylonium numerosas copias duxisse cōtra Iudæos, suprā non semel diximus, sed sensus est, nō opus ei fuisse validis copiis ad excindendum populum Iudæorū. Parua manu facile eos, quia Deū sibi infestū habebāt, domare potuisset. *An non cūm atigerit eam ventus Orientalis siccabitur?* Per ventum Orientalem Eurum intelligit, qui adurit fruges. Quemadmodum fruges facile flante Euro corrumpuntur: ita Deus quasi solo flatu gentem hanc, quæ se inuictam putat, perdet & absument. *In lineis germinis sui arefcer.* In areolis, sulcis vel cumulis terræ,

terræ, in quibus vites plantantur, vt irrigari possint. Sensus est, etsi habeat sulcos vnde sperare humorem possit, tamen peribit. Discimus ex hac prima parte huius concionis, primùm quàm perniciosum sit, si quis non contentus sua sorte ad altiora aspiret. Zedechias ex superbia & ambitione, conditionem meliorem appetit, incidit in periurium, & regnum cum vita amittit. Primi nostri parentes, non contenti illis bonis, quæ amplissima à Deo acceperant, aspirarunt ad altiora, ipsi Dei voluerunt similes esse, ideo & se & totum genus humanum multis malis inuoluerunt. Paulus in 1. Timoth. 6. dicit, illos qui sua sorte non cōtenti, diuites fieri volūt, cadere in laqueos diaboli, & tētationes multas. Deinde discimus, humana cōsilia contra Dei voluntatē suscepta malum exitum sortiri. Zedechias periurio sperat se posse stabilire regnum suum, & integrā libertatem recuperare, sed longè aliter res cecidit, vnde se putat rigandū, inde perit. Ieroboā regnum suum confirmare volebat religione contra verbum Dei inducta, quare & se & filios suos perdidit. Adhæc discimus, quòd si Deus nos propter peccata nostra perdere velit, nullo negotio, vnico quasi flatu, id possit, nullum enim est cōsiliū nullum robur contra Dominum. Huc pertinet quod Achior in libro Iudith dicebat, Si Deus ciuibus Bethulix fauet, frustra urbem obsidebitis, sin minus facile eam expugnabit. Vide locum.

HOMILIA LXXII.

*Edisserit anigma vel parabolam de duabus aquilis:  
 Et in primis loquitur de pœna quam Deus  
 sumpturus sit de rege Zedechia  
 propter iusurandum  
 violatum.*

11 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

12 Dic nunc ad domum rebellem, An non cognouistis quid hæc sint? Dic, Ecce venit rex Babel in Ierusalaim: & tulit Regem eius, & principes eius, & adduxit eos ad se in Babel.

13 Tulit quoque de semine regni, & iniit cum eo fœdus & adduxit eos in iusurandum, & fortes terræ tulit.

14 Vt esset regnum humile, ne eleuaret se, sed custodiret pactum eius, vt staret in eo.

15 Rebellaui verò contra eū, mittendo nuncios suos ad Misraim, vt daret ei equos, & populum multum: an prosperè cederet ei? an euaderet qui facit hæc? aut, qui irritum facit pactum, effugeret?

16 Viuo ego, dixit Dominus Iehouah, si non in loco Regis qui regnare fecit eum, cuius spreuit iuramentum, & cuius irritum fecit pactum cum eo, in medio Babel moriatur.

17 Neque cum exercitu magno, atque cum cœtu multo faciet cum eo Paroh in prælio, quum effuderit aggerem, & extraxerit vallum, vt succidant animas multas.

18 Spreuit inquam iuramentum, vt irritum faceret pactum, & ecce dedit manum suam, & omnia hæc fecit: non euadet.

19 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, *Viuo ego nisi iuramentum meū quod spreuit, & fœdus meum quod irritum fecit, dederō in caput eius.*

20 *Et expandā super eū rete meū, & cōprehendetur sagena mea: & adducere faciam eū in Babel, & iudicio cōtendā cū eo ibi, propter prauaricationē suā, qua prauaricat⁹ est cōtra me.*

21 *Et omnes fugitiui eius cum vniuersis exercitibus eius gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur: & scietis quod ego Iehouah loquutus sum.*

**I**N secūda parte hui⁹ capitis vel orationis, ppheta ænigma vel parabolā antè propositā explicat. Quoniā verò heri singularum partiū explanationē audiuius, iā breuiter verba Prophetæ percurremus. *Dic nūc ad domū rebellē, an nō cognouistis quid hæc sint?* Iesus est, Nōne intelligitis quid Deus sibi hoc ænigmatico sermone velit? Nō difficile erat intelligere, per aquilas regē Babyloniorum & Ægyptiorū significari: per Libanum Iudæā vel Hierus., per cacumē Cedri, & ramos altiores, regē Ioachim & principes eius: per ciuitatē negociatorum, Babylonē: per semē terræ, Zedechiā, &c. quia verò pertinaces erant, nolebant hæc intelligere, Hodie quoq; quæ placent, statim intelligimus, quæ displicēt non intelligimus, hoc est, simulamus nos ea nō capere, etiā in cōtrouersis religionis. *Init cū eo fœdus & adduxit eū in iusurandū.* Rex Nabuchadonosor sanxit fœdus cū Zedechia, eūmq; iureiurando sibi adstrinxit. Iureiurandi formula ex illis potest intelligi, quæ hodie subditi suis dominis iureiurādo promittūt, quod e orū dāna auertere, cōmoda omnibus modis promouere velint, eisq; in rebus iustis parere, &c. *Fortes terræ tulit: vt esset regnū humile, nō eleuaret se, sed custodiret pactū eius, vt staret in eo.* Explicat q; dixit, semē factū esse in vitē luxuriantē, humili statura. Voluit enim Nabuchadonosor, vt quod prouerbio dicitur, Zedechias se intra suam pelliculā cōtineret: ne oblitus beneficiorū acceptorū, aliquid contra benefactorē suū moliretur: fortes itaq; & cōsiliarios eius abstulit, ne occasionē ei præberet rebellionis. Solēt principes si metuūt, ne gētes ab eis deuictæ, iugū iterū abiiciāt, prudentia & robore præstātes viros abducere in alias regiones, arma subditis adimere, præsidia hinc inde collocare, munitiones extruere, omnibusq; modis cauere, ne subditi eorū ad pristinā libertatē aspirent. *Rebellauit verò cōtra eū, mittēdo nuncios suos in Ægyptū, vt daret ei equos & populū multū.* Zedechias cōtra expectationē Nabuchadonosoris pepigit fœdus cū Ægyptio, perfidē deficiēs à suo domino. Ægyptij equitatu valebāt (quemadmodū hodie Germani, qui equis suis veluti fulmē quoddā acies peditū magno impetu perrūpunt) peditatū quoq; præstantē habebāt. Horū auxilio fretus Zedechias, tributū regi Babylonio pēdere amplius noluit. *An bene cederet: an euaderet qui facit hæc: aut qui irritū fecit pactū, effugeret?* Minimè, etiā nobis iudicibus. Deus enim tantā perfidiā non impunē sinet abire, quis speret se equalurū si Deū hostē habeat? Natura quoq; dicit, pacta iureiurādo sancita seruāda esse, & nisi seruētur vltionē sequi. Gentiles etiā hosti fidē seruandā docent, & multa exēpla recitāt eorū qui periurij graues pœnas dederūt. D. Hier. in suis cōm. dicit, Ex hoc loco discimus, etiā inter hostes seruandā fidē, & nō considerandum cui, sed per quē iuraueris. Multò enim fidelior inuentus est ille qui propter nomē Dei tibi credidit, te, qui per occasionē Diuinæ maiestatis, hosti tuo, imò iā amico, es molitus insidias, *Viuo ego, dixit Dominus, si nō in loco, &c.* Zedechias se vana spe lactabat, q; nouo hoc fœdere, se ita muniuisset cōtra Babylonios, vt ex suo nido extrahi nō posset: Deus itaq; per seipsū iurat, fore vt moriatur in loco regis, qui eū ad regnū euexerat, hoc est, in Babylone. *Neq; cū exercitu magno, &c.* Multi hūc locū ita interpretātur, Pharaonē nō præstiturū quod promiserat, non venturū cū magno exercitu, vt regi suppetias ferat. Sæpe enim magni principes in pangēdis fœderib. magna promittunt, postea parū præstāt. Alij verò rectius intelligūt, etsi cū ingentibus copiis cōtra Chaldæos venturus sit, vt liberet Iudæos graui obsidione, nihil tamen effecturū. Ægyptius metuebat Babylonij potentia ideo libenter sua arma cum

Fides hosti  
seruanda.

cum Iudæorum coniunxisset, ad opprimendum vel propulsandum ipsum. Phra-  
 sis est non faciet cum eo in prælio, etiam si manus cum exercitu Nabuchadono-  
 foris conferat, tamen nihil proficiet, nõ iuuabit Zedechiam. Si conferas cum his  
 historiam, omnia erũt planiora. Cum rex Nabuchadonosor urbem Hierusalem  
 obsidione cinxisset, vt perfidiam Regis vlcisceretur, Pharaos (omniũ regum Ægy-  
 pti fuit hoc commune nomen) adduxit ingentes copias, vt opẽ ferret Iudæis, Na-  
 buchadonosor his auditis, soluta obsidione, obuiam Pharaoni progressus est, ne  
 cum Iudæis suas copias iungeret, cũmq; ingenti prælio vicit: Pharaos uictus se re-  
 cepit in Ægyptum, vt que sit rebus dubiis, fines suos muniuit, ne regno suo spolia-  
 retur. Rediit itaque Nabuchadonosor ad obsidendum urbem Hierusalem. nemine im-  
 pediente, cãmq; tandem expugnauit. *Cũ fundet aggerem & extruet vallum vel tur-  
 rim.* De Nabuchadonofore loquitur. *Spreuit inquam iuramentum, vt irritum faceret pa-  
 ctum, & ecce dedit manum suam, & omnia hæc fecit non euadet.* Data dextra promi-  
 serat Nabuchadonosori obedientiam, quam non præstitit, etsi bona conscientia  
 hoc facere potuisset, non igitur pœnam euadet, sed violati fœderis pœnas perfol-  
 uet. *Viuo ego, nisi iuramentum meum quod spreuit, & fœdus meum quod irritum fecit dederò  
 in caput eius.* Subinde repetit, Zedechiam violasse iusiurandum, non stetisse pactis,  
 vnde apparet quantum Deo displiceat spreta iurisiurandi religio. Iusiurandum  
 quod Zedechias dedit regi Babylonis, vocat iusiurandum suum, eò quod inter-  
 posito nomine Diuino præstitum fuerit: Fœdus quoque suum vocat, quia ipse  
 præses est fœderum. *Dedero in caput eius.* Hoc est, pœnam violati iurisiurandi su-  
 mam ab eo. D. Hieronymus ad hæc verba sic annotat. Sententia secularis est: Do-  
 lus an virtus quis in hoste requirat? quam solent nobis opponere, qui dicunt ho-  
 stes fraude decipiendos: cui vt acquiescamus, multò peius fecit Zedechias: non  
 enim hostem decepit, sed amicum, cui fœdere Domini erat copulatus. Ergo  
 quamdiu non iures & pactum non in eas sub nomine Domini, prudentiæ est &  
 fortitudinis vel decipere, vel superare aduersarium vtcũq; potueris. Cũ autẽ te  
 constrinxeris iuramento, nequaquam aduersarius sed amicus est qui tibi credidit  
 & sub occasione iurisiurandi, hoc est, Dei nuncupatione deceptus est. Propterea  
 Scriptura nunc dicit, Iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est,  
 ponam in caput eius. Ac ne putaremus iuramentum & fœdus & pactum regis  
 esse Babylonij vel Zedechiæ qui fecerat: sequitur, In præuaricatione qua despe-  
 xit me. Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit, illique  
 facit iniuriam, cuius nomine credidit aduersarius. Propter quam causam, expan-  
 dam, inquit, super eum rete meum, &c. Quicquid igitur contra Zedechiam fecit  
 Nabuchadonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei: in cuius nomine fuerat peie-  
 ratum. *Et expandam rete meum super eum, & comprehendetur sagena mea, &c.* Si prin-  
 cipes audiunt se puniendos, sperant se euasuros, Deus itaque dicit, se fore vena-  
 torem, ideo fieri non posse vt pœnas subterfugiãt. Similitudo à venatione sum-  
 pta nota erat aulicis, vide supra. *Præuaricatus est contra me.* Fieri potest, vt periurium  
 suum extenuarit dicendo, Vi extorsit hoc iusiurandum a me, itaque non præsti-  
 ti: sed etiam vi extorta iuramenta, nisi pugnent cum verbo Dei, seruanda sunt.  
 Item, Quid seruarem Ethnicis idololatræ? Deus dicit ipsum non tantum contra  
 Nabuchadonosorem, sed contra se quoque peccasse. Historia testatur Zede-  
 chiam cũ in campos Hierichuntinos, cum aulæ proceribus & delectis militi-  
 bus euasisset, à Babyloniis, feræ instar fuisse comprehensum, cũ proculdubio spe-  
 raret se iam extra teli iactum esse. *Omnes fugitiui eius, cum vniuersis exercitibus eius gla-  
 dio cadent.* Postquam de pœna Regis vaticinatus est, descendit nunc ad populum.  
 Multos probabile est priuatim sibi consulere volẽtes, data occasione ex vrbe pro-  
 fugisse, hi omnes interierunt: illi quoque qui in comitatu Regis erãt, diffugiebãt  
 ac pleriq; cæsi sunt: reliquiæ dispersæ sunt ad quatuor ventos. 2. Reg. 25. Hier. 39.

Iusiurandum  
Dei.

Iuramenta  
præstanda.

Hæc omnia Regi, principibus, totiq; populo prædicere magnū fuit. Id quod facilius æstimare poteris, si fingas aliquē accedere hodie ad Reges & principes, vitia eorū detegere, & venturas nō solum in genere pœnas prædicere: sed dicere, Turcæ carenis victos Cōstantinopolim vel Adriapolim vos adducēt, aut simile quid.

HOMILIA LXXIII.

### Concionatur de regno Christi & restitutione populi.

22 Sic dixit Dominus Iehouah, Et tollam ego de summitate cedri illius sublimis, & ponam: de vertice inquam nouellarum plantationum eius tenerum excidam, & plantabo ego super montem excelsum, & instar cumuli eleuatum.

23 In monte inquam sublimi Israel plantabo illum, & eleuabit rimum, & faciet fructam, & efficietur cedrus magna: habitabuntque sub ea omnes aues, omne alatum in umbra ramorum eius habitabunt.

24 Sciēntque omnes arbores agri, quod ego Iehouah humiliauerim arborem sublimem: exiccare fecerim arborem virentem, & florere fecerim arborem aridā, Ego Iehouah loquutus sum & feci.

**P**ropheta verbis præcedētibus, Zedechiæ regi denunciavit pœnam, qua propter perfidiam afficiendus sit: neq; solum in genere dixit puniendum, sed in specie capiendum, & in exilio moriturum esse: populo quoque exitium prædixit. Subiicit nunc lætam promissionem de regno Christi, ad quod multi ex Iudæis & gētibus colligendi sint. Facit autem hoc partim propter pios (quorum aliquot in hoc populo supererant) partim propter impios. Pij enim his auditis cogitare potuissent, promissionibus Dei nullum locum fore, Deum prorsus eos reiecisse: docet igitur, ne in desperationem incidant, vel labascere incipiant, dispersionem eorum non obstare, quo minus reducantur, & regnum Messiaë inter illos instauretur. Impij minis Prophetarum opponerent promissiones de Christo. Si verax est Deus, dicebant, vos estis mendaces. Quomodo Hierosolymis se patefaceret Messias, si vrbs funditus est excindenda? Dicit itaque Propheta, etsi ipsi perdantur, Deum nihilominus tamen seruaturum fidem, & Christum suo tempore missurum. Insignis est hæc propheta, quam vt melius intelligamus, primò audiemus allegoriam vel parabolam, deinde eius expositionem.

Parabola.

Allegoria talis est: Deus promittit se decerpturum ex cacumine cedri excelsæ tenerū rimum vel sūrculum, illumq; plantaturum super montem excelsum Israelis, fore autem vt excrescat in arborem proceram & ramosam, in qua aues nidos constuant, omnēsque arbores cāpi visuras quod Deus arborem altam deiciat, humilem euehat, &c. Singulas nunc partes huius allegoriæ interpretabimur. Per cacumen cedri proceræ intelligit regiā stirpem Davidis: supra enim ipse Propheta per sūrculum decerptum ex altissima cedro, dixit regem Iechoniā significari. Ex cacumine decerpsit rimum tenerum vel sūrculū, id est, ex regia stirpe. Rabi Solomon, vt Lyra testatur, exponit de Messia, alij exponunt de Iechonia, quæ duæ expositiones non multum discrepant, nam per Iechoniam ducitur linea Christi: post Zedechiam nullus amplius Rex fuit vsq; ad Christum. Iechonias ab Euilmerodacho vinculis exemptus, liberaliter fuit tractatus: is genuit Salathielem, hic Zerobabilem, qui populum ex Babylone in patriam reduxit, & urbem ædificare cœpit: veræque redēptioni per Christum factæ prælusit. Quem Matth. in genealogia Christi, Iechoniā, Lucas Neri appellat: nimirum quod lucerna fuerit Dauidici generis, quæ extincta videri poterat, significat enim **ἡ** ner lucernam Hebræis.

Explicatio  
singularum  
partium pa-  
rabolæ.  
Cedrus pro-  
cera.  
Ramus a-  
uullus.

Plenissimè

Plenissimè hæc prophetia in Christo est impleta, ideóque eam simpliciter ipsi accómodabimus, ita Theodorerus quoque eam intellexit. Christus in Scripturis furculus Davidis nuncupatur. *Iá. 11. cap. Iere. 23. & Zach. 3.* humanam enim naturam assumpsit ex Maria virgine, quæ genus duxit à Dauide. Vocat tenerum ramum, induit enim humanam naturam fragilem, nobisq̃ similis factus est, excepto peccato. In summa paupertate natus est: postea habitus fabri lignarij filius: Crux eius multos offendit, vt Messiam nequaquam agnoscerent. Initium regni ipsius humile & abiectum fuit, discipuli Christi pauci & infimæ fortis fuerunt, nullus fuit opum, potentia & Regalis gloria fulgor. Hic ramus plantatus est super montem excelsum, & instar cumuli eleuatum, nempe in monte Israel. Intelligit montem Sion, in quo arx fuit & Templum Hierosolymitanum. In hoc Christus plantatus dicitur, quia in Templo oblatu fuit, conciones frequentes habuit, miranda opera edidit, in iugo eiusdem montis crucifixus est, & in cælum ascendit. Ex hoc monte, hoc est, Hierosolymis exierunt discipuli eius in totum orbem terrarum (secundum illud *Iá. 2. capite, & Micheæ 4. de Sion exibit lex & verbum Iehouæ de Hierusalem.*) Apostoli Hierosolymis profecti, totum orbem Euangelio compleuerunt, & verbo Euangelij omnes populos Christo subegerunt. Suctonius in vita Vespasiani scribit in Oriente veterem & constantem opinionem fuisse, in fatis esse, vt Iudæa profecti rerum potirentur: id ipse de Vespasiano eiusque filio Tito interpretatur: sed potius ad Apostolos referendum est. *Psál. 110.* etiam dicitur, Virgam fortitudinis suæ emittet Dominus è Sion. Hinc mons ille, etsi humilis fuerit: tamen excelsus dicitur. Quemadmodum altissimi montes procul videri possunt, & super alios eminent, multusque de ipsis sermo est, ita Christus principatum tenet. Alibi per montem Ecclesia intelligitur, quæ vt mons eminent, super hanc Christus Rex & caput constitutus est. *Psalm. 2.* Ego constitui Regem meum super Sion montem sanctum meum. Ramus ille vel furculus, excreuit in proceram arborem, quæ ramos & fructus habuit. Per arborem illam magnam, regnum Christi vel Ecclesia significatur, quæ initio contempta cum esset, postea intra paucos annos incredibili hominum accessione facta est illustrissima & amplissima: non pauci ex Iudæis crediderunt in Christum, Gentiles verò certatim Christianam fidem amplexi sunt. Apostolus dicit sua ætate, Euangelium per totum orbem prædicatum esse, *Colossen. 1.* Hodie quoque regnum Christi latè patet per totum orbem. *Sub hac arbore habitauit omne genus auium.* Sicut aues in arboribus excelsis nidos suos construunt, & quiescunt: ita nos in regno Christi & Ecclesia certam sedem collocare possumus. Qui nondum accesserunt ad Christum, inter opiniones discrepantes & vitia, instar auium dubij & instabiles vagantur, incerti quonam se vertant. Dauid Ecclesiæ felicitatem celebrans, dicit *Psál. 84.* Etiam Passer inuenit sibi domicilium, & Hirundo nidum vbi reponat pullos suos, &c. Alia quoque regna non ideo à Deo instituta sunt & conseruantur, vt suis tantum rebus Reges & principes consulant, sed vt homines defendant & Ecclesiæ hospitia præbeant. *Dan. 4.* regnum Nabuchadonosoris excelsæ arbori comparatur. Christus in primis nos defendit contra diabolum & infernum. Quemadmodum cum subiti imbres veniunt, sub frondosas arbores nos recipimus: ita ingruentibus malis, ad Christum confugiamus, nosque colligamus sub cuius præsidio tuti erimus contra omnia mala. *Sciéntque omnes arbores a gri quòd ego Iehouah humiliauerim arborem sublimem, & exaltauerim arborem humilem.* Per arbores intelligit Calvinus cunctos Reges terræ, & omnes quotquot aliqua dignitate præstant. Quid si simpliciter omnes homines intelligamus, qui in Scripturis arbores metaphoricè dicuntur? nimirum quòd bonos fructus proferre debent, vt hic sit sensus: Tunc non solum alij Reges, sed & omnes homines videbunt qualis sim: quòd humiles eueham, & superbos deiiciam. Per

Ramus tē-  
ner.

Plantatus in  
mōte Sion.

Mons ex-  
cellus.

Ramus ex-  
creuit in ar-  
borem ma-  
gnam.

Sub vmbra  
arboris sunt  
aues.

Arbores  
significant  
homines.

Deus humi-  
les attollit,  
superbos  
deicit.

arborem sublimem, intelligunt Zedechiam hominem superbum & elatum, qui noluit doceri à Prophetis, ideóque tandem captiuus abductus est: per humilem, Iechoniam qui obsequutus Prophetæ, se cum matre & liberis vltro dedit regi Babylónico, hunc Deus exaltauit, vt est 2. Regum vltimo capite. Alij intelligunt per arborem excelsam regnum Iudæorum, per humilem regnum Christi, quod creuit in immensum. *Quòd exsiccare fecerim arborem virentem, & florere fecerim arborem aridam.* Per arborem viridem Iudæos, per aridam, Gentiles intelliguntur. Iudæi enim maiore ex parte increduli fuerunt: Gentiles recepta fide Christi, fructiferi facti sunt. Hæc tametsi rectè dicantur, simpliciter tamen dicere possumus, ex negotio regni Christi, item ex Iechoniæ liberatione, apertè colligi generalem illam doctrinam, quòd Deus humiles erigat & superbos deprimat. Maria virgo mater Domini cecinit: Dettaxit potentes de sedibus, & euexit humiles. Ethnici quoque viderunt, Deū superbos deicere, & humiles euehere, Xenophon enim lib. 6. *Ελληνικῶν* dicit *Καὶ ὁ Θεὸς δ', ὡς ἔοικε, πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποίῶν, τοὺς ἰσχυροὺς, μικροὺς.* Horatius imitat<sup>9</sup> Hesiodū. lib. 1. Ode 34. dicit.

— Valet ima fummis

Mutare, & insignem attenuat Deus,  
Obscura premens, &c.

Quidam cæcæ fortunæ ascribunt, quòd modo hunc attollat, modo illum deprimat. *Ego Dominus loquutus sum & feci.* Reuocat homines ad considerationem suæ potentia. Res enim Iudæorum tam fuerunt afflictæ, vt nunquam restitui posse viderentur. Etsi verò regnum eorum nunquam ad pristinum splendorem rediit, tamen habuerunt suos duces ferè vsque ad Christi natiuitatem, secundum prædictionem Iacobi Genesis 49. capite. Rebus desperatis semper erigendæ sunt mentes, e consideratione veritatis & potentia Dei. Dicit se fecisse quæ multis annis post facturus erat, illa enim quæ Deus prædicit, tam certò euentura scire debemus, ac si iam euenissent. Ad hanc prophetiam Seruator noster alluisse videtur Matth. 13. cùm dicit: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptū homo seminauit in agro suo, quod minimum est omnium seminum: cæterum vbi excreuerit, maximum est inter holera, & fit arbor: adeò vt veniant volucres cæli, & nidulentur in ramis illius. Promissionibus verò illis de Christo eiusque regno, nos hodie quoque ad fidem roborandam contra varias tentationes vt debemus. Quantumuis enim multi hostes passim exurgant, suis tamen viribus regnum illud non euerterent.




## Concio vndecima Ezechielis.

HOMILIA LXXI.

*¶* *Propheta reprehendit Iudæos quòd dicerent se  
patrum suorum delicta immeritò luere,  
ostenditque neminem puniri nisi pro  
scelerum merito.*

CAPVT



- 1  *T* fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:
- 2 *Quid vobis vt parabolicè loquamini parabolam hanc super terram Israel, dicendo, Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?*
- 3 *Viuo ego, dixit Dominus Iehouah, si erit vobis vltra vt parabolicè loquamini parabolam istam in Israel.*
- 4 *Ecce omnes animæ meæ sunt: sicut anima patris, sic & anima filij meæ sunt: anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*



ONCIO XI. Prophetæ Ezechielis, quæ hoc capite continetur. ostendit Deum nemini facere iniuriã, illos qui rectè se gerunt præmio, qui malè, pœna ab ipso affici: neminem propter alterius maleficia puniri: vtque iustitia aliena hominum, nemini profit, ita malitiam alienam nemini obesse. Addit, quod consolatione plenum est, fores gratiæ Diuinæ semper verè respicientibus patere: ideoque omnes hortatur ad veram pœnitentiam. *Occasus* Occasus huius concionis hæc videtur fuisse. Prophetæ dicebant fieri non posse, quin Deus grauissima pœna eos affecturus esset, eò quòd patrum suorum peccata continueret: Deum iam longo tempore & patrum & ipsorum peccata sustinuisse. Hæc audientes dicebant patribus qui peccassent, parsum esse & plecti filios innocentes, atque sic Deum iniustitiæ condemnabant. Ostendit itaque Prophetæ Deum iniuria ab eis affici, qui iustus sit, & singulis rependat prout iustè vel sceleratè se gesserint. *Partes* Caput hoc partes habet duas, prima est reprehensio malitiæ Iudæorum, qui vt iam dixi, vociferabantur se propter peccata maiorum suorum iniustè puniri, cum iustissimam suorum scelerum mercedem reciperent. Confutat autem hanc eorum blasphemiam, iustitiãque Dei confirmat quinque exemplis, de quibus postea. Altera pars, est adhortatio ad veram pœnitentiam. *Vsus* Vsus huius capituli varius est. In primis verò dicemus Deum esse iustum, nemini facere iniuriam: & sicut peccata filiorum non nocent parentibus, sic peccata patrum filiis non nocere. Deinde videmus fuisse illis temporibus homines, qui doctrinam Prophetarum calumniati sunt, & ex ea iocandi materiam quæsiuerunt: non ergo mirum si hodie quoque sint illusores, qui ex concionibus venantur quod peruertant: quibus cauillatoribus, tandem sua illa scurrilitas malè cedit. Ad hæc cognoscemus corruptionem nostræ naturæ. Nam vt illi volebant innocentes videri, neque ingenuè peccata sua confitebantur: ita nos quoque negamus nos peccasse, extenuamus peccata, in alios, quin in ipsum Deum, aliquando ea conferimus. Multi quibus persuaderi non potest Deum omnia regere, tamen si peccent, statim vt se excusent, culpam peccatorum in Dei prouidentiam reiiciunt, dicentes, Fortè Deus voluit vt hæc vel illa facerem: fuit in fati. Primi nostri parentes non petebant veniam à Deo, ingenuè confitentes peccata: sed Adamus in Euam, Eua in Serpentem culpam conferebat: pueri quoque à se culpam in alios reiiciunt. Videbimus etiam vtilem esse pœnitentiam, neque rectè dici, Si Deus gentem aliquam euertere decreuit, aut me damnare, frustranea erit pœnitentia: hoc laqueo Sathan multos detinet in sceleribus. Sobriè loquendum est de his rebus. Accedamus ad verborum Prophetæ explicationem. *Quid vobis vt parabolicè loquamini parabolam hanc super terram Israel?* Sensus est, Cur vtimini impio hoc adagio de futura vastatione terræ: vel cur passim in terra Israel peruulgatum est hoc prouerbum? *Patres comederunt racemum acerbum, & dentes filiorum obstupescunt.* Vux nisi maturuerint, acerbæ sunt & insuaues, vtque

Argumentū  
huius con-  
cionis.

Occasus

Partes

Vsus

omnia acida stuporem dentium inducunt. Iudæi hoc prouerbio significare volebant, Deum pepercisse maioribus ipsorum sceleratis, & de liberis nihil mali meritis, pœnas repetere. Per uiam immaturam vel omphacem intelligunt peccatū, ut est idololatria, fiducia humani auxilij, corruptio iudiciorū, &c. Vide Isaiæ 5. caput. Per stuporem dentiū intelligunt pœnam. Hoc adagiū in ore fuisse vulgi ex Iere. 31. cap. intelligitur. Sensum eius Ciceronis verbis explicare possumus, qui ad Brutum scribit: Nec verò me fugit quàm sit acerbum, parentum scelera filiorū pœnis lui, &c. Omnes gentes sua habent prouerbia, quibus significant aliquē pro alio pœnas dare. Germani dicunt, quod tu intriuisi, mihi exedendum est. Erasmus inter prouerbia numerat. Tibicen vapulat, ex Athenæo referens hunc fuisse morem (nimirum apud Græcos) ut si quid peccasset coquus, tibicen vapularet. Aliud quoque habet τὸ κινὸς καὶ κὸν ὄς ἀπέπτεν, hoc est, canis malum suus dependit, quoties pro iis, quæ peccauit alius, alius dat pœnas. Ita Hebræi suum illud habebant. At nisi ipsi quoque uiam gustassent, hoc est, impij & scelerati fuissent, non obstupuisissent ipsorum dentes. *Viuo ego, si erit vobis ultra ut parabolicè loquamini parabolam istam in Israel.* Efficiam, inquit Deus per Prophetā, ut impio huic prouerbio nullus amplius locus sit. Plerique enim non multò post habitum hūc sermonem miserè perierunt, pauci superstites traditi in captiuitatem, re ipsa senserunt se iustas pœnas dare scelerum illorum, quæ Prophetæ toties eis exprobrauerant. Sed esto, contumaces fateri scelera noluerint, tamen non ausi sunt iactare se immeritò affligi propter alios qui eos statim cōfutaissent, dicendo, Certè nisi Deus iratus illis fuisset propter scelera, non permisisset eos ab hostibus tam inclementer tractari. Solet autem Deus aliquando à bonis & malis per varia supplicia peccatorū confessionem elicere, ut dicant, Rectè nobiscum agit Deus, &c. *Ecce anima mea sunt, &c.* Deus refellit impium vulgi prouerbum. Quidam hæc verba ita intelligunt, Iudæos frustra Deū accusare cum statuere de ipsis possit quod vult, neque fas esse ut vas fictile loquatur contra figulum, Quare ita vel ita me fecisti? Quæ quidē sententia pia est, nam D. Paulus ad Roma. humanam arrogantiam his verbis retūdit: ô homo tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo: num dicet figmētum ei qui finxit cur me finxisti ad hunc modum? an non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam? quæ verba desumpta sunt ex Esa. 45. & Iere. 18. capitibus. Aliud verò Prophetæ hoc loco agit, nempe Deum qui tam patris quàm filij animam formarit, & cuius omnes animæ sint, paterno animo esse erga opus suum quod creauit. Amat nos quatenus sumus homines, quia verò corrupti sumus, sumus ipsi abominabiles. De

Animarum origo.

Animarum immortalitas.

Latroni

Latroni Christus dixit, Hodie mecum eris in Paradiso, quod non de corpore, sed de anima est intelligendum. Cur igitur Scriptura mentionem facit mortis animæ? Respondeo, Mors per metaphoram accipitur pro afflictione & miseria, mors enim est horribilis hominibus. Sensus igitur est, animam peccatoris afflictionibus fore obnoxiam. Quamquam anima pro toto homine, non pro altera tantum parte hominis accipere, familiare est Sacris scriptoribus. Si verò anima quæ peccauerit, morietur, nos quia omnes peccauimus morti æternæ erimus obnoxij. Verum est: nisi Christi meritum intercessisset, æternum omnes periremus. Quamquam verò Christi beneficio peccata nos non damnent, tamen propter peccata, ut eorum atrocitatem intelligamus, aliàsque ob causas, variis ærūnis Deus nos in hisce terris exercet. Quæ obiici possunt de filiis quod propter parentes puniantur, & alia huius generis, infra explicabuntur.

HOMILIA LXXII.

*Virum iustum, quem multis notis depingit, docet feliciter acturum.*

5. Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam:
6. Super montes non comederit, & oculos suos non eleuauerit ad idola domus Israel: & uxorem proximi sui non uiolauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit.
7. Et quenquam non oppreserit: pignus debitori reddiderit: aliena non rapuerit: panem suum esurenti dederit, & nudum operuerit vestimento.
8. Cum usura non dederit, & amplius non acceperit: ab iniquitate retraxerit manum suam, iudicium verum fecerit inter unum & alterum.
9. In præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, ut faciat veritatem: iustus est, viuendo viuet, dixit Dominus Iehouah.



Am malitiosos & stupidos Iudæos fuisse, supra diximus, ut cum Propheta denuntiarent eis impendere exitium, eò quod Deus frustratam diu eorum expectasset poenitentiam, palam dicere auderent, ab ipsis innoxiiis repeti poenas quas maiores ipsorum promeriti essent: Ezechiel itaq; in prima huius capituli parte, iustitiam Dei quinque his exēplis vel casibus defendit. I. Virum iustum perseverantem in sua iustitia, prosperè acturum. II. Si iustus ille genuerit filium degenerem, patris iustitiam ei non profuturam, sed propter suam iniustitiam puniendum esse. III. Si secundus ille genuerit filium iustum, prosperè acturum, futurumque gratum Deo, neque ei nocituram patris sui iniustitiam. IIII. Iustum virum qui se auerterit à iustitia sua, puniendum esse à Deo. V. Iniustum virum qui se auerterit ab iniustitia sua, prosperè acturum.

Audiamus nunc primum exemplum de viro bono, qui perseverat in sua iustitia. Cum Propheta paucis verbis dicere potuisset: Vir iustus recipiet præmium suæ iustitiæ, declarat hoc per aliquot partes legis, quibus aliæ quoq; includendæ sunt, quis sit iustus. Sensus est, Si quis fideliter legem obseruat, iustus censetur coram Deo. An verò, inquis, potest lex à nobis perfectè præstari? Non potest: nam lex, ut ait Paulus Rom. 7. spiritualis est, nos verò carnales, &c. Ideò autem Deus impossibilia nobis præcepit, ut admoniti quam procul absumus à perfectione plena ad Christum confugiamus, qui legi Dei satisfecit, ut nos à maledictione legis liberaret: in hunc enim si credamus, Deus iustitiam eius nobis imputat, nos verò

Quid sit esse iustum.

Lex an possit à nobis præstari.

vt gratos nos pro tanto beneficio præbeamus, legi studemus quantum possumus: & quanquam nunquam eam plenè præstemus, Deo tamen inchoata illa obedientia, propter Christum grata existit. Oecolamp. dicit, Si fuerit iustus, nimirum per fidem, & per eam iustitiam inducitur ad facienda alia quæ præcepta sunt, facit iudicium, &c. Opera externa nõ iustum faciunt, sed ostendunt adesse fidem, cuius hi fructus sunt. Audiamus descriptionem iusti, quæ notis quindecim cõstat.

Facere iudicium & iustitiam.

I. *Facit iudicium & iustitiam*, hoc est, Deo tribuit quæ sunt Dei, & hominibus quæ sunt hominum: abest à dolo & fraudibus, defendit bonos homines & bonas causas. Hæ duæ voces sæpe coniunguntur in Scripturis, & plerunque principibus tribuuntur, qui faciunt iudicium & iustitiam, cum secundum leges iudicant, & sua iudicia exequentur: cum bonos tuentur, malos coercent.

Idololatraz in mōtibus comederūt.

II. *Super montes non comedit.* Gentiles cum alibi, tum in collibus & montibus altaria diis suis extruebant, in quibus hostias eis immolabant, sacrificiisque peractis, sua habebant epula: de qua re Paulus in 1. Cor. 8. & 9. ca. docens eos abstinere à carnibus idolis immolatis: etsi etenim ab aliis carnibus nihil differrent, periculum tamē erat, ne si vescerentur illis, Ethnici aut Christiani imbecilliores, existimarent eos simulachrorum cultum approbare. Iudæi quoque ad imitationem Gentilium iam ædificato Templo, aras passim erigebant in collibus. Subinde enim legitur in Libro Regum & paralip. excelsa non fuisse sublata. Dicit igitur Propheta, virum iustum non accumbere in epulis idolorum, breuiter, nõ esse participem culturæ simulachrorum.

Interna idololatria

III. *Oculos non tollit ad idola domus Israel.* Dixit de exteriori idololatria, iam de interiori agit. Oculos tollere, est aliquid desiderare & appetere: vt tollere oculos ad rem proximi: item respicere & circumspicere, vt in periculis constituti attollimus oculos, hoc est, respectamus an vspiam affulgeat nobis auxilium. Multi, tamen si idola euertuntur, aut ad ea ire prohibentur, tamen habere ea desiderant, hinc inde oculos vertunt, & ab idolis, quæ ex cordibus nondum eiecerunt, aliqua commoda expectant. Non autē satis est externa idola reiecisse, nisi interna quoque reiiciamus. Nominat idola stercora, vt aliàs quò videant quantopere Deus illa detesteretur, quæ ipsi non aliter magni faciebant, quàm adulteri scorta sua putida, quæ ab omnibus aliis contemnuntur. Vocat autem idola domus Israel, nimirum vt in mentem eis veniat, quàm malè Regno Israelis, hoc est, 10. tribubus idololatria cesserit. Vel si per Israelitas intelligat Iudæos, idè hoc addit, ne putent meliora esse sua illa idola, quæ receperant, aliarum gentium idolis: ingeniosi enim sunt homines, ad excusandam idololatriam. Christiani quoque inter gentium & sua idola magnum discrimen statuunt, cum neque materia, neque forma, neque sine ab illis differant.

Idola sterco-  
ra vocat.

Idola Israelis.

Adulterium  
cauendum.

III. *Qui uxorem proximi sui non polluit.* Per proximum etiam hostis intelligitur, Luc. 10. cap. Non tantum amicorum, sed ne hostium quidem nostrorum uxores pollundæ sunt. Adulterium quod etiam apud gentes capitale fuit, hodie inter Christianos ferè lusus est: de grauitate eius alibi diximus.

A menstrua  
ra abstinendum.

V. *Ad mulierem suæ uxorem menstruatam non accedit.* Non solum ab alienis vxoribus, sed à propriis quoque interdum abstinendum est. Ecclesiastes dicit 3. cap. Tempus est amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Paulus propter preces interdum coniuges secubare iubet. 1. Corinth. 7. cap. Lex extat 19. & 20. contra illos qui cum menstruali muliere rem habent. D. Hieronimus, in suis ad hunc Prophetam cõmentariis Per singulos menses, inquit, grauiata atque torpentiæ mulierum corpora, immundi sanguinis effusione releuatur: quò tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fetus vitium seminis trahere: ita vt leprosi & elephantiaci ex hac cõceptione nascantur, & fœda in vtroque sexu corpora, &c. Mox caueat ergo & vxor, ne fortè victa desiderio coeundi, illicita virum: & maritus ne vim faciat vxori: putans omni tempore subiectam sibi esse debere coniugij voluptatem

vnde

unde & Paulus 1. Theff. 4. Ut nouerit, inquit, vnusquisque possidere vas suū in sanctitate & pudicitia. Pulchrè in Xysti Pythagorici sententiolis dicitur: Adulter est vxoris propriæ, amator ardentior: hæc ille. De his rebus circumspicere in cœtu sacro est loquendum, ne cuiquā offensionem demus. VI. *Neminem affligit.* *הוֹרִיב* *horab* contristare, affligere, opprimere, vim facere significat. Id quod clam & palam, verbis & factis fieri potest. Auari molesti sunt pauperibus, eosque multis damnis afficiunt, milites mercenarii omnibus molesti sunt, potentes sæpe opprimunt alios dicentes, Sic volo, sic iubeo, ita Ægyptii Hebræos popprimebant. Hodie spirituales, ut vocant patres, multos non solum falsa doctrina, sed & tyrannicis legibus vexant. Multis in locis Hispanica inquisitio, cōtra omnes promiscuè qui vel minimū suspecti sunt quod ament Euangelicam doctrinam, subito & crudeliter exercetur. VII. *Pignus suum reddidit debitori.* nempe pauperi & egeno, qui vestem, aut necessariam suppellectilem vel instrumenta quibus victum comparat, creditori suo oppignerauerit. Extant enim hac de re leges Diuinæ. Exod. 22, Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, antequā occubuerit Sol, restitues illud ei. Quia ipsum solum est operimentum eius, illud vestimentum est cuti suæ, in quo dormiat: & erit, cum clamauerit ad me, tunc exaudiam: sum enim misericors. Deus preces pauperum exaudit, & licet vindictam non petant, tamen illos punit à quibus vexantur: non exprimit quod facturus sit cum illis crudelibus hominibus, est enim aposiopesis. Deut. 24. Non accipiet quisquam pro pignore metram & catillum, hoc est, inferiorem & superiorem molatrem, quia animam ipse acciperet pro pignore. Quum mutuaueris proximo tuo mutuū aliquod, non ingredieris domum eius, ut capias pignus eius: Foris subsistes, & vir cui mutuaueris, efferet ad te pignus foras, quod si vir pauper fuerit, non dormies cum pignore eius. Restituendo restitues illi pignus illud cum occubuerit Sol, ut dormiat in vestimento suo, & benedicat tibi: tibi que erit in iustitiam coram Iehouah Deo tuo. Non capies in pignus vestimentum viduæ: sed recordare quod seruus fueris in Ægypto, & redemerit te Iehouah Deus tuus inde: idcirco præcipio tibi ut facias hæc rem. Hac lege ostendit, quid pignoris loco, & quomodo accipiendum, & etiam restituendum sit. Quid verò profuit accepisse quod fuit reddendum? Ad hoc fuit utile, ut debitores de solutione debiti solliciti essent. Eliphaz obiicit inter alia Iobo cap. 22, quod à pauperibus pignus acceperit, ideoque à Deo affligatur. Et quanquam Iobum falso accuset, videmus tamen quid gentiles iudicauerint de illis qui pignora accipiunt à pauperibus. Pignus accipere licet quidem, sed videndum ne violetur præceptum charitatis. Debitores quoque sui officii debent meminisse. Negare datum esse pignus, est grauissimum peccatum: idem dicendum est de deposito, de quo etiam leges extrantitem de rebus inuentis. VIII. *Per vim nihil rapit.* Raptores. 1. cor. 5. inter illos numerantur, cum quibus ne cibus quidem capiendus sit. Rapina non tantum in siluis & agris, sed in urbibus quoque exercetur, ut cum quis sub specie iuris, titulo donationis, aut aliis viis, aliena rapit hominesque expilat. IX. *Panem suum dat esurienti.* Nō satis est si neminem lædas, sed oportet beneuolentiam tuam testeris erga proximos, idque non verbis solum: sed & re ipsa, consilio & opere eos iuando. Multi sunt qui se sanctos arbitrantur suo officio, si nemini noceant, cum prodesse aliis deberent, opera misericordię erga eos exercendo. D. Hieronym. annotat ad hunc locū, Per hoc quod dicit, panem suum dat esurienti, docemur elemosynam non saturis faciendam, sed esurientibus: nec dandum panem his qui ructant plenitudine, sed his qui inanitate cruciantur. In pane autem omnis continetur cibus. Et significanter dicit, suum, ne de rapinis & vsuris, & alieno malo quæ-

Nemo lædendus est.

Pignora reddenda debitori.

Rapina.

Panis esurienti dandus.

Cui danda elemosyna

Panis. Quid dandum.

Prouerb. 13. *litum panem vertamus in misericordiam. Redemptio enim animæ viri propriæ diuitiæ: quod multos facere conspiciamus clientes & pauperes & agricolas, vt taceam de militantium & iudicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, vt de multis parua pauperibus tribuant, & in suis sceleribus gloriantur, publicèque diaconus in ecclesiis recitet offerentium nomina: Tātum offert ille: tantum ille pollicitus est: placētque sibi ad plausum populi torquente eos conscientia: damusque materiam miseris vt gaudeant ad ea quæ tribuunt, & non lugeant ad ea quæ rapuerint, &c. hæc ille. Cauendum omnino est ne iniustis viis opes paremus, ex quibus postea eleemosynam pauperibus largiamur. Vel panem suum, hoc est, fraudat genium suum, vt habeat quòd egentibus conferat. Isaias quoque dicit cap. 58, Frange esurienti panem tuum: cùm videris nudum, operias eum. Vbi Hieronym. dicit: Non dicit plures panes, ne de paupertate causeris, sed vnum panem: nec ipsum totum, sed partem panis, quam si non ieiunares comefurus eras: vt ieiunium tuum non sit lucrum marsupii, sed saturitas animæ. Prouerb. 22. Benignus oculo ipse benedicetur: quia dedit de pane suo pauperi. Peccarunt in hoc multi, quòd in monachos, & alios otiosos ventres, plenitudine ructantes (vt paulò antè Hieronym. dicit) suas opes, fraudatis sæpe iustis hæredibus, effuderunt, quas illi abligurirent. Iustus alium quoque habet panem, nempe illum qui dicit Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cælo descēdi, &c. Hunc panem esuriētibus tribuere debet: hoc est, rudes in Christiana fide instituere, quod genus eleemosynæ altero longè est præstantius. X. *Nudum operit vestimētis.* Christus Matth. 25. dicit, Nudus eram, & cõtexistis me. Multi laceris vestibus & nudi incedunt, non sua culpa, sed paupertate, hos opulentiores vestire debent. Multi vestes habēt holosericas & magni pretii multas, quæ in arca tineis infestantur, aut situ pereunt, interim algere vident pauperes. Cur vestis simulachra lignea, quæ non algēt, & simulachra Dei, homines inquam, algore perire sinis? Stragula quoque veste vel commodato vel dono data pauperes fouendi sunt. Multi sunt qui non modo non cibant, & non regunt pauperes, sed etiam mercedem illis debitam non persoluunt. De his nihil dicam, qui vi aliis vestes auferunt. XI. *Ad usuram non dat.* XII. *Emolumentū nō accipit,* hæc duo iterum repetet, reseruabimus itaque in alium locum. XIII. *Ab iniquitate retrahit manum suam.* Generale hoc est, temperat sibi ab omni iniuria, multæ offeruntur ei occasiones, quibus vti posset ad parandas opes cum iniuria proximi, ad assequendos honores, ad sumēdam vlrionem de hostibus, sed manus cohibet propter Dei timorem, XIII. *Iudicium verum facit inter virum & virum.* Hæc pars ferè conuenit cum prima. Ordinarii iudices rectè debent iudicare: non ex affectibus sententiam dicere, non accipere munera: alii quoque, qui arbitri interdum constituuntur, non à iure desistere debent, propter odium aut amorem, sed pronuciare quod iustum est. XV. *In statutis Dei ambulat, iudicia eius custodit vt faciat veritatem.* Omnia nūc in vnū quasi fasciculum colligit. Vitam suam componit ad legem Dei, quæ suas habet partes, est enim lex moralis, iudicialis & ceremonialis. Deum colit non solum formando vitam suam ad præcepta legis moralis, sed etiã ritibus à Deo institutis, non cōfingit novos ritus ex suo capite. *Ad faciendam veritatem.* Huc enim lex tendit vt absque dolo & fraude versemur. *Iustus est, viuendo viuet, dixit Iehouah Dominus.* Tandem infert iustum esse, qui illa facit quæ Deus præcepit, & illa vitat, quæ prohibuit. *Viuet,* hoc est, præmio afficietur: vita enim sæpe pro fructu bonorum operū, mors pro fructu peccatorū accipitur. Quòd verò hæc pauca legis opera præ aliis multis nominatim exprimuntur, ideo factum existimo, quòd illa quæ Deus lege sua vetuit, vulgò grassarentur. Dicebant*

Mos in col  
 ligenda elec  
 mosyna tē  
 pore Hiero  
 nymi.

Spiritualis  
 eleemosyna

Nudum te  
 gere.

Cur hæc le  
 gis opera  
 exprimantur

bant illi se iniuste puniri, obturare igitur vult eis os, redigendo eis in memoriã scelera que publice vigeant: conquerebantur se immerito puniri, cum ne ciuilitate iusti essent. Et si verò homines nunquam omnia prestare possint, tamẽ aspirandum est ad perfectionem, cumque non prestent que debent doleat eis, suamque infirmitatem confiteantur.

Annotandum est hoc quoque, quòd Deus non tantum in genere postulat ut quæ recta sunt faciamus, fugiamus contraria: sed speciatim præscribit nobis quid facere debeamus. Informat omnis ætatis, ordinis, sexus homines, ne quis queratur se libenter Deo velle seruire, si sciret quid ei gratum esset: item ne occasione habeamus ex nobis confingendi vana opera, quibus Deo placeamus. Dedit nobis Decalogum plenam bonorum operum formam. Ezechiel hoc loco longum bonorum operum catalogum contexit. Apud alios quoque Prophetas aperte indicat quid à nobis postulet. Dauid Psal. 15. Domine, inquit, quis habitabit in tabernaculo tuo? mox per subiectionem addit, Qui ambulat in integritate & operatur iustitiam, &c. Similem locum habet Isa. 33. capite. Ieremias cap. 22. etiã dicit, Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, peregrinum quoque, pupillum & viduam ne contristetis, neque iniuriam faciatis, & sanguinem innocentem ne fudetis in hoc loco. Osee 6. cap. Beneficentiam, pietatem vel misericordiam requiro, non sacrificium, &c. Micheæ 5. cap. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid petat à te Dominus, nimirum facere iudicium, diligere beneficentiam. &c. Zacharias quoque Propheta consultus quæ opera Deo placeant, respondit: Iudicate iudicium veritatis, facite pietatem atque misericordiam unusquisque cum fratre suo. Viduam & pupillum, peregrinum & pauperem nolite calumniari: neque cogitet unusquisque vestrum in corde suo, malum contra fratrem suum. & iuramentum falsum ne diligatis: Quoniam omnia ista sunt quæ odio habeo, dicit Dominus. Cum his consentit doctrina Evangelica & Apostolica. &c. Obserua diligenter quòd Deus speciatim explicans quid postulet à suis, illa non requirit quæ hodie tantopere laudantur, & propter quæ omnia cadaveribus & sanguine complentur. Non iubet eos facere ambarualia sacra, non ingredi monasteria, non ad templa aut sepulchra sanctorum peregrinationes instituere, non simulachra fabricare, aut alia huius generis facere, quæ si bona essent, & Deo placerent, indubie per Prophetas vel Apostolos suos à nobis requisuisset.

Deus per speciem explicat quid à nobis postulet.

Deus non requirit opera quæ iudicio mundi magna sunt.

## HOMILIA LXXVI.

*Si iustus filium degenerem gignat, iustitia patris nihil ei proderit, sed pœna afficietur.*

10 *Etsi genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit unum aliquod ex istis:*

11 *Et omnia hæc non fecerit, sed etiam super montes comederit, & uxorem proximi sui violauerit.*

12 *Egenum & pauperem oppresserit, aliena rapuerit, & pignus non reddiderit: & ad idola leuauerit oculos suos, abominationem fecerit:*

13 *Cum sura dederit, & amplius acceperit: & viuet? non viuet: omnes abominationes istas fecit: moriendo morietur, sanguis eius in ipso erit.*

**P**ropheta in hoc capite docet, Deum nemini facere iniuriam: sed singulis rependere prout se gesserint. Hanc doctrinam quinque exemplis declarat: primum iam habuimus: sequitur secundum: si iustus ille filium habeat degenerem, puniendum esse à Deo, nec

profuturam ei patris sui iustitiam. Potuisset rem paucis expedire, sed per parenthesin inferit longam descriptionem iniusti, ut nobis ab eo melius cauere possimus. *Si genuerit filium latronem.* פֶּרִיז *Phariz* vertant latronē, furem, dissipatorem, nequam, à פֶּרֶז *pharaz* quod significat diruere, dissipare: nimirum quòd fures perfodiant domos: vel audaces sic appellat, quòd nullis legum repagulis cōtineri possint, sed perrumpant. *Effundentem sanguinem.* Effusio humani sanguinis, non solùm populo Dei, sed gentibus quoque horrore fuit. Si hodie milites mercenarii, multos in bellis occidant, contra quos non habent ius belli, & à quibus nunquam vel verbulo læsi sunt, quàm pauci ita commouentur, ut his malis obuiā eant? *Et fecerit unum aliquod ex istis: Et omnia hæc non fecerit.* Chaldæus interpres per נֶאֱכַח *fratrē* intelligit, hūc enim locū sic legit, *Et fecerit contra fratrem suum unū ex istis.* Quædam Dei præcepta sunt affirmatiua, quædā negantiua: qui illa quæ Deus vetuit, facit, & quæ à nobis postulat, non facit, scilicet iniustus est. Mox omnia ferè recenset quæ suprâ habuimus, si in montibus ederit, vxorē proximi sui cōstuprauerit, afflixerit pauperē & egenū: antè simpliciter dixit, si neminem afflixerit, nunc addit, pauperē & egenum, ut scelus magis amplificet. Nam (ut rectè Calvinus ad hunc locum annotat) Cruelitas in illis opprimendis minus est ferenda. Qualiscūque sit quem iniuria afficimus, scelus nostrum per se satis est damnabile Verum vbi affligimus miseros, quorum cōditio nos ad misericordiam flectere meritò debebat, illa inhumanitas longè est atrocior. *Abominationem fecerit.* Videtur illi respondere quod antè dixit, Cum vxore mēstruata rem non habuerit. *Ad vsuram dederit & emolumentum vel amplius acceperit.* Duo hæc consultò in hunc locum reseruauimus. נֶאֱשַׁח *naschach* scænus vel vsura, propriè morsus, à נֶאֱשַׁח מֵרְדֵרֶה *naschach mōrdere:* cōparant enim vsuram serpenti. Chrylōst. super illud Matth. 5. Et volenti mutare: Similis est, inquit, pecunia vsurarii morsui aspidis. Percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per suauitatē soporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia mēbra decurrit: sic qui sub vsura accipit, sub tēpore quasi beneficiū sētit: sed vsura per omnes facultates suas decurrit, & totū cōuertit in debitū. Vsuram definiunt esse lucrū ex mutuo exactum. vel quicquid vltra fortem mutuam percipitur: deriuatur ab vsu, quia propter vsum fortis accedit. Fœnus dicitur quasi fœtus, quod nūmus nūmum pariat. Sic apud Græcos τόκος dicitur à τίκω quod est pario. *Et amplius acceperit.* תַּרְבִּית *tharbit* incrementū, super abundantia, vsura, à רִבָּה *rafah* creuit, auctus est. D. Hieronym. Putāt, inquit, vsuras tantū esse in pecunia, quod prouidēs diuina Scriptura, omnis rei aufert superabundantiā, ut plus non recipias, quàm dedisti. Auari homines ingeniosi sunt ad confingendas artes, quibus opes corradāt, & subterfugia quibus tegant suam crudelitatem: igitur Ezechiel coniungit has duas voces, vsuram & excessum, omnē iniquam super abundantia intelligēs Omnes qui quacunque arte aut calliditate contrahentes circumueniunt, ut cum damno alterius lucrentur, quoscunque fucos obtendant, non sunt viri boni. Extant leges Dei cōtra sceneratores. Exodi 22. Si pecuniā mutuò dederis populo meo pauperi qui est tecum, non eris ei sicut vsurarius, non imponeris ei vsurā. Leuit. 25. Quū autē attenuatus fuerit frater tuus, & mutauerit munus eius apud te, apprehendes illum: peregrinus & aduena viuet tecum. Ne accipias vsurā ab eo & augmentū, sed timebis à Deo tuo, viuetque frater apud te. Pecuniā tuā non dabis ei ad vsurā, nec cum augmento dabis escam tuam. Ego Iehouah Deus vester, qui eduxi vos è terra Ægypti, ut darē vobis terram Chanaan, ut essem vobis in Deum. Deut. 23. Non scenerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cuiuscunque rei, quæ scenori dari solet. Extraneo scenerabis, at fratri tuo non scenerabis. ut benedicat tibi Iehouah Deus tuus

De vsura.

in cun



in cunctis ad quæ extenderis manū tuā super terrā, ad quam ingrederis vt possideas eam. Psal. 15. Propheta interrogat Iehouah: Quis cōmorabitur in tabernaculo tuo? & quis habitabit in monte sanctitatis tuæ? Mox inter alia subiicit, Qui pecuniam suā non dat ad vsuram. Hæc loca non generaliter exponenda puto, q̄ simpliciter lucri aliquid recipere ab eo cui mutuū dederis pecuniam, nefas sit: sed restringitur ad pauperes & egenos, qui iuuādi sunt, etiam si nihil habent quod reddāt. In nouo Testamento, Christus 6. cap. Lucæ dicit: Si mutuum dederitis his à quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? Nā & peccatores peccatoribus dant mutuū, vt recipiant paria. Quin imò diligite inimicos vestros & benefacite, & mutuū date nihil inde sperantes, &c. Dominus vult vt verè indigentibus gratuita mutua fiant, etiam cum damno sortis, si vires creditoris ferant. Interim non prohibet quin alii, quos etiam iuuare decet, aliquid reddant, quales sunt illi qui nunc indigent, sed aliquando poterunt cōmodè reddere. Vt si quis vina, aut alia habeat, quæ hoc quidem tempore absque damno vendere non potest, sed alio tempore, is accipit à te pecuniam quam postea non sine lucro tibi reddit, quam cur non possis bona conscientia accipere, non video. Sunt quidam qui cum pecunia quam mutuū acceperunt negotiantur, aut prædia emunt, vnde magnum fructum percipiunt: ab his redditus emere, aut lucrum ex pecunia recipere, non pugnat cum Christiana charitate. Paulus ne in eleemosyna conferenda pauperibus, vult vt illis sit relaxatio, nobis afflictio. Non autem certa ratio præscribi potest quid accipiendum sit. In elocatione domus, agri, prædii & aliis, charitatis gnomon adhibendus est, Matth. 7. Luc. 6. Omnia quæcunque vultis vt faciāt vobis homines, & vos facite illis similiter. Particulare iudicium de contractu formis, æqualitate & iustitia, peti debet ex bonis & æquis legibus. Peccant grauius qui sub specie auxilii proximos suos expilant, quacunque arte id fiat: nemo enim omnes potest formas verbis comprehendere, paucas ego exempli causa indicabo. Sunt qui indigenti, gestu vultuque subdolè composito, opem promittāt. Mutuū dant ei pecuniam ad duos vel tres menses, quibus exactis meliorem reddat. Homines incauti sibi consultum putant, cum seipos perdant. Sunt qui auream & argenteam monetam colligant, non boni valoris, quam ab aliis non accipiunt, nisi addant aliquid, postea aliis quos premit egestas, eam numerant, ac si iusti esset valoris. Sunt qui debita aliqua exigere iubent à creditoribus perditis, & addentes aliquam pecuniæ summam, emunt annum redditum. Sunt qui emunt redditum aliquem ab aliis, præsentem pecuniam, quæ summæ non responderet. Sunt qui ab obæratibus accepto fideiussore, aut tuta cautione, vinum vel pecora vendant magno pretio, pecuniolam addunt, & ita annum redditum emunt. Sunt qui fruges aliis vendāt non tolerabili pretio, sed expectant maximum pretium quo toto anno in foro venditum fuit. Sunt qui pecunia in hunc vsu conseruata, emant domos, agros, & alia, ab obæratibus qui à creditoribus vrgentur vili prætio, postea aliis egenis accepta cautione iterum magno pretio vendunt. Sed quid ego hoc mare ingredior? Dabunt illi iniusti homines, itē notarii, & quotquot illos defendunt, atque pauperes vexant, iusto iudicio graues pœnas. Cur verò, inquis, agricolæ & alii pecuniam & alia, ab illis accipiunt? Artes illas non semper intelligunt: deinde qui cadunt in aquas, ne in illis pereant, omnia quæ offeruntur apprehendunt: ita illi miseri cum suis rebus optimè volunt consulere, pessimè sibi consulunt. Cogitent homines Deo rationem reddendam. Gal. 6. Nolite errare, Deus non irridetur. Magistratus coerceat tales. Apud antiquissimos Romanos publica erat execratio, & punitio sceneratorum. Cato enim maior in libro de re rustica: Maiores nostri, inquit, sic habuere, & in legibus

posuere, furem duplici cōdemnari, scēnatorē quadruplo, adeò peiorem existimabant scēnatorē quàm furem. Idem Cato rectè Cic. Offic. lib. 2. scēnus comparabat homicidio. Temporis progressu dum simul cum opibus auaritia cresceret, multi magna licentia pro arbitrio scēnare cōperūt, vnde vt Tacitus lib. 5. refert, seditiones & discordiæ ciuiles exortæ sunt. Appianus scribit de bello ciuili lib. 1. Asellium prætorem plebi, quæ ob similem causam seditionem excitarat, aduersantem, in medio foro interfectum esse, quod facinus nec senatus vindicare valuerit. Qui plura de hac materia videre cupit, legat tractatum cōmerciorum & vsurarum redituūque pecunia constitutorum & monetarum, &c. Caroli Monilæi iureconsulti Galli *Viuet: non viuet.* Per interrogationem fit oratio vehementior. Viuere verò & mori, ad præmiū & supplicium referuntur. *Propter cunctas istas abominationes quas fecit moriendo morietur.* Singulis illis sceleribus mortem æternam homines merentur: at fidelibus, quibus Christi iustitia per fidem imputatur, condonantur peccata. *Sanguis eius in ipso erit.* Non fit ei iniuria si supplicio afficitur, suis enim peccatis illud cōmeruit, nec est quod in alios causam suorum peccatorum referat. Discamus itaque Deum reuereri, qui contemptores verbi sui, non impunes dimittit, licet bonos maiores habuerint. Exempla peti possunt ex scripturis. Samuel pessimos habuit liberos, Dauid, Iosias itidem, quibus maiorum suorum probitas nihil profuit.

## HOMILIA LXXVII.

*Si pater iniustus filium bonū genuerit, patris iniustitia nihil ei oberit, sed recipiet præmiū suæ iustitiæ.*

14 Quòd si genuerit filium, & viderit omnia peccata patris sui quæ fecit, viderit inquam, & non fecerit similia.

15 Super montes nō comederit, & oculos suos nō leuauerit ad idola domus Israel: uxorem proximi sui non violauerit.

16 Nec quenquam oppresserit, pignus non acceperit in pignus, & aliena non raperit: panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento.

17 A paupere retraxerit manum suam: vsuram & amplius non acceperit, iudicia mea fecerit, in præceptis meis ambulauerit: hic non morietur propter iniquitatem patris sui, sed viuendo viuet.

Summa huius loci.

Filius bonus non imitatus facta patris mali.



tertium exemplum, quo Propheta doctrinam de iustitia Dei declarat, est de filio qui ex iniusto patre prognatus, se rectè gerit: ille dicit, Feliciter ager, & patris scelera nō luet. *Si genuerit filium, nempe pater sceleratus, quem descripsit, Et viderit omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit & non fecerit similia.* Tria ponit de filio iusto patris iniusti, primum Videt vel obseruat peccata patris sui. Plerumque fit vt filii parentum suorum peccata non videant. Mala quæ à teneris annis vident & audiunt à parentibus, imitantur priusquam mala esse sciant. Multum igitur refert, quales sint illi cum quibus quotidie versamur. Quando ad ultiores, & à teneris bene instituti, incidunt in prauos homines, eorum exemplo deteriores fiunt, sermonibusque eorū prauis corrumpuntur: Quid igitur speraremus de illis qui à teneris versantur cum malis, quos amant & quos suspiciunt? Natura nostra corrupta fomiti comparatur, qui statim scintillas concipit. Accedit ad hæc, quòd parentes sæpe malitiam liberis instillant: vel si hoc non faciant, non tamen formant eos vt deberent: atque ita à pueris assuescunt sceleribus.

sceleribus. Si ab aliis admoneantur, ne patris exemplo peccent, obiiciunt se ad hæc quæ faciunt, permoueri pietate in parentes, quibus obedientia sit præstāda: natura item cæcutiunt homines ad sua, suorumque peccata. Multum igitur interest ad vitam piè instituendam, vt quis auellatur à sceleratis parentibus, & aliis quoque quorum consuetudine peior effici possit: séque ad viros pios & graues conferat. Secundo loco, Timet, nempe Deum. Omnes ferè interpretes reddunt *è viderit* à verbo *ראַה* *raah* vidit, Calvinus verò à *יָרַח* *istah* timuit. Non enim satis est vt filii videant parentū peccata, nisi Deum timeant, qui scelera detestatur, & in hoc & futuro seculo grauitè punit. Prouer. 15. 16. Per timorem Dei declinat omnis à malo. Obstetrices Hebræorum pueros nō occidebant, propterea quod timerent Deum, Exodi 1. capite. Susanna quoniā timore Domini prædita erat, cum vitæ periculo castitatem retinebat. Timor Domini quasi frænū est, quod nos cohibet ne in scelera ruamus. Hoc intellexit Abrahamus cum sibi peregrinandum esset in Geraris, cogitabat secum, Forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorē meā, ideò dicebat Saram sororeī suam esse, Genes. 20. cap. Homines qui Deū non timent, nihil non audent facere. Tertium est, Nō imitatur facta patris. Videt patrem suum contemnere conciones sacras, preces: ebriati, libidinibus, aliisque sceleribus indulgere: sed is sibi ab illis omnibus cauet: postea inferet, Nō morietur propter iniquitatem patris. Postquam in genere dixit, ipsum non imitari patris scelera: per species iam recenset, à quibus rebus sibi caueat, quibus studeat. Cōmemorat autem illas ipsas partes legis, quas suprà audiuius, iisdem ferè verbis, nisi quòd in paucis quibusdam nōnulla est diuersitas. Illud suprà non est positum quòd dicit, *A paupere auerterit manum suam*. Numeratur autem hoc loco inter virtutes. Senus enim est, Retraxit manum, scilicet ne læderet eum. Offeritur sæpe occasio, vt læsus à paupere, se posset vlcisci, posset etiam cum iactura illius, suas facultates augere: sed retrahit manum suam, seipsum cohibet & abstinet ab omni iniuria. Eadem capita nunc tertio repetit, nimirum vt videamus quæ Deo placeant, quæ displiceant. Spiritus enim sanctus non est contentus vno verbo dixisse, piè viuēdum esse: sed per partes indicat, quibus rebus studendū, & à quibus cauendum sit. Vxor proximi nō est violanda: infer nūc cōrrarium, Defendēda est eius pudicitia, & sic in reliquis. Multi queruntur se nescire quo pacto Deo seruiendū sit: sed vana est illa querela, cum verbis toties repetitis, & passim quid à nobis postulet, exponat. Iam absoluitur sententia: *Ille non morietur ob iniquitatem patris sui*. Quia se ad obseruationem legis Diuinæ contulit, non fraudi erit ei patris impietas. *Sed viuēdo viuet*. Vita pro fœlicitate accipitur. Deus custodiētibus sua mādata, nō vno in loco, vitā longā promittit: æternā quoque vitā cōsequentur, non quidē suorum operū meritis, sed mera Dei bonitate, quos in Christū credētes pro iustis amplectitur. Exēpla in literis Sacris multa sunt illorū, qui cum impios parētes habuerūt, pii euaserūt: vtque ex multis pauca proferā. Achaz rex impius & idololatra Ezechiā optimū principē genuit: Amon, Iosiā. Est autē singulare hoc Dei donū, quando filios ex sceleratis parentibus natos, à sceleribus cōseruat. hæc enim nō referenda sunt in aliquā constellationē, sed agnoscendū est Dei gratuitū beneficiū. Non mirū est si filii malorum parentū, ipsis fiant deteriores.

Timor Dei

Quod generatim dixit speciatim explicat.

Exempla

Vfus huius loci.

cælestis nobis præscribit. Tanta est multorum peruersitas, ut in quibus rebus parentes imitari debebant, eos securè contemnant, in aliis verò de obediètia parentibus præstanda, præclarè concionentur. An non hodie multi patrum suorum superstitiones mordicus retinentes, à vitæ ipsorum innocètia & sanctitate longissimè absunt? Subinde nobis occinunt, si de religione agitur, Patres nostri non fuerunt stulti. Certè negari non potest in multis rebus fuisse nimis stolidos, ut quòd emerunt indulgentias, quòd emensi sunt lōga itinera ut remissionē peccatorum impetrarēt, quòd ossa quælibet, pro ossibus sanctorum coluerunt, & in multis aliis &c. Alterum quòd colligitur ex hoc loco, est quòd nemini vitio dari debet si sceleratos parentes aut cognatos habuerit, si ipse à sceleribus sit immunis. Deus bonos filios ex impiis parētibus procreatos, non minus charos habet, quàm si nullus vnquam in eorum familia sceleratus fuisset, idem nos quoque faciamus. Eò chariores esse nobis debēt, quòd cum tot peccandi occasiones habuerint, ad frugem peruenerunt. Nemo sibi potest deligere parentes, nemo etiam est qui in sua familia non habuerit sceleratos homines, aut fortè aliquādo habiturus sit. Ceterum si quis alios præ se contemnat, forsan nō fuerit inutile, familiæ maculas ei interdum exprobrare, ut eius improbitas coerceatur. Sic Dauid Micholi vxori suæ à qua cōtemnebatur, quòd ante arcam Dei saltasset, Saulem patrem malum obiecit.

## HOMILIA LXXVII.

*Iterum repetit, patrem iniustum pœnas daturum scelerum suorum, & filium innocentē propter patris scelera nō puniendum. Neminem enim à Deo iniuste puniri.*

18 Pater eius, quia oppressit oppressione, rapuit rapinam fratris, & quod non est bonum, fecit in medio populi sui: & ecce mortuus est, propter iniquitatem suam.

19 Et dicitis, Cur non portabit filius pœnam patris: filius iudicium & iustitiam fecit, omnia præcepta mea custodiuit, fecitque ea: viuendo viuet.

20 Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius nō portabit iniquitatē patris, neque pater portabit iniquitatē filii: iustitia iusti super eū erit, & impietas impii super eū erit.

**R**auæ opiniones vix euelli possunt ex animis hominum: id quod multis exēplis ostendi potest. Opinio falsa discipulorum Christi, quæ cōceperant de regno Christi, tam altè radices egerat in animis ipsorum ut Christum iam iā ascensurū in cœlos, interrogarēt, de regno Israël restituēdo. Qui sub papatu educati sunt, opiniones falsas retinent: ut quæ vasculū odorē tetrum subinde seruat: ita illi difficulter abiiciunt prauas opiniones, de intercessione diuorum, de satisfactionibus & aliis huius farinae: ideò multis & diligenter refutandæ sunt: ut quæ morbis corporis, non vna medicina, nec semel tantum, adhibetur: ita in animi morbis corrigendis, nihil est intermittendum. Idem fecisse Ezechielem videmus. Iudæi vociferabantur, Deum pœnā sceleribus patrū suorū debitā ab ipsis innoxiiis exigere. Proinde diligēter & multis verbis Propheta impiā hāc opinionē cōfutat, iustitiāq; Dei cōtra impios homines defēdit, iisdē ferè verbis repetitis, quib⁹ antea vsus fuit. Nō dicit, Frustra agerem cū duris illis capitibus, altius infedit illa opinio in eorū animis, quā ut euelli possit. *Pater eius*, nempe filii boni qui ex eo procreatus est. *Quia oppressit oppressione, rapuit rapinam fratris*. Descripsit antea vitum iniustum, nunc repetit quædam scelera, propter quæ pœnas sit daturus. R. Dauid in libro radicum hāc differentiā ponit inter duo illa verba, ut

ꝑꝑꝑ *afchak* dicat esse, nolle restituere rem proximi sui, quæ per depositum, mutuum, obligationē, in potestatē cuiuspiā venit: *hij gꝑꝑꝑ* verò, vi aperta eripere. Illud sæpe vertunt calumniari, id quod verbis fit. Qui pauperē circumuenit dolis & fraudibus, quique bona eius occupat, quocunque titulo id faciat, grauiter peccat. Quod dicit *fratris* Emphasim habere videtur: auari enim homines nec cōiunctissimis quidē parcunt, fratres quoque germanos oblata occasione deglubunt. *Et quod non est bonum fecit in medio populi sui.* Liptote est, plus enim significat quàm dicit: qui nefaria patrauit: *in medio populi sui*, hoc est, palàm & impudenter. De illis quos pudet scelerum, ideóque clam ea patrant, spes est aliqua: de illis verò qui absterfo omni pudore, in proapatulo nefaria faciunt, nulla vel admodum exigua spes est emendationis. *Et dicitis, Cur non portabit filius pœnā patris?* Quando Prophetæ dicebant, filius pius non luet pœnas, quas impius pater promeruit, respondebant, igitur melior est aliorum multorum cōditio, quam nostra: nos enim luimus alienam culpā, quī fit quòd multi alii melius habent? *Filius iudicium & iustitiam fecit, omnia præcepta mea custodit, fecitque ea: uiuendo uiuet.* Respondet ideo filiū nō puniri, quòd iustus sit, ac si dicat, si vos rectè uiueretis, & nō imitaremini patrū impiorū mala uestigia, nō exigerētur à uobis pœnæ. Nemo quidē exactè seruare legē potest, sed regenerati studēt omnibus legis partibus pro uirili, præmiūsq; à Deo afficiūtur. Quod dicit, *præcepta mea*, nō caret emphasi, nō enim noua opera, quæ Deus nō requirit à nobis, excogitādā sunt, sed faciēda sunt illa, quæ ipse præscripsit. *Anima qua peccauerit, illa morietur: ideo filius nō portabit iniquitatē patris, neque pater portabit iniquitatē filii.* At huic aduersari uidetur, quòd Deus ipse in Decalogo dicit: Se iniquitatē patrum in filiis inquirere, in tertiā & quartam progeniē. Postea cap. 34. idem repetitur inter misericordiæ diuinæ titulos. Deut. 28. Si non audieris vocē Domini Dei tui &c. maledictus erit fructus vētris tui, & filii tui, & filia tuæ tradentur alieno populo &c. *Jer. 17.* Qui facis misericordiam in millibus, qui reddis iniquitatem patrum in sinum filiorū post eos. Psal. 108. Filii eius mendicent, & eiiciantur de domiciliis suis. Hic colligi possunt exempla multa ex Scripturis, & quæ quotidie cernuntur in vita hominum, quæ ostendunt parentum scelera, filiorum calamitatibus puniri. Respondendum est, Deū nō dicere, quòd alienum peccatum in innocentibus puniturus sit, addit enim in Decalogo, qui me oderunt. Si liberi patres idololatrias imitentur, putantes se omnia impunè laturos, quia religionē à maioribus acceptā retineāt, in qua illi foeliciter egerint, eos puniā, inquit, licet parētibus ipsorū pepercim. Idē dicendū est de aliis quoq; sceleribus. Obiicis, Cur igitur Deus parētū vitia, in filiis vindicare dicitur, cū & ipsi peccēt? Dicendū potius esset, filiorū idololatriā & scelera punire, nō parentū. &c. Quia nisi patrū idololatria & scelera præcessisset, potuisset illorū pœna lōgius differri. Quia verò Deus diu multūmq; expectauit pœnitentiā, illi verò paternis uestigis insistent, diuina iustitia omnino poscit ut pœnæ ulterius nō differātur, alioqui uideri posset oblitus esse rerū humanarū. Quanquā igitur ipsi pœnā promeriti sint: tamen q; in tertia aut quarta generatione puniūtur, id impiis parētibus suis debēt. Punit autē parentes in liberis, qui magnū dolorē percipiūt, si eorū mala oculis intueri cogūtur. Quid verò dicemus de infantibus, qui à peccato actuali alieni sunt? Certū est in uniuersali diluuiio, itē Sodomis, multos non solū in cunis, sed etiā in utero materno periisse: infantes itē Chananæorū Amalechitarū, multosq; alios in urbiū excidiis. Respondendū est, ne illos quidē corā Deo puros esse, in peccatis enim cōcepti & nati sūt. Paulus affirmat nos natura esse filios iræ, ideóq; æternæ cōdēnationi obnoxios. Quod liberi seruātur, Christi merito acceptū ferre oportet. Lupini catuli iugulātur, etsi pecora nōdum lacera-

Deus puniē  
 parentum  
 peccata in  
 filiis.

20: 32.

rint. Quod alios attinet, negari non potest, quin Deus aliquos aliorum causa puniat: in publicis calamitatibus, boni etiã inuoluuntur: vt in bello, fame, peste, naufragiis, incendiis: Abrahamus & Iacobus fame cū aliis affliguntur: Pharaonis & Abimelechi familiã, propter principes suos: Calebus & Iosue cum Israelitis errant in deserto. Respõdendum est, pœnas non vnus esse generis, quãdã rectius remedia vocari possunt, quàm pœnã. Vt medici amaris medicamentis hominis sanitatem conseruant, & restituant: ita Deus pœnas quas meriti sumus, in medicinam conuertit: calamitates non immittit semper vt supplicia, sed alios fines non rarò spectat, nempe emendationem hominum, probationem, vtque eos præseruet ne ruant in scelera. Quanquam homines pii & innocentes, non carent suis nãuis: non pro virili se sceleribus opponunt, frigidè audiunt verbum Dei, non ardèter orant, &c. quare nõ possunt dicere, sibi à Deo iniuriã fieri, si cum impiis rebus aduersis inuoluãtur. Philippus Melancthon in Euangeliũ Ioannis locum Ezechiel, cū exẽplis illorũ qui propter parentum peccata plexi sunt, ita conciliat: Ezechielis, inquit, concio est vox Euãgelii annuntians remissionem peccati. Lex semper minatur pœnas, pro nostris & parentum peccatis, & cū non agimus pœnitentiã, manet iudiciũ legis, manet ira Dei, & opprimimur pœnis, cū æternis, tũm præsentibus: sed Ezechiel proponit vocẽ Euãgelii, Si egeris pœnitentiã, nec pœnã æternã oppriment te, & mitigabuntur vel tollẽtur pœnã præsentis. Quæstio hæc an & quomodo filius portet patris iniquitatem, explicatur à Petro Martyre in lib. Iudicum capite 11. folio 129. *Iustitia iusti erit super eum.* Promittit mercedẽ illis qui legem obseruant, quæ est iustitiæ regula & norma. *Et impietas impij super eũ.* Qui legem transgrediuntur, pœnas & iustas quidem dabunt. Quomodo autẽ lex seruari à nobis possit, & quomodo non possit, aliunde est petendum.


## HOMILIA LXXIX.

*Si impius ad Deum conuertitur, Deus ei remittit peccata.*

21 *Impius autem si auersus fuerit ab omnibus peccatis suis quæ fecit, & custodierit omnia præcepta mea, feceritque iudicium & iustitiam, viuendo viuet, non morietur.*

22 *Omnes præuersiones eius quas fecit, non commemorabuntur ei: propter iustitiam suam quam fecit, viuet:*

23 *Numquid desiderando desidero vt moriatur impius, dixit Dominus Iehouah? An non si auersus fuerit à viis suis, viuet?*



Quartum exemplum vel quartus casus, quo reãtudo iudiciorum Dei ostenditur, est de viro iniusto qui pœnitentiã agens, veniã peccatorum suorũ consequitur. Tantum abest vt ab alio pro alio pœnas deposcam, inquit Theodoretus, vt etiam ipsum legis violatorem quãuis infinita facinora patrarit, si pœnitens resipiscat, & iustitiæ vias persequi instituat, & accipiam, & vita dignum censeam. Facit autem hic locus Prophetæ mirificè ad cõsolationẽ illorũ, qui propter peccata admissa in cõscientiis suis torquẽtur. Est hoc Sathanæ ingenium, vt principio peccata extenuans, homines variis rationibus & exẽplis ad peccandũ prouocet, mox vbi eos prostrauit, vice versa peccatũ exaggeret, & ad desperationẽ sollicitet. Multi qui insidias hostis non norunt, oppressi desperatione, sibi ipsis manus adferunt, & in æternũ exitium ruunt. Sunt itaque loci illi Scripturarũ, qui

qui pauidas mentes erigunt, diligenter expendendi. *Impius si auersus fuerit ab omnibus peccatis suis &c.* Hoc loco proponitur nobis Diuina bonitas erga omnes serio resipiscentes. Nouatiani & Cathari negarunt lapsos post baptismū, iterum consequi remissionem peccatorum, quo suo nefario errore multos adegerūt ad desperationem. Potest autem multis sacrarum Scripturarum exemplis & sententiis, quarum hæc quoque vna est, hic error confutari: omnibus enim pœnitentiam agentibus, reconciliatio à Deo per Prophetam promittitur. Colligimus etiam ex hoc loco quibus in rebus consistat vera pœnitentia. Primū vt homines recedant à malo, deinde vt faciant bonum. Quisque nouit ad quæ scelera propensus, aut quibus obnoxius sit, itaque ab illis cauere debet, & contrariis virtutibus studere. Notādum quod dicit, *si auersus fuerit ab omnibus peccatis suis*, item, *si custodierit omnia iudicia mea*. Non enim est conuersio vera, si ab vno aliquo scelere nobis caueamus, interim aliis simus obnoxii: item si vnū aliquod caput legis præstemus, de reliquis nihil profus solliciti. Vbi, dicitis, fidei fit mentio? Conuersio à malo ad bonum, est fructus fidei. Non quidem possumus in hac imbecilli carne omnia perfectè præstare, tamen ad perfectionem est contendendum. Christus dicit Ioan. 13. Qui lotus est, non opus habet, nisi vt pedes lauet, sed est mūdus totus. Sanguine Christi abluūtur nobis omnia peccata: nihilominus tamē, quia procliues sumus ad malū pedes sūt lauādi, hoc est, prauis affectibus subinde est resistendū. *Viuedo uiuet, non morietur*. Non loquitur de morte corporali, qua omnes morientur, Heb. 9. sed de morte spirituali. *Omnes prauaricationes eius quas fecit, non commemorabuntur*. Omnia peccata veram pœnitentiam agentibus remittūtur. Peccatum in spiritum sanctum, dicit Seruator noster, Matth. 12. capite, non remitti: adiunctam enim habet impœnitentiam. Si peccata resipiscents non commemorabuntur, vel vt alii reddunt, non venient in recordationem, quid papistæ nugantur de purgatorio, quid de satisfactionibus suis? *In iustitia sua quam facit, uiuet*. Si legem perfectè seruaremus, per legem salus nobis obtingeret: sed nemo est qui eam perfectè seruare possit: Quis enim omni praua concupiscentia est vacuus? vt de aliis nihil dicam. Fiducia itaque collocanda in Christo, qui est nostra redemptio, iustitia & sanctificatio, 1. Corinth. 1. *Numquid desiderando desidero vt moriatur impius, dixit Dominus*. Deum non desiderare mortem impii, hinc apparet, quod omnes homines inuitat ad agnitionē peccati, & fide amplectentibus Filium Dei, atque inchoantibus obedientiam iuxta verbum Dei, remissionem peccatorum promittit. *An non si auersus fuerit à viis suis uiuet?* Modum quo impios saluos facere vult, ostendit, non si pergant in sceleribus, sed si serio resipiscant. Hoc dictum infrā cap. 33. repetitur, vbi iusiurandum additur, *Viuo ego, vt conscientia eò magis confirmentur, cum non solum promissionem audiunt, sed sancitam iureiurando*. Non autem hic multa de arcana Dei voluntate disputanda sunt, sed promissa salus in Christo est recipienda. Similes loci de remissione peccatorum, extant apud reliquos Prophetas, vt Isaia 1. Psal. 103. In nouo Testamento sunt egregii loci. Luca 15. similitudine de filio prodigo ostenditur, quomodo Deus quasi extentis brachiis paratus ad excipiendum peccatores eis occurrat. Petrus in Actis dicit, Christo omnes Prophas testimonium ferre, quod remissionem peccatorū accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. 1. Ioan. 2. Sanguis Iesu Christi Filii Dei, emūdat nos ab omni peccato. Item, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantū: sed etiā pro totius mundi. Huc pertinent exempla remissionis peccatorū quæ extant in veteri & nouo Testamento, Dauidis, Manassis, Petri, Matthæi, Zachæi, Thomæ, latronis in cruce, & aliorum.

Quæ sit vera  
conuersio.

*¶ Si iustus non perseverauerit in iustitia sua,  
pœna afficietur.*

24 Si autem auersus fuerit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas fecit impius, fecerit & viuet? omnes iustitiæ eius quas fecit, non commemorabuntur: propter præuarcationem suam qua præuarcatus est, & propter peccatum suum quo peccauit, propter ipsa inquam morietur.



Virtus casus, vel quintum exemplum, quo iustitia Dei per Prophetam declaratur, est de iusto non perseverante, cui iustitiam priorem negat profuturam esse. Hinc colligimus, quòd non satis sit benè cœpisse, & aliquòd vsque progressum esse, nisi ad finem perseveremus: non quidem in erroribus & malis rebus, hoc enim est pertinacia, sed in rebus bonis, quod est cōstantia. Est autem hæc virtus necessaria piis, propter exempla mala & offendicula, propter insidias variâsque diaboli machinas, quibus nos quatit. Christus Mat. 10. cap. discipulos suos ablegaturus, prædicit quæ pericula eis immineant, tandem subiicit: Qui autem perseverauerit vsque ad finem, hic saluus erit. Postea cap. 24. prædicēs pericula vltimi seculi, tandem sententiam repetit. Lucæ 9. non aptos suo regno dicit, qui vbi manum aratro admouerūt, à tergo respiciunt. Cap. 17. Mementote, inquit, vxoris Loth, cui non profuit Sodomis exiuisse, cùm respiceret. Apostoli quoque subinde nos admonent vt in fide vera persistamus, nec patiamur nos ab ea dimoueri. Ad Rom. 2. Qui redditurus est vnicuique secundum opera sua: his quidem qui perseverantes in benefaciendo, gloriam, honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Gal. 3. monet nihil profuturum eis quòd tam multa passi sint, nisi in viam redeant. Ad Coloss. 1. cap. admonet irritam fore gratiam, quam acceperunt nisi permaneant in fide firmi ac stabiles &c. Ad Philipp. 3. hortatur eos suo exemplo, vt eorum obliti, quæ à tergo sunt, ad residuam cursus partem strenuè & constanter pergant. 2. Timoth. 3. & 4. vbi dixit futuros nouissimis temporibus homines sui amantes &c. mox subiicit, At tu persistito in his quæ didicisti. Ad Heb. 3. cap. Christi participes facti sumus, si sanè initium substantiæ vsque ad finem firmum tenuerimus. 1. Ioan. 2. cap. Hortatur omnes vt in illis quæ docuit perseverent: aliquoties ponens verbum Manete. 2. Ioan. 3. Prospicite vobis ipsis, ne perdati quæ operati sumus, sed vt mercedem plenam recipiamus. Omnis qui trãsgreditur & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Apoc. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ &c. 2. Pet. 2. Satius fuisset illis non cognouisse viam veritatis. &c. Mat. 12. Similitudinibus potest ostendi non satis esse benè cœpisse, nisi pergamus. Si pueri in scholis strenuè proficiant, postea remittant, non perueniunt ad frugem. Siquis domum ædificaturus, fundamētum ponat non satis est, nisi absoluat. Qui in medio cursu deficit, nisi metam attingat brauiū non assequitur. 1. Cor. 9. Qui initio bellis est, fructu carebit nisi ad finem belli perseverauerit. 2. Tim. 2. Nemo certās coronatur nisi legitimè certauerit. Non satis est vxorem aliquot annis seruasē fidem coniugalem, nisi in ea persistet. Exempla. Saul ex bono rege pessimus euasit. Solomon iam senex in vxorum suarum gratiam idololatriam inuexit. Asa bonus fuisse & Dominum toto corde quæsiuisse legitur, nisi quod 30. anno regni sui, cum Baasa rex Israelis bellum ei indiceret, regis Syriæ auxilium petiit

De perseuerantia vel constantia Sanctorum

Similia.

Exempla.



petiit ob quam causam à propheta Anani reprehensus, Prophetam in vincula iussit conici. Deinde cum anno regni sui 39. ægrotaret ex pedibus, in medicorum arte confusus est, 2. Paral. 14. Ioas rex viuente Ioiada rectè se gessit, postea degenerauit. Demas qui Apollolo familiaris & charus fuerat, postea ab eo defecit, præfens seculum amplexus. Israelitæ egressi ex Ægypto cum in illam redire cuperent, in deserto mortui sunt. Idem illis fiet, qui paulatim repetunt errores & flagitia quæ deposuerant. His exemplis admonemur quanta diligentia orandus sit Dominus, ut nobis in vera pietate, & bonis actionibus perseverantiam largiatur.

Mouetur hoc loco quæstio, an iusti excidere possint à sua iustitia, & æternum perire: Sunt qui ad tempus credunt, quos Christus Matth. 13. c. *ἄποστατοί*, hoc, temporarios, vel temporari feruientes vocat. Hi tempore tentationis deficiunt à fide, ut cum multa aduersa perferenda sunt, vel cum sperant se posse dignitates & opes consequi: multi ex illis non solum deserunt veritatem cognitam, sed eam cõuitiis incessunt. Exemplo sunt omnes apostatæ qui ostendunt, se ad electionem reuera non pertinuisse. 1. Ioan. 2. Si fuissent ex nobis. &c. Qui verò vera fide præditi sunt, & imbecillitate humana, & ignorantia, in falsas opiniones & scelera interdum ruunt, at fidem non profus amittunt, sed restituntur per pœnitentiam. Mat. 24. prædicit falsos prophetas signa magna edituros, ita ut electi quoq; in errorem inducerentur, si fieri possit. Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, neq; peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Ad Rom. 11. dicit Apostolus Dei dona eiusmodi esse, ut eorum illum non pœniteat, quos semel ascripsit in librum vitæ, non expunget, constans est in amore erga suos, ad Rom. 8. Quis nos separabit à dilectione Dei: &c. Fieri igitur nequit ut electi pereant, seruante eos Spiritu Dei. Et si videantur ad tempus fidem amisisse, ut Dauid, Petrus, tamen eam denuo erunt. Et si igitur tententur electi, ut variis insidiis petantur, tamen certò cõfidant se non perituros, nõ dicant, Si ex numero sum electorum damnari nequeo, proinde non orabo, &c. ex se enim hoc non habent, quod sunt electi, sed ex gratuita Dei gratia, quæ diligentiam requirit, ne à Christo ad tempus saltem recedant. Illis verbis, *Et fecerit iniquitatem iuxta omnes abominationes*, exprimit plenam defectionem: nõ peccant infirmitate & incogitantia, sed abiiciunt timorem Dei. Huc pertinent loca ad Heb. 6. & 10. capitibus.

Quæstio an electi excidant.

HOMILIA LXXXI.

*Reprehendit Iudeos quod Deus iniustitia insimularent, ostendens opera ipsius iustissima esse.*

25 Et dicitis, Non est æqua via Domini. Audite nunc domus Israel: Num mea via non est æqua? an non potius via vestrae non sunt æquæ?

26 Quum enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur propter illa: propter iniquitatem suam quam fecit, morietur.

27 Et cum auerterit se impius ab impietate sua quam fecit, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit.

28 Vidit namque, & auersus est ab omnibus præuaricationibus suis quas fecit: viuendo viuere, non morietur.

29 Et dicunt domus Israel, Non est æqua via Domini. Niam viae meæ non sunt

*æque, domus Israel: an non potius viæ vestræ non sunt æquæ?*

30 Idcirco vnumquenque iuxta vias suas iudicabo vos, domus Israel, dixit Dominus Iehouah.



Propheta noster ideo tam copiosè in hoc capite iustitiam Dei asserit, quòd non solùm impij iudicia Dei calumniàtur: sed pij quoque sæpenumero æstu quodam abrepti, Deum tantùm non iniustitiæ insimulant, dicunt ipsum suos cultores nimis serò asserere, impios punire, in aliis quoque operibus eius non rarò aliquid desiderant. Pergit itaque his verbis Propheta, eandem rem tractare, de qua hactenus tractauit, ostendens Dei iudicia semper æqua & iusta esse. *Et dicitis non est, æqua via Domini, Munsterus reddit, non æque liberatur:* annotans quòd verbum *יָחַן thachan* significet ponderare, mensurare & numerare. Accusabant Deum quòd non seruaret æquabilitatem inter pœnam & peccatum: quòd vnum grauius puniret quàm alterum, aut vni scelera remitteret, ab altero verò pœnas exigeret, modùmque in eis excederet. Hæc fuit intolerabilis blasphemia, in Deo enim iniustitia locum non habet. Quanquam iustitiam ipsius ab humana separare oportet, alioqui nõ per omnia de eo pronunciare possemus, quòd esset iustus. Quicquid ipse facit iustum est, etiamsi iniustum esset, si à nobis fieret. Inter homines quoq; multa fiunt ab aliquo licitè, quæ si ab aliis fierent, culpa non vacarent. De iustitia Dei passim occurrunt testimonia in Scripturis. Psal. 119. ver. 137. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Psal. 11. Iustus est Dominus, & iusticiam diligit, &c. *Num via mea non est æqua? annon potius viæ vestræ non sunt æquæ?* Per viam omnia Dei iudicia & opera intelligit. Interrogatione illa compescit diras blasphemias Iudæorum, defendens Dei iudicia: & è diuerso ostendens ipsorum iudicia, opera & studia, corruptissima esse. Cùm obrepunt nobis cogitationes, quòd Deus non rectè omnia administret, his verbis Propheta, tanquam clypeo excutiendæ sunt. *Quum auerterit se iustus à iustitia sua.* Dicit se iustos, qui iustitiam deserunt, condènare: & iniustos, qui ab iniustitia recedunt, in gratiã recipere. Hæc repetitio (vt aliæ quoq; in Sacris literis) non est inanis *ταυτολογία*: non enim satis declarare potuit iustitiã Dei, tanta erat eorum petulantia. Hæc vult dicere, Cùm faciam quod negare non potestis, quomodo dicitis me iniuste agere? *Vidit namque & auersus est.* Vidit. s. sua scelera. Excæcãmur quodãmodo cùm ruimus in scelera, postea nobis restituti, rursus aperiuntur nobis oculi & videmus regulam contra quam egimus: item videmus quantopere nos hæc vel illa dedeçant, videmus quàm malè & nobis & aliis cesserint, & hoc initium est veræ pœnitentiæ. Vel descendit à *יָרַח iarah*, vt suprã quoque, id est timuit. Timor enim frænum quoddam est, quod nos retrahit à sceleribus & impietate. *Non est æqua via Domini:* Eandem rem repetit, vt eorum impietatem exprimat. Cùm negare non possent quod Propheta dixerat, tamen Dei iudicia, vt iniusta palàm reprehendere non desinebant. Discamus cùm nobis in mentem venit, Deum non rectè iudicare, tales cogitationes statim veluti ignè in cineribus opprimere: nisi enim eas statim excutiamus, erũpunt in voces impias, crescitq; subinde audacia, vt in aliis quoq; nemo enim repente est turpissimus, vt prouerbio dicitur. Reuocandum semper in memoriã, Deum cælum & terrã condidisse, absq; nostra opera & cõsilio: deinde quinã simus nos cõparatione Dei: de illius iustitia, vt paulò antè dixi, non secundum iustitiã quæ ab hominibus postulatur, sed secundum liberã eius potestatem, iudicãdum esse, qua liberrimè de quolibet facere potest, quod ipsi visum fuerit. Reuocandum adhæc est in memoriã, quàm pauca in physicis, nedum cælestibus mysteriis intelligamus. Quotusquisque est nostrũ, qui vel horologium rectè possit tractare, interim res tam arduas molimur? Malè audiunt qui de rebus hominum incognitis loquuntur, interim

Iudicia Dei  
iusta sunt.

de Dei

de Dei iudiciis temere, non expectando rerum euentum, audemus pronuntiare. *Vnumquenque iuxta vias suas iudicabo.* Secundum vias vestras, quæ mihi notissimæ sunt, vos iudicabo, non igitur est quòd iudicia mea calumniemini, sentietis ex pœnis quas iustè vobis illaturus sum, innoxij sitis necne. Discant Ecclesiarum ministri, & omnes fideles, quâto studio Dei gloriam contra impios asserere debeant.

HOMILIA LXXXII.

*Hortatur populum, ut omnis querelis resipiscant, quæ unica sit via effugiendi futura mala.*

30 *Conuertimini, & conuertere facite ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in offendiculum iniquitas.*

31 *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum: & ut quid moriemini domus Israel?*

32 *Quia nolo mortem mortui, dixit Dominus Iehouah: reuertere facite igitur, & viuetis.*

**I**N calce hortatur Propheta Iudæos ad pœnitentiã: qui cum alii malis peccatis, tum illo quoque iram Dei accendebant, quòd querebantur Deum propter peccata patrum ipsorum, ipsos punire. Vult igitur vt peccata sua agnoscant, & veniam petant. Nulla enim est via compendiosior ad salutem, quàm vt peccatum ingenuè confiteamur. Parentes filios illos qui negant se peccasse, & culpam in alios conferunt, vehementius castigant quàm illos qui peccatum liberè confitentur. Magistratus quoque illos ferre non potest, qui pro deprecatione ex postulatione vtuntur. Audiamus hanc exhortationem, hodie quoque nobis valde necessariam. *Conuertimini & conuertere facite ab omnibus iniquitatibus vestris.* Loquitur primùm de interiore cõuersione vt animum renouent, si enim fons fuerit infectus, pœnitentia nulla erit, sed hypocrisis. Deinde loquitur de externis fructibus pœnitentiæ, vt dignos pœnitentia fructus edant, & quemadmodum ad Romanos dicitur: Vt exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra iustitiæ. Iubet etiam veterem hominem mortificare, nouum induere. Munsterus, *Conuertere facite, vel reducite, exponit, quisque alterum.* Requiritur enim à pœnitentibus, vt alios quoque, in primis verò illos quibus authores fuerunt peccandi, in viam reuocent. Opera veræ pœnitentiæ non sunt peregrinari ad limina sanctorum, ornare templa, induere cucullum, anathemata diuis suspendere: sed à peccatis abstinere & studere virtuti. Christus veram pœnitentiam definiens dicebat: Vade & noli amplius peccare. Ambrosius, Vera pœnitentia, inquit, est cessare à peccato. Papistæ rem eò deduxerunt, vt plurimi se pœnitentiã egisse putarint, si quod pœnitentiæ loco impositum erat, seruassent, etiam si omnia simulatè facerent, & in sceleribus pergerent. Dicit, *Ab omnibus iniquitatibus vestris.* Sunt enim qui sibi ab vno & altero scelere cauere, in reliquis pergunt, & ea defendunt. Nemo, inquit persuadere mihi, me in hoc vel illo peccare. Quis verò, obicis, potest in hoc mortali corpore sibi ab omnibus cauere? Semper contendendum est serio conatu ad perfectionem. *Vt non sit in offendiculum ista iniquitas.* Nisi ex animo doleamus de admissis peccatis, & ad Deum conuertamur, perimus propter peccata. Peccati stipendium, dicit Paulus, est mors. Peccatum est quasi venenum, quod nisi reme-

Vera pœnitentia quæ.

dium adhibeas, hominem interficit. Quod iam dixit, aliis verbis repetit atque confirmat. *Proicite à vobis omnes iniquitates vestras.* Non dicit simpliciter caute vobis à sceleribus: sed proicite à vobis, ut cum quis serpentem de manu pendentem, aut foedum aliquid, quod imprudens sustulit, statim abiicit. Isaia 2. cap. de idolorum cultoribus praedictum est, quod idola aurea & argentea, in die visitationis sint proiecturi: nimirum sicut res noxias prorsus abiicimus. Ostendit nos detestari debere peccatum, neque solum vnum & alterum, sed omnia cane peius & angue, ut est in proverbio, odio habenda esse. Quod dicit, *vestras iniquitates quibus prauaricati estis*, etiam videtur habere Emphasim, putabant enim se immunes esse ab omnibus sceleribus: & Deum aliunde accersere occasiones eos puniendi.

*Facite vobis cor nouum & spiritum nouum.* Exigit solidam resipiscentiam, non hypocriticam: vult sincero corde Deum colant, & cor ab effectibus purgatum habeant. *Quare moriemini domus Israel!* Nisi iniuste ageretur, poenā de vobis non sumeret Deus: non scuit in innoxios, ut homines aliquando, non ab illis solum à quibus laesi sunt, sed de filiis & nepotibus quoque eorum ultionem sumentes. In nostris annalibus memorabile habemus exemplum de Alberto Rodolphi Caesaris filio, qui cum propè Vindonissam in Heluetia, à Ioanne Habsburgo nepote ex fratre, & nobilibus interfectus esset, Leopoldus dux & Agnes regina Hungariae vidua, liberi ipsius, non de parricidis solum, sed liberis quoque & cognatis ipsorum supplicium sumpserunt: multasque arces in Heluetia nostra funditus euerterunt, vsu ad hanc rem opera Heluetiorum. *Quia nolo mortem mortui, dixit Dominus.* Suprà quoque dixit, se nolle mortem peccatoris, & infra idem repetet 33. cap. quod non in vniuersum de omnibus est accipiendum: distinguendum enim est inter peccantes. Sunt quos poenitet admissorum scelerum: ij ut ad electorum numerum pertinent, ita etiam fidem qua praediti sunt, exercent: de hoc peccatum genere loquitur Deus apud nostrum hunc Prophetam, hos non vult perire, atque hac eius voluntas firmissima est. Sunt deinde alij qui non agunt poenitentiam, quandoquidem ad reprobatorum numerum pertinent: istos certe Deus vult mori. Est & altera interpretatio, Prophetam hoc loco non agere de potenti arcana atque efficaci voluntate, qua omnia quae vult in caelo & terra efficit: sed de voluntate quam vocant signi. Dominus enim iussit Legem suam praedicari omnibus, proposuit vtilia & necessaria: ista ergo voluntate, non vult mortem peccatoris, imò reuocat eos ad poenitentiam. Altera autem voluntate si neminem vellet perire, certe nemo perire posset, nullaque tam peruersa voluntas est, dicit August. quam Deus non possit corrigere. Sentit igitur Propheta non esse Deo ascribendas nostras poenas, sed nostris potius peccatis. Et cum subiicit, Deum velle ut homines conuertantur & viuant, non sic accipiendum est, quasi merito poenitentiae vitam assequamur. Nam & poenitentia & fides, est Dei donum. 2. Tim. 2. c. Paulus dicit, Deum dare hominibus resipiscentiam. Ad Ephe. Fide seruati estis, & hoc non ex vobis, Dei donum est, &c. Non autem disputandum est, cur Deus hac sua dona, isti, & non illi largiatur. Hoc nobis sufficiat, quod scimus Deum quicquid facit, rectissime & iustissime facere. Propheta ideo de arcana voluntate, hoc loco nihil dicere videtur, ut nos doceat non anxie inquirendum esse in arcanam Dei voluntatem, quae nos latet: sed iudicandum de illa, prout ex sacris literis nobis proponitur, & cognosci potest. Quae ad te non pertinent, & in Scripturis non traduntur, noli scrutari, si non vis errare. Quin potius pio animo in reprobis iustitiam & iram Dei, in electis misericordiam & gratiam eius agnosce, ut docet Paulus ad Rom. II. capite. *Idcirco auertite vos (à malo) & vinite.* Hoc est, si resipiscatis, consequemini gratiam, salutem & vitam. Poenitentia itaque non est inutilis, ut Satan hominibus persuadere conatur. Ex hoc, quod Propheta Iudaeos hortatur ut resipiscant, ut se

Quomodo  
Deus nō ve-  
lit ut impius  
moriatur.

Poenitentia  
Dei donum.

vt se auertant à malo, cor nouum sibi faciant, multi colligunt hæc posita esse in nostris viribus, vel, vt ipsi loquuntur, in libero hominis arbitrio. At longè falluntur: loca enim Scripturæ obscuriora cum aliis conferenda sunt. Ezech. 36. totum hoc sibi Deus ascribit: Sancti fatentur Dei donum esse cordis nouitatem, ideóque ab ipso ardentibus votis eam petunt, nec minus difficilis est secunda creatio, vel regeneratio, quàm prima creatio. Excipiunt, Deum ergo ludere cum hominibus, si à nobis flagitet quod præstare non possumus. Nequaquam: vult enim vt nostram imbecillitatem agnoscentes, ad ipsum confugiamus, & ipsi gratias agamus pro ingenti eius misericordia. Valde idoneam loco hoc affert similitudinem Calvinus, de creditore & debitore. Si creditor exigat debitum à debitore cui ne teruncius restat, an ideo accusandus est, quòd ludat cum debitore? Nequaquam. Discamus nos, non fructu suo carere si à malo recesserimus: ideóque à malo recedentes, rebus bonis studeamus.



## Concio duodecima Ezechielis.

HOMILIA LXXXIII.

*Deus Propheta lugubre carmen dicit, in cuius prima parte sub parabola leonum, regum scelera & pœna commemorantur.*

CAPVT XIX.

- 1 **T** assume planctum super principes Israel.
- 2 Et dic, Cur mater tua leena inter leones accubuit? in medio leunculorum multiplicauit catulos suos.
- 3 Et ascendere fecit vnum de catulis suis: leunculus fuit, & didicit rapere rapinam, homines comedere.
- 4 Et audierunt de eo gentes: reti eorum captus est, & adduxerunt eum catenis ad terram Misraim.
- 5 Cum autem vidisset se diu expectasse, & periisse expectationem suam, tulit vnum de catulis suis, leunculum posuit eum.
- 6 Et incedebat in medio leonum, & leunculus factus est, & didicit rapere rapinam, homines comedit.
- 7 Cognouit quoque viduas eorum, & ciuitates eorum desolauit, desolatæque est terra, & plenitudo eius à voce rugitus eius.
- 8 Et ediderunt vocem super eum Gentes per circuitum de prouincijs, & expanderunt super eum rete suum: reti eorum captus est.
- 9 Et posuerunt eum in carcere in catenis, & adduxerunt eum ad Regem, & induxerunt eum in munitiones, ne audiretur vox eius vltra super montes Israhel.

Summa huius orationis.

Forma. Vfus.

Lca.

Principes leonibus comparantur.

Leones foueis capiuntur.

**H**oc capite CONCIO XII. continetur, quæ ostendit Deum dictasse Prophetæ *θρηνησαν* vel lamentationem, qua indicat quomodo duo reges Iuda, nēpe Ioachaz & Ioachim in captiuitatem abducti sint propter scelera sua, quòdque Regi qui iā regnabat, atque reliquiis populi, idē euenturum sit. Rem illustrat duplici similitudine, quarum prior sumpta est à leonibus, altera à vite sterili. Vfus huius orationis hic est præcipuus, quòd principes & subditi suum ex illa officiū discunt. Principes vt pij sint, vt promoueant veram religionem & cōmoda suorum subditorum, iuste iudicent, non tyrannicè agant, suòque exemplo alios non corrumpant. Subditi, vt obediant suis principibus in bonis rebus, orent pro ipsis Deum, nam si subditi bestias in moribus suis referant, Deus eis bestias præficit, propter peccata populi, tyranni imperium tenent. Præponit titulum, *Et tu assume planctum super principes Israel.* *כינא* *kinah* lamentatio: ploratus. In plurali numero, & *כינים* *kinim* *כינות* *kinoth* lamētationes, qualis est elegia Ieremiæ, qua Urbis & Templi excidiū deplorat. Deus iubet Prophetam carmen lugubre scribere de regum Israel interitu. Per reges Israel, non intelligit illos in Samaria, pridem enim regnum illud euersum fuerat: sed illos qui in Ierusalem regnabant. Omnibus seculis res lætæ & tristes comprehensæ sunt carminibus. *Curr mater tua leana inter leones accubuit?* Matrem Regum vocat urbem Hierusalem, vel regiam stirpem, siue populum Iudæum ex quo sumpti sunt reges. Urbē verò leanam appellat, vt annotat Theodoretus, non solum propter eius regiam nobilitatem, sed etiam propter morum audaciā. Reges illi versati sunt inter reges Ethnicorum, hoc est, moribus suis eos retulerunt, & fœdera cum ipsis inierunt. Reges Gentilium soluti omni metu, faciebant quicquid libebat: ita etiam reges Iudaici abiecta lege, suos affectus sequebatur. *Sustulit vnum, ex catulis suis leo factus est.* Populus euexit Ioachaz, eumque loco patris Regem constituit. Is factus est leo, hoc est truculenta bestia. Sacri & prophani scriptores, reges leonibus comparāt, eò quòd inter quadrupedes nullum aliud animal magnanimitate ita præstet: deinde somni sunt parcissimi & aspectu solo homines terrent: multisque regiis virtutibus sunt præditi. Hoc loco in malam partē accipitur hæc metaphora. Ioachaz enim eiusque fratres, non leones erant in defendendis bonis, & opprimendis sceleratis, sed in optimis quibusque sternendis atque dilacerandis. Tales autem reges merebantur pessimi mores populi. Habuerant Iosiam, multis verè regiis virtutibus excellentem, cui infesti fuerant: digni igitur erant truculentis bestiis. *Didicit rapere rapinam.* Principes patres populi sui esse debent, & veluti pastores gregis sui, fortunas suorum defendere debent. Tyberius Cæsar ab amicis admonitus vt vestigalia auget, respondit boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Possunt principes iure diuino, tributa & vestigalia à suis exigere, modus tamen illa in re, sicut in aliis quoque, non est excedendus. Minuendus est luxus aulicus, quò minus molestos subditis esse oporteat. Peccatur hac in re plurimum hodierno die à principibus. Ioachaz ille expilabat populū miserum. *Homines comedere.* Non vult ostēdere, quòd anthropophagus fuerit Ioachaz, sed crudelis, qui neminem curarit, cui nulla fuerit religio homines interficere. Quales hodie inuenias plures, qui bus nulla est religio sanguinem humanum innocentē effundere. Inuenias principes, qui canū venaticorum maiore ferè rationē habere videntur, quàm suorum subditorum. *Et audierūt de eo gētes, & reti vel fouea eorū captus est.* Historia enim testatur Nechao regē Ægypti Ioachazo iniēcisse vincula, quòd regnū Iuda se victore incōsulto sibi vīrpasset, ipsumque secū in Ægyptū abduxerit, vbi miserè interiit. Si leones dāna dent hominibus, venatores eis insidiantur. Venationis eorū non vnus est modus: Xenophō & Oppianus scribunt, Lybicos venatores cum leonis ex specu ad aquam proficiscentis viam obseruarint, iuxta illam rotundam & amplā foueā facere, in eius medio columnā terræ relinquere, ei agnum sub noctis tempus religatum

reliatum superimponere, foueam ramis circumsepire, ne videri possit, nullo aditu relicto agnum famelicum leonem suo balatu incitare, quo obambulante & transitum non inueniente, transilire & inopinata fouea excipi. Plinius quoque scribit leones maximè foueis capi. Retia item tenduntur leonibus, quæ cum incurrunt, comprehenduntur. *Cùm autem vidisset se diu expectasse & periisse expectationem suam, tulit unum de catulis suis, leonem posuit eum, &c.* Captum Ioachazum sperabant Iudæi rediturum in patriam: qua spe cùm frustrari essent, sumpserunt alium catulum, & fecerunt eum leonem, hoc est, Ioachimum ad rerum summam promouerunt. Non quidem ipsi regem crearunt, sed primùm rex *Ægypti*, postea Nabuchadonosor, ipsis verò hoc tribuitur, quia consenserunt in eum: deinde moribus suis, quia læna esse non desinebant, talem habere merebantur. Quid fecit nouus ille rex? Non cautiore factus miserabili fratris casu, religionem repurgauit, sanctè vixit: sed fratrem suum nequitia superauit: nam eadem ei tribuuntur quæ fratri, postea additur: *Cognouit quoque viduas, mœnia eorum, & ciuitates eorum vastauit.* אלמנות *almanoth* quidam viduas interpretantur ab אלם *alam* tacere, eò quòd viro defuncto, loqui & litigare non valeat, vel, quòd viduarum sit munus, silere, nò vociferari, tripudiis & canticis musicis gaudere. Forsterus annotat in sua Lexico, hanc vocem אלמנות *almenoth* pro ארמנות *armenoth*, hoc est, mœniis urbium data opera positam esse à Propheta, qui illa paranomasia vti voluerit, ironicè & mimeticòs. Alij vertunt palatia. Isaiæ 13. capite, etiam pro ædibus vel palatiis ponitur, vbi lamed vice res positum dicunt. Sensus est, Regem violasse viduas (quarum pudicitiam defendere debuit) vel, palatia & vrbes eorù destruxisse, hoc est fecisse quæ ad desolationem & euersionem ipsarum fecerunt, exhaurièdo eos immodicis exactionibus, & prouocando hostes: sequitur enim: *Desolata est terra & plenitudo eius à voce rugitus eius.* Sensus est, sua immanitate & ferocia terram desolatam reddidit. Quod non solum ita intelligo, quòd sua perfidia bello occasionem dederit, quo terra vastata est: sed sua crudelitate effecit, vt optimi quique fuga sibi cõsulerent, asportatis rebus preciosis. Prouerb. 28. dicitur, Dum confurgunt impij, absconditur homo. Quando impij euehuntur ad imperium, pij delitescunt, ne ad supplicium rapiantur. Sub Romanis imperatoribus, qui Ecclesiam affligerunt, multi Christiani in loca solitaria se contulerunt, ne cùm igni, bestiis, tortoribusque traderentur, Christum abnegarent. Hinc monachismus originem duxit: sublati enim tyrannis, multi in solitudinibus manserunt, quorum exèplum alij quoque sequuti, se in loca solitaria contulerunt. Rugitus leonis terrificus est: Basilius in suo Hexaëmero; & qui ipsum imitatus est Ambrosius, scribunt multa animantia quæ leonis impetum celeritate euaserint, horrenda tamen eius voce percussa & attonita, ita consternari atque deficere, vt nullo negotio ab eo capiantur. Ira regis sceleratis, non bonis debet esse formidabilis. *Et ediderunt vocem super eum gentes per circuitum de prouinciis, &c.* Quod priori regi accidit, idem accidit etiam Ioachimo. Quemadmodum apud nos si lupo gregem infestet, impelluntur campanæ quibus conuocantur agricolæ, qui magnis clamoribus lupos venantur, ita hunc regem iunctis viribus captum dicit. Postquam Nabuchadonosor qui victo Necoone, à quo ille rex constitutus fuerat, Iudæam subegit, certisque conditionibus Ioachimo regnum concessit, intellexit ipsum defectionem moliri, ascendit contra ipsum, coniunxerunt se illi vicini populi odio Iudæorum, captum vinxit duabus catenis vt eum in Babylonem abduceret. Quidam volunt in itinere mortuum: quidam à rege Hierosolymis interfectum, & extra urbem proiectum. Et quoniam non exprimitur in Babylonem perductum, quidam hunc locum de Zedechia exponunt, quem constat capta vrbe, Riblam abductum esse cum suis principibus, ibi effossis oculis, ac catenis iniectis, cum magna captiuorum turba abductum in Babylonem, in exilio vitam finisse. Esto, non de Zedechia loquatur, ta-

Ioachim.

Rugitus  
leonis.

men fratris exemplo discere eum voluit, quid sibi sit expectandum. Dicuntur eū posuisse in גַּר סָגָר, cōpedē vertunt, à גַּר סָגָר claudere, cōcludere. Münsterus vertit *In clausura*. Sanctes *In carcere*. Septuaginta ἐν κημῶσι. & חַכִּים *chachim*, catenæ, vincula : significat etiam hamum quo pisces capiuntur, item fibulam, qua indumēta sub collo constringuntur. Münsterus *In vincula*: Sanctes *In catenis*. Septuaginta, in γαλαῶρα cauea ferrea. De Tamerlane Scytharum rege legitur, quod Baiazetē regem Turcarum captum, caueæ incluserit, aureis catenis ligarit, & equum conscensurus, eo pro scabello vsus sit. מֶצֶדֶת *mezodeth*, significat turres seu munitiones, quæ ponuntur in sublimioribus locis. Münsterus & Sanctes reddunt, *In munitiones*: Septuaginta, εἰς φυλακῶν. *Ut non audiretur vox eius ultra in montibus Israel*. Suo rugitu & truculēta sāvuitia, homines hæcenus turbavit: sed coniectus in carceres Babylonios, in Iudæa nemini facescit negotium amplius.

Tyrannorum exitus. Videmus ex hoc loco, quis sit tyrannidis exitus. Si euoluamus historias, inuenimus omnes ferè tyrannos, tragicos exitus habuisse: vnde Iuuenalis:

Ad generum Ceresis sine cæde & vulnere pauci  
Descendunt reges & sicca morte Tyranni.

Et si verò suorum scelerum in hac vita non dent pœnas, dabunt tamē, nisi pœnitentiam agant, post hanc vitam. Deus adhuc habet sua retia, foueas & venatores, quibus tyrannos capiat & interficiat. Hoc loco mihi in mentem venit Historia quæ apud Iulium Capitolinū in vita Maximini imperatoris legitur, de mimo quodam qui in theatro Græcè hos versus ipsō præsentē recitauit, quibus ostēdit ipsum pœnas suæ crudelitatis daturum, quantumuis confideret robori quo pollebat.

Elephas grandis est, & occiditur:

Leo fortis est, & occiditur:

Tigris fortis est, & occiditur:

Caue multos, si singulos non times.

Quia verò Imperator linguæ Græcæ imperitus erat, & interroganti alia sententia dicebatur, mimus interea euasit. Rectè autem ipsum dixisse, euētus postea comprobauit. Cùm autem Deus regibus comminetur supplicium, priuati homines non sperent immunitatem, si & ipsi inclementes sint erga fratres suos.

Leonū nomina.

Ad meliorem huius capituli intelligentiam, annotandum apud Hebræos quatuor esse leonum nomina, iuxta diuersos ætatis gradus. Primum est גֹּר *gur*, quando adhuc est catulus, & nondum ad prædam excurrit, de aliis quoque animalium catulis vel pullis accipitur. Secundū est קֶפֶר *kephir*, cùm auctus est ætate, nec tamen integram adhuc ætatem attigit. Hi quia famelici sunt, prædæ cupidi sunt & sāvui. Tertiū מַרְיָה *arieh* & מַרְיָה *ari* cùm est robustus & fortis, ab מַרְיָה *arah*, discerpendo. Quartū לֵוִי *leui*, quando consenescit. Hebræo respondet vocabulum Germanicum, *Le u*. Forsterus deducit, à corde, quasi dicas cordatum, secundum illud 2. Sam. 17. cuius cor est sicut leonis. Leones enim magno sunt & generoso animo. Homerus ἰγνεύεις appellat, scribitur eos laruis non terreri. ψῆλαισῆ quoque leonē significat, quam vocē Forsterus deriuat à ψῆλαισῆ *losh* quod significat massam subigere, sicque dictum vult, quod prædam subigat, & tribus tantum locis hanc vocem legi scribit, Job 4. Prouerb. 30. Isā. 30.

HOMILIA LXXXI.

*¶* Propheta in altera parte huius elegiæ, sub metaphora vitis docet Iudæos, qui maximis beneficiis à Deo affecti sint, propter ingratitude suam funditus perdendos esse.



10. Mater tua fuit tanquam vitis in sanguine tuo, iuxta aquas plantata, fructificans & producens ramos propter aquas multas.

11. Fueruntque ei virgæ fortes pro sceptris dominantium: & exaltata est statura eius supra, inter ramos, & non conspecta est in altitudine sua in multitudine ramorum suorum.

12. Euulsa autem est in ira, in terram deiecta, & ventus Orientalis siccauit fructum eius, confracti sunt rami eius & aruerunt, virgam roboris eius ignis absumpsit.

13. Nunc autem plantata est in deserto, in terra arida & sitibunda,

14. Et egressus est ignis de virga ramorum eius, fructum eius consumpsit, & non fuit in ea virga fortis, sceptrum ad dominandum: planctus est, & erit in planctum.



Ecunda huius capituli pars, continet alteram parabolam siue allegoriam de vite vel vinea, qua ostendit Iudæos miserè perdendos, & regno spoliandos esse propter suam ingratitude[m]. Hæc autem parabola habet duo membra. Primùm enim ostenditur quomodo Deus vitis instar, populum Iudaicum plantavit: Secundo quòd instar aridæ vitis subito excidendus sit. Similem parabolam supra cap. 17. habuimus, ubi annotavi quare Deus populum suum vitibus compareret, quæ inde repetenda sunt. Cogitandum autem nobis est, hæc non ad Iudæos solum pertinuisse, sed hodie quoque nobis dici, ut aliorum malis cauti reddamur. *Mater tua fuit tanquam vitis in sanguine tuo*, Sensus est, Mater vestra in partu, cum vos primùm in lucem edidit, hoc est, cum in populū facti estis, fuit similis viti plantatæ ad aquas. Quod intelligendum est ex terræ illius conditione: nam quia terra calida est, amant vites aquas, ut succum habeant. Psal. 1. Erit sicut arbor plantata ad marginē aquarum. Si cum his conferas historiam Exodi, inuenies Israelitas creuisse, & multiplicatos esse inuito Pharaone, qui pueros masculos occidi præcipiebat: in exitu enim ex Ægypto fuerunt sexcenta millia. Forsterus reddit, *mater tua sicut vitis in similitudine* (דָּמָה דְּמִטְּוּתוֹ) iuxta aquas plantata, id est, sicut tu. *Fructificans & producens ramos, propter aquas multas*, פָּרָה אֲנֶסָף participiale nomen, frondosa פָּרָה אֲנֶסָף ramus, surculus, palme. Hæc nomina variè redduntur ab interpretibus. Non creuit sicut falices & tiliæ, quæ folia & frondes duntaxat proferunt, sed palmites & botros habuit. Ad Heb. 11. cap. Israelitæ, quos per vitem adumbrat, dicuntur per fidem trāsisse mare rubrum veluti siccam terram: per fidem cepisse Hierichuntem: per fidem operati esse iustitiam, expugnasse regna, &c. Quoniam in regione culta erant, initio gratos se præbuerunt Deo, fueruntque instar fructiferæ vitis. *Fueruntque ei virgæ fortes pro sceptris dominantium*, per מַטְּוּתֵיהֶם mathah virgam vel baculum, intelligit palmites vel sarmenta. Palmites tam firmi fuerunt, ut ex eis fierent regalia scepra. Scitis alioqui vitis lignum fragile esse, neque idoneum, ut ex eo fiant scepra. Significat reges ex hoc populo esse sumptos. מַטְּוּתֵיהֶם Sceptrum siue virga, in scripturis significat potestatem regiam. Iacobus Patriarcha vaticinatus est, sceptrum de manu Iudæ non auferendum, donec veniat qui mittendus erat. Σκῆπτρον (ut Camerarius in Homeri Iliada annotat) scipionem significat, à verbo σκῆπτειν, quod est inniti. Insigne principatus fuit apud veteres, quia seniores, ipsius etiam naturæ ordine, & hominum consensu, præesse debent: seniorum autem gestamina sunt scipiones, ut incedant firmius baculis nixi. Homerus cōmuniter σκῆπτροῦχος βασιλῆας appellat. Fuerunt autem regum & principum scipiones conspicui preciosa materia, atque ipso opere. Iliad. 1.

Σκῆπτρον χρυσεῖοις ἦλοισι πεπαρμένον.

Et Verg. — Sceptroque inuisus eburno.

Parabola de vite.

Prima conditio populi Dei qualis fuerit.

Vitis plantata ad aquas.

Vitis ramosa & fructifera.

Sceptrum.

Iustinus libro 43. scribit, vetustis temporibus Reges hastas pro diademate habuisse, quas Græci *σκήπτρα* dixerint: nam & ab origine rerum pro aliis immortalibus veteres hastas coluisse: ob cuius religionis memoriam, adhuc deorum simulachris hastæ addantur. Etiam Hebræa vox *schefeth* hastam significat: item tribunal, quia nomina baculis inscripta erant: vel à iudiciaria potestate. Hodie quoque ciuitatum prætores, & prouinciarum præfecti in publicis iudiciis baculos gestant. Apud Romanos præfectis prætorio extra urbem scipio eburneus dabatur, ut prouincialibus maior metus incuteretur. Sceptrum virga vel baculus, signum est castigationis & disciplinæ, auxiliij item, defensionis & sustentationis, adde etiam æquitatis. Præcipuum Regum munus est, ut bonos tueatur & sustentent, malos verò coerceant. Sed hæc obiter. Iudæi multos habuerunt Reges: nam à primo rege Saule, vsque ad vltimum nempe Zedechiam, numerantur 20. nihil iam dicam de Regibus decem tribuum, quorum 19. fuerunt. Ante reges, habuerunt iudices viros præstantes. Et exaltata est statura vel eleuatio eius supra inter ramos, & conspecta est in altitudine sua in multitudine ramorum suorum. *גב גפאב* neutraliter significat altum esse, seu eleuari, seu extolli siue animo siue corpore *גבאב* intricatum, complicatum, condensatum, & dicitur de frondibus & funibus, hoc loco accipitur pro vite sylvascente sarmentis, & in omnes partes se diffundente. *גבאב דאבאב* rami, surculi, palmites sublimiores, *גבאב*. Vitis hæc ad maximam altitudinem excreuit, hoc est, populus hic valde auctus est, consequutus est amplissimas victorias, opes maximas, nomen toto orbe celeberrimum, ita ut alias multas gentes longè antecelleret. D. Paulus ad Rom. 9. cap. prærogatiuas recenset, quibus Iudæi aliis gentibus fuerunt præstantiores. Pro tot & tantis bonis, non fuerunt grati Deo: sed in suam ipsorum perniciem illa conuerterunt. Est enim hoc hominum ingenium, ut rebus secundis primam suam originem non repetant memoria. Rectè dixit Ouidius:

Iudæorum dignitas & excellentia.

Luxuriant animi rebus plerunque secundis:

Nec possunt æquo commoda mente pati.

Audiamus alteram huius parabolæ partem, de pœna qua à Deo affecti sunt. Multis verbis ostendit de improviso pœnas dedisse: grauiores autem sunt pœnæ, quæ subito nihil tale expectantibus inferuntur. Iacula præuisa, ut est in proverbio, minus feriunt. *Euulsa est in ira.* Vitis illa radicitus euulsa est à Deo irato in terram deiecta: ut cum irati vas aliquod in terram proiicimus. *Et ventus Orientalis siccauit fructum eius.* Per ventum Orientalem, qui fructus, fruges, & arbores, corrumpit, intelligit Nabuchadonosorem, qui terram magno exercitu ingressus, omnia longè lateque vastauit & inflammauit. *Confractæ sunt & aruerunt virgæ roboris, ignis absumpsit eas.* Rex cum suis liberis, consiliarij, nobiles, alij præstantes viri, miserabiliter cæsi sunt: palatia eorum conflagrarunt. *Nunc autem plantata est in deserto in terra arida & siticulosa.* Videtur, inquis, secum dissidere: nam dixit vitem non solum exaruisse: sed redactam esse in cineres, nunc dicit, transplantandam esse. Respondeo, humana ratione intelligi non potuit, quomodo iste populus posset restitui: omnia enim deploratissima erant: ne vnum habebant hominem, qui opem eis ferret: at Deus superesse aliquod semen voluit, ut hæc vitis renasceretur. Iam antè multi abducti erant in captiuitatem, mox sequuti sunt alij. Ratio quoque humana non potest videre, quomodo Deus resuscitaturus sit corpora in puluerem & fauillas redacta, at suo tempore illa resuscitabit, ita ut hunc populum seruauit, & tandem restituit. Nolebant fructus bonos proferre in loco fertili: trans plantauit igitur in locum aridum & siticulosum. Nonne Chaldæa fertilissima fuit, & multis fluuiis irrigua? Miseram captiuorum sortem respicit. Et si Babylonij rebus omnibus affluerent, ipsi tamen cum fame & siti luctabantur. *Et egressus est ignis de virga ramorum eius, fructum eius consumpsit.* Virga illa ramorum, fuit regnum ipsum,

ipsum, vel rex Zedechias, qui perfidia sua ignem accendit, quo populus, qui & ipse pessimus erat, interiiit. **בדד** *baddim* vectes reddunt: Kimhi duriores ramos: quidam fortes: Septuaginta electos: intelliguntur palmites, qui instar vectium gestant flores & fructus. *Et non fuit in ea virga fortis ad dominandum*, Significat regale sceptrum, ab eis auferendum esse. Nam à capto Zedechia Iudæi nullum habuerunt amplius Regem. Præfuerunt eis sine regio nomine duces ex stirpe Davidis, quorum primus fuit Zerobabel, qui populum è captiuitate in patriam reduxit. *Planctus est*. Carmen est lugubre, continet enim extremas miseras, ad quas populus redactus fuit. *Et erit in planctum*. Sensus est, hæc omnia vobis obtingent, luctu & mœrore omnia plena erunt.

Hæc non solum audienda, sed transferenda sunt ad nostram doctrinam: videndum est quibus nos Deus beneficiis ornarit, quamque gratitudinem illi præstemus. Cùm gens Heluetia (vt de nobis dicamus) à tyrannis, qui arces plurimas possederunt, miserabiliter oppressa esset, maiores nostri ardentibus precibus à Deo liberationem petierunt, & exauditi sunt, Deus tyrannos sustulit, victorias magnas, opes, multa denique bona nobis contulit, his rectè vtendum est, cauendum ab illis sceleribus ob quæ tyranni illi expulsi sunt. Hoc enim nisi fiat, quid aliud expectaremus, quàm quòd illis accidit? Etiam si enim cum finitimis gentibus pacem colamus, tamè si Deum infestum habeamus, facilè potest hostes nobis excitare. Singuli quoque priuatim beneficia in se collata agnoscant, Deo gratias agant, ne tandem amissa sanitate, opibus, libertate, frustra ingemiscant. Subito enim Deus nos potest perdere. Matth. 21. de Christo legitur, quòd ficum sterilem execratus sit, quæ subito exaruerit, quo miraculo quid Iudæis futurum sit representauit.

Hæc doctrina nobis quoque accommodanda est.




## Concio decimatertia

### EZECHIELIS.

HOMILIA LXXXV.

**I** Anno septimo post captum Ioachim, quidam ex senioribus Israel venerunt ad Prophetam, prætèxtu sciscitandum, quos Deus increpare iubet.

CAPVT XX.

- 1  T fuit anno septimo, quinto mense, decima die mensis: venerunt viri de senioribus Israel ad interrogandum Iehouah, & sederunt coram me.
- 2 Et fuit verbum Iehouæ ad me, vt dicerem,
- 3 Fili hominis, alloquere seniores Israel, & dic ad eos, Sic di-

*xit Dominus Iehouah, Num ad interrogandum me venitis? V uo ego, si cōsultus respondero vobis, dixit Dominus Iehouah.*

4 *Num iudicabis eos? num iudicabis, fili hominis? abominationes patrum eorum indica illis.*

*Sūma huius orationis.*



*Cōtinuatio.*

*Occasio.*

**H**oc capite **CONCIO XIII.** continetur, in qua Propheta ostendit Iudæos ab illo tempore, quo Deus in populum sibi ipsos delegit, multisque beneficiis affectit, pessimos fuisse, & posteros ipsorum similes esse suis illis maioribus: pœnam eis prædicit, & tandem propter pios impiis permixtos, de restitutione populi, temporibusque Messiaë vaticinatur. Pulchrè autem hanc concionem superiori connectit. Querebantur enim se patrum suorum scelera immeritos luere, in hac igitur concione ostendit Propheta filios non minus rebelles esse, quàm patres, qui semper scelerati fuerint. Mox ab initio indicatur quo tempore, & qua occasione hæc oratio habita sit à Propheta. Habitam dicit anno septimo, mense quinto, decimo die mensis, scilicet à captiuitate Iechoniaë, à qua annos numerabant, vt passim est videre, partim vt insigne iudicium quod Deus sumpserat de ipsis, in memoriam reuocarent: partim vt cogitatione annorum septuaginta, quos Ieremias eis præfixerat, spem suam erigerent. Quanquam multi ex illis persuasum haberent, captiuitatem vel exilium ipsorum, tandiu non duraturum, de quo postea. Occasio huius sermonis hæc fuit. Seniores populi, qui captiui abducti fuerant, siue sua sponte, siue iussu totius populi, venerunt ad Prophetam, ad consulendum Dominum, sederuntque coram eo. Non autem sincero animo eum consulebant: sed simulato, cupientes aliquid audire quod commodum esset ipsorum affectibus. Exilium iam septennio durarat, sperabant itaque se mox liberandos: confirmati à pseudopropheta, qui promittebant mox exilij finem fore, id quod multi auidè, vt fit, accipiebant. Consulunt itaque Prophetam, nimirum de euètu primùm sui exilij, deinde quid de Hierosolymitanis futurum sit: item, vt ex sequentibus colligitur, an non possint pacis causa, idola adorare, & in aliis se accommodare ingeniis Babyloniorum, si diutius eis in Babylone commorandum sit? Etenim si mordicus suam religionem inuiolatam retinere vellent, se maiorem dominorum suorum sæuitiam experturos. Hodie quoque multi quærunt, cum omnino inter papistas agendum sit, qui suam religionem pertinaciter retineant, an non possit aliqua pacis causa fieri compositio, vt illi quædam nobis, nos vicissim illis quædam concedamus, ne hæc contentiones in cruentum bellum tandem exeant? Respondendum est, plausibilia quidem hæc esse coram mûdo: sed pugnare cum verbo & voluntate Dei. Is enim huiusmodi conciliationes non approbat, quæ in rebus ciuilibus locum habent, non in causa religionis. De alieno non debemus esse liberales, sed de nostro. Ne in ciuilibus quidem rebus potest ferri, qui res non suas aliis largitur. Deus non vult, vt ex nostro cerebro religionem constituamus: sed suo verbo quod immotum manet, quid credendum sit, vel minus, luculenter expressit. Hac de re inferius plura sequentur. Sunt adhæc multi, qui Nicodemi, & Naaman Syri exemplis, suam ignauia tueantur, de quibus multi eruditè disputarunt. Deus voluit, vt Iudæi in rebus obscuris & grauib, quæ eos scire intererat, ipsum consulerent: quemadmodum Gentiles sua oracula habuerunt: ita Iudæi Deum in rebus maximis consulere debuerunt. Iudicum 1. capite, consulunt Deum quænam tribus, Iosue defuncto, ante omnes alias pugnare deberet contra hostes. Gedeon, Dauid & alij, non semel Deum cōsulerunt quid factu opus esset. 1. Sam. 22. Abimelech fatetur se non semel consuluisse Deum pro Dauide. 1. Sam. 23. interrogat an Ceilam obsessam à Palestinis liberare debeat. 2. Sam. 4. cap. num cum Pale-

cum Palestinis pugnare debeant: 7. cap. interrogat Dominum num ædificare ei Templum debeat: 1. Regum 22. capite, Achab interrogat, num bello repetere debeat Ramoth Gilead. Nec semel malè cessisse populo legitur, si inconsulto Deo, ardua aliqua negotia susceperunt: vt in expeditione ad Hai, Iosue 7. cap. & alibi. Fuerunt autem tres ordinarij modi consulendi Dominum, de quibus 1. Sam. 28. <sup>Viz consuliendi Deū.</sup> capite habemus, vbi Saul queritur Deum ab ipso de periculosissimi belli euentu consultum, sibi neque per somnia, neque per Vrim & Thummim, neque per Prophetas respondisse. Deum per somnia suam voluntatem hominibus interdum aperuisse, res Iosephi, Danielis, & Euangelica historia testatur. Deinde per Vrim & Thummim Summus pontifex indutus suis vestibus, consulebat Dominum. Inter alias vestes erat Ephod, in hoc erat rationale, & in eo duodecim lapides, quatuor ordinibus dispositi, quorum quisque tres habebat: duodecim his lapidibus vel gemmis, inscripta erant nomina duodecim tribuum Israel. Lapidés illi dicebantur Vrim & Thummim à splendore & integritate, omni enim vitio carere debuerunt. An autem oraculum redditum sit per Angelum, an per internū afflatum, an per splendorem lapidum, qui scripturæ instar fuerit (vt quidam volunt,) sacris literis non est expressum. Tertius modus fuit per Prophetas, qui afflati Spiritu sancto de rebus futuris vaticinabatur. Hoc loco veniunt seniores, & simulant se velle hac via diuinam voluntatem cognoscere. Deus suggerit Prophetæ, primùm quo animo illi seniores adsint: deinde quid & quomodo ipsis respondeat. Vt autem hæc, ita alia quoque, & huic & alijs Prophetis, suggestit: non enim ex se loquuti sunt, sed ex Spiritu Dei, 1. Pet. 1. cap. *Num ad interrogandum me venitis?* Nempe verè & ex animo: simulabant se Prophetam colere tanquam patrem aut præceptorem, & se ex eo velle certiores fieri, quid sperandum & faciendum esset, cum longè aliud quærerent. Si seriò Deum quæsiuissent, iam pridem abiecissent quæ Deus sibi toties displicere per Prophetas testatus fuerat. *Vino ego, si consultus respondeo vobis, scilicet ad votum vestrum, Symmachus vertit, Non respondebo vobis, Calvinus reddit, Vino ego si querar à vobis.* idem enim verbum utrobique ponitur: iureiurando confirmat, eos non sincero animo venire: nisi enim respondeat, quod illis probetur, sequuturos sua somnia. Eodem animo Ieremiam consulebant de fuga in Ægyptum.

*Num iudicabis eos? num iudicabis fili hominis?* Repetitio hæc emphasim habet, idè est ac si dicat, nequaquam iudicabis eos. Alij putant sensum esse: tu iudica, hoc est, obiurga eos, mihi nihil est cum ipsis negotij. Quidam dicunt, *num iudicabis?* scilicet bonos esse & integros? Puto hunc esse sensum simplicem: Ne ingrediaris cum illis in disputationem, ne sis sollicitus quid ad singula eorum argumenta respondeas (non enim à te volunt doceri) sed aperte & simpliciter recense eis, quales fuerint patres ipsorum, & quales ipsi adhuc sint, initium faciens ab illo tempore, quo eos mihi in populum delegeram. *Abominationes patrum eorum ostende eis.* **חַבְיָהוּ** *thoesah* abominatio, execratio, intelligit idola & alias turpitudines. D. Hieronym. dicit: Si peccata patrum in filios non redundant, quomodo iniquitates patrum filiis proponuntur? Vt ostendat eos similia agere, & vitia patrum imitari.

Ex hoc loco hæc discimus. Primùm homines sæpenumero, à quibus minimè <sup>Vfus huius loci.</sup> expectares, hypocritas esse. Hypocrita (quæ vox sæpe apud Euangelistas occurrit) propriè, testibus Suida & Hesychio, histrionem significat, qui personam gerens <sup>Hypocritæ.</sup> in fabula, respondet choro, postea ad alios quoque transfertur. Hi seniores simularunt insignem pietatem, interim profundo astu, aliud quærun, non enim facere volunt quæ eis imperantur: sed audire vtrum oracula Dei suis cogitationibus consentiant. Sedechias quoque adigebat Hieremiam, vt consilium Dei aperte sibi indicaret. quod cum audiret, contraria sequutus est: & qui in Ægyptū vrbe vastata peruenerunt. Quoties ad Christum venerunt seniores, Sacerdotes,

Scribæ, Pharifæi, Saducæi qui sanctissimi habebantur, simulantes se studiosos esse cognoscendæ veritatis, cum longè alio animo venirent: Quàm subdolè Matth. 22. cap. Pharifæi inito consilio, vt Christum in sermone illa quearent, ad illum mittunt cum Herodianis discipulos suos, qui dicerent, Magister, scimus quod verax sis, & viam Dei in veritate doceas, neque cures quenquam: non enim respicis personam hominum, dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari an non? Quis ab illis hominibus putaret Christo insidias parari, tam egregiè de eo sentientibus, & de quæstione sæpe agitata tam candidè quærentibus? Interim omnia ad Christi exitium spectabant. Matth. 7. cap. Non omnis qui mihi dicit, Domine Domine, &c. Quàm multi hodie simulant veræ religionis studium, suisque affectibus zelum obtendunt, petunt consilia & consolationem à Ministris Ecclesiæ, & tam aptè de negotio religionis loquuntur, vt si quis sincero animo præditus, eos audiat, suam sortem deploret, quòd tam aptè de religione ad alios confirmandum, loqui non possit, mox autem produnt se illi alia quæsiuisse? Multi veniunt ad sacros cœtus, non propter salutem animarum: sed vt Sancti videantur, vel vt aliquid audiant, quòd ad concionatoris inuidiam spargant: vel quòd eorum affectibus congruat. Cautè igitur agendum est in tanta hypocritarum turba.

Deus non fallitur.

Deinde videmus homines, quantumvis sua consilia celent, & nihil non simulent atque dissimulent, non tamen fallere Deum, qui omnia arcana perspicit, neque tantum scire: sed si utile sit efficere vt sui serui etiam sciant. Per Prophetam suum hoc loco responder ad illa, quæ adhuc in animis eorum latebant. Nemo itaque speret se posse malitiam suam contegere. Deum semper inspectorem & testem habemus omnium actionum nostrarum, proinde sanctè viuamus, inque aduersis nos confirmemus, scientes eum misérias nostras videre, precésque nostras exaudire. In Evangelio subinde legimus, Christum aduersariorum suorum cogitatus vidisse. Hodie quoque videt, quo quisque animo in sacros cœtus veniat, vel non veniat: an discere cupiat quibus in rebus salus posita, & quomodo vita instituenda sit, vel minus.

Nō semper respondendum hypocritis.

Tertio loco videmus, quo loco hypocritæ & pertinaces homines habendi sint, quòdque non semper utile sit eis respondere: non enim locum dant sanæ doctrinæ. Christus ipse negat spargendas esse margaritas ante porcos: Et ad Herodem impium & impurum principem deductus, nihil ei respondit, itidem Pilato. Aut si ad interrogata est respondendum: non tamen id fieri debet ad vorum, nec directè quemadmodum illi cuperent: sed quæadmodum res, locus, tempus & personarum conditio postulant, hoc est, retegenda est eorum malitia & impietas: neque obiter tantum & perfunctoriè, sed summa cura atque diligentia, sicut hoc loco Prophetam iussu Dei fecisse intelligimus.

Deus rectè cōsulendus.

Addendum est his, nos quod illi perperam fecerunt, rectè facere debere, nempe consulere Deum per Prophetas & Apostolos, verè & ex animo. Quanquam autem hac via & ratione qua veteres, eum consulere non possumus, sunt tamen aliæ viæ.

Non est necesse vt sursum & deorsum cursitemus, exemplo gentium quæ vera doctrina fuerunt destitutæ. In Sacris literis abundè continentur, cum illa quæ nobis ad salutem scitu sunt necessaria, tum quid futurum sit ad finem mundi, de antichristo, de futuris ærumnis Ecclesiæ, de resurrectione mortuorum, de iudicio vltimo, vita & condemnatione æterna. Legamus sacros libros, audiamus conciones, cogitemus ministerium à Deo institutum esse ad nos erudiendum. Quemadmodum verò illi, qui quantum externam formam attinet, id fecerunt quod eis præcepit Dominus, tamen quia animus eorum sincerus non fuit, grauiter peccarunt: ita in aliis quoque, in oratione, elemosynis, ieiuniis, nisi recto animo

animo facias quod Deus præcepit, ipsum grauiter offendes.

HOMILIA LXXVI.

*I* Ostensurus Iudeos ab initio gentem fuisse perditam, narrat quid in Ægypto peccarint, & quomodo Deus eos tulerit.

5 Et dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, In die qua elegi Israel, & leuavi manum meam pro semine domus Iacob, & cognitus sum illis in terra Misraim: leuavi inquam manum meam, eis dicendo, Ego Iehouah Deus vester.

6 In die inquam illa leuavi manum meam eis, quod educerem eos de terra Misraim, ad terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle: desiderabilis est omnibus terris.

7 Et dixi ad eos, Singuli abominationes oculorum suorum abiicite, & in idolis Misraim ne polluatis vos: Ego Iehouah Deus vester.

8 Rebellerunt autem contra me, & noluerunt parere mihi: abominationes oculorum suorum non abiicit quisquam, nec idola Misraim reliquerunt: dixi igitur me effusurum iram meam super eos, vt implem iram meam in eos, in medio terræ Misraim.

9 At feci propter momen meum, ne pollueretur in oculis gentium, in quarum medio erant, in quarum oculis innotui eis, vt educerem illos è terra Misraim.



Vdiuimus seniores populi accessisse Prophetam, quasi Deum essent consulturi, interim alia in cordibus abstrusa gessisse: Deus itaque iubet, vt Propheta eos obiuret, & à primordio huius gentis exorsus, ostendat patres eorum nihil motos maximis beneficiis, quæ in ipsos contulerit, semper pertinaces fuisse: eosque similes ipsis existere: postea pœnas denunciet: & propter pauculos pios illis admixtos, de restitutione & liberatione populi cõcionetur. Hæc Deo duce, omnia ordine exponemus. Iam verò recensabit Propheta quibus beneficiis Deus in deserto eos affecerit, & quam illi retulerint gratiam. Primo loco commemorat Propheta, Deum populum Iudaicum delegisse, & ab idololatria reuocasse. *In die qua elegi Israel.* Puto hũc esse simplicem sensum: Eo die quo tam magna beneficia in eos contuli, eosque ab idololatria auocare studui, rebelles fuerunt contra me. Per diem quo eos sibi in populum asciiuit, intelligit tẽpus illud, quo missis ad eos suis Prophetis Moyse & Aarone, declarauit se elegisse eos. Cum patribus eorum fœdus inierat, & terram etiam pro posteris eorum eis promiserat, nunc ostendit se rata habuisse sua illa promissa. Gratuita fuit hæc electio (sicuti & nostra) non enim opera eorum respexit: nihilque profus in eis, quo alias gentes excellerent. Quàm verò ingrati fuerint in Mosem, qui eos in libertatem asserturus erat, liber Exodi & Stephani narratio Acto. 8. capite ostendunt, & infra exponitur. Theodoretus intelligit, quod adhuc impiè viuentibus, & Ægyptiorum idola colentibus, Dominus se illis ostenderit, &c. *Leuavi manum meam pro semine domus Iacob.* Phrasis hæc, leuare manum, quam in hoc capite aliquoties legimus, variè accipitur. Primùm significat iurare, vetustissima enim est ceremonia, porrectis in cœlum manibus iusurandum præstare, qua indicamus iurandum esse per illum qui in cœlis est, quique rectè iurantes præmiis, peierantes verò suppliciiis afficit.

Leuatio manus.

Deinde gestus est illorum, qui potentiam & robur suum exerunt. Tertiò accipitur pro ferire & punire: percussuri enim manum attollunt. Sensus est huius loci, Iureiurando sanxi fœdus cum ipsis initum. In Genesi iurat Abrahamo, Isaac, Iacobo, includuntur ipsorum posteri. Vel potes sic intelligere, Exerui potentiam meam asserendo patres vestros, percutiendo hostes eorum Ægyptios. *Cognitus sum ab illis in terra Ægypti.* Deus patefecit se populo suo, variis miraculis & portentis in Ægypto, Exod. 3. & 4. cap. Dicit Moyfi quid respondeat Israelitis, si eum interrogent, quis sit ille Deus, à quo se missum dicat: instruxit præterea eum facultate edendorum miraculorum, vt facilius ei auscultarent. *Leuauit manum meam eis dicendo, Ego. Iehouah Deus vester,* hoc est, promissionem illam, quòd velim esse Deus ipsorum (quid sit Deum esse alicuius, alibi est explicatum) iureiurando interposito confirmari, ne dubitarent de mea fide erga ipsos, Heb. 6. capite. Est repetitio non inanis, illius quod antè dixit, nunquam enim satis credimus Deum esse Deum nostrum. *In die illa leuauit manum meam eis, quòd educerem eos de terra Ægypti.* Tertiò nunc dicit se iuratum esse. Vel manum leuauit cum cœpit Pharaonem & Ægyptios percutere, & Israelitis manum porrigere, ad liberandum eos. Quanquam verò hæc non omnia legantur in Exodo, nobis tamen satis est, quòd hoc loco à Spiritu sancto recensentur. *Ad terram quam prouideram eis.* Quemadmodum parentes filiis de habitatione, de vxore, & rebus necessariis prospiciunt, vt commodè viuere possint, ita Deus dedit populo suo terram quam inuestigarat.

Terra fluës  
lacte ac mel  
le.

*Fluentem lacte & melle: desiderabilis est omnibus terris.* Passim in scripturis hæc terra lacte & melle fluere dicitur, qua phrasi significatur eam abundasse rebus non solum ad victum necessariis: sed etiam delitiis. Melle enim & lacte in cibo nihil dulcius est & suauius: deinde citra laborem hæc comparantur. Sunt quædam regiones, quæ non nisi maximis laboribus cultæ, necessaria proferunt. Terram Israelis melle abundasse colligitur, ex historia 1. Sam. 14. c. de Ionathano, qui mel gustarat, item ex Euangelica historia, quæ prodit Ioannem Baptistam melle siluestri victitasse, item ex eo quòd Christus à mortuis suscitatus dicitur de fauo mellis edisse. Lacte verò abundasse, ex multis locis intelligitur. Terram fertilissimam fuisse, D. Hieronymus, qui eam peragrauit, diuque in ea habitauit, in suis ad hoc caput annotationibus, testatur. Iuxta literam, inquiens, inclytam esse terram. Iudææ, & cunctis terris fertiliorem, dubitare non poterit, qui à Rinocorura usque ad Taurum montem, & Euphratem fluuium cunctam considerauerit terram, & urbium potentiam, amœnitatemque regionum: Palestinam videlicet & Phœnicem, Arabiam, Syriam Cœlen, Ciliciam, & cæteras regiones quas Israeli si Dei præcepta seruasset, Dominus repromisit, &c. Lyranus in hoc capite scribit se audiuisse ab illis qui fuerunt in Iudæa, & in Ægypto, quòd Ægyptus sit fertilior & amœnior, ideòque istam eminentiam refert ad Christum, qui inde nasciturus erat secundum carnem, & ibi operaturus humanam salutem. Dicit etiam potest, hanc terram amisisse pristinam conditionem, postquam Iudæi desierunt esse populus Dei. Quòd Dominus pollicetur ducturum se populum suum in terram lacte & melle fluentem, Theologi nostri referente Hesychio, ad futuri sæculi delicias, beatitudinemque transferunt, tum quòd ex cibis quibus hic vtimur, nihil his suauius neque dulcius inuenitur: tum quia sine labore comparantur, & nulla indigent præparatione. Nam bona illa absque vlla sollicitudine, sine dolore, studio, nullo apparatu, condituræ nullius egentia, tanquam effusæ copiarum cornu suggeruntur, vt Pierius Valerianus scribit in suis Hieroglyphicis. Hebraica vox *לחם* & *לחם* gloriâ, decorem & desiderium reddunt. Forsterus annotat in suo Lexico, generaliter de qualibet re dici, quæ se ad amandum allicit, & ex qua voluptas & oblectatio capitur. Subiungit nunc, quòd eos ab idololatria dehortatus sit.

*Singuli*



*Singuli abominaciones oculorum suorum abiicite.* Non solum in genere dixit, Cauete vobis ab idololatria: sed singulos obtestatus est vt idola abiicerent. Abiiciendi verbum emphasim habet. *Et in idolis Aegypti ne polluatis vos.* Exponit id quod prius dixit. Abominaciones oculorum, vocat idola ad quæ oculos suos cõuertebant vti mœchi ad scorta sua. Ne quis putet Iudæos metu dominorum suorum, ne grauiore seruitute eos premerent, simulasse cultum idolorum, vocat oculorum idola, quæ in oculis gerebant, id est, diligenter colebant. Vel abominatio oculorum, quam quisque suo arbitrio statuit & colit: cum non faciendum sit, quod in oculis nostris bonum est, sed quod Deus præcepit. ἴδω *schikuz, βδέλυγμα*, abominatio, execratio, de idolis dicitur: Hæc enim Deus non aliter abominatur, quàm nos res immundas & fœtidas. *Ego Iehouah Deus vester.* Deus solus coli vult: zelotypia tangitur si aliis diis seruiamus. David Psal. 25. clamat, Ad te Domine conuerto oculos meos, hoc est, auxilium & opem à te expecto. Vulgus sub papatu quatuordecim habuit ἀλεξίανθοις. Secundo loco ingratitude Iudæorum proponitur.

Abominaciones oculorum.

*Rebellauerunt autem contra me, & noluerunt parere mihi, &c.* Licet maximis beneficiis à me cumulati essent, tamen volentes atque scientes, perrexerunt in suis sceleribus. Si recens beneficio affectus, nihil in benefactoris gratiam faciat: sed eum lædat, grauius peccat: deinde si non inscitia hoc faciat, sed sæpe admonitus. *Abominaciones oculorum suorum non abiicit quisquam, nec idola Aegypti reliquerunt.* Familiaris est synecdoche Prophetis: maior pars perstitit in idololatria, ideo dicit neminem idola abiicisse. Liber Exodi 5. cap. & 14. ostendit quàm ingrati fuerint Israelitæ suis ducibus. Colligimus hinc quàm procliues simus ad idololatriam. Patriarchis in Aegypto proculdubio idololatria displicuit, suosque hortati sunt ad verum Dei cultum: plerique tamen quia in Aegypto nati & educati erant, idola colebant. Accedebant assiduæ Moyfis & Aaronis voces: illi tamen nihilominus pergebant in idololatria cui assueuerant. Nemo itaque in loca illa vbi pura doctrina non habetur, migret, aut suos trãserat. Et si enim vel abomineris idola ex toto corde, vel vtcunque contra conscientiam externum eis cultum deferens, interim in corde ea contemnas: tamen liberi, pro quibus tibi Deo ratio reddenda erit, si inter idololatrias educentur, paulatim idololatriæ ita affuescent, vt vix & ne vix quidem postea ab ea possint auelli. Colligimus etiam ex hoc loco, cur Deus Israelitas tam crudeliter vexari passus sit à Pharaone. Si quis legat historiam in Exodo, miratur quomodo Deus tam longo tempore miserias Israelitarum aspicere potuerit. Causa non est obscura, Idololatriam exercuerunt: oblatum auxilium Dei respuerunt. Mirantur hodie multi se variis malis premi, interim pergunt & ipsi in suis sceleribus. Ad hæc discimus, non semper facienda esse, quæ plures in populo faciunt. Multitudini enim non optima semper placent. Consideremus quid rectè fiat, non quid multi faciant. Tertio loco commemorat Deum non penitus hanc gentem deleuisse, quemadmodum meruerant. *Dixi igitur me effusurum iram meam super eos,* hoc est, decreueram iram super eos effundere. Verbo Effundendi significat vehementem iram. *Vt implem iram meam in eos, in medio terræ Aegypti,* hoc est, non antè iracundiam reprimere decreueram, quàm deleto populo satiassem me ipsum. Loquitur humano more, propriè enim loquendo, Deus non irascitur, nec decernit aliquid cuius postea eum pœniteat. *At feci clementer propter nomen meum ne pollueretur in oculis gentium.* Cohibui me, non propter populum, qui internecione dignus erat: sed propter nomen meum ne pollueretur, hoc est, ne ego malè audirè ab Aegyptis, Amalechitis, & aliis vicinis gētibus, in quorū oculis res tantæ gestæ erant, ne dicerēt me nō voluisse aut valuisse eos educere. *In quartū medio erant.* Nepe Israelitæ: voluit enim eos quasi speculum esse virtutū, quod vicinæ gentes intuerentur.

Inobedientia populi.

Ad idololatriam proni sumus.

Cur Deus Israelitas suos tã diu in Aegypto vexari passus sit.

*In quarum oculis innotui eis, ut educerem illos è terra Ægypti, hoc est, quibus Iraelitis manifestaui me per Prophetas meos in conspectu gentium. Sunt qui ad gentes referentes, sic exponant, In quarum gentium, scilicet oculis, cognitus sum, ut educerem illos de terra Ægypti, hoc est, meum consilium de liberandis Iraelitis, gentes non latuit, fama enim miraculorum & prodigiorum in Ægypto editorum, longè latèque percrebuit. Hæc nobis quoque applicanda sunt: Deus nobis prædicatione verbi sui, libertatem veram promittit iureiurando interposito, nos reuocat à superstitionibus, omnibusque sceleribus, ne igitur aures obstruamus, ne uè pergamus in malo: sed pœnitentiam agentes, oremus Deum ne secundum nostra merita, sed secundum clementiam suam nobiscum agat: nobisque propter nomen suum parcat.*

Applicatio.

HOMILIA LXXXVII.

*Quòd Iraelitæ in deserto ingrati fuerint pro immensis Dei beneficiis, & cur eos non deleuerit.*

- 10 *Eduxi ergo eos è terra Misraim, & adduxi eos in desertum.*  
 11 *Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea indicaui eis: quæ si fecerit homo, uiuet propter ea.*  
 12 *Et insuper sabbatha mea dedi eis, ut essent in signum inter me & eos, ut scirent quòd sim Iehouah, qui sanctifico eos.*  
 13 *Rebellauerunt autem contra me domus Israel in deserto, in præceptis meis non obambulauerunt: & iudicia mea abiecerunt, quæ si fecerit homo uiuet propter ea: & sabbatha mea violauerunt uehementer, & dixi me effusurum iram meam super eos in deserto, ut consumerem eos.*  
 14 *At feci propter nomen meum, ne pollueretur in oculis gentium, in quarum oculis eduxi eos.*  
 15 *Et etiam ego leuaui manum meam eis in deserto, me non inducturum eos in terram quam dedi, fluentem lacte & melle, quæ desiderabilis est omnibus terris:*  
 16 *Eò quòd iudicia mea abiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & sabbatha mea violauerunt: quia post idola cor eorum gradiabatur.*  
 17 *Pepercit tamen oculus meus eis, ne interficerem eos, nec feci cum eis consumptionem in deserto.*

**I**N prima parte huius capituli exprobrat Deus per Prophetam Iudæis, quòd statim ab initio cum ipsos delegisset, fuerint gens perditæ. Ne autem ex affectibus eum loqui putarent, ostendit quales fuerint in Ægypto, in deserto, in terra promissa, & quales adhuc sint. Proximè audiuius quales fuerint in Ægypto: sequitur nunc quo pacto se gesserint, postquam ex illa liberati fuerunt. Eundem autem ordinem sequitur, què in præcedentibus. Primùm beneficia illa Dei paucis commemorat, quæ in deserto eis contulit: deinde ex aduerso populi ingratitude: tertio dignum fuisse populū, qui periret in deserto, nisi nominis sui potiolem habuisset rationè, quàm ipsorū. *Eduxi eos è terra Ægypti.* Cum multas haberet causas ob quas eos prorsus delere potuisset, aut tyrannis diutius vexandos permittere: tamè ex mera gratia graui illa seruitute

seruitute eos liberauit. Paucis cōplectitur res mirandas, quæ in Exodo plenius nar-  
rantur. Deus aperto mari Erythræo Israelitas traduxit in signi miraculo. Interdium  
per columnam nubis, noctu per columnam ignis populum præcedens. *Et dedi eis* Deus legem  
suam dedit  
Israelitis.  
*præcepta mea, & iudicia mea indicaui eis.* Cùm venissent ad montem Sina, Deus in  
monte magna maiestate apparuit, Legem promulgauit: populus cùm loquentem  
ferre non posset, rogauit Moysem, vt de Dei voluntate in mōte certior factus eos  
doceret. Tres autem sūnt partes legis Mosaicæ vniuersæ: Leges morales, ceremo-  
niales & iudiciales seu forenses, quas partes omnes his verbis Propheta com-  
prehendit. Fuit hoc ingens Dei beneficium, quòd populo suo patefecit, quæ fa-  
cere, quæ omittere oporteat. Et si enim naturâ hæc aliquo modo nota sint, Deus  
tamen notitias illas humanis mentibus impressas, suo testimonio instaurauit.  
*Quæ si fecerit homo, viuet propter ea, vel, in eis.* Dominus Leuit. 18. cap. dicit: Mandata  
mea custodite, & mea facite instituta: nam qui fecerit ea, viuet in eis: quæ verba  
à Paulo ad Rom. 10. cap. adducuntur. Quidam ea intellexerunt de vita hac cor-  
porali & temporaria: nam legis Mosaicæ violatores occidebantur: qui verò ei  
paruissent, viuebant. Quidam ita exponunt, Dedi vobis præcepta, quæ homo fa-  
cere debet, & secundum quæ vitam suam instituere, non secundum ritus gen-  
tium. Nimirum ne quid derogetur iustitiæ fidei. At non solum temporariam, sed  
etiam æternam vitam, obseruatoribus Legis promitti, ex aliis quoq; locis colligi-  
tur. Moses Deut. 30. De Lege dicit, se proposuisse populo vitam & mortem, osten-  
dens Legem si impleatur, vitam æternam secum asferre. Christus ipse rogatus  
à diuite adolescente, quid facere debeat vt vitam æternam consequatur, respon-  
dit: Si vis ad vitam ingredi serua mandata: ex pacto autem hominibus si Legem  
seruent vita æterna, promittitur: non quòd mereantur, sed quòd Deus se gratis  
obstringit. Caterum cùm vita promittitur custodientibus legem, non intelligen-  
dum est de quadam leui & perfunctoria, sed de perfecta impletione: Lex enim  
etiam interiores motus requirit. Quoniam verò nullus in hac vita, Legem ea  
ratione implere potest, ob propensionem à malo nobis omnibus innatam, con-  
fugiendum est ad Christum, per quem implebimus Legem, iustitiæque, quam D.  
Paulus Dei vocat, participes reddimur. Quod Paulus aliquoties dicit Legem occi-  
dere homines, id non sua natura facit, sed propter nostram vitiositatem.

Seruãtibus  
Legem vita  
promittitur

*Et in super sabbatha mea dedi eis, vt essent in signum inter me & eos, vt scirent quòd sum  
Iehoua qui sanctifico eos.* Idem dixit per Moysem Exodi 31. cap. Sabbatha mea ob-  
seruetis, quoniam sabbathum signum est inter me & inter vos, in posteritates  
vestras, vt sciatis quòd ego Dominus qui sanctifico vos, &c. Sabbathum est si-  
gnum siue Symbolum eius quòd Deus Israelem sanctificet, vt sabbathum sancti-  
ficauit, hoc est, segregauit eos ex gentibus prophanis in peculiarem suum po-  
pulum, qui conseruaret & propagaret ad posteritatem promissiones eius de  
Christo, & sacra eius, donec ipse Christus in hunc mundum veniret. Deus san-  
ctificat nos immediatè, vt vocant, Spiritu suo & vera fide: sed ordinaria ratione,  
per Verbum Spiritum suum hominibus infundit, vt ab operibus nostris, hoc est,  
peccatis, quiescamus, & sanctè viuamus.

Sabbathi si-  
gnificatio.

*Rebellauerunt autem contra me domus Israel in deserto, &c.* Secundo loco comme-  
morat ipsorum ingratitude, quæ maxima fuit. Nam vt historia Sacra testa-  
tur, populus cùm Moses moram traxisset in monte, vitulum conflatilem adora-  
uit, postea cùm nunc fame, nunc siti affligerentur, duces suos prodicionis accu-  
sarunt, eosque lapidibus obruere non semel conati sūnt, exoptulantes cum eis,  
quòd non reliquissent eos in Ægypto, vbi omnium rerum habuerunt affluentiam.  
Sæpenumero murmurasse leguntur. Vide Exod. 15. 16. & 17. capite, Numer.  
11. 14. 16. 20. & 21. capite. Si semel tantum murmurassent, leuius fuisset eorum pec-  
catum, sed toties murmurare, fuit certum indicium impietatis ipsorum. Grauat

Israelitæ  
Deo ingrati

etiam hoc peccatum ipsorum, quod Deus tot & tantis prodigiis eos ab impietate abstraxit, voluntatem suam eis patefecit: illi verò nihilominus vel non ab ea recesserunt, vel statim relapsi sunt. *Sabbatha mea violauerunt vehementer.* Existimabāt enim se satisfecisse legi Dei, si ab opere manuum abstinerent. De quodam legitur in libro Num. qui sabbatho ex contemptu ligna collegerat. *Et dixi me effusurū iram meam super eos.* Tertio loco recenset quod cum populum suum punire statuisset, idē ei pepercerit, ne nomen suum Sanctum violaretur inter gentes. Exod. 32. cum conflatilem vitulū colerent, Deus eos perdere voluit, sed Moses intercessit pro ipsis, & inter alia precatur, ut potius respiciat quæ se digna sint, quàm quæ Israelitæ meriti erant. Ne quæso, inquiens, dicant Ægyptii, Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret de terra. *Etiam ego leuavi manum meam in deserto, me nō inducturum eos in terram quàm dedi.* Numer. 14. cum Israelitæ territi à speculatoribus, è terra Chanaā reuersis, & narrantibus qualis esset terra, quales homines in ea, & quàm munita haberet oppida, murmurarent, Deus iurauit nullū ex illis hanc terram ingressurum. &c. *Post idola sua cor eorum gradiebatur.* Si Iudæi non habuerunt simulachra Ægyptiorum externa, ex cordibus tamen ea nondum abiecerant. Non satis est eiicere idola ex templis & domibus, nisi corda quoque ab eis purgemus. *Non feci cum eis consummationem in deserto,* hoc est, non funditus eos deleui, etsi enim patres occidisset, tamen filiis & nepotibus eorum pepercit. Colligimus ex hoc loco, ob quas præcipuè causas Deus gentem aliquam funditus euertat, nempe si violet legem eius. Secundò enim repetitur Deum decreuisse hanc ob causam gentem Hebræorum prorsus delere. Deinde colligimus quàm tardus sit Deus ad iram. Dignissimi erant Israelitæ, quos propter impietatē mox perderet: sed patienter eos tulit. Non respexit quid illi meriti essent, sed homini suo pepercit. Si Deus non statim homines puniat, mox cogitant eum scelera fortassis non ita detestari, cum potius spatium cōcedat resipiscentiæ. Si *μεκροθυμίαν* eius contemnamus, eò grauiores pœnas tandem nobis immittit. Nos quoque Deus ex Ægypto, hoc est, Satanæ & Antichristi regno eduxit: grati sumus ei pro tanto beneficio, ne iisdem nos quibus Israelitas suos, pœnis adficiat.

Patentia  
Dei.

## HOMILIA LXXXVIII.

*Ostendit filios fuisse prorsus similes impijs suis  
parentibus, causamque assignat, ob quam  
Deus non sumpserit vindictam de ipsis.*

18 Dixi autem ad filios eorum in deserto, In præceptis patrum vestrorum ne incedatis, & iudicia eorum ne custodiatis, & in idolis eorum ne polluatis vos.

19 Ego Iehouah Deus vester: in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea.

20 Et sabbatha mea sanctificate, & erit in signum inter me & vos: ut sciatis quod sum Iehouah Deus vester.

21 Rebellerunt autem contra me filij: in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea non custodierunt, ut facerent ea: quæ si fecerit homo, viuet propter ea: & sabbatha mea polluerunt, & dixi me effusurum iram meam super eos, ut complerem iram meam in eos in deserto.

22 Verum retraxi manum meam, & feci propter nomen meum ne violaretur in oculis gentium, in quarum oculis eduxi eos.

23 Etiam ego leuavi manum meam eis in deserto, ne disperderem eos in Gentes, & veni laturum eos per terras:

24 Eò quòd iudicia mea non fecerant, & præcepta mea abiecerant, & sabbatha mea violauerant, & post idola patrum suorum fuerant oculi eorum.

25 Et etiam de di eis præcepta non bona, & iudicia propter quæ non viuunt.

26 Et pollui eos in muneribus suis, ita vt transire fecerint per ignem omne primogenitum, vt desolare facerem eos: vt scirent quòd ego sum Iehouah.



Esterna concione audiuius, quo pacto populus Hebræus in deserto, postquam eductus fuit ex Ægypto, se gesserit: nempe quòd neque seueritate neque clementia Dei se vinci passus sit: sed in idolatria & sceleribus perseverauerit. Sequitur iam deinceps de eorum filiis, quos Deus dicit patribus similes fuisse. Plerunque enim fieri videmus, vt filij malitiam suorum parentum, non modò imitentur, sed etiam superent. Hisdem ferè verbis filiorum ingratitude describit, quo antè patrum descripsit. Operæ precium autem fuit, hanc rem tot verbis repetere: tanta enim fuit superbia eorum, vt subinde gloriarentur de meritis patrum suorum, & de sua quoque dignitate: sicut hodie iustitiosos facere videmus. Accedamus ad rem ipsam. *Dixi autem ad filios eorum in deserto.* Acta quadraginta annorum quibus oberrarunt in deserto, Moyses in suis libris paucis verbis complexus est, non itaque mirari debemus, hoc loco, quædam commemorari, quæ in illis non leguntur. Veluti quòd Deus per Prophetam dicit, quid cum filiis patrum illorum, quos antè descripsit, in deserto, nimirum per suos seruos Moysem & Aaronem, loquutus sit. Frustra hætenus cum patribus eorum loquutus fuerat: conuertitur itaque ad eorum filios.

*In præceptis patrum vestrorum ne incedatis, & iudicia eorum non custodiatis, & in idolis eorum ne polluatis vos.* Præcipit ne patrum suorum, qui à Lege Dei deflexerant, vel potius eam nunquam sincerè receperant, mores & studia imitentur, inque eorum statutis ambulent. Idem hodie illis obiiciendum, qui suos errores patrum autoritate defendunt. Magna quidem apud nos patrum autoritas esse debet, non tamen propterea recipienda sunt aut defendenda ipsorum statuta & decreta, quæ pugnant cum Scripturis. D. Paulus in 2. Timoth. 3. cap. extra Scripturam sanctam nihil accipiendum docet. Sunt autem duo traditionum genera, de quibus hodie contenditur: Primum quod dicunt ex patribus & Apostolis profectum, ideòque non minus autoritatis habere, quàm sacras literas. Alterum est sub quo complectuntur decreta pontificum, & aliorum episcoporum, qui cum illorum sint successores, etiã posse statuere dicunt quæ vitia videntur de religione. Quemadmodum filius non imitari debet crassa patris sui scelera, ita neque falsam religionem. Iudæi non minus se patrum suorum exemplo defendebant quàm nos, itaque Deus clamat per Prophetam, *In præceptis patrum vestrorum ne ambuletis.* Videmus ita esse comparatum, vt in malo potius patrum vestigiis insistamus, quàm in bono. Quis patrum frugalitatem, iustitiam ciuilem, temperantiam hodie imitandam clamat: tantum in erroribus & superstitionibus, eorum autoritate mouemur. Quot verò fuerunt omnibus sæculis, qui Romanorum pontificum tyrannidem, simoniam, & alia nefanda scelera detestati sunt? Iosias religiosus princeps, non absteritus vllis populi clamoribus, Templum repurgauit, excelsa sustulit, et si procul dubiò audiret, se neque pietate neque prudentia conferendum

Patres quatenus imitandi.

Traditionū duo genera

Viendū est  
scun. ū ver  
bum Dei.

cum patribus, qui illa omnia in templum intulissent, & passim erexissent, *Ego Iehouah Deus vester: In præceptis meis ambulate, &c.* Remedium præsentissimum contra omnes superstitiones & falsos cultus hoc existit, vt contenti verbo Dei, in quo quid credendum faciendūque sit, abundè est expressum, omnia quæcunque cum hoc pugnant, reiiciamus. Si hæc exhortatio vel obtestatio, hodie apud omnes pondus suum haberet, non tot essent dissensiones, & certamina in Ecclesia: quia verò Dei verbum negligitur, & loco eius traditiones hominum bonæq; intentiones, vt vocant, obtruduntur hominibus, nullus est neque erit dissidiorū finis. Ostendunt se non esse Dei populum, qui aliorū leges & præcepta, plus ponderis apud se habere sinunt, quàm ipsius Dei. Homines quantumvis docti & magni, non habēt potestātē Scripturas interpretandi suo arbitrari, item nouos Dei cultus instituendi, vel abrogandi quos ipse præscripsit: penes Deū est decernere quid velit. *Et Sabbatha mea sanctificate.* In genere dixit seruandam Legem, nunc de Sabbatho speciatim præcipit, sanctificandum, hoc est, audiendum esse die illo verbum Dei, recolenda eius beneficia, orandum, sanctè viuendum, &c. Faciunt hæc ad amplificationem peccatorum illorum filiorum: non ex incitiā peccarunt, sed fideliter à Deo admoniti per Prophetas. Subiicit nunc, filios illos non minus rebelles fuisse, quàm patres ipsorum, etenim neque promissis neque minis adductos, officium suum fecisse. Hæc suprà sunt exposita. *Dixi me effusurum iram meam super eos, vt completerem, &c.* Deceueram eos delere propter eorum pertinacem ingratiūdinem, sed propter nomen meum, ne gentium probris exponeretur, manum tetraxi. *Etiā ego leuavi manum meam eis in deserto, me dispersurum eos in gentes, & ventilaturum eos per terras.* Iureiurando interposito, minatus est Iudæis in deserto, nisi rectè se gesserint, se eos cū introducti fuerint in terram promissam, exilio mulctaturum. Nam si homines patientiam Dei contempnant, tandem re ipsa ostendit idololatriam & scelera sibi seriò displicere. Constat autē ex Historia sacra, quòd postquam terram promissam occuparunt, variis temporibus, propter multiplicia peccata, diuersis gētib; sint traditi. Addit etiam alias pœnas quas in deserto non inflixit, sed ipsis comminatus est. *Et etiam præcepta dedi eis, & iudicia propter quæ vel in quibus non viuent.* D. Irenæus videtur ad legē Dei referre. At omnia Dei præcepta per se optima sunt, Deu. 30. Ro. 7. Alij putāt Prophetā loqui de tributis, quæ populus pēdere exteris principib; cogebatur. Rectius referemus ad gentium superstitiones & errores, aliorūmq; hominum traditiones & decreta. Opponuntur enim legibus Diuinis leges humanæ, hoc est, vani ritus & superstitiones hominum. Præscripsit eis Deus, quomodo vellet coli, illi verò contempnabant has leges: Deus itaque iusto suo iudicio permittit vt legibus malis vterentur, quorum obseruatiō nullum eis fructum afferret. Dum enim putarent Deum coli suis figmentis miseri se frustra torserunt & fatigarunt, nullam fœlicitatem percipientes. Posteris quoque temporibus idem accidit. Cū enim homines vana commenta hominum Dei verbo præferrent, iusto Dei iudicio effectum est, vt erroribus magis magisque inuoluti sint. Quia cum homines religione & legibus carere non possint, fieri non potest quin si bonas respiciant, malis subiiciantur: qui Deum reliquit, diabolus sequatur. *Et pollui eos in muneribus suis, ita vt transire fecerint per ignem omne primogenitum.* Iusto iudicio permisi eos labi in pudendos errores, quibus polluti sunt: mihi sacrificia offerre & odores incendere debuerunt, sed idolis suis incenderunt & obtulerunt, eoque vesaniæ tandem processerunt, vt munera sua Deo offerentes vel sacrificantes, volentes se humano cruore contaminarint: suos enim filios traduxerunt per ignem in honorem Moloch, id est, Saturni: interea nolebant videri quòd Deum Israelis offenderunt. Sed finge non idolis sed ipsi Deo obtulerint, nihilominus polluti fuerunt. Deo enim huiusmodi sacrificia non probabantur. Primogenitorum facit mentionem ad exaggerandam

Putabant se  
his sanctifi-  
cari & ex-  
piari.

randam eorum cæcitatem. Cùm Deus è medio sustulisset primogenitos Ægyptiorum, insigni miraculo Israelitarum primogenitos cõseruarat, huius beneficij memores Deo obedire debebant, suos filios ei offerre & redimere, inq; eius honorem suos filios rectè educare: id cùm non facerent, Deus eò peruenire permittit, vt eos partim cremarint, partim per ignè traduxerint, de quo supra. Idem gentilibus accidisse testis est Paulus ad Rom. 1. Propterea, inquit, quòd cùm Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor ipsorum, &c. Quapropter tradidit illos Deus in immùditia. Christianos quoq; idem expertos esse paulò antè dixi. Nam quia legibus Dei bonis obtemperare noluerunt, permisit vt hominum traditionibus opprimerentur. Sic enim prædixerat Paulus 2. Thessal. 2. multos seducèdos ab Antichristo, eò quòd veritatem non dilexerint: & propterea missurum illis Deum efficacem illusionem, vt credant mendacio & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, &c. 2. Timoth. 4. Idem quoque in rebus politicis multi experiuntur. Si bonos principes nolunt ferre, coguntur postea malorum iugum subire. Et hæc iusta est merces ingratitude. *Vt desolare faciã eos, vt scirent quòd ego sim Iehouah.* Comminatus est populo in Lege, si imitentur mores Chanaanorũ, in vastitatem redigendam esse terram ipsorum. Hinc cognouerunt ipsum esse Deum: ex promissionũ enim & minarum veritate Deus cognoscitur.

HOMILIA LXXXIX.

*Exponit quàm ingrati fuerint Iudæi, postquam terram Chanaan acceperunt, & quia suis illis maioribus similes sint tam seniores illi quàm populus, à Deo, etiam soluta captiuitate, esse castigandos.*

27 Quamobrem loquere ad domum Israel, Fili hominis, & dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah: Adhuc in hoc probris affecerunt me patres vestri, quum antea in me præuaricati essent præuaricationem:

28 Introduxi enim eos in terram, super quam leuavi manum meã, me daturum eam illis: & viderunt omnem collem excelsum, & omnem arborem densam, & sacrificauerunt ibi sacrificia sua, dederuntque ibi iram oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suauitatis suæ, libaueruntque ibi libamina sua.

29 Et dixi ad eos, Quid est excelsum ad quod vos conuenitis? Et vocatum est nomen eius Excelsum, vsque ad diem hanc.

30 Propterea dic ad domum Israel, Sic dixit Iehouah, An non more patrum vestrorum polluitis vos, & post abominationes eorum fornicamini?

31 Quum enim offertis dona vestra, traducendo filios vestros per ignem, polluitis vos in omnibus idolis vestris vsque hodie: & ego consultus respondebo vobis, domus Israel? Vno ego, dixit Dominus Iehouah, si consultus respondero vobis.

32 Et quod ascendit super spiritum vestrum penitus non erit: dicitis enim, Erimus

sicut Gentes, sicut cognationes terrarum ministrando ligno & lapidi.

33 *Uiuo ego, dixit Dominus Iehouah, nisi in manu forti, & brachio extento, & furore effuso regnauero super vos.*

34 *Et educam vos de populis, & congregabo vos de terris in quas dispersi estis, manu valida, & brachio extento, & furore effuso.*

35 *Et educam vos ad desertum populorum, & iudicio contendam uobiscum ibi facie ad faciem.*

36 *Sicut iudicio contendi cum patribus uestris in deserto terræ Misraim, sic iudicio contendam uobiscum, dixit Dominus Iehouah.*

37 *Et transire faciam uos sub uirgam, & adducam uos in uinculum fœderis.*

38 *Et seligam ex uobis rebelles, & prauaricantes in me, è terra incolatus eorum educam eos, ad terram Israel non uenient: & scietis quia ego Iehouah.*



Equitur iam quo pacto populus se gesserit, postquam in terram promissam deductus fuit. Quanto maioribus beneficiis à Deo ornatus fuit, tanto maiorem idololatriam exercuit. Ita enim dicit Dominus: *Adhuc in hoc probris affecerunt me patres uestri, prauaricando contra me prauaricatione.* Deus queritur, Israelitas ex mera gratia in terram multò antè patribus promissam deductos, non solum errore, aut humana imbecillitate peccasse, sed quasi prouocasse ipsum, probroque affecisse. Bestiæ aliquando hominibus gratiam referunt, at Israelitæ pro tot tantisque Dei beneficiis maximas iniurias pensabant. Id quod ex sequentibus uerbis planius intelligetur, ostendit enim eos omnes partes Legis uiolasse.

*Viderunt omnem collem excelsum, & omnem arborem densam, & sacrificarunt ibi sacrificia sua.* Sancti homines sacrificia à mundi exordio, non priuato arbitrio: sed Dei iussu usurparunt: ut constat de Abele, Noe, Abrahamo, & aliis. Non autem ideo instituta fuerunt quòd Deus per se illis delectaretur, aut quòd peccata delerent, sed certos ob fines, quorum præcipuus fuit, ut Christum uictimam fore delinearent, de quo alibi dictum est. Ideòq; Deus per Mosem in Lege distinxit illa, & populo denuò mandauit. Voluit autem, ne ubique sacrificia offerrentur, sed in loco quem ipse monstrasset. Is fuit initio tabernaculum, postea Templum Solomonicum. Altare in quo uictimæ offerrebatur, unum esse debuit: cumq; tabernaculum stabilem sedem non haberet, noluit Deus altaria ex lapidibus politis, sed ex congestis cespitibus, aut rudibus fieri, ne (ut obseruauit Calvinus) si uestigia aliqua superessent, alij quoq; ibidem religione loci immolare uictimas uellent. Israelitæ uero nihil moti præceptis Dei, non uno in loco sed passim altaria erigebant, in collibus, lucis, & iuxta frondosas arbores, ducti amœnitate locorum. Quæque eos ad obedientiam permouere debebant, occasio ipsis erant superstitionis. An non merito hodie quoque queritur Deus, Christianos post tot beneficia & patefactam uoluntatem, in templa intulisse idola, passim in campis amœnioribus, uallibus & montibus non tantum facella, sed monasteria quoque amplissima erigere?

*Posuerunt ibi iram oblationis suæ.* Sensus est, obtulerunt sua munera idolis, quibus iram meam cõcitarunt. Vox קרבן *korban* generaliter omne donum significat, quod ad sacros usus offertur, de pecoribus, frugibus, aliisque rebus. Marc. 6. Christus uocem *korban* interpretatur *id est* *egy.* Vocem Minha, non tam late patere, sed de frugibus terræ tantum intelligi, ex Leuit. 2. cap. colligitur. His oblationibus Israelitæ testari debebant, se à Deo pecora, fruges, & res alias uitæ necessarias, accepisse, & gratias ei pro tantis beneficiis



beneficiis deberi: illi verò idolis hæc offerebant, quasi ab ipsis hæc omnia essent. *Posuerunt ibi odorem suauitatis suæ.* Suffitus suaues parabant diis gētilium. Deus præscriperat thymiama, quod nemini præter ipsi soli in ara aurea quotidie bis offerendum erat: per hoc preces Sanctorum significabantur. Exodi 30. Quicūque tale sibi fecerit incensum, vt id olfaciat, peribit anima eius. Illi, odores ethnicis diis adolebant. Suaues vocat propter materiam, ex qua parabantur, alioqui erant Deo insuaues. *Libantes ibi libamina sua.* *נְסִיחִים* *nesichim* libamina, in Sacris dicuntur, cū vinum aut oleum offertur. Quatuor illas species oblationum recensuit, vt ostendat non vna tātū in re, sed in multis, legem Diuinam transgressos esse. Quod verò ceremoniarum potius meminit quàm aliarum rerum, meo iudicio ideo facit, vt eorum inobedientia conspectior sit. Non enim difficile fuisset externa illa seruare, nisi Deo quodammodo bellum indixissent. Repetit *ibi*, nimirum in terra Sancta, vel in excelsis suis, quæ passim erexerant. Non videtur carere emphasi, quod dicit, *Sacrificia sua, oblationes suas &c.* scilicet quæ contra verbum Dei, ex suo cerebro, in honorem idolorum vsurpabant. *Quid est excelsum ad quod vos conuenitis?* Quæ est illa insania, quòd deserto templo contra apertā legem, aliò vos conuertitis? Quis vobis præcepit, vt aras in excelsis erigeretis? an non vnicum locum vobis constituit, in quo offeratis mihi sacrificia? Imitatio gētilium inuexit vocem *bama* excelsum. Alii dicunt Deum, cū Israelitæ in collibus sacrificarent idolis *בְּמָה* *bamah* quid in hoc? interrogasse, & ex ista interrogatione *בְּמָה* *bamah* excelsum, nomen (non quòd propriè excelsum significet) obtinuisse, sicut *מַנְהוּ* *manah* quid, vel quantum est hoc? *מַנְהוּ* enim est interrogantis particula alii tamē à *מָנָה* *manah* quòd donum significat deducunt. Theodoretus sic exponit, quæ vobis ex ipsa Bama utilitas accidet, quam vestra impietate tam illustrem reddidistis, vt vsque ad præsens tempus stabile permaneat? *An non more patrum vestrorum polluitis vos?* Querebantur se patrum idololatrarum pœnas luere, dicebantque, Si fuissetus in diebus illis, non hæc fecissetus, interim peiora patrabant. Exprobrat igitur eis, quòd paterna scelera imitentur, imò vincant, & quid ipsis euenturum sit, ostendit. *Et post abominationes earum fornicamini?* Idololatria scortatio est spiritualis. Siquis diligenter inter se conferat idololatræ & scortatores, videbit quanta inter eos sit similitudo: idololatria & scortatio, teste Osea, auferunt cor &c. *Cum enim offeritis dona vestra traducendo filios vestros per ignem, polluitis vos in omnibus idolis vestris vsque hodie.* *מַתָּנוֹת* *mathanoth* muna, dona, à *נָתַן* *nathan* donando. Exprobrat illis, quòd patrum tædam idololatriam imitentur. Non quòd, vt dicit Hieronymus, hæc seniores in captiuitate faciant, sed quòd illi qui Hierosolymis morabantur, & quibus captiuitas imminebat, hæc omnia facere non cessarent. Si cum his historiam Sacram cõferas, inuenies Israelitas statim post mortem Iosuei defecisse: sub Iudicibus aliquoties, sub Regibus sæpe, violata est religio. Solomon idololatriam inuexit cuius reliquæ durarunt posteris temporibus. Post tempora Iosuei prorsus lapsa fuit purior religio. De bonis quoque dicitur, quòd excelsa non sustulerint. *Et ego consultus respondebo vobis, domus Israel?* Calvinus interpretatur, *Et ego inquirar à vobis, domus Israel?* Cū tot & tanta scelera patrare non desinatis, quare non veremini me consulere? aut, quomodo recto animo me quæritis? hypocritæ estis, non est vobis cura de me. *Vino ego, si consultus respondero vobis.* Calvinus simplicius reddit, *Vino ego, si inquirar à vobis.* Ostendit eos nō venire simplici & sincero animo, nihilque minus facere, quàm vt ipsum consulant: ac si dicat: Simulatis vos quætere rationem viuendi, cū iam proposueritis vobis idola colere. Addit iusiurandum, quis enim credat senes populi Dei, diuturno exilio domitos, subdolè egisse cū Propheta? Propius nunc accedit,

Peruersum  
consilium  
seniorum.

& retegat, quid in animo absconditum gerant. *Et quod ascendit super spiritum vestrum, penitus non erit: dicitis enim, Erimus sicut gentes, sicut cognationes terrarum ministrando ligno & lapidi.* Summa est: Quod vobis proposuistis non succedet. Seniores illi accesserunt ad Prophetam tanquam consulturi, quàm diu exilium duraturum esset, & quo pacto se gerere debeant: item quid illis euenturum esset, qui adhuc in patria morabantur, interim animo agitabāt, quomodo honestum prætextum venarentur abiiciendæ legis Dei, & recipiendæ idololatriæ. Diuinare potuerunt, Prophetam prædicturum, quemadmodum Ieremias quoque fecerat hanc captiuitatē duraturam 70 annis, hoc si dixisset, respondissent, Quãdoquidē nobis tamdiu sub illorum imperio viuendum dicis, age, accōmodemus nos ingenio ac moribus ipsorum: recipiamus eorū religionem, hoc enim erit æruinarū nostrarū expeditissimum remedium. Sin mordicus legem nostram retineamus, intolerabilis omnino erit seruitus nostra. Ideo autē videntur dicere, Seruiemus ligno & lapidi, non simulachris, aut diis Babyloniorum, vt eleuent culpam: quasi dicant non ignoramus deos Babyloniorum ligna esse & lapides, contemnemus eos in cordibus nostris, interim vt sæuitiam dominorum effugiamus, sicut illi, ante eos procidemus, &c. Hoc fuit seniorum & populi perfidum consilium. Castigandos igitur esse dicit, & modum castigationis ostendit. *Vino ego, nisi in manu forti, &c.* Brachiū excelsum vindicandi facultatem ostendit. Iam Deus ostendit, eos defectione sua quam meditabantur, pœnam non effugituros: etsi enim Babylonios blandos experiantur, se tamen hostem ipsis fore, imò adacturum eos atrocitate pœnarum, vt ipsum dominum suum vel inuiti agnoscant. Veluti si princeps aliquis promittat subditis suis, se clementem fore ipsis, nihilque præscripturum quod cum religione vera pugnet, illi verò se in libertatem asserere contra datam fidem moliantur, cogit ille princeps inuitos sibi parere, & experiri asperum, quem clementem habere recusarunt. Non eueniet quod speratis vt, sicut aliæ regiones, ligna & lapides colatis. Non faciam vt negligentes domini, qui seruos fugitiuos contemnunt, ego retraham vos ad meum imperium. At promiserat Deus se ex Babylone euolutis fatalibus annis, Iudæos reducturum in patriam. Et quanquam multi inter eos perfidi & rebelles fuerint: non tamen fideles propter illos spe sua frustrandi erant. Ad hoc respondet sequentibus verbis: redituros dicit ex captiuitate, sed non esse quòd impii lætentur, sed pii. *Et educam vos de populis &c.* Educam quidem vos sicut promisi, sed non optata quiete in patria fruemini, idque propter ingentem vestram ingratitude. *Et adducam vos ad desertum populorum.* Caluinus annotat, non aliquam regionem notari, sed metaphoricè miserum statum significari, quo versaturi sunt: vt sit sensus, Etiam si in patriam redeant, tamen perinde fore ac si in vasto deserto versarentur. In magna hominum frequentia, sæpe nobis in desertis locis & dumetis, vitam degere videmur: è contra in desertis locis sæpe non minus benè habemus, quàm si in turba amicorum versaremur. Vel, minatur eis quòd ex locis cultis in deserta adducturus sit, vbi alii nolint habitare, quasi dicat, Putatis vos securè habitaturos inter gentes, sed peius habebitis. *Et iudicio vobiscum contendam ibi de facie ad faciem.* Metaphoricè loquitur, vel vt Theologi loquuntur, *ὡς ἐν προσωπώδῳ.* Si quis idoneis rationibus & testibus, suam accusationem iudicibus incorruptis probare possit, intrepidè agit cum suo aduersario, & efficit vt pœnæ de eo sumantur. Ita Deus etiam aduersariorum suorum, nedum aliorum iudicio, iustis pœnis in patriam reductes afficit. *Sicut iudicio contendi cum patribus vestris in deserto terra Egypti: sic &c.* Explicat exemplo, quod iam dixit se disceptaturum iure cum populo

pulo suo rebelle. In Ægypto iustitiam suam variis pœnarum generibus declaravit. Num. 11. cap. cum præ dolore contra Dominum murmurarent, exarsit contra eos ignis Domini, extremamque castrorum partem deuoravit. Postea 16. capite Chore, Dathan & Abiron insurrexerunt contra Moysen & Aaronem, ideoque cum 250. viris incendio perierunt, reliquos terra absorpsit. Postero die cum omnis cœtus Israel, contra eosdem duces suos murmuraret, dicerentque, Vos interfecistis populum Domini, ignis ingentem eorum multitudinem absorpsit. Num. 21. Cum in eundem lapidem impingerent, immissi sunt illis dipsades, qui multis exitium attulerunt. Quid fiet interim de piis hominibus, quorum aliqui in hoc populo fuerunt? *Et transire faciam vos sub virgam, & adducam vos in vinculum fœderis.* Hæc verba pertinere puto ad consolationem piorum, qui impiis permixti erant. Metaphora est sumpta à pastoribus, qui pedo pastorali gregem suum numerare solent. Deus electos suos, sicut pastor oves suas, agnoscit atque numerat, nec patitur quenquam perire etiam in maximis periculis: promittit etiam quòd memor fœderis esse velit, quo se tùm patribus, tùm ipsis adstrinxerit: deinde impiis iterum minatur pœnas.

*Et seligam ex vobis rebelles, & prauaricantes in me, è terra incolatus eorum educam eos, & in terram Israel non venient.* Deus discernit inter bonos & malos. Educturum quidem dicit ex Babylone rebelles, sed terram Israel non ingressuros. Quemadmodum qui educti sunt ex Ægypto, terram promissam non ingressi sunt: ita rebelles qui è Babylone reducti sunt, terram promissionis non sunt ingressi, hoc est, etsi in patria fuerint, tamen fuit eis quasi exilium & squallidum desertum: commodius tamen videtur vt mysticè intelligamus terram Israelis, hoc est, vitam cœlestem, veram patriam, quæ per Chanaan adumbrata fuit, non sunt ingressi. Adde quòd plerique ex impiis in exilio obierunt.

Theodoretus intelligit de altera captiuitate sub Romanis, quando iterum dispersi sunt in omnem terrarum orbem. Vltimo die Christus, sicut pastor, oves & hircos separabit à se inuicem.

Hæc doctrina necessaria est nostris temporibus sunt, enim multi prudentes viri, qui cum audiunt minas hostium Euangelii, cum vident supplicia quæ de piis sumuntur, item cum cogitant se in certissimo fortunarum vitæque periculo versari, consilium capiunt, vel de simulanda, vel profus abiicienda Euangelii doctrina, vt res suas in tuto collocare possint. Videris, inquit, quanta sit papistarum pertinacia, & quoniam nobis versandum est inter eos, concedamus missam esse sacrificium, sanctos adorandos, esse purgatorium, habendas imagines in templis, & alia huius generis: interim credat quisque in corde suo, quæ vult, quis nescit simulachra esse lignum & lapides, non diuos? &c. An propter hæc doctrinæ capita, omnia sanguine sunt implenda? Si non in omnibus, in aliquibus tamen capitibus, illis quippe potentioribus concedendum esse dicunt, compendiarium enim hanc & tutissimam esse viam, ad pacem in orbe constituendam. Huiusmodi fuit consilium illud seniorum in Babylone: quid verò Deus respondit? Etsi se Babylonii coniungant, vt otio suo & quieti consulant, non tamen assequuturos quod sperant. Si amicos habeant Babylonios, se tamen hostem experturos, etiam postquam in patriam eos reduxerit. Idem hodie quoque respondet Deus illis politicis viris, vel vt rectius dicam, Epicuræis: Ne fallite vos ipsos, non enim responsum consequemini: etsi veritatis aduersariis vel in omnibus, vel in plerisque capitibus falsæ doctrinæ subscribatis, nondum tamen defuncti estis omnibus periculis: sed fingite, placaueritis vestros aduersarios,

Multi pacifici volunt cū papistis.

me tamen hostem vobis reddidistis, qui nō solūm apostasiam, sed & conciliationes huiusmodi derestor. Paulus in 1. ad Corinth. 10. dicit: Nō potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum. Confessionem apertam fidei in periculis Deus requirit. Præstat autem totum mundum habere infestum, quā Deum, qui animo & corpore nos potest perdere. Quis nobis concessit potestatem paciscendi cum hostibus de religione contra Deum? Est quidem summo studio pax quærenda, sed non cum iactura veritatis. Fit sæpe, vt illa inconstantia, nos quos dissimulatione vel abnegatione veritatis placare cupimus, nobis infestos reddamus. Contrā constantia confessorum sæpe asperos homines ad benevolentiam vel mutationem religionis flexit. Prouerb. 16. cap. dicitur: Cū placuerint viæ viri Domino: etiam inimicos eius conciliat ei. Et si verò apostatæ & alii perfidi homines, ad tempus pericula subterfugiāt, tamen conscientia stimulis agitantur, & post hanc vitam pœnis adficiuntur. Quot nostra memoria propter veritatis abnegationem in horribilem desperationem inciderunt? Ne igitur propter vitanda pericula, faciamus quod senes illi fecerunt: sed simus constantes in vera fide, euentum Deo permittamus, is si vult potest omnia pericula à nobis depellere, & impiorum impetus frænare: nobisque in omnibus malis animum dare tranquillum. Quòd si omnino moriendum est propter Christum, cogitemus ipsum quoque propter nos mortuum esse: nos item alioqui esse caducos & mortales, consolemur nos cogitatione æternæ vitæ, confirmemus nos tot martyrum exemplis, & in fide vera simus constantes.

## HOMILIA XC.

*Deus non vult vt partim se, partim idola colant,  
futurūque prædicit, vt reducti in patriam,  
legitimè ipsum colant.*

39 Et vos domus Israel, sic dixit Dominus Iehouah, Singuli post idola sua ambulante, & seruite, posteaquam nō paretis mihi, & nomen sanctum meum ne polluatis ultra muneribus vestris & idolis vestris.

40 Quia in mōte Sācto meo. i. in monte excelso Israel, dicit dominator Iehouah, illic colent me tota domus Israel vniuersa ipsa in terra: ibi volam eos, & ibi requiram oblationes vestras, & primitias munerū vestrorū in omnibus sanctificationibus vestris.

41 In odore quietis volam vos, quum eduxero vos de populis, & cōgregauero vos de terris in quas dispersi estis: & sanctificabor in vobis, in oculis gentium.

42 Et scietis quòd ego Iehouah, cū induxero vos in terrā Israel, id est, in terrā pro qua leuavi manum meam, me daturum eam patribus vestris.

43 Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium operum vestrorum, quibus polluistis vos, & succisione dignos reputabitis vos, in conspectu vestro, propter omnia mala vestra quæ fecistis.

44 Et factis quòd ego Iehouah, quum fecero vobiscum propter nomen meum, nō secundum vias vestras malas, & secundum opera vestra corrupta, domus Israel, dixit Dominus Iehouah.



Eniores illi qui prætextu consulendi Dominum ad Prophetam accesserant, habebant in animo (vt suprâ dixi) vel prorsus abiicere veram religionem, vel miscere ritus Legis cum ritibus gentium, vt Babylonios sibi propitios experirentur: sed Deus per Prophetam dicit, illos non assequuturos quod sperant: nam vel in deserto ipsis moriendū esse, vel in medio terræ non melius habituros, quàm si in desertis locis agerent. Tutissimum itaque est consilium, omnia potius experiri, quàm à vera doctrina vel latum vnguem discedere: quod ex sequentibus quoque verbis Prophetæ intelligitur. *Singuli post idola sua ambulate & seruite, posteaquam non paretis mihi, & nomen sanctum meum ne polluatis vltra muneribus vestris & idolis vestris.* Sensus est, Quandoquidem legi meæ parere nõ vultis, seruite idolis, sicut apud vos constituitis: & ne sacrificiis & idolis nomen meum polluatis. Ideò videtur dicere vt singuli post idola sua ambulent, quòd quisque peculiare vt in papatu, Deos haberet. An verò præcipit Deus idola colere? Concessio est ironica, quales multæ sūt in quotidiano sermone: vt cùm pater desperans de filio immorigero dicit, Abi in malam rem. Colligimus autem ex hoc loco, Deum non velle, vt partim ipsi, partim idolis seruiamus: sed vult vt ipsum solum, tota anima, toto corde omnibûsque viribus amemus: vult coli citra riualem. 1. Regum 18. capite clamat Helias ad vniuersum populum, Quousque tandem claudicatis in duas cogitationes? (vox Heb. significat ramos.) si Iehouah est Deus ite post eum: si verò Baal, ite post ipsum. Christus dicit: Nemo potest duobus dominis seruire, nimirum contraria imperantibus. 2. ad Corinth. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Apocal. cap. 3. Laodicena ecclesia reprehenditur, quòd neque frigida esset, neque calida, hoc est, quod miscerent gentilium religionem cum Christiana, vel, Euangelium profiterentur, mores interim gentilium retinerent. Lactant. De falsa religione libro 1. cap. 19. etiam docet quòd deos vanos & Deum verum nemo simul possit colere: Si honos idem, inquit, tribuitur aliis, ipse omnino non colitur: cuius religio est, illum esse vnum ac solum verum, credere. Gentiles etiam intellexisse, quòd Deus Israelis, solus velit coli, ideòque noluisse recipere Deum Iudæorum, ne alios abiicere oporteret, alibi ex Augustino annotauimus: Samaritani quoque mixtam religionem habuerunt: nam & Deum Israelis colebant, & simul suos Deos. Temporibus Apostolorum Nazaræi miscebant Legem cum Euangelio. Papistæ vnà cum simulachris dicunt se Deum verum colere. Turcæ ex multis religionibus, vnâ conflant. IN-TERIM nostra ætate ex Euangelio & papatu fuit cõpositum. Has mixturas Deus abominatur: mauult vt Israelitæ ex professo sint idololatræ, quàm vt his corruptelis sanctum suum nomen prætexant.

Deus iubet  
eos idola  
colere.

An verò, obiicis, non est fatius, Deum aliqua ex parte colere, quàm prorsus idololatriæ additum esse? Quoad homines, præstat aliquid retinere ex verbo Domini, quàm omnino nihil: at quoad Deum, minus laceratur nomen eius, si illi qui se Dei cultores profelsi sunt, prorsus deficient. Nemo dicit, Illi qui volunt dici populus Dei, hæc vel illa faciunt: nam statim audirent, Non est ex nobis, vester est. *Quia in monte sancto meo, in monte Israel, ibi seruiet mihi tota domus Israel, vniuersa ipsa in terra.* Hæc verba secundum litteram intelligi possunt de reductis è captiuitate, qui tot calamitatibus edocti, tandem Deum sincerè coluerunt, non, vt antè suo arbitrio, sed secundum verbum eius, ideòque cultus ipsorum Deo grati & accepti fuerunt. Etiam illa sacrificia, quæ aliqui ex Israele in Chaldæa non diis Babyloniorum, sed ipsi Iehouæ obtulisse probabile est, non fuerunt Deo grata: certum enim locum sacrificiis assignauerat, extra quem sacrificare non licebat: postquam

Quæstio

verò in patriam reducti sacrificarunt, vbi & quemadmodum oportebat, grati fuerunt Deo: idem de aliis oblationibus dici potest. *Tota domus Israel vniversa ipsa in terra.* Quæ scilicet in captiuitate non interit: *Ibi volam eos.* Hoc est, bencvolentia mea eos prosequar. *Ibi requiram oblationes vestras, & primitias munerum vestrorum, in omnibus sanctificationibus vestris.* תרומה *therumah* oblatio est quam quis sponte de bonis suis Deo offerebat: & quia inter offerendum in altum leuabatur, inde nomen apud Hebræos accepit: nostra versio reddit, *hebopferab* eleuando. *Et primitias munerum.* מנחה *masseoth* dona à נשא *naša* portando. Primitias munerum, optima & pretiosissima vocat. *In omnibus sanctificationibus vestris.* Hoc est, in toto meo cultu, vt Calvinus exponit: alii, *In omnibus rebus quas conseruaueritis mihi.* Ostendit omnes oblationes, atque adeo cultus omnes sibi gratos fore: didicerant enim suo malo eum secundum verbum patefactum esse colendum. Deinde hæc verba, etiam de spiritali Israele, hoc est, populo Christiano interpretanda sunt. Nam per montem sanctum & excelsum Sion, Ecclesia significatur, eò quòd Apostoli ex hoc loco, per totum terrarum orbem Euangelium disseminarunt, & ecclesiam collegerunt. Ecclesia monti comparatur, quia immota in omnibus persecutionum procellis montis instar consistit, vt omnes quotquot illam excindere conantur, frustra laborent. Huius montis meminit Isa. 2. cap. & Micheas 4. cap. In nouissimis diebus erit manifestus mons Domini in vertice montium. Et de Sion exhibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Christianorum sacrificia Deo grata sunt, nam ex fide secundum verbum ipsius offeruntur. Obicitur nobis an nõ sacrificia ad Christi vsque tempora duntaxat durare debuerint, & postea aboleri, quomodo igitur Christianorum sacrificia, Deo accepta sunt & grata? Respondemus: etsi pecuina illa sacrificia abolita sint, tamen Christianos sua quoque habere sacrificia: primùm enim seipso, hoc est, corpus & animum Deo offerunt: deinde gratias agunt Deo pro omnibus beneficiis, in primis pro beneficio redemptionis. Cœnam Domini, quæ illius est beneficii commemoratio, Græci ἐυχριστίαν vocant, hoc est, gratiarum actionem. Patres interdum vocant sacrificium, sed longè alio sensu quàm pontificii, nimirum propter gratiarum actionem, quam Deo pii vnanimis offerunt. Tertio elemosynas conferunt pauperibus: hæc sacrificia Deus à suis postulat. loci manifesti sunt. *In odore quoties volam vos.* Odores suauissimos mihi offerentes, grati eritis. Postliminio enim in patriam reuersi secundum Dei voluntatem odores incendebant. Christiani verò preces suas (quæ per odores significantur) Deo offerunt ex fide, ideòque ei accepti sunt: *Sanctificabor in vobis in oculis gentium.* Nomen meum celebrabitur etiam inter gentes, si reduxero vos in patriam vestram. Fuit enim ex maximis Dei operibus, populum profus oppressum restituere in integrum. Hinc collegerunt potentiam Dei, suorùmque deorum imbecillitatem. *Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium operum vestrorum, quibus polluistis vos.* Restituti in patriam vestram, in memoriam reducetis vias vestras, id quod mox explicat, opera vestra, hoc est, idololatriam & scelera quibus vos polluistis. Homines idololatria sua se expiare volunt ab immunditie, cum contrarium contingat. *Et succisione dignos reputabitis vos in conspectu vestro, propter omnia mala vestra quæ fecistis.* Hoc est, deiicientis vos coram Deo: agnoscentes vos puluerem esse & cinerem, vt Abrahamus Domino dicebat. Talis erat publicanus ille Lucae 18, qui procul stans non audebat oculos ad cœlum attollere, sed percutiēs pectus suam dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori קוֹת *koth*, & in passiuo נִקוֹת *nakoth* dissectus est: ad verbum *Dissecabimini in faciebus vestris.* Hoc est, offendemini malis: erunt vobis

Per mõtem  
Ecclesia si-  
gnificatur.

Sacrificia  
Christiano-  
rum.

vobis in faciebus vestris tanquam gladii. Aët. 2. capite, de illis qui Petrum concionantem audierunt, dicitur, compunctos esse corde, ac dixisse ad Petrū & reliquos Apostolos, Quid faciemus &c. Discimus ex his verbis, hoc piorum esse officium, vt ex magnis liberati malis, publicè & priuatim peccatorum ob quæ malis affecti sunt, recordentur, sibi que caueant ab illis, ne iterum pœnis inuoluantur. Multi recordantur malorum præteritorum, sed causas eorum non perpendentes, putant cæco quodam fortunæ impetu accidere. Multi nõ repetunt memoria qualis eorum fuerit conditiõ, sed si prosperè habent, præteritorum & futurorum obliuiscuntur. *Et scietis quòd ego Iehouah, cum fecerim vobiscum propter nomen meum, non secundum vias vestras malas.* Restituti patriæ suæ cognoscent Dei immensam bonitatem, qui non, vt merebantur scelera ipsorum, eos tractauit, sed respectu nominis sui eis fuit propitius. Quod Deus nos creauit, conseruat, saluos facit, omnia meræ eius gratiæ ascribenda sunt. Si populus Iudæus ex gratia mera reductus fuit in patriam, quanto magis si in cœlestem patriam ducamur, d gratiæ diuinæ est tribuendum? Quantum nostris viribus attribuimus, tantum detrahimus diuinæ gratiæ. Orandū est semper, vt Deus nobiscum agat secundum misericordiam suam, non secundum nostra merita. Qui iactant opera quæ vocant supererogationis, palàm testantur se frontem perfricuisse. Continentur his verbis duo, quæ ad veram pœnitentiam præcipuè requiruntur, primum est, vt peccata agnoscamus, & dolore propter illa afficiamur: alterum, vt agnoscamus Dei misericordiam, propter quam peccata nobis quantumuis multa & magna remittuntur.



## Concio decimaquarta

E Z E C H I E L I S.

H O M I L I A X C I.

*Duplici similitudine ostendit Iudæos vicināsque gentes à Nabuchadonofore affligendas esse: Prophetam iubet gemitu dolorem suum coram senioribus testari.*

45 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

46 Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austris, & stilla ad Meridiem, atque propheta ad siluam agri Meridiani.

47 Et dices siluæ Meridianæ, Audi verbum Iehouæ, sic dicit Dominus Iehouah, Ecce ego succendo in te ignem, & absument in te omnem arborem viridem, & omnem arborem aridam: Non extinguetur flamma flammæ, comburenturque in ea omnes facies ab Austro ad Aquilonem.

48 Et videbit omnis caro quòd ego Iehouah succendi illam: non extinguetur.

49 Abah, Domine Iehouah: ipsi dicunt mihi, An non parabolicè loquetur parabolas iste?

1 **F**uit verbum Domini ad me, dicendo,  
 2 Fili hominis, pone faciem tuam ad Ierusalem, & stilla super  
 3 sanctuaria, & propheta super terram Israhel.  
 Et dic terræ Israhel, Sic dixit Iehouah, Ecce venturus sum  
 ad te, & educam gladium meum è vagina sua ad omnem car  
 nem ab Austro ad Aquilonem.

5 Et scietis omnis caro quòd ego Iehouah eduxi gladium meum de vagina sua: nò  
 reuertetur vltra.

6 Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudine inge  
 misce in oculis eorum.

7 Et erit quum dixerint ad te, Quare tu gemis? dices, Propter rumorem: quia ve  
 nit, & liquefiet omne cor, & debilitabuntur vniuersæ manus, angustiisque affi  
 cietur omnis spiritus, & omnia genua ibunt tanquam aquæ: ecce venit & fiet, di  
 xit Dominus Iehouah.

Scopus Pro  
 phetia.

Tempus.

Locus.

Vtilitas.

Partes.

**P**resenti capite, CONCIO XIII. continetur. Est autem vati  
 cinium generale de bello diuturno, quo non solum Iudæi, sed vi  
 cinæ quoque gentes per Chaldæos subigendæ sint: tandem ipsos  
 quoque Babylonios, qui victoria abusi sunt, pœnas duros præ  
 dicit. Similis prædictio apud Ieremiam legitur capite 25. de poculo ex quo  
 Iudæi, atque aliæ gentes, & tandem ipsi quoque Babylonii bibituri sint. Tem  
 pus huius prophetiæ non exprimitur: probabile est circa annum 7. vel 8. cap  
 tiuitatis Iechoniæ scriptam esse, anno enim 9. cœpit graue hoc bellum. Solet  
 autem Deus mala quæ gentibus euentura sunt, variis prodigiis & concioni  
 bus prædicere. Exemplum habemus in primi seculi hominibus, quos Deus  
 diluuiò perdidit, in Sodomitis, Ægyptiis & aliis. Sux genti plurimos misit  
 vates, quide venturis pœnis eos admonerent. Locus in quo habita est hæc  
 Prophetia, est Babylon. Iudæi qui remanserant Hierosolymis, ridebant illo  
 rum stultitiam, qui obsequuti Ieremiæ consilio, sponte in exilium iuerant:  
 nihilominus scribit eis Ezechiel de apparatu bellico Nabuchadonoforis ex  
 Babylone, vt resipiscant. Vnde colligimus quanto amore suos prosequutus  
 sit. Non dicit, Re ipsa experiatur, nos rectè fecisse: aut, Nolo odium Regis mei  
 incurrere, nihil scribam ne suspicetur me esse proditorem, aut alia huius ge  
 neris. Quàm inuisi sint hostes veræ doctrinæ, scriptis piis, nostra tempo  
 ra docent.

Vsus huius concionis hic est præcipuus, vt discamus Deum homines, si o  
 mnes admonitiones & paternas castigationes aspernentur, & malitia eorum  
 ad summum crescat: funditus excindere bello, peste & aliis viis. Discimus rectè  
 iudicare de bellis, quòd non temerè oriantur vel desinant: sed quòd Deus sit  
 præses belli. Videamus singulas huius capitis partes. I. Est parabola de silua  
 incensa. II. Parabola de gladio, quã postea latius prosequitur. III. Propheta iu  
 betur gentibus iam iam ventura mala testari. IIII. Ponitur diuinitio regis Ba  
 bylonii. V. Prædicatur Regi auferendã coronam, quæ tandè Messix imponenda  
 sit. VI. Amonitis pœnã prædicat. VII. Iphis quoq; Babyloniiis quorũ opera De  
 in castigãdis aliis vsus fuerat. Vel totum caput in duas partes potest cõtrahi  
 in prima Iudæis prædicat calamitatem bellicam: in altera, exteris gentibus.

Ponc



*Pone faciem tuam contra viam Austræ, & stilla ad Meridiem, atque propheta ad siluam agri Meridiani.* Exordio præmissio, primò iubet Prophetam facie versa ad Meridiem, vaticinari. Hac phrasi ostendit strenuè prædicandum esse, ita vt nullis minis frangatur, nec se impediri sinat. Requiritur idem ab aliis quoque concionatoribus: vt intrepidè, prudenter tamen, quæ dicenda sunt: dicant: Multa sunt quæ eos reuocent, odia vulgi, minæ potentum, calumniæ, & alia: sed cogitandum semper cui seruiamus, & cui ratio sit reddenda nostri muneris. Erigere nos debemus Christi, Apostolorum & Prophetarum exemplis, promissionibusque Diuinis, &c.

Obfirmare faciem.

Meridiem tribus nominibus nominat. *יָמִין* *iamin* dextram significat & australem plagam, nimirum quòd respiciènti ad ortum, illa plaga ad dextram sit: hinc nomen heemanticum *תְּמָן* *theman* Auster, ventus meridionalis: *דָּרוֹם* *darom* ab altitudine: *נָגַעַף* *nagef*, quòd feritur ardore solis. *נָטַף* *nataph* stillare, guttate, per metaphoram ad sermonem vel prædicationem transfertur. Amos 6. Mich. 2. Ne stillatis, stillabunt. Nam quemadmodum tempestiua pluuiæ suo fructu non caret: ita prædicatio verbi Dei, Isa. 55. Item sermo similis est pluuiæ, nam vt guttæ, sic verba se inuicem subsequuntur. Græcis quoque oratio dicitur à fluendo, *ῥῶ* siquidem ex vetere verbo *ῥάω* contractum, idem est quod dico & eloquor, vnde *ῥήτωρ* & *ῥητορικὴ* deducitur. Stillare quidam pro dura & acerba increpatione perfundere accipiunt. Germani dicunt *einen mitt bosen vworten bschiitten*. Ad vel contra siluam agri Meridiani. Siluam, vt postea videbimus, vocat urbem Hierosolymorum, nimirum hanc ob causam, quòd in siluis ferè sint infructiferæ arbores, & incendio destitutæ, item quòd sint ferarum latibula, item quòd non ordine consistant arbores, sed multa sit confusio in illis. Siluam agri vocat, quòd sita esset in regione fertilissima agri Meridiani, quia Hierusalem & terra Iuda, respectu Babylonis sita erat versus meridiem, in qua Propheta erat. *Dices silua Meridiana: ecce ego succendo in te ignem.* Per ignem in Scripturis Sacris, passim vltio Diuina significatur. Sensus est, sumam debitas pœnas de vobis adducendo hostes contra vos. *Absumet in te omnem arborem viridem, & omnem arborem aridam.* Hoc est, fortes & ignauos, bonos & malos absumam. Fit enim vt in bellis optimi ferè cadant, vnde Sophocles.

Meridies quomodo ab Heb. appellatur.

Stillare.

Hierusalem silua vocatur.

Siluæ agri.

Πόλεμος ἐδὲν ἀΐσει ἐκὼν  
 Αἱ ρῆς πονηθῶν, ἀλλὰ τοῖς Χριστιεῖς ἀεί.

*Non exstinguetur flamma flamma, comburenturque in ea omnes facies ab Austro ad Aquilonem.* Quidam exponunt: comburentur omnia quæ ab Austro ad Aquilonem respiciunt: omnes facies, id est, regiones. Flamma flammæ, est cōtinua & perpetua flamma: significat diuturna mala, quæ non solum superstites Iudæos à Meridie ad Septentrionem sequuta sunt: sed quæ alias quoque gentes ad Septentrionem vergentes presserunt: sperabant enim Iudæos tantum bello premendos, sed postea hoc incendium latius vagatum est, neque potuit extingui. Alii, Comburentur omnes facies &c. de Iudæis interpretantur. Vt in incendiis homines vstulantur: ita Iudæi supplicia non euadent, sed ab Hierusalem vsque in Babylonem multis malis afficientur: facies eorum rædio exillii & inedia, tam aridæ erunt, ac si igne tostæ essent. *Et videbit omnis caro, quòd ego Iehouah succendi eam.* Tanta erit pœna, vt omnes faciliè intellecturi sint, diuinitus esse immisam. Hoc Nabusardan capta

vrbe dixit Ieremiæ. Homines enim maximis calamitatibus inuoluti, Deum earum authorem esse fatentur, causas animis repetunt, ob quas ita in eos sæuiat: Ingrati, dicunt, fuimus Deo pro his & illis beneficiis, &c. *Nec extinguetur.* Cùm siluæ præsertim si multæ aridæ in ea sint arbores, incenduntur pastorum negligentia, vel aliàs, non possunt restingui, nisi maximis laboribus, arbores procul ab igne cædendæ, aut fossæ ducendæ sunt: ita si Dei ira exardescat, non potest restingui. *Ahab Domine Iehouah, ipsi dicunt mihi: Annon parabolicè loquitur parabolis ille?* Queritur Propheta sibi vitio verti à suis, quòd tam crebro parabolis vtatur. Dicebant se ænigmata illa non intelligere & vt ille in comœdia dicit: Dauus sum non Oedipus. Plana quidem erant quæ dicebantur, passim enim per ignem vltio Diuina, per arbores homines significantur, at illi nolebant intelligere. Hodie quoque quæ non grata nobis sunt, dicimus nos non intelligere. Propheta petit, vt simpliciter & sermone vñtato loqui cū eis permittat, ne possint obiicere, ipsum obscurè & ambiguè loqui, & nescire quid dicat. Quia verò hæc docendi ratio Iudæis non placuit, ne miremur si hodie quoque homines aliam atque aliam rationem cõcionandi nobis præscribant, aut illa quæ plana sunt, se non assequi affirmant. Secundo loco sequitur alia parabola de stricto gladio, qua præcedēs explicatur per *ἐφεξήνησιν*, ne querantur obscurum esse. *Pone faciem tuam ad Ierusalem, & stilla super sanctuaria, & propheta super terram Israel.* Interpretatur quid sit stillare ad Austrū, Aphricum, Meridiem, & ad saltum Meridianum, nempe vaticinari contra urbem, sanctuaria & terram Iuda. Sanctuaria in plurali numero dicit, quia Templum distinctum fuit in suas partes, deinde habuit multa adiuncta ædificia: habuerunt ad hæc Iudæi sua sacella & lararia, quæ ipsi sancta esse opinabantur. *Ecce ad te, scilicet, venturus sum: adoriar te. ich vuil an dich hin. Et educam gladium meum è vagina sua.* Antè dixit, Immittam in siluam ignem: suprà quoque hoc supplicium igni comparauit, hñc gladium quasi carnificibus traditum, multis nominibus ad pœnitentiam eos adducens. *Educam gladium,* hoc est, Nabuchad. contra vos adducam, qui apud hunc & alios Prophetas comparatur gladio, securi, nouaculæ, virgæ, baculo. Sic etiam Afsyrius Itã. 10. cap. Hęc instrumenta per se non mouentur, nisi regantur ab aliquo. Vnde colligimus bella non temerè oriri & geri. Sæpe vellent hostes aliquam gentem excindere, sed Deus multa eis impedimenta obiicit: rursus vellent quiescere, sed Deus excitat eis hostes. Ipse educit gladium ex vagina, & quando ei visum est, recondit. Appellat gladium suum: exequutor enim fuit iudiciorum Dei. Per vaginam Theodoretus intelligit longanimitatem Dei, quam cùm adhibere desinit, apertum illis qui commetere supplicium infertur. *Excidam ex te iustum & impium.* Exponit quid suprà per ligna arida & viridia intellexerit.

Christus quoque dicit, Si hæc in viridi ligno sunt, quid fiet in arido? Sed quomodo dicit se iustos perditurum? Quidam dicunt, eum loqui de illis iustis, qui sibi iusti videntur. Sic Matth. 9. dicit Dominus: Non veni vocare iustos, &c.

Sed simplicius dicere possumus, omnes homines peccatores & iniustos esse sua natura: sed Deus nos propter fidem in Christum iustos iudicat, iustitiãque filii sui nobis imputat. Iusti quoque non tanto conatu malis obistunt quanto deberent, non rarè conuiuent ad peccata, vt blandiantur impiis, itaque à publicis calamitatibus non sunt immunes. In mediis tamen calamitatibus sua peccata cognoscunt, ad Deum conuertuntur, & animam, licet corpus cum aliis pereat, ab interitu conseruant: corpus denuò recipiunt nouissimo die. Proinde non est idem piorū & impiorum uitæ exitus.

*Propterea*

Quæ dixit  
per meta-  
phorã nunc  
planius  
profert.

Sanctuaria.

Bella sunt  
sub Dei  
prouidẽtia.

Deus iustos  
& iniustos  
excindit.

*Propterea quòd succiderim ex te iustum & impium: idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem, &c.* Hunc puto simplicem & genuinum esse sensum: Quia meo populo non peperci, non parcam vicinis quoque gentibus, quæ lætantur eorum malis. Pii non insultant miseris, sed flent cum flentibus Rom. 12. *Et sciet omnis caro &c.* Quod antè dixit *Et sciet, &c.* nunc aliis verbis eloquitur. *Non reuertetur ultra.* Non antè recondam gladium in vaginam, quàm & à Iudæis, & ab aliis gentibus iustas debitâsque pœnas repetiuerim. Sperant homines se posse cum hoste pacisci, sed non semper succedit. *Ingemisce in contritione lumborum, & amaritudine ingemisce.* Tertio loco iubet Deus Prophetam, non verbis solùm, sed & gemitibus crebris testari, quid Iudæis euenturum sit. Vt expergerent Iudæi, causâque haberent interrogandi, ille respondendi quæ Dominus dixerat, utque altius, quæ dicebantur, in eorum animos penetrarent, iubet eum gemere in contritione lumborum, hoc est, non fictos aut hypocriticos, ut præficæ in funeribus solent, sed veros gemitus, imò de pectore edere: crebrisque suspiriis, maximos dolores testari. *In oculis eorum,* hoc est, ipsis videntibus. Multi enim occultè suâ mala lugent & gemunt, spémque vultu simulantes, dolores corde premunt. Sic Iosephus secedens lamentabatur, cùm audisset fratrum querelam de extincto Iosepho, & adducendo Benjamin minimo natu: cùmque iam adductus esset Benjamin dissimulauit dolorem suum, Genes. 42. *Eterit, cùm dixerint ad te, Quare tu gemis? dices, Propter rumorem: quia venit.* Si audiant gemitus, & ut sit, interrogent, quare ingemiscas, quid tibi acciderit, responde, propter triste nuncium de aduentu Nabuchadonosoris cum exercitu numerofo & valido, armis, variisq; machinis bellicis instructissimo. *Quia venit.* Veniunt quæ sæpe prædixi, semperque metui, quæque vos nunquam ventura credidistis. Prouerbio nostrate dicimus, tam diu aliquid euenturum dici, donec tandem fiat. Præforibus esse dicit illa quæ toties Prophetæ eis ingeminauerunt, non autem eos mouere poterant ad resipiscentiam. Quid verò facient Iudæi aduenante exercitu? Consternabuntur, & incerti erunt quò se vertant. Terroris magnitudinem membris aliquot exprimit. I. *Liqueset omne cor.* Timore corda debilitâtur. II. *Debilitabuntur omnes manus.* In morbis diuturnis & grauibus, manus officium non faciunt: ita in pauore manus vires remittunt. III. *Angustis afficietur omnis spiritus.* Animi eorum concident. IIII. *Omnia genua ibunt tanquam aqua.* Vt tremula aqua, metu trepidabunt, vel ex metu vrinam reddent. Germani quoque vrinam aquam vocant. Tanta cunctos, dicit D. Hieronymus, occupabit trepidatio atque formido, ut timore cogente, artus & viscera dissoluantur, & vesica humorem retinere non valeat, ita ut vrina genua polluantur. Naturale enim est ut timore cogente, vesica laxetur, & contra hominis voluntatem humor defluat. Quod quidem & in morborum magnitudine accidere solet, ut postquam vires defecerunt ægrotantium, non solùm genua, sed & lectuli polluantur. Impiorum hoc est ingenium, ut rebus florentibus sint audaces & securi, non cogitantes vices esse rerum, postea cùm mala de improuisò veniunt, nihil habeant consilii: sed attoniti obtupescant, animùmque prorsus abiiciant. Tales fuisse Chanaanos, Rachaba testatur, aduentatibus Israelitis, cùm antea ferocissimi semper fuisset. Deus in Lege sua minatur populo suo, si nõ obtèperent præceptis suis, se effecturum ut à crepitante arboris folio terreantur. In bellis experimur viros qui sæpe suam antea fortitudinem insignibus facinoribus declararunt, pavidos esse. Danielis, 5. cap. Balthassar cùm videret manum scribentem in pariete, toto corpore cohorrescit: utque verbis Prophetæ utamur, tunc forma Regis immutata est, & cogitationes suæ perturbauerunt

Metus mā  
gni de scri-  
ptio.

eum, vinculaque lumborum eius soluta sunt, & genua mutuùm collisa. Naturale quidem est vt pii quoque si res tristes eis accidunt, consternentur: caro enim sunt & sanguis, at modus seruandus est in omnibus casibus qui se offerunt, spes conicienda est in Deum, absque cuius consilio nihil triste nobis potest accidere. *Ecce venit & fiet, dixit Dominus Iehouah.* Quæ prædico certissimè euenient. Sperabant enim vel nunquam, vel ipsis viuentibus non futura, sperabant item se armis posse hostem repellere, vel etiam si vincerentur, se posse aliquam retinere formam Reipub. hostes non posse terram ipsam secum auferre. Respondet, iam iam implenda, & certissima esse quæ prædixerit, non enim ab homine prædici, sed ipso Deo.

## HOMILIA XCII.

*¶ Prosequitur allegoriam gladii, quem à Deo paratum esse dicit iugulandis hominibus, & interfectori traditum.*

8 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

9 Fili hominis propheta & dic, Sic dixit Dominus Iehouah: dic inquam, Gladius, gladius exacutus est, & etiam lima tersus.

10 Vt iugulet victimas exacutus est, vt sit ei splendor, limatus est: quomodo gaudebimus de hoc gladio tribum filii mei spernente, & omne lignum?

11 Et tradidit eum ad tergendum, ad tenendum manu: hic exacutus est gladius, & hic tersus est, vt tradat eum in manum interfectoris.

12 Clama & ulula filii hominis, quia iste erit in populum meum, iste in cunctos duces Israel: terrores gladii erunt populo meo, idcirco percutere femur.

13 Quoniam probatio erit: quid si etiam tribum reprobans non erit, dixit Dominus Iehouah.

14 Tu ergo filii hominis propheta & percutere manum ad manum, dupliceturque gladius tertio, gladius interfectorum, hic est gladius occisorum magnorum, qui percutiet eos in penetralibus.

15 Vt liquefiat cor, & multiplicentur offendicula, in omnibus portis eorum dedit terrorem gladii: heu factus est ad fulgorem, amictus est ad iugulationem.

16 Seorsum esto in aliquo loco, pone te ad dextram, pone faciem tuam ad Aquilonem, pone te ad sinistram, quò facies tua parata est.

17 Et etiam ego percutiam manum meam ad manum meam: & requiescere faciã iram meam: ego Iehouah loquutus sum.



Prosequitur similitudinem gladii, quem supra dixit euaginatam esse à Deo: iam enim subiicit, Deum hunc gladium acuisse, exposuisset, aptasse capulum, dedisse Nabuchadonosori, vt eo interficiat & plebem & proceres &c. Ideo autem tam multis hæc agit, vt eos ad pœnitentiam incitet. Ex his verbis colligemus vnde bella ortum suum habeant: quam multa mala secum trahant: quid moueat Deum vt gladium stringat, & quo pacto nos bellis imminentibus gerere debeamus. *Dic, Gladius, gladius exacutus est, & etiam lima tersus.* Prophetæ per gladium passim

ultionem diuinam intelligunt. Vlscitur autem se peste, fame, bestiis, bello, seditione. Hoc loco significat Nabuchadonoforem, per quem populo suo bellum intulit. Vox gladij geminatur propter vehementiam. Dicit se gladium acuisse, & expoluisse, bellum non procul abesse, vt illi somniabant, sed iam præ foribus esse. Per hoc quod dicit se acuisse gladium, ostendit se instruxisse Nabuchadonoforem viribus & peritia rei militaris. Dauid quoque orat Dominum, vt paret manus eius ad prælium. Per splendorem gladij, intelligit exercitum illum fulgentibus armis munitum, terrorem incussurum hostibus. Gladium hunc parauit, nõ vt eum suspendat in pariete, aut ludum exhibeat, sed, vt *ingulet victimas exactus est, vt sitei splendor limatus est*. Res seria agetur, gladius hic ingentem edet stragem. Alij interpretantur, vt *cadat cadem*. Hæc anadiplosis ad rem vehementius exprimendam pertinet, &c. Vt pecora cæduntur, ita multi absq; commiseratione iugulabuntur. Vt qui victimas cædūt grati sunt Deo, ita qui cædes illas edent, Deo obsequium præstabunt.

*Lætabimur igitur: contra tribum filij mei.* Sensus est, nequaquam gaudendum, quasi gladius in hostes stringendus sit, contra tribum Iudah, quem Deus filij instar hætenus complexus sit, euaginatum esse. Cùm audirèt Babylonium regem bellum parare, sperabant in alios grassaturum, sed vana erat illa spes. Deus tribum Iudah adhuc agnoscit populum suum, etsi sceleribus suis promeruisent grauissimam poenam. *וַיִּשְׁחַף־שֵׁשׁ־לְטַבֵּחַ־וַיִּשְׁחַף־לְטַבֵּחַ־וַיִּשְׁחַף־לְטַבֵּחַ* schafeth tribum & sceptrum significat, vtraque significatio congruit huic loco, agitur incolumitas populi mei, atque aded regie potestatis quam tribui Iudah concessi. *reprobans vel reprobantis omne lignum.* *וַיִּשְׁחַף־לְטַבֵּחַ־וַיִּשְׁחַף־לְטַבֵּחַ־וַיִּשְׁחַף־לְטַבֵּחַ* moasath refertur ad gladium. Gladius contemnit omne lignum, hoc est, gladius est tam acutus & bonus, vt etiam durissima ligna possit dissecare. Solent quidam experiri an habeant bonos gladios, cædendis lignis & arbusculis. Ego ad Iudæos mallet referre, vt esset sensus: egressus est gladius contra filios meos, reprobantes omne lignum, hoc est, qui virgam, baculos & fustes contemnunt: paternis castigationibus hætenus frustra eos reuocati, vt itaque posthac ferro. Solet Deus contra homines duros, qui nullis ferulis mouentur, gladios proferre. Santes vertit, *Quomodo gaudebimus de hoc gladio) tribum filij mei spernente, & omne lignum.* Vt sit sensus: Veluti gladius bonus ligna spernit, hoc est, facile scindit, ita Nabuchadonofor nullo negotio, & Iudæos & omnes alias gentes vincet.

*Et tradidit eum ad tergendum ad tenendum manu: vt tradat eum in manum interfectoris.* Repetit quòd Deus hunc gladium pararit, & hosti tradiderit: nisi enim hostes lædendi potestatem ab ipso Deo accipiant, neminem possunt lædere. Bella non nisi Dei prouidentia suscipiuntur & deponuntur: nemo interit, nisi volente Deo. Fortuna non dominatur in bellis, vt quidam volunt. Ne omnes quidem Gentiles fuisse in hac sententia, quòd in bellis omnia cæco impetu ferantur hinc colligo, quòd Martem & Bellonam aliòsque deos deasque eis præfecerunt. Si ne passer temerè in terram cadit, quis putet in bello tot fortissimos viros citra Dei consilium occumbere? Deus gentem bellicosam contemptram reddere, & imbellem ornare autoritate potest, vt omnibus sit horrori.

Fortuna nõ  
domina-  
tur in bellis

*Clama & vlula Fili hominis, quoniam iste erit contra populum meum, iste contra cunctos duces Israhel, terrores gladij erunt in populo meo, idcirco percut e femur.* Quid faciat Propheta in his turbis ostendit. Iubet eum clamare, vlulare, ferire femur, mox iubet eum manus complodere, vt solebant qui maximis calamitatibus premebantur. Imminentibus bellis non est exultandum, sed Deus orandus, vt bellum auertat. Quis enim mala omnia quæ bellum præsertim intestinum secum trahit, verbis satis explicare potest? Etsi verò Deus iustè puniat sceleratos: tamen non vult nos lætari, præsertim si proceres bello cadant.

*Quoniam probatio erit.* Inter alias causas, ob hanc quoque Deus bella immittit,

vt ostendat quales sint homines, multi grassante bello causas agnoscunt, ad Deum conuertuntur, & salui fiunt, licet corpore intereant: alij verò peiores efficiuntur, ideòque animo atq; corpore intereunt. *Quid si etiam tribum vel sceptrum vel virgam reprobans non erit, dixit Dominus Iehouah?* *וְכַד מַאֲסִים* reprobare, reicere contemnere significat. Hoc est, quid si tribus Iudah, quæ hætenus contempserit virgam, qua à Deo castigata fuit, desinat esse regnum? Alij, Quid si tribus Iudah, quæ regnum decem tribuum contempserit, vel ipsum Nabuchadonosorem, corruat? Vel hic sensus esse forsan potest, quid si etiam gladius ille contemnens Iudah, aliquando non erit: dabit enim & ipse pœnas. Locus certè est obscurus. *Duplicabitur gladius, triplicabitur gladius occisorum, ipse est gladius magnæ interfectionis, penetrans ad interiora eorum.* Ostendit hunc gladium maximam stragem editurum: hoc ipso iugulandos esse, non solum gregarios milites, sed & magnos principes. Prius duplicata fuit manus Domini, hoc est, bis gladio eos adflixit, sic triplicabit, hoc est, tertia vice veniet gladius Domini, vt profus excindantur. Constat enim ex historia, Zedechiæ filios, proceres aulae, & summum pontificem, ipso Rege inspectante, mactatos esse, etiam qui latibula quærunt, inquit, protracti iugulabuntur. Nemo itaque confidat munitionibus locorum, aut alijs præfidiis: Deo enim vindictam exercente, nemo potest subterfugere. *Vt dissoluatur cor, & multiplicentur offendicula in portis eorum, dedi terrorem gladij.* *מִיֶּחְשָׁבִים* *michschol* offendiculum, ad quod aliquis impingit. Hostes portas obseruabunt, & cadent quicumque vel caput audebunt proferre. Gladio præsentem, Iudæi animis conciderant: antea contemnentem Prophetarum monita, dicebant, Totidem sunt nobis digiti quot hostibus, & ipsi mortales & caduci sunt, &c. *Hec factus est ad fulgorẽ, amictus est ad ingulationẽ.* Paratus est ad hoc, vt non solum splendore suo terreat: sed & insertus capulo, apprehendi possit, & contra hostes grassari. Propheta tanquam omnia præsentia videret, exclamat. *Seorsum esto, pone te ad dextram, pone te ad sinistrã, quò facies tua paratã est.* Gladium ancipitem alloquitur Deus per apostrophem, vel prosopopœiã, perge quocunq; volueris, siue ad dextram siue ad sinistrã (incertus erat hostis, à quibus initium faceret) quocunq; enim te vertas, feliciter tibi succedet. Animo repetere secum potuisset Nabuchadonosor, quid Senacharibo, quid item aliis accidisset, qui cum hoc populo præliati sunt, ideòque cunctanter agere. Colligimus hinc quòd contra illos qui impleuerunt peccatorum mensuram, omnia hostibus feliciter succedat. *Etiã ego percutiam manum meam ad manum meam.* Iussi te complodere manus, in signum tristitiæ, & repentini metus: ego quoque complodam manus. Videtur hoc loco in alia significatione accipere: significat enim instigare hostes vt fortiter pugnent: incitamus enim aliquem complusione manuum ad rem aliquam perficiendam. Si in priore significatione accipias, sensus est, quòd Deus in maximis malis affectum paternum erga eos retenturus sit. de hac phrasi infra 22. cap. versus 13. plura sequentur. *Ego Iehouah loquutus sum: Qui in promissis & minis constantissimus sum.*

Complodio  
manuum.

Vsus huius  
loci.

Habemus in his verbis, primùm quòd à Deo sint bella, seditioes, aliãque flagella. Deus gladium stringit, acuit, expolit, manubrio inserit, vt manu teneri possit, tradit hosti in manum vt grassetur, dat ei successum, & tandem cum ei visum fuerit, iterum recondit in vaginam. Deinde videmus quàm atrox sit pœna belli. Omnia plena sunt metu, nemini parcitur, cæduntur promiscuè omnes, passim iacent cadauera, ex latebris extracti trucidantur. Hæc verò Deus in hunc finem immittit, partim vt castiget hominum scelera, qui leuiiores pœnas contemnunt, partim vt suos examinet, eisque somnum excutiat. Quid verò agendum imminente bello, aut iam grassante? non est gaudendum, & si enim nondum vexemur, nescimus tamen quousque gladius grassaturus sit. Dolendum est, assidueque preces fundendæ, omniq; fiducia coniicienda in Deum.

*¶* Prophetā videt duas vias, per quarum alteram Nabuchadonosor exercitum ducturus sit: ille in biuio constitutus, curiosis artibus intelligit illam sibi ingrediendam, quæ in Iudæam ducebat: Iudæi omnia securi contemnunt.

18 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

19 Et tu Fili hominis, pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis: è terra vna egrediantur ambæ, & locum elige, in capite viæ ciuitatis elige inquam.


20 Viam alteram ponas vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & alteram qua ad Iebudah in Ierusalaim munita.

21 Stetit enim rex Babel in biuio, id est, in capite duarum viarum, vt diuinet diuinationem, tersit sagittas, interrogauit imagines, inspexit iecur.

22 In dextra eius fuit diuinitio super Ierusalaim, vt constitueret duces, vt aperiat os ad cædem, vt eleuent vocem in vociferatione, vt ponant arietes contra portas, vt fundant aggerem & ædificent munitiõnem.

23 Et erit eis quasi qui falsa diuinat in oculis eorum, quod iurarint iuramenta eis, & id in memoriam reducit iniquitatem vt capiatur.

24 Idcirco sic dixit Dominus Deus, Eò quod in memoriã reduxistis iniquitatem vestrã, dñ manifestæ sunt præuaricationes vestræ, & cõspecta sunt peccata vestra in omnibus operibus vestris, propterea in quã quod in memoriã venistis, manu capiemini.



Propheta prædixit gladium immittendum Iudæis, eumque descripsit qualis sit, & conuerso ad eum sermone iussit quocunque libeat grassetur ad dextram vel sinistram, neque dubitet de victoria. Quis sit ille gladius nunc apertius declarat. Dicit enim Deus ad Prophetam: *Pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis.* Hoc est, Fingeam exercitum ingredi viam: vel iubet eum pingere vias in tabella vel lapide (sicut supra urbem in latere depinxit: vtque nos immensa sæpe castra & situm locorum depingere solemus) per quas rex Babylonius veniat cum suis copiis. Ex vna terra duas vias proponere vel describere iubetur, quarum vna ducebat ad Rabbath Amonitarum Metropolim: altera ad urbem Hierosolymorum: vtranque enim rex Babylonius pœna afficere decreuerat. Quod urbem munitam vocat, nõ caret emphasi: ac sic dicat, Licet munita sit vrbs, tamen Rex contra eã priore loco præter opinionem vestram veniet. Putabant enim aut non venturum, quia sciret qualis esset vrbs, qualis populus, aut re infecta discessurum.

*Locum elige in capite viæ ciuitatis.* Hoc est, quæ ducit in urbem. In loco aperto & conspicuo, consultationem Nabuchadonosoris de bello ordiendo, debuit representare, vt quasi oculis cernerent, quid ipsis euenturum esset. In sequentibus hæc declarantur plenius. *Stetit enim rex Babel in biuio,* id est, in capite duarum viarum, vt diuinet diuinationem: *tersit sagittas, interrogauit imagines, inspexit iecur.*

Consultatio  
Nabuchad.

Rex statuerat & Ammonitis & Iudæis bellum inferre: vtraque enim gens ab eò perfidè defecerat: sed incertus erat à qua belli initium faceret. In bellis enim in primis consilio opus est: nam vt veteri prouerbio dicitur, In bello non licet bis peccare: noluit vtrunque gentem simul bello adoriri, ne vires iungerent. Quare in biuio constitutus, diuinationi nauat operam, vt certus fiat, vtram primò adoriatur. Propheta tria ponit diuinationum genera præcipua atq; insignia, quibus Gentes occulta ac futura explorarunt. Primum est *βυγομαντία* seu *παδομαντία*, genus vaticinationis quod per tela fit, vel per bacillos aut virgas. Quomodo autè factū sit, nō vna est sententia. Quidam putant vni telo inscriptū fuisse nomen Rabbath, alteri Hierusalem, postea missa in pharetram & cōmixta, mox primo loco eductum illud telum cui nomen Hierusalem inscriptum fuerit. Alij putāt, in vasculum quoddam aliquot sagittas vel virgas esse positas, inter illas vnam nomine Iudæorum, alteram nomine Ammonitarū: cūmque artibus magicis virga Iudæorum ad dextram exiliisset, omnem molem belli contra Iudæos esse conuersam. Alij putant, Regem sursum rectā sagittam misisse, & obseruasse, in vtram partem caderet. Quia verò *קלקל* *kilkal* significat leuigare, expoliare, quidam putant ipsū in micantibus ferramentis telorum vidisse quid faciendum esset. Sicut in vnguibus, crystallis, speculis, annulis, & aliis istiusmodi nefariis organis, hodie Magi multa vident. Quacunq; ratione facta sit hæc diuination, ad sensum huius loci parum interest.

Teraphim.

Alterum genus diuinationis, fuit per Teraphim. De significatione huius vocis variant interpretes. Ponitur autem ferè pro imaginibus seu simulachris. Solebant Teraphim de rerum euentibus consulere. *Osee* 13. cap. Quoniam diebus multis sedebunt filij Israel sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine statua & sine Ephod, & Teraphim. *Amos* 3. capite, Non erit Ephod neque Teraphim, hoc est, neque Deus consultus nobis respondebit, neque idola. *Zach.* 10. ca. Teraphim loquuta sunt iniquitatem, & Magi viderunt falsum. Quidam putant Teraphim astrologica fuisse instrumenta, quæ sententia idè mihi non fit probabilis, quòd ex *Historia Micholis* quæ satellites patris fallebat, humana fuisse forma colligitur, 1. *Sam.* 19. Apud *Virg.* lib. 3. deorum imagines sacræ quas *Æneas* secum aduexerat, hortantur eum, vt relicta *Creta* in *Italiam* proficiscatur, vbi fixas sedes habiturus sit, &c. quod non prorsus fictum videtur. Potest enim fieri, vt insinuante se diabololoquuta sint, id quod sæpe alias quoque contigisse, ex historiis constat. *Lactantius* De origine erroris lib. 2. cap. 8. dicit, simulachrum fortunæ muliebris non semel loquutum esse. Item *Iunonis Monetæ*, cum captis *Veiiis* vnus ex militibus ad eam transferendam missus, iocabundus ac ludens interrogaret, vtrū sine *Romam* migrare vellet? respondisse, velle. *D. Augustinus*, De ciuitate Dei libro 4. cap. 19. dæmonibus non difficile esse dicit, homines sic fallere, &c.

Simulachra  
loquuta.

Extispiciū.

Tertium genus diuinationis fuit per inspectionem iecinoris: Græci *ἰπατοσκοπία* vocant, Latini Extispicinam. Etsi enim immolatis victimis omnia exta diligentissimè considerarent, vt hepar vel iecur, lien, cor, renes, & cætera, iecur tamè vaticinij fons erat. Hoc si careret vitio, portendi læta opinabantur: si vitiatum esset, aut non suo loco constitutum, aduersa, siue cætera consentirent siue dissentirent. Causas explicat clarissimus vir *Gaspar Peucerus* in cōmentario suo de diuinationis generibus. *Plato* enim dicit: τὸ ἵπαρ πέφυκε χάριν τῆς μαντικῆς. Diuidebant autem iecur in duas partes, familiarem & hostilem, & è familiari sua euenta, ex hostili, hostium augurabatur. *Lucanus* scribit exta *Cæsarem* victorem declarasse contra *Pompeium*. Aruspices iecinore explorato, ad cordis fellis, lienis, & pulmonum inspectionem se vertebant. Passim apud historicos exēpla huius diuinationis extant, *Nabuchadonosor* & hoc, & aliis generibus vsus est, more Gentilium.

In dextra



*In dextra eius fuit diuinitio super Hierusalem, vt constitueret duces, &c.* Diuinationes omnes dextrorſum contra Hieruſalem vergebant, idque Deo volente, vt certus eſſet primo loco Iudæos debellandos eſſe.

Hæ ſpecies diuinationis omnes damnantur lege Dei, Deut. 18. cap. In Codice lib. 9. tit. 18. Conſtitutio eſt Conſtantini Cæſaris: Nemo, inquit, aruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo ariolum. Augurum & vatum praua conſeſſio conſtitueſcat. Chaldæi ac Magi, & cæteri quos maleficos ob facinorum multitudinem appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnis perpetuò diuinandi curioſitas. Etenim ſupplicium capitis feret, gladio vltore proſtratus, quicumque noſtris iuſſis obſequium denegauerit. Quapropter illis non eſt vtendum. Sunt multæ inter Chriſtianos illarum ſuperſtitionum reliquiæ, & inſtrumenta quibus occulta & arcana explorant. Cogitandum autem eſt, Deum omnia quæ nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria per ſuos miniſtros pateſciſſe, reliqua curioſis artibus non eſſe inueſtiganda. Multi incidunt in laqueos diaboli, qui his pateſactionibus non contenti ſcire volunt, quæ Deus ſibi reſeruauit. Obiicitur nobis, illa ſæpe euenire, quæ per varias diuinationis ſpecies inueſtigantur. Reſpõde ex loco Deut. 13. capite, de pseudopropheta, etſi eueniant quæ prædicit tamẽ non eſſe audientium, &c. Apud Gentiles ſimilia facta eſſe, teſtis eſt Lactantius De origine erroris lib. 2. cap. 8. & 17. Dæmones res futuras de quibus certi nihil habent, e rebus coniecturam capientes, prædicere conantur, rem ſæpe acu tangunt, ſæpiſſimè aberrant. Pseudoprophetæ certam Achabo victoriam promittebant, ſed ſecus res eueniebant.

Diuinationes damnatae legibus.

Sæpe eueniunt quæ per diuinationes quærimur.

Rectè autem hoc exemplo regis Babylonij vti poſſumus, nam vt ille bellum geſturus, à religione incipit: ita nos nihil publicè vel priuatim abſque precibus incipiamus. Veteres Romani & Græci omnia auſpicatò gerebant: antequam irent in expeditionem, matrimonium contraherent, &c. auſpicium capiebant. Hinc auſpicari, non ſolùm auſpicium capere, ſed etiam incipere ſignificat. Chærondas Catanæus, vt Stobæus annotat, in legum præmiis poſuit: Conſultantes agentèſque aliquid à diis auſpicari debent. Optimum enim eſt, vt pro uerbio dicitur, Deum cauſam eſſe & authorem illorum omnium, &c. Non quòd ſuperſtitiòſè ab auium garritu, volatu, aut paſtu, aut piſcium capiendum ſit, ſed orandus Deus, vt conatus noſtros & aliorum pios iuuare dignetur.

Auſpicari.

Propheta breuiter potuiſſet dicere, certas diuinationis ſpecies inuiſſe Regè ad obſidendam urbem Hieroſolymorum: ſed multis hoc explicat, vt veterum Iudæis excuteret. Nam hypotipofi quadam commemorat quo pacto urbs obſidenda ſit. Monuerunt omnia ipſum,

I. *Vt conſtitueret duces.* *חרים* *charim* arietes ſignificat: quia verò hæc vox mox repetitur, poſſumus duces belli intelligere hoc loco, quos propter ferocitatem arietibus comparat. Arietes enim ſimul ac cornua eis creuerunt, pugnaciſſimi ſunt, neque ſe tantùm in ſuo genere ad bellum prouocant, verùm etiam homines laceſſunt. Hinc pro uerbio dicitur, *καὶ εἰς ἀσελγυκίῃος*, aries cornibus laſciuiens. Apud Danieleſem Alexander magnus arieti comparatur, propter alacritatem.

II. *Vt aperiat vel aperiant os ad cædem.* Hoc eſt, vt magna voce hortentur milites ad occidendum hoſtes. Sæpe enim duces hortantur victores, vt victis parcant, illi verò verbis inſtigare ſuos debuerunt, vt promiſcuè omnes cæderent, nemini parcerent. Vel vt aperiant oſtium, per quod irrupentes, ſtragem edant in vrbe.

III. *Et eleuent vocem in vociferatione.* Vt barbaro clamore hoſtes inuadant, aut urbem expugnent, terrorèmq; hoſtibus incutiant. Apud Homerum Græci tacitè prælium ineunt, ſed præſenti animo: barbari verò immani & terribili clamore accurrunt. Fremitus militum hodie quoque homines terret.

**Arietes.** IIII *Arietes ponant contra portas.* Arietes est machina bellica quæ etiam testudo dicta fuit: de hac scribit Vitruuius lib. 10, & Vegetius lib. 2. Ipsius caput vestitur ferro: Arietes dicitur, vel quòd habet durissimam frontem, quæ subruat muros, vel quòd more arietum retrocedit, vt cum impetu vehementius feriat: Testudo autem, quia sicut illa, caput modò reducit, modò profert, ita hæc machina interdum reducit trabem, interdum exerit, vt fortius cædat. Ammianus Marcell. lib. 20. huius machinæ prominentem ferream frontem, reuera frontem arietis scribit exprimere. Et li. 23. dicit, Eligitur abies vel ornus excelsa, cuius summitas duro ferro concluditur, &c. Hanc machinã prius equum dictum intelligitur ex verbis Plinij lib. 7. equum qui nunc aries appellatur, inquit, in muralibus machinis, Epeum ad Troiam ferunt inuenisse. Hinc nimirum nata est fabula de equo Troiano. *κεῖοι & χαλδῶναι* Polluci quoque inter machinas bellicas numerantur. Aliqui Germanicè interpretantur, *ein sturm baum, oder sturm bloch.*

**Agger.** V *Vt fundant aggerem.* Virg. lib. 9. *Æn.* dicit, Et fossas aggere complent: vbi Seruius annotat, aggerem cuiuslibet rei coaceruationem esse, vnde valles aut fossæ repleri possint. Significat item terram, quæ vallo facto propius ponitur: abusiue pro monumento etiam accipitur.

**Iudæorum securitas.** VI *Vt adificent munitionē vel turrim.* De turrib. illis suprà habuimus. *Et erit eis quasi qui falsa diuinat in oculis eorum, quòd iurauerint iuramenta eis.* Hæc cū veluti in oculis Iudæorū gererentur, contēpserunt omnia, dicebāt hæc omnia vana esse, & erāt reuera vana atq; superstitiosa: rectè itaq; dixissent, si ipsi alieni fuissent à superstitiionibus. Licet verò superstitiosa essent, tamen confirmabant regē Babyloniū in suo proposito. Iudæi confidebāt fœderi quod interposito iureiurādo Nabuchadonosor cum ipsis sanxerat: interim non cogitabant se violasse fœdus & iusiurandum illud, causamq; bello dedisse. Videmus hoc crebrò fieri, vt quò viciniore sint homines suo exitio, eò magis sint securi & omnia contēnant quæ eis certissimū exitiū portendunt. Ego malo referre ad Ægyptios & vicinas gentes, quæ fœdus cum ipsis contra Nabuchado. inierant, interposita iureiurandi religione. Alij ad pseudopphetas referunt, qui iureiurando confirmarint ( solet hoc hominum genus hodie quoque oppignerare animas suas ) ciuitatem non obsidendam vel expugnandam.

**Perfidia Christianorum pœna.** *Et id in memoriam reducit iniquitatem vt capiantur.* Cū regem Babylonium iureiurando sibi astrictum iactarent, ideòque se extra periculum positos: Regi illi in memoriam reducunt, quàm perfidè cum eo egerint, eumque confirmant, quòd Deum, cuius sanctum nomen violauerint, sibi infestum habituri sint. In libro Iudith 5. & 6. cap. Achior Holopherni consulit, vt priusquam Bethuliam obsidione cingat, exploret num Deum propitium, an sibi iratum habeant. Nam si propitium habeant, inexpugnabiles fore, sin verò iratum, nullo negotio vincendos. Huc pertinet historia quæ legitur apud Bonfinium de rebus Hungaricis lib. 6. cap. 3. de Amurathe Turcarum Imperatore qui, cū contra fœdera bellum ab Vladislao Hungariæ rege, instinctu Rom. Pontificis instauraretur, & ad Varnam commisso prælio Turcarum acies inclinaret, codicē initi fœderis è sinu depromptum explicauit, & intentis in cælum oculis dixit: Hæc sunt Iesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere, per Numen tuum sanctum iurauerunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfidè Deum suum abnegarunt. Nunc Christe si Deus es, tuas measque hic iniurias, te quæso vlciscere: & his qui Sanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas ostende. Hæc cum dixisset, Hungari in fugam effusi sunt: cæsi sunt plurimi, ipse quoque Rex, & Iulianus Cæsarinus legatus pontificius, qui decennale fœdus ruperat negans hæreticis seruandam esse fidem. Facta hæc sunt mense Nouembri, anno 1444.

*Èò quòd in memoriã reduxistis iniquitatẽ vestram, &c.* Deus ipse fert sententiã de euentu huius belli. Quia sibi vel Nabuchadonofori in mentem reuocarint suã perfidiã, & palã peccent omni pudore absterfo, nullũque peccandi finem faciant, funditus excindendos esse. Hinc colligimus, quid tandem consequatur, si homines non resipiscant: sed contemptis monitis Prophetarum, peccata peccatis cumulantes, sibi in eis placeant: nempe panoethria.

## HOMILIA XCI.

*¶ Propheta prædicit Zedechiam regem de regno præcipitandum, Iechoniam exaltandum, ex quo tandem nasciturus sit Messias, cuius capiti corona sit imponenda.*

25 *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies tempore iniquitatis propter quam venit finis.*

26 *Sic dixit Dominus Iehouah, Auferam cidarim, & tollam coronam: hæc quæ modo est non erit ista, humilem subleuabo & superbum humiliabo.*

27 *Subuersionem, subuersionem, subuersionem ponam eim: hoc quoque non fuit, donec veniret is cuius erat iudicium, & traderem illud in manu eius.*



Equitur vaticinium horribile contra Zedechiam regem, simulque dulcis promissio de regno Messia, quæ admodum fuit necessaria. Nam quia obsidio, captiuitas, & tot ærumnæ Iudæis imminabant, cogitare potuissent, Deum ipsorum oblitum, & quæ de venturo Messia toties audiuerant inania esse, nisi Propheta renouata promissione, animas eorum erexisset. *Tu autem profane, impie dux Israel.* Per Apostrophem conuerso sermone ad Regem, prædicit ei exitium. Vocat profanum. *חנאל* prophanum & vulneratum significat. Hinc Munsterus reddit, interfestatione dignum: deinde *וַיַּרְשָׁא* impium & improbum, quod atrox videtur esse cõuitium, quid enim asperius contra principem potuisset dici?

Quæritur, an non Propheta peccarit contra legem illam Dei, Honora patrem & matrem, &c. Item Exodi 22. Principi populi tui ne maledixeris? Respondemus, Non male: dicendum principibus. honorãdos quidẽ esse principes, nihilominus tamẽ Ministros verbi, eorũ vitia taxare debere: ad hoc enim ordinati sũt à Deo, qui principes cõstituit & deiicit. Ezechiel Propheta erat, non igitur debuit suis partibus deesse. Zedechias talis erat qualem eum appellat: impius erat in Deum, verbum ipsius contemnebat, bonos viros odio prosequeretur, perfidus erat in Regem Babylonis, & præcipua causã interitus populi. Nam si caput fuisset saluum, totum corpus rectè habuisset, meritò itaque in eum inuehitur. Idem alios Prophetas in primis Heliam, item in nouo Testamento Ioannem Baptistam fecisse legimus. Optandum esset, vt hodie aulici concionatores, principum & procerum aulæ vitia, vehementer reprehenderent, præsertim cùm adulatorum voces eos circumsonent, quales sunt: Augustus & Augusta non tenentur legibus, & aliæ huius generis. *Huius venit dies, tempus iniquitatis (propter quam venit) finis* Munsterus reddit: *cuius venit dies, vt in tempore opportuno finis sit iniquitatis.* *נַיִת* enim & tempus ipsum, & temporis oportunitatem, vel occasionem significat, vt apud Græcos *καιρός* Deus, inquit, non

Corona.

Cidaris.

vult vt vltcrius pergas in sceleribus tuis, tempus adest quo pœnas à te repetet, vt peccandi finem facias. Idem aliis Regibus & priuatis quoque hominibus denunciat, Nō semper peccabis: sed Deus è medio peccatorum cursu te aliquando auferet & puniet. Cogitent hoc diligenter, auari, sceneratores, adulteri, ebriosi, & alij Verbi diuini contemptores. *Auferam cidarim, & tollam coronam.* Quidam per imperatiuum reddunt, Tolle, aufer: sunt infinitiui. Vaticinatur Iudæos regno & pontificatu, per Babylonios esse spoliandos. Corona enim regiae potestatis est insigne: & passim ex instituto veteri coronæ, radiorum referunt similitudinem. Duodecim autem radios ferè habuisse, Pierius Valerianus ex numismatis veterum, aliisque monumentis obseruauit. Cidaris sacerdotij significationem habet. *כִּסְאוֹת* Eucherius dicit esse pileum sacerdotalem ex bysso, quem Græci & Latini tiaram vocant, quidam mitram. Vide Exodi 28. cap. Hesychius Hierosolymitanus, cidarim dicit sapientiæ esse signum, eò quòd in capite in quo gestabatur, sit cerebrum sapientiæ organum. *Hæc non hæc, vel istud non istud.* Zedechias fascinatuse pseudoprophetarum amplissimis promissionibus, sperabat Babylonios vel non venturos, vel à se vincendos esse: neque se solum, sed & posteros suos foeliciter regnatos. Deus itaque dicit, Hæc corona intercidet, vt amplius non sit, quæ fuit, hoc est, potestas hæc regia, quæ nunc est, non semper erit ista, sed à te tuisque liberis ad alios transferetur: non imponetur tuis filiis, nec tu diu in capite tuo eam gestabis: non fiet quod tibi persuasisti deceptus pseudoprophetarum blanditiis.

Iechonias exaltatus.

Superbi deprimuntur.

Corona Iudæorum.

*Humilem subleuabo, & superbum humiliabo.* Iechoniam, qui sequutus Prophetæ consilium, se Regi dedit, è carceris squallore eductum exaltabo: te verò, patruū illius, Regem superbia turgidum, & verbi mei contemptorem, è regno eiiciam, & Babylonis illudendum dabo. De Iechoniæ in captiuitatem abducti dignitate actum videbatur, Zedechiam ipsum, eius stultitiam risisse credendum est, quòd cum Rex potentissimus esse potuisset, suasu Ieremiæ seruus esse maluerit. Regnū perpetuum sibi & posteris suis promittebat Zedechias: at res longè secus cecidit. Si enim cum hoc vaticinio Historiam conferas, inuenies, Zedechiam illum vltimum fuisse Regem Israelis, & cum regno oculos, liberos & vitam denique amisisse: Iechoniam verò ex carcere ab Euilmerodacho filio Nabuchadonosoris, eductum, exaltatumque esse thronum eius, vt ait Ieremias, supra thronum aliorum Regum, qui cum eo erant in Babylone: nihilominus tamè in terra peregrina versabatur. Colligenda est ex hoc loco sententia generalis, humiles euehendos, & superbos deprimendos. Sic Maria virgo mater Saluatoris cecinit in suo hymno, Detraxit potentes de foliis, & euexit humiles. Christus ipse Lucæ 14. dicit: Omnis qui se extollit, deiicietur: & qui se deiicit, extolletur. i. Pet. 5. Humilitatem animi vobis infixam habete: eò quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, &c. Exempla huius rei omnium gentium historiæ plurima suppeditant.

*Subuersionem, subuersionem, subuersionem ponam eam.* Vel vt Tigurina versio habet, *Curuam, curuam, curuam ponam eam.* Prædicit restituendam Iechoniæ profapiam, contra Zedechiæ sententiam, & regno inaugurandam, interim miros motus exorituros: Coronam non recta successione à patre filiis tradendam: sed oblique per varias ambages, ab vno ad alium peruenturam. Historiæ tradunt, Nabuchadonosorem coronam & infulam Iudæis abstulisse, huic successit Euilmerodach, hunc in regno secutus est Balthasar rex temulentus, quem Persæ & Medi interfecerunt capta Babylone, coronamque ad se transtulerunt. Cyro Persarum rege, Iudæis reditum in patriam benignè concedente, Zerobabel nepos Iechoniæ, ex quo descendit linea Christi, eos in patriam reduxit. Huic corona debebatur, sed regium titulum sibi non vsurpauit, dux fuit populi. Alij quoque posterius Dauidis vsque

vsque ad Machabæos, etsi fuerint principes populi, tamen non nominarunt se reges, vt Melancton in suis Chronicis existimat propter reuerentiam Persicorum regum, ne viderentur velle partes esse Monarchis, præsertim cum ab eis ingentia beneficia accepissent. Persas tandem vicit Alexander Magnus, cum regnassent circiter annos ducentos, & iure belli in Iudæos habuit imperium. Illo mortuo à ducibus eius Monarchia in multa regna diuisa fuit, ex quibus quatuor illa maiora & firmiora, Ægypti, Syriæ, Asiæ & Macedoniæ, varias vices habuerunt: sub illis Monarchis duriter quassati afflictiq; Iudæi, diu nullum habuerunt ducem ex posteris Dauid, tandem armis Machabæorum vel Asmoneorum represso Antiocho Epiphane, recuperata libertate, in eorum familiam, populi Iudaici principatus & summum sacerdotium translatum est, in qua à tempore Antiochi Epiphani vsque ad regnum Herodis permanfit. Ex Machabæis (qui ex tribu Leui & Iudæ permixti erant) celeberrimus fuit Iudas Machabæus propter res bello gestas, huic successit frater Ionathas. Hoc sublato, Simon frater vtriusque, populum rexit. Patri Simoni successit filius Ioannes Hyrcanus, quo mortuo Aristobulus eius filius, primus se post reditum ex Babylone regem nominauit: sed non diutius anno regnum tenuit. Hunc sequutus est Alexander, qui & Iamneus, filius Hyrcani, frater Aristobuli qui & ipse Rex salutari voluit. Hic Alexander duos filios reliquit, Hyrcanum II. & Aristobulum II. Hyrcanus propter ætatis prærogatiuam ad se regnum pertinere putabat, quod Aristobulus collecto exercitu inuasit. Hyrcanus itaque missa legatione, à Pompeio opẽ petiit, qui causa Vide quid sit petere exterorum auxilium. iam antè cognita, cum exercitu Iudæam ingressus, urbem cœpit & Hyrcano pontificatum sine regno tradidit: Aristobulum verò cum duobus filiis Alexandro & Antigono captiuos Romam misit, occasioneq; horum dissidiorum, Iudæam Romanis tributariam fecit. Alexander Aristobuli filius, cum Romam duceretur elapsus in Cilicia, Iudæam turbauit, quam ob causam Antiochiæ à Scipione fœcero Pompeij interfectus est. Frater eius Antigonus, post bellum ciuile à Iulio dimissus, sperabat regnum: sed prælatus ei fuit Antipater Idumæus, cuius opera Cæsar in bello Ægyptio vsus fuerat, illum enim Iudææ præfecit, sed sine Regis titulo. Hoc mortuo, Antigonus sperabat excussis ex regno Antipatri filiis, quos Iudæi oderant, se Parthorum auxiliis recuperaturum Iudæam: sed victus est ab Herode Ascalonita Antipatri filio, quem Antonius primùm tetrarcham, postea Regem totius Iudææ declarauit. Tertio post anno, Antigonus ab Antonio Antiochiæ securi percussus est. Iudæi ægrè ferentes peregrinos principes sibi dominari, multas seditiones excitarunt, quas Herodes compressit. Hircanum patrum Antigoni, ab exilio reuocatum interfecit. Senatam Iudæorum quem Sanhedrim vocant, constantem ex 72. iudicibus, deleuit. Philo scribit, ex sola posteritate Dauidis in hunc senatam iudices lectos fuisse. Deinceps Iudæa peregrinos principes habuit. Anno 32. regni Herodis, Christum natum scribunt. Iacobus Genes. 49. enim patriarcha prædixerat venturum Messiam, si sceptrum & legislator ab hoc populo fuisset sublatus. Potestate regia sublata à Babyloniis, legiflatores duces & pontifices eis non defuerunt, vsque dum Christus nasceretur. Stirps verò Dauidis ab eo tempore quo regno excussa est, non fuit ignota. Hæc est historia de illa corona, ex qua intelligitur Prophetã rectè vaticinatũ esse, curuã, curuã fore. Qui plura hac de re volũt legere cõsulãt historiã populi Iudaici, à reditu ex Babylonico exilio vsque ad vltimum excidiũ Hiero. contextũ à Paulo Ebero Kyttingensi.

*Hoc vel hæc quoque non fuit, donec veniret is cuius erat iudicium, & traderem illud in manus eius. Munsterus vertit: Et quidem hæc non fuit, donec is venit cuius est iudicium, & ei tradidi. Tigurina versio habet: Etiam hæc non fuit, donec is veniat cui iure conuenit: huic tradam eam.* Aristobulus & Alexander & cæteri, sumptserunt sibi coronam: sed non hæsit in capitibus eorum, detracta enim fuit per Pompeium, qui

cùm, Iosepho teste, Hircanum restitueret, noluit vt diademate vteretur. Sublato Herode, corona imposita est capiti IESU CHRISTI Domini nostri, qui populi sui æternus Rex est & Pontifex. Huic Pater omne iudicium dedit, omnemque potestatem in cœlo & in terra. Hanc coronam de Christi Seruatoris nostri capite nemo aufert: est enim regnum eius æternum. Pilatus tribus linguis cruci inscripsit, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc titulum pontifices delere quidem conati sunt, sed frustra. Hodie regiam & pontificiam Christi potestatem sibi papa Romanus arrogat: sed Christus illam nondum alteri cuiquam tradidit. Ex hoc autem, quòd promissio illa de corona danda Christo, licet per tot ambas & anfractus, tamen præstita fuit, discimus Dei promissiones, licet multa eorum cursum impedire videantur, tamen suo tempore implendas esse, id quod in tantis confusionibus, animos nostros non mediocriter confirmare debet.

HOMILIA XCV.

*¶ Ammonitis, qui de interitu Iudeorum gaudebant, & Babylonis, qui utranque gentem euertant, pœnam denuntiat.*

28 Et tu fili hominis, propheta, & dic, Sic dixit Dominus Iehouah ad filios Ammon, & opprobrium eorum: dic inquam, Gladius, gladius euaginat<sup>us</sup> est, ad iugulationem politus, vt consumat propter fulgorem:

29 Interim dum vident tibi vanum, dum diuinant tibi mendacium, vt dent te gladio cum collo interfectorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis propter quam venit finis.

30 Nunquid reducam gladium in vaginam suam? in loco in quo creatus es, in terra habitationum tuarum iudicabo te:

31 Et effundam super te iram meam, ignem furoris mei sufflare faciam in te: tradamque te in manum virorum insipientium, artificum destructionis.

32 Igni eris ad deuorandum, sanguis tuus erit in medio terræ, non venies in memoriam, quia ego Iehouah loquutus sum.



Ostquam de pœnis Iudææ genti infligendis vaticinatus est, transit in calce capitis: ad commemorandas pœnas hostium populi Dei, & primùm Ammonitis, deinde Babylonis exitium prædicit. Occasio huius prophetiæ contra Ammonitas hæc fuit, quòd supra dixit Nabuchadonoforem expeditionem parasse contra Iudæos &

Cur hoc lo-  
co Ammo-  
nitis interi-  
tum cõmi-  
netur.

Ammonitas, vt rebellionem vtriusque gentis vlceretur, illum incertum quos prius adoriretur, expediuisse fortes, quæ cum ad dextram contra Hierosolyma duxerint, quam expugnarit: iam sequitur quid de sinistra, hoc est, de Ammonitis factum sit. Infrà 25. cap. Ammonitis & aliis gentibus, quæ Nabuchadonofori ad sinistram erant, pœnas denunciabit. De Babylonis autem cur hoc capite agat, postea dicemus. Hæc verò nõ tantùm illis gentibus dicta sunt: sed hodie quoque nobis & aliis dicuntur: si eadem vitia inter nos regnent, ob quæ gentes illæ euersæ sunt, nihil aliud expectare debemus, quàm quòd & nos excindendi simus, &c.

Pœniten-

Pœnitentiam itaque agamus. Accedamus ad primam partem. *Sic dixit Dominus Iehouah de filio Ammon.* Ammonitæ, de quib<sup>9</sup> inferius plura dicemus, oriundi fuerunt ex Ammon filio Lothi ex minore filia. Licet verò cognati essent Iudæorū, tamen perpetui eorum, atque adeò Dei fuerunt hostes. Illis interitum prædicit Propheta propter peccata quæ obiter perstrinxit, nempe propter gaudium de alienis malis, vel feueritatem, & quòd regendos se præbebant suis diuinis. *Et de opprobrio eorum:* Quo nimirum affecti sunt ab hostibus, & quo ipsi affecerunt Iudæã gentem, cum affligeretur à Nabuchadonofore. Cum Iudæa vastaretur, metropoli oblecta, multi fame & peste perirent, expugnata verò, & plurimis cæsis reliquiæ in captiuitatem traherentur, Ammonitæ eis insultabant, & odium suum in eos declarabant: Nunc, dicebant, apparet quænam religio sit vera, vbi est Deus vester, cur vos non defendit? Sophoniæ 2. cap. Audiui opprobrium Moab, & blasphemiam Ammonitarum, &c. Vt verò leuamento nobis est, si amici testentur suum dolorem, & consolationes nobis afferant in ærumnis nostris: ita si hostes, vel quos hæcenus amicorum loco habuimus, nobis insultent, magnum nobis parit dolorem. Dauid de hoc dolore in Psalmis passim queritur, indubiè Simæi sarcasmi, magnos ei cruciatus attulerunt. Inter acerbissimos dolores quos Christus nostra causâ pertulit, sarcasmi fuerunt. Medea apud Euripidem dicit:

Ὅυ γδ̄ γελᾶσαι τλητῶν ἐξ̄ ἐχθρῶν, φίλαι.

Hodie pios valde vrit, si à papistis victi præliis, spoliati opibus, pulsi patria, tracti ad tormenta, audiant Vbi est fides vestra? vbi Christus vester? Credendum est vehementius doluisse Iudæis, cum probra in eos Ammonitæ iacerent, qui non minus contra Nabuchadonoforem rebellarant, quàm ipsi. Nam Ierem. 27. legitur quinque Regum, nempe Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum, Tyriorum & Sydoniorum legatos Hierosolyma venisse ad Zedechiam, ad consultandum de iugo Nabuchadonoforis abiiciendo. Cogitare itaque debuerunt Ammonitæ, victis Iudæis rectà contra vos ducet exercitum, qui etiam contra eum conspiratis, & fidem fregistis: sed tanto odio in Iudæos flagrabant, vt suorum malorum obliuiscerentur. Hodie quoque multi non cogitant, in eadem sumus nauis, peribimus & nos illis pereuntibus, quos odio habemus. Maximum esse peccatum, si quis, non dico de interitu amicorum suorum, sed hostium lætetur, multa dicta & exempla ostendunt, quæ in 25. caput reseruabimus. Semper in conspectu habenda est concio Christi Lucæ 13. cui cum quidam narrassent crudele facinus Pilati qui aliquot Galilæos intra sacrificandum oppresserat, non accusat nominatim Pilati tyrannidem: sed potius suos auditores commonefacit, ac testatur ipsos quoque reos esse, eosque ad pœnitentiam inuitat, inquit: Nisi pœnitentiam egeritis, simul peribitis, &c. Discamus itaque in publicis & priuatis aliorum malis non gaudendum esse, sed potius cogitandum, quid nos meriti simus. Annon Deus qui Turcis & aliis hostibus, victoriam concessit contra multas gentes, ob eandem causam contra nos quoque ipsis vel aliis victoriam potest concedere?

*Gladius, gladius euaginat<sup>9</sup> est, ad iugulationem politus, vt consumat propter fulgur.* Hæc epizeuxis facit ad rei certitudinem exprimendam. Perdendos vaticinatur cum minimè expectant. Gladium enim quo Iudæi mulctati sunt, strictum & ad mactandum politum esse. *Interim dum vident tibi vanum, dum diuinant tibi mendacium.* Habebant suos vates & diuinos, qui se eorum affectibus accommodantes, vana spe eos lætabant, dicebant eos esse gentem bellicosam, vrbes habere arte & natura munitas, montibus clausos esse. Chaldæi cæteri que diuini ex auium volatu, pastu, garritu, extis, & aliis, prædicebant Nabuchadonoforem vel non venturum cum exercitu: vel armis repellendum. Gentem verò hanc semper diuinationibus & curiosis artibus deditam fuisse ex historia Bileami harioli: & Iere. 27. cap. colligitur vbi ad Ammonitas & alias gentes vicinas Dominus dicit, Vos no-

lite audire Prophetas vestros, diuinos vestros, somniatores vestros, & incātatores vestros, qui dicūt ad vos, Nō seruietis Regi Babylonis. Mēdaciū enim ipsi vaticinātur vobis, &c. Per Ieremiā & alios Prophetas prædicebat Deus Ammonitis, quid ipsis euenturum esset, sed illi pēdebant ab ore suorum diuinorum fausta eis prædicentium. Est hoc hominum ingenium, semperque fuit, vt illos Prophetas amet, qui se accōmodare eorum affectibus possunt, illos odio prosequantur; qui vera docent, aut vita sunt seueriore. Et hæc est causa, cur hodie quoque multi pereant, nempe quod omnino adultores habere volunt, aut se regendos præbent imperitis hominibus. *Vt dent te cum collo interfectorum impiorum.* Suis prædictionibus efficiunt, vt ceruices vestræ gladio Nabuchadonosoris subiiciendæ sint. Quicquid vobis promittant, cum impiis ex Israele occisis adiungemini, idēque vobis eueniet quod illis. *Quorum venit dies.* Alibi dicit, Mensuram peccatorum impleri: pœna peccati constitutum tempus habet. *In tempore iniquitatis finis.* Certo tempore iniquitas finem suum habebit. Suprà versū 25. eadem verba ponuntur.

Vaticinium  
de occasu  
Babylonis.

Iam deinceps de Babyloniorū exitio vaticinatur: idque hac occasione. Cogitare homines potuissent, Num Babylonij impunè in populum Dei, Ammonitas, & alias gentes perpetuò grassabuntur? Propheta itaque ostendit illos quoque iustas pœnas Deo duros esse. Perstat autem in allegoria gladij. Aliæ quoque Prophetiæ extant Isa. 13. 14. & 21. Iere. 25. 50. 51. & alibi, de puniendis Babylonis. Etsi enim à Deo ad hoc ordinati erant, vt has gentes punirent: & Nabuchadonosor vocetur seruus Dei, milites sanctificati eius, tamen illi non respiciebant consilium & decretum Dei, qui eos armauerat: sed aliis causis mouebantur, digni itaque erant, qui etiam perirent. Nam vt Patres ferulam qua liberos suos castigant, tandem in ignem proiiciunt: ita Pater noster cœlestis, illos quibus ad castiganda suorum peccata diu vsus est, tandem debitis pœnis afficit. Sequentia verò verba de Nabuchadonore & Babylonis intelligenda esse, plerique etiam ex Hebræis sentiunt. *Num quid reducam gladium in vaginam suam?* Quasi dicat, Nequaquam, sed efficiam vt ad alios quoque veniat. Sperabant domitis Iudæis se pacem habituros: Deus autem dicit, Si meo populo nō peperci, cur vobis parcerem? Alij legunt, *Reducam in vaginam suam*, vt Infnit. pro Futuro ponatur. Reducetis post cædem gentium in tuam vaginam. Gladius est Nabuchadon. cum suo exercitu, qui vastatis illis gentibus, rediit in Chaldæam vnde egressus fuerat. Hodie quoque si contra meliores quàm nos sumus, gladius stringitur, ne putemus nos extra periculum constitutos esse. Per apostrophēn alloquitur Nabuchadonosorem vel Babylonios. *In loco in quo creatus es, in terra habitationum iudicabo te.* Ignauis quoque milites dicunt, si pro patria pugnandum sit, nulla pericula defugiamus: In patria quisque robustior est & fortior quàm alibi: multa enim virtutem excitant, vxores, liberi, &c. prouerbio dicitur, gallium in suo sterquilinio plurimum posse. Eadem credēdum est Babylonios dixisse: at Deus dicit, Vos in patria vestra occidam, quam putatis quasi asylum esse. Sic Senacherib rex Assyriorum, deletus ab Angelo exercitu, profugit, & in Niniue à filiis in templo adorans Nisrodum, interfectus est, 2. Reg. 19. *Effundam super te iram meam.* Hæc methaphora alibi explicata est. *Ignem indignationis meæ sufflabo in te.* Iram Dei igni comparat. Sicut incendia si inualecant, sunt horribilia, in primis quæ ab hostibus excitata, nemo restinguere vel audet vel potest: ita si Deus populo alicui irascatur, & vindictam de eo sumat. Dicit se velle sufflare ignem, vt qui ad succendendum eum sufflant ore, vel folle. Etsi hostes soluere velint obsidionem, cogitantes Frustra sumptus faciemus & tempus teremus, (munitissima enim fuit Babylon) ego inspirabo eis, ne capiendæ vrbs spem abiiciant. Vel quasi flatu perituros dicit, omnis generis supplicis. Nemo igitur confidat locorum munitionibus, &c.



*Tradam te in manum virorum insipientium.* בְּיַד בֹּרִים *borim* qui non rationis du&u: sed affectuum & propriæ malitiæ impetu, instar bestiarum feruntur, à verbo בָּאָר *baar*, quod est more pecorum ferri, hinc בְּעִיר *beir* iumentum, bestia: tales homines quamvis prudentes videantur, tamen fatui sunt, impuri sunt ut porci, impudentes ut canes, &c. Nostri dicunt, *die narren schimpfend grob.* *Qui artifices sunt destructionis.* Qui nihil norunt, quàm populari & vastare. *Isa. 13.* nominatim exprimit hostes qui Babylonem vastaturi sunt, Medos, 21. cap. Medis Persas adiungit. Coniunctis enim copiis Darius Medus, & Cyrus Persa Babylonem omni machinarum genere adnoto ceperunt. Fuerunt autem homines duri & agrestes. *Igni eris in cibum.* Veluti ignis absumit ligna, ita hostes te confument. Ignis non extinguitur quamdiu materia suppetit: ita hostes quamdiu aliqui, saltem ex primariis supererunt, nō quiescent. Cum vaticiniis conferenda est Historia. *Sanguis tuus erit in medio terræ.* Omnes domos & vias sanguine compleuerunt. Sanguinem fuderant, proinde ipsorum quoque sanguis fusus est. Christus dicit *Qua mensura mensi fueritis aliis, eadem remetietur & vobis.* Numeri 35. cap. Terra sanguine infantum polluta, expiari non potest, nisi per eius sanguinem qui alterius effudit, *Deut. 19. Non venies in memoriam.* *Isa. 14.* Etiam dicit Dominus, excindam nomen Babylonis, & reliquias & filium & nepotem. Minatur ita perdendam Babylonem ut nihil reliqui fiat. Templâ, colossi, sepulchra, splendida ædificia, quibus nomen suum ad posteros propagare voluerunt, omnia funditus corruerunt. Babylonis & regum eius nomina hodie quidem nota sunt: sed omnibus inuisa. *Psal. 15.* dicitur impiorum memoria cum sonitu perire, non enim relinquunt memoriam gloriosam, sed ignominiosam. Multa oppida olim fuisse ex ruderibus colligitur, quorum nomina hodie ignorantur, quorundam celebrantur, sed non sine corū ignominia, ut Sodomorum, &c.

Memoria impiorum perit.

*Quid ego Dominus loquutus sum.* Ne cogiteris, Tristia hæc nobis non euenient: Deus euentura dixit. *D. Hier. dicit: Ego Dominus loquutus sum, cuius dixisse, fecisse est.* *Isa. 14.* Hoc consilium quod consultatum fuit super omnem terram, & hæc manus extenta super omnes gentes. *Quia Dominus exercituum decreuit, & quis dissipabit? & manus eius est extenta, quis retrahet eam? Habetis iam prophetiam de interitu Babylonis.*

Videamus nunc quomodo euentus his responderit. Quod ipsum Regem attinet, ut est apud Danielem, vsu rationis, & regno spoliatus, inter bestias vitâ egit, tandem ad mentem rediit. Postea Balthassar eius nepos, reuera perditus & profusus nepos, Babylonem pariter & vitam amisit. Historiâ non solum Daniel 5. ca. sed etiam Herodotus in Clio & Xenophon lib. 7. de institutione Cyri descripserunt. Ferro & flammis terra vastata est.

Impleta est hæc prophetia.

Quis verò vsus est huius prophetiæ, id quod in primis est expendendū? Generalis vsus, ut videamus veritatem & cōstantiam prophetiæ, atq; adeo verbi Dei in vniuersum. Quæ Babyloniis euentura prædixit, ad amissim omnia facta sunt. Idē de aliis nostri & aliorū Prophetarū vaticiniis, affirmari potest. *Isaias* eadē ante plures annos prædixit: Medos, Persas, Cyrum nominatim expressit. Loquuti sunt Prophetæ ex Deo, qui omnes euentus moderatur, quique verax est. *Num. 14.* non est Deus ut homo, ut mētiatur, ut filius hominis. *D. Hieronymus* in Procmio Commentariorum Danielis ad Pammachium & Marcellum. Tanta, inquit, dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse: sed narrasse præterita. *Porphyrius* enim Tyrius philosophus ausus est scribere, Danielem non ab eo cuius inscriptus est nomine, esse compositum: sed à quodam qui temporibus Antiochi Epiphani in Iudæa vixerit: & non tam Danielem futura dixisse, quàm illum narrasse præterita: denique quicquid vsque ad Antiochum dixerit, veram esse historiam: si quid autem ultra opinatus sit,

Vsus huius prophetiæ multiplex.

Prophetiæ doctrinæ veritas.

quia futura nescierit, esse mentitum: quem Eusebius Cæsariensis Episcopus, Apollinarius & ipse Hieronymus, in suis in Daniele Commentariis, refutarunt. Nos quia Daniel præcedentia quasi acu tetigit, de futuris quoque, veluti de ultimo iudicio & præmiis piorum vaticinatur, dubitare non debemus: sed veritate Prophetarum & Apostolicorum scriptorum, spem nostram erigere atque confirmare.

Impij dabunt  
pœnas scelerum.

Deinde hac prophetia confirmantur fideles in studio pietatis. Si videant varias arumnas quas pij continenter perferunt, & audiunt hæc malorum tantum esse initia, è diuerso videant impiorum felicitatem, obrepit eis hæc cogitatio: Satius igitur erit mundo seruire quam Domino, hac enim via, voluptates, opes, dignitates retineri & acquiri posse. Verum ex hac prophetia colligimus, impiis quoque atrox Dei iudicium impendere: Dominum non solum suam domum castigare, sed ulterius progredi. Satius itaque est cum Christo affligi & postea coronari, quam cum impiis ad tempus florere, postea verò animo & corpore perire. Proinde nemo momentanea felicitate impiorum offensus à recta via exorbitet.

Præsidia hu-  
mana sunt  
infrma.

Adhæc ex illo quod potētissima Monarchia Babylonica, & vrbs munitissima, irato Deo consistere non potuit, colligimus quam vana sint omnia illa præsidia carnis, locorum munitiones, exercitus, opes, clientelæ, cognati, affines. Si Babylon cecidit, quis sibi promittat aliquid certi in hoc mundo? Omnis itaque spes in Deum coniicienda est, qui sibi fidentes non deserit.

Prophetæ  
mauus.

Obseruandum etiam est, quodnam sit boni Prophetæ officium. Ezechiel iussus dira prædicere Babylonis sub quibus degebat, non tergiuersatur, dicens, Exul sum, Rex suspicaretur me odij impulsu vaticinari, & me & meos ciues in odium coniicerem, si hæc proferrem contra Babylonios, ab aliis disertè prædicta sunt, nec semel: sed simpliciter & candidè vaticinatur quæ Deus iubet. Ne itaque hominum metu veritatem dissimulemus: sed cogitemus nos Regem regum habere inspectorem, cui ratio erit reddenda.

Roma per-  
ibit.

Adhæc, cum D. Ioannes in sua Apocalypsi alteram Babylonem vocet sedem Antichristi, qui contra fideles Christi pugnaturus sit, colligimus illam quoque tandem cum Antichristo perituram: ne igitur propter temporaria commoda nos illi coniungamus.




## Concio decimaquinta EZECHIELIS.

HOMILIA XCVI.

*Propheta instar iudicis Hierosolymitanos in genere redarguit, propter iniustas cedes & idololatriam, eisque pœnam comminatur.*

CAPVT XXII.

- 1  T fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo,
- 2 Et tu fili hominis, iudicabisne? iudicabisne ciuitatem effundentem sanguinem innoxium, & indicabis ei abominaciones eius.
- 3 Et dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Vrbs quæ effundit san-

guinem

guinem in medio sui, ut veniat tempus eius: & quæ fecit idola, contra seipsam ut polleret se.

4 Sanguine tuo quem effudisti, deliquisti: & idolis tuis quæ fecisti polluisti te, & appropinquare fecisti dies tuos, & venisti usque ad annos tuos: propterea dedi te opprobrium Gentibus, & irrisionem omnibus terris.

5 Quæ propè sunt, & quæ longe sunt à te, ridebunt te, sordidam nomine, multæ contritionis.



Hoc capite sequitur xv concio Ezechielis, in qua veluti iudex fert sententiam de incolis terræ Iudææ, & vrbs Hierosolymorum: de prophetis, aulæ proceribus, atque plebe, quòd quia in sceleribus impudenter pergant, regio ipsorum & vrbs vastanda sit, ipsi hinc inde dispergendi, idque breui tempore. Multas eiusdem argumenti conciones habuimus: hæc in hoc ab aliis differt, quòd alia forma orationis constat. Non autem mirum nobis vidèri debet, quòd vnam eandemque rem toties repetit & inculcat. Solet enim Spiritus sanctus res maximi momenti sapius repetere. Multum referebat populo in captiuitatē abducto, cui Ezechiel præcipuè doctor datus erat, persuasissimum esse, quòd vrbs esset euertenda. Subinde enim cogitabant, se stultè fecisse, quòd hosti se ad pedes proiecissent. Reliqui verò, qui adhuc in patria erant, magna confidentia insultabant illis, & Prophetarum monita aspernabatur. Videbimus in hac oratione, tanquam in speculo, signa perituri populi, nempe si impudenter idololatriam exercent, sanguinem innocentem fundat, iudicia corumpat, incestis libidinibus indulgeat, &c. Hæc Deus in suo populo, & aliis populis, omnibus seculis odio habuit & puniuit: itaque hodie quoque odio habet, & punit. Discamus itaque Dei timorem, vitæ emendationem, &c.

Sūma huius orationis.

In hoc capite, cuius principium iam elucidabimus, hic ordo seruatur. Primum Deus exprobrare Iudæis iubet duo peccatorum genera, in quibus alia comprehenduntur, nempe idololatriam, quæ est contra primam Tabulam, & crudelitatem, quæ est contra posteriorem Tabulā: postea per species peccata aliquot recēset, quibus pœnas sibi accersant. Mox idem repetit per allegoriam à re metallica sumptam, & à terra. *Iudicabisne, iudicabisne ciuitatem effundētem sanguinem innocentē?* Propheta indubiè maluisset tacere, quam reprehendendis aliorum vitiis, sibi ingens odium conflare: sæpenumero eum cogitasse probabile est, Cur reprehenderes illos, cum te videas frustra laborare, quin potius efficere, ut maiore conatu contra legem Dei agant: Iuxta illud, Nitimur in vetitum, &c. *Deus itaque dicit, An non iudicabis ciuitatem?* &c. Interrogatio & repetitio verbi facit ad orationis vehementiam. Iudicare est cognoscere & discernere inter verum & falsum, inter bonum & malum: item increpare & redarguere. Sensus est, Corripere eos debes, & iudicare eorum facta. *Et iudicabis ei cunctas abominaciones eius.* Nō solum vnam & alteram, sed illas quoque ob quas minimè volunt argui. Necessaria est correctio ex verbo Dei: Christus enim Marci 9. sale eam confert. Carnes nisi sale aspergantur, facile computrescunt: ita nos quoque nisi ex verbo Dei reprehendamus, computrescimus in sceleribus nostris.

Partes capituli.

Iudicare.

Correctio necessaria.

Isa. 56. Doctores qui vitia hominum dissimulant, canes muti vocantur, qui non valent latrare. Ducta similitudo à canibus quos *oinovēs* vocant, qui nisi latratu suo fures prodant, & lupos abigant, nihil profunt: ita concionatores, qui vel ignorantia sacrarum Literarum, vel metu inuidiæ, se sceleribus non opponunt, non sunt viles Ecclesiis.

Vrbs sanguinum.

Quantò minus mundus ferre vult reprehensionem scelerum, tantò magis instandum est: vt saltem aliqui in se descendant, & deformitate suorum vitiorum intellecta, ad mentem redeant. D. Paulus valde obtestatus est in 2 ad Timò. quarto capite, suum illum discipulum, vt tempestiue & intempestiue instet, &c. Cæterum in reprehendendis vitiis certus modus est obseruandus; non qualem mundus nobis præscribit, sed qualem Deus verbo suo requirit. Propheta Hierusalem vocat urbem sanguinum, propter effusam sanguinem: deinde sanguines significant scelera atrocita, cæde pianda. Liberè & apertè increpanda sunt scelera: quid enim hoc titulo probrosius excogitari potest? Deinde quoniam impiis semper pij permiscetur, animi piorum semper consolationibus ex verbo Dei depromptis confirmandi sunt, ne Ministri Ecclesiarum occupati traducendis duntaxat impiorum vitiis, interim in pios negligentes sint. Discimus ipsis quoque Prophetis cohortationes esse necessarias, Deus enim calcaria addit. Prophetæ. Hodie quoque Ministri Ecclesiæ extimulandi sunt, vt populum reprehendant, vtque maior in reprehendendis aliorum vitiis sit autoritas, sibi in primis ab illis caueat, quæ in aliis taxant. *Vrbs quæ effundit sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius: & quæ fecit idola contra seipsum vt pollueret se.* Sensus est: ô vrbs quæ sanguinem innoxium fundendo tempus iræ Diuinæ acceleras, & fabricando idola te polluis. Sanguine tuo deliquisti, &c. Vel, Hæc est ciuitas effundens sanguinem, scilicet, innocentem. *In medio tui*, hoc est, palam, sine timore, licet multis legibus hoc sit prohibitum. Peccant grauius illi, quos non amplius pudet suorum scelerum: sed de illis gloriatur. *Vt veniat tempus eius.* Non quidem hoc consilio effundebant sanguinem, vt vindictam attraherent, interim tamè hoc fiebat. *Fecit idola contra se.* Fabricabant idola, vt multa bona sibi compararent, mala depellerent: sed faciebant ad perniciem eorum: nam Deum contra se ad iram prouocabant. Alij intelligunt, *Super se*, hoc est, in excelsis quæ religionis ergò frequentabant. Repetit hæc, vt videamus quantum Deo displiceant. *Sanguine tuo quem effudisti, deliquisti.* Rex & eius consiliarij, atque populus sanguinem innoxium fundebant. Rex & proceres eius, non peccabant in hoc, quod sceleratos è medio tollebant.

Scelerati occidendi sunt.

Deus enim in lege sua hoc præcepit magistratibus, vt dicitur Deut. 19. Auferes malum, vt cæteri timorem habeant, nec miserearis eius. Hodie quoque porrigit magistratibus gladium, vt defendat bonos, & sceleratos puniat. Prouerb. 17. dicitur, tam illum qui sceleratum absoluit, quàm qui innocentem condemnat, abominationi esse Deo. Quòd enim iudices, si sceleratos impunè dimittant, cum illis quos absoluunt, tum alijs, tam bonis quàm malis noceant, in meis ad prouerbia Solo. Commèterijs ostendi. Non itaque peccabant quòd secundum leges facinorosos è medio tollerent: sed quòd Prophetas & alios viros bonos, quibus principum mores meritò displicebant, trucidarent: bellis non necessarijs occasionem darent & hominum paruam rationem haberent, siue fame, propter aliorum rapacitatè, siue alijs vijs perirent. Priuatis quoq; hominibus vim vi repellere concessum fuit: nam in articulo necessitatis, vt si ebrius aliquem in platea adoriatur, leges nobis gladium porrigunt, quo nos veluti contra bestiam aliquam defendamus. Etenim opem magistratus, non possumus tunc implorare. Contenti autè nos contra manifestam vim defendisse, non sumamus vltionem de proximis nostris. Credibile aut estè Iudæos iræ & odio indulsisse, poenâsq; sumpsisse de inimicis suis, hinc crebra fuerunt inter eos cædes. *Idolis tuis quæ fecisti, polluisi te.* Iudæi idolis quæ passim erigebant, volebant Deo placere, sicut nostri quoque idololatræ: sed se inquinabant. Deoque odiosos reddebant. Ezechiel, sicut & alij Prophetæ. idola subinde sterco vocat: non itaque minus se mundabant idololatria, quàm si quis se stercorebus oblineret: neq; minus Deo gratum faciebant, quàm si quis stercore oblitus se in Domini sui cõspectum insinuaret. Quod verò nõ simpliciter dicit, *Idolis tuis polluisi te,*

Crudelitas in iudicando priorum sanguine.

Vim vi repellere.

Idola sterco vocatur.

sti te,

isti te: sed addit, *Quæ fecisti*, non caret emphasi, idola enim sunt opus manuum nostrarum. Quanta est dementia, si quis coram illo se prosternat, quod suis manibus formavit: Grauius etiam peccant, qui idola fabricantur & postea adorant, quam qui ab aliis fabricata communi errore colunt. *Et appropinquare fecisti dies tuos, & venisti usque ad annos tuos.* Atrocibus illis sceleribus Deum longanimum ad vindictam excitasti. Potuisset Deus diutius differre poenam, & expectare vestram resipiscentiam: sed quia tam impudenter peccatis, poenas acceleratis: Deus tempus poenae contraxit. Idem factum est temporibus Noe, cum enim centum & viginti annorum tempus illis hominibus ad poenitentiam præfinitisset, propter impietatem eorum crescentem, tempore illo contracto, anno centesimo, diluuius eos perdidit. Parentes quoque natura faciles filiorum suorum inobedientia impudenti, sæpenumero ad acriter eos quam occisimè castigandum excitantur. Iam hora vestra appropinquavit, inquit, ut hostibus tradamini: hic enim est scelerum fructus. *Dedi te opprobrium gentibus, & irrisionem omnibus terris.* Deus Iudæis quos ex omnibus gentibus selegerat, leges suas præscripsit, quas dum sequebantur celebres fuerunt toto orbe terrarum: postea cum novas excogitarent, fabula facti sunt & ludibrium. *חֶרְפָּה* *cherpah* significat probrum, conuitium: nec verbis tantum, sed etiam re ipsa fieri, Forsterus annotat. *כַּלְסָה* *kallasah* est contumelia, quæ fit cum extenuatione alterius. *Dedi te opprobrium.* Præteritum pro futuro cur ponatur sæpe dixi. *Quæ propè sunt, & quæ longè sunt à te, ridebunt te sordidam nomine, multæ contritionis.* Quæ olim magnum & memorabile nomen toto orbe habuit, postea propter sua flagitia infamis fuit. Iudæorum nomen, quod per se honorificum existit, hodie quoque sordet. *Multæ contritionis.* Tigurina versio habet, *Subsannabunt te, idque cum magna turba: Munsterus, Idque in multo tumultu.* Hoc verbum accipitur de illis qui animo sunt perturbato & distracto, ideo ad Iudæos videtur potius referendum. Alibi quoque Deus idem eis minatur. Valde autem dolet gentibus quæ antea omnibus honori fuerunt, si ab omnibus contemnantur. Psal. 44. & 79. *populus Dei queritur de suis ærumnis, & inter alia dicit, Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & irrisionem his qui circum nos sunt. Posuisti nos fabulam in gentibus, commotionem capitis in populis, &c.* Vehementissimè nobis dolet, si sciamus nos, non solum à vicinis, sed remotioribus quoque gentibus irrideri. Mitigat nonnihil nostra mala, si alios nostris malis affici videamus, aut paucos eorum esse conscios. Iustissima verò hæc fuit populi poena: Prophetas enim Dei, fidelisque admonitiones irriserant: vide Ierem. 20. capite & 2. Paralip. vltim. Facti itaque sunt & ipsi fabula. Sapientia Dei Prouerbiorum primo capite, ita clamat, Propterea quod vocaui, & vos renuistis, extendi manum meam, & nullus est qui aduertit. Irritum fecistis omne consilium meum, & correptionem meam non voluistis. Etiam ego ridebo in contritione vestra, & subsannabo cum euenerit timor vester, &c. De poena postea copiosius concionabitur.

Ex his verbis diligenter expensis, intelligemus quale iudicium nos quoque maneat. Nomen nostrum celebre est propter Euangelij puram doctrinam: sed Deus bone, quam sumus negligentes in ea audienda atque defendenda? Quam multa tetra flagitia inter nos grassantur, quæ ex diametro cum vera doctrina pugnant? Cædes, militiam mercenariam, vsuras, scædas libidines, pauci ita detestantur, atque debebant. De his nihil dicam, qui Euangelicam doctrinam carne peius & angue oderunt, quique laudi sibi ducunt illa committere, ob quæ Deus se suum populum hoc loco euersurum comminatur. Poenitentiam agamus, Deumque precemur, ut mentes nostras suo Spiritu impleat, qui nos ad officium nostrum extimulet.

*¶ Speciatim enumerat multa flagitia, quibus ultionem diuinam accelerent.*

6 Ecce duces Israel, singuli secundum brachium suum fuerunt in te, ut effunderent sanguinem.

7 Patrem & matrem spreuerunt in te, peregrino fecerunt cum oppressione in medio tui, pupillum & viduam oppresserunt in te.

8 Sancta mea spreuisti, & sabbath mea polluisti.

9 Viri fraudulentum fuerunt in te, ut effunderent sanguinem, & super montes cõederunt in te, fœda fecerunt in medio tui.

10 Turpitudinem patris reuelauerunt in te, immundam menstruo affixerunt in te.

11 Et unusquisque cum vxore proximi sui fecit abominationem, & unusquisque nurum suam polluit turpiter, & unusquisque sororem suam, filiam patris tui affixit in te.

12 Munera acceperunt in te, ut effunderent sanguinem, vsuram & superabundantiam accepisti, fraudastique proximos tuos per oppressionem: & mei oblita es, dixit Dominus Iehouah.



Eus per Prophetam suum non solum Iudæis interitum prædixit: sed etiam causas illius exposuit, ne immerito puniri viderentur. Iam enim sæpe audiuius, Iudæos fiducia propria & aliena, hoc est, patrum, iustitiæ, minas Prophetarum contempnisse. In genere duo atrocia scelera præmisit, quibus multi obnoxij erant, nempe crudelitatem & idololatriam: iam speciatim multorum scelerum, quæ vulgaria inter ipsos erant, catalogum enumerat, in quo non seruat certum ordinem: sed impetu Spiritus singula proponit. Singuli in singulorum vitiorum explicacione cogitent, an sint immunes ab illis & similibus, nec ne: Si immunes ab aliquibus, vel omnibus sint, Deo gratias agant, eumque precentur, ut ipsos & alios deinceps quoque ab eis conferuet: si obnoxij sint vel paucis vel pluribus, orent ut ipsos & alios quoque liberet ab eis.

Catalogus  
scelerum in  
omnibus  
ordinibus.

I. Ecce duces Israel singuli ad brachium suum fuerunt in te, ut effunderent sanguinem. Per נַאֲסִי *nassi* significantur proceres regni, à נָסַף *nassa* eleuare, quia in sublimem leuantur, vel quod populi onera leuare debeant. Exodi 18. Ipsi vnà tecum leuantur vel portabunt. Accusationem orsus est à principibus: capite enim malè affecto, reliqua membra malè habent. Summus princeps, & reliqui ab eo constituti principes atque iudices, non ex recepto iure regnum administrabant, sed erant ad brachium, hoc est, ex arbitrio virium suarum ius metiebantur, & rempublicam gerebant. Nos dicimus *vver bas mocht der thet bas, gvvalt gieng sur recht*. Dicebant, ut hodie quoque tyranni dicunt, Ego sum ius: meum est præscribere aliis leges, non subesse legibus, quæcunque ego pronuntio, illa iuris loco sunt, & ut apud Satyricum dicitur:

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas,

putantes sibi licere quicquid libet. De huiusmodi Lucianus in Captiuo loquitur, καὶ τὸ δικαίον ἐν τῇ χειρὶ τοῦ ἀρχόντου, id est, qui ius in manu reponunt. Sicut in lacubus

lacubus, maiores pisces minores deuorant: ita infirmiores à potentioribus oppres-  
si sunt. Nemo potuit tranquillo animo ad tribunalia venire, quantumuis bonam  
causam haberet. Alij simpliciter interpretantur, *vir in brachio suo vel in robore suo fue-  
runt in te*, hoc est, quisque pro virili nixus est vt effunderet sanguinem.

II. *Patrem & matrem spreuerunt in te*. Parentes nostros honorare, non solum Cōtemptus  
Parentum. lex diuina, sed etiam naturalis dicitur. Honor autem ille, non solum in eo confi-  
stit, vt eos magni faciamus: sed vt obsequamur eorum consiliis, & præceptis, atq;  
indigentibus manum porrigamus. Illi verò & illos, & omnes alios qui sub paren-  
tum nomine in Scripturis intelliguntur, vili pendebāt, doctores, principes, etiam  
cum bonos haberent, tutores & alios. Queruntur hodie patres se contemni à fi-  
liis, interim non cogitant id sua plerunque culpa accidere. *In te*. Qui habitant in  
te, ciues tui, vel apertè in publico, nullo metu.

III. *Peregrino qui est in medio tui, fecerunt calumniam: pupillum & viduam oppresse-  
runt in te*. De his personis, multa leguntur passim in sacris Literis: Deus testatur eas  
sibi curæ esse, seque illarum patronum & vindicem profiteretur: idque re ipsa sæpe  
declarauit: neque his contentus, illas personas, aliis quoque, & in primis iudici-  
bus commendat, præcipiens eis, vt ius illis dicant, illas defendant, beneficia in il-  
las conferant: prohibet ne illas spolient, neve lædant: promittit illis præmia, qui  
eas defendunt, quique bene de illis merentur: comminatur pœnas priuatim &  
publicè illis, qui iniuria illas afficiunt. Ideo autem tot legibus earum salutem mu-  
nit, quòd scit multos esse qui impunè se putent illas lædere posse, maximè si pau-  
peres sint: raros autem qui eas asserant, præsertim cum potentes viri offendendi  
sint. Longum esset omnes locos Scripturæ de his personis proferre: Lege Psal. 68.  
Exod. 22. Deut. 10. 24. & c. sed absque fructu hæc tempore Ezechielis; recitabantur  
Iudæis in synagogis. Quomodo hodie iudices, monachi, mercenarij milites, pro-  
polæ & monopolæ, illarum personarum salutem sibi commissam habeant, quisq;  
secum tacitus potest expendere.

III. *Sancta mea spreuisti*. Opposita sunt חול *chol* commune, prophanum, & Cōmune &  
sanctum. קדוש *kadosch* singulare, dicatum, sacrum & sanctum. קדושים *kadaschim* accipitur pro  
omnibus rebus, quibus sacerdotes in ministerio & cultu Dei tantum utebantur,  
vel pro omnibus rebus Deo dicatis: vt erant personæ sacræ, & quæ ad illas perti-  
nent, locus, instrumenta sacræ, tempus (quanquam de Sabbatho seorsim hoc loco  
Propheta loquitur) sacramenta, sacrificia, & quæ ad conseruationem ministerij  
pertinent. Personas cōtemnebāt, in Templum inferebant idola, sacrificia in nul-  
lo erant precio. Quidam offerebant sacrificia furto sublata, vel vilissima & cōtem-  
ptissima: qui pinguia offerebant, non cogitabant in quem finem sacrificia institu-  
ta essent, decimas quoque & alias oblationes malignè obtulerunt. Quid hodie  
fiat, quis nescit? Papistæ ministros contemptissimos ecclesiis præficiunt, sua sacra  
ferè contemnunt, templa sua simulachris implēt, monasteria stupris prophanāt.  
Euangelici quoque accusari possunt, quòd tantam Ecclesiæ & scholarum ratio-  
nem non habeant, quantam debebant.

V. *Sabbatha mea polluisti*. Deus quarto præcepto prioris Tabulæ Sabbathum  
sanctificare præcepit: sed nulla erat religio Sabbathi, totam illius obseruationem  
in externo ocio sitam esse credebāt, quasi ocium sit cultus Dei. Hodie nullo vn-  
quam die homines plus indulgent genio, alex, choreis, alijsq; rebus sædis, quàm  
die Dominico. Augustinus in enarratione tituli Psal. 91. Quantò melius est, in-  
quit, arare diebus Domino dicatis, quàm saltare: Sunt qui ipsi ad sacros cœtus non  
veniant, & suos quoque abstrahant. Quidam hodie debita sua die Dominico  
hinc inde exigunt. Ad cœtus sacros multi tanta impudentia veniunt ac si ad  
spectaculum aliquod cōcurrerent. Emphasim habet quod dicit, *Sancta mea, Sab-  
batha mea*.

VI. *Viri fraudulentifuerunt in te, vt effunderent sanguinem.* Græci reddunt latrones Chald. viri loquentes dolum. Symmach. & Theodotio dolosi. Munsterus *viri delatores.* Tigurina versio Germanica proditores vertit. רחיל *rochel* significat aromatarium vel pharmacopæum, quia varias species in pharmacis commiscet: per metaphoram mercatorem vel negociatorem, à variis mercibus quas vendit, interdum domestica pro exoticis, mala pro bonis, miscet quoque & corrumpunt merces, *vndrysten ein ding vff den kauff.* Hinc dicitur רחיל *rachil* qui mendacium ita potest fucare, vt verum videatur, quales sunt fuffrones, delatores vel detractores, scophantæ, qui ab aliis exquirunt quæ ad alios mox renuncient, & de suo aliquid admiscet, vt homines inter se committat. Ad hunc ordinem pertinent alij quoque, vt sunt falsi testes, qui aliquid addunt & adimunt: item legati, & alij, qui negocia perfidè referunt: vt cum ordiri principes bella non necessaria volunt, legati eorum falsis vera miscentes euocant militem. Legati à latere, multos Sionis illis artibus viros bonos opprimunt. Hinc illi quoque referendi sunt qui scripta aliorum calumniosè interpretantur. Proinde hæc uox late patet. Tales autem homines, sunt pestes rerum publicarum.

VII. *Super montes comederunt in te.* Quid hoc sit repete ex 18. cap. Per se in montibus edere non pugnabat cum lege, sed idolothyra edere.

VIII. *Fœda fecerunt in medio tui.* סמא *Simah*, In bonam & malam partem accipitur, hoc loco & multis aliis significat mediatum facinus. Homines non tantum peccant ex imbecillitate quadam & inscitia, sed sæpe destinato animo. Sunt qui consilia capiant, quomodo vera religione extirpata falsam restituant. Sunt qui cogitent de viis & rationibus, quibus bonas leges evertant. Sunt qui cogitent, quomodo se vliscantur de suis inimicis: quomodo opes alienas occupent: quomodo potiatur illicitis amoribus, & alia huius generis innumera. De his Micheæ 2. Væ cogitantibus vanitatem & operantibus malam in cubilibus suis: & in luce matutina faciunt illud: quia est potentia in manu eorum. Etiam si multa nobis pugnantia cum lege Dei in mentem veniant, non tamen cogitationibus illis fræna laxanda sunt.

IX. *Obiicit eis vagas & incestas libidines. Turpitudinem patris reuelauerunt in te.* Non hoc dicit, quod patris pudenda detexerint, sicut Chamum fecisse legimus, sed quod cum nouercis suis rem habuerint. Hæc enim forma loquendi Leuit. 18. legitur: Turpitudinem vxoris patris tui, non discooperies: turpitudine enim patris tui est. Leuit. 20. vbi hoc flagitium morte multari præcipit, illa redditur ratio, quod patris turpitudinem reuelat, qui id aufit. Hinc colligis turpitudinem patris reuelare, idem esse quod turpitudinem vxoris patris sui reuelare. ארסא *arsah* nuditas, hinc pro turpitudine & verendis. Quidam obseruarunt ad literam singulari numero dici, *turpitudinem patris retexit.* quod pauciores fuerint, quasi dicat, Inuenitur inter vos qui attigit patris sui vxorem, non enim existimandum esse, omnes tam fœdis libidinibus fuisse contaminatos. *Immundam mensibus afflixerunt in te,* cui parcendum erat propter infirmitatem, & partus procreationem. אנה *anah* significat vim afferre nolenti, comprimere aliquam: recurre ad cap. 18.

*Vnusquisque cum vxore proximi sui fecit abominationem.* Adulteria vulgaria erant inter eos. Hanc eorum petulantiam Iere. 5. capite, similitudine equi hinnientis exprimit. *Vnusquisque nurum suam polluit turpiter.* Socer nurum suam stuprauit, scelere abominando. *Vnusquisque sororem suam afflixit.* Fratres exarserunt contra sorores. *Filiam patris.* Hoc est, quæ ex patre soror fuit. Fortassis putabant se non grauius peccare, si rem haberent cum sorore ex altero tantum parente: solemus enim nobis blandiri & atrociam scelera extenuare. *In te.* Semel tantum per insaniam delinquere, postea abstinere per pœnitentiam fuisset leuius, quam quod impudenter pergebant in nefandis illis sceleribus.



Deus in Decalogo prohibuit adulterium, sub quo comprehendit scortationem, stupra, incestus, & omnes nefandas libidines. Est autem incestus cum Incestus.  
 persona consanguinea vel affini coitus prohibitus, 1. Leuitici decimo octauo, enumerantur prohibiti gradus consanguinitatis & affinitatis, in quibus non licet vel matrimonio, vel aliàs coniungi. Leges illæ non solum Iudæos, sed alios quoque populos obligant: sunt enim leges naturæ. Communis enim est regula, leges naturales ad omnes homines, & omnia tempora pertinere.

Textus enim dicit, Cauete ne vos similiter euomat terra, cum similia feceritis, sicut euomuit Chananæos. Si Chananæi & alii puniti sunt propter incestas libidines, etiam aliis gentibus prohibitæ sunt. Postea capite vicesimo expressè magistratibus præcipit, vt tollant huiusmodi portenta. Omnis anima quæ fecerit quiddam harum abominationum, deleatur ex populo. Cessante magistratu, Deus seuerè has libidines punit. Calamitates publicæ sunt harum libidinum pænæ. Iacobus filio suo Ruben, qui eius thorum violarat ante datam legem, maledixit, Genesis quadragesimonono. Amnonem filium Dauidis, qui sororem Thamar compresserat, Absolom frater in conuiuio iugulauit, secundo Samuelis decimotertio. Absolom qui nouercas suas in propatulo stuprauit, graues pœnas dedit.

In nouo testamento Ioannes Baptista Matthæi decimoquarto, Herodi dicit, non libet tibi vxorem fratris tui habere, 1. Corinthiorum cap. quinto, Paulus incestum præcipit eiiciendum è cœtu, partim quò pudore affectus resipiscat, partim ne eius consuetudine cæteri inficiantur, & Euangelium malè audiat. Omnino auditur, inquit, inter vos stuprum, & huiusmodi stuprum, quod nec inter gentes nominatur, ( hoc est, quod portenti loco habetur ) vt aliquis vxorem patris habeat, siue coniugem eam habere voluerit, siue aliàs, stupri consuetudinem cum ea habuerit. Exempla pœnarum etiam apud gentes extant. Oedipus qui cum matre rem habuit, fulmine extinctus est: filii eius Eteocles & Polynices mutuis vulneribus ceciderunt: mater sibi mortem consciiuit. Thyestes Pelopeam filiam compressit, ex qua suscepit Aegysthum, qui in adulterio deprehensus occisus est. Virgilius libro sexto Aeneidos incestos apud inferos torqueri dicit:

Hic thalamum inuasit natæ, veritòsque hymenæos.  
 Ausi omnes immane nefas, aulòque potiti, &c.

Magistratus tollant huiusmodi portenta, defendant legitima coniugia, non concedant cõmixtionem in prohibitis gradibus, sicut Pontifex Romanus, qui principibus & aliis omnia prœmittit, modò maneant subditi, è diuerso noua impedimenta coniugii excogitauit, ad corradendum stultorum pœniam.

X. *Munera acceperunt in te, vt effunderent sanguinem.* Apostrophe est ad Munerum  
corruptela.  
 urbem Hierusalem. Munera non sunt vnius generis. Sunt munera, vt vocant, honoraria, quæ hominibus de nobis bene meritis, cognatis, affinibus, vxoribus, liberis, famulis damus, vt nostram erga eos gratitudinem & beneuolentiam declaremus.

Hæc dare & accipere, non est contra leges. Deinde sunt munera corruptoria, quæ dantur & accipiuntur in malum finem. Huc pertinent illa quæ dantur ad corruppenda iudicia, & quæ principes dant magistratibus in liberis rebus publicis, vel priuatis hominibus, militandi causa: de his Deuteronomij vigesimoprimo, Maledictus qui accipit munus ad fundendum innocentem sanguinem. Dantur item munera concionatoribus, vt veram doctrinam reti-

ceant, vel oppugnent. Dantur matronis & virginibus munera, vt ad stuprum sollicitentur. Non autem potest Respublica illa salua esse, in qua huiusmodi munera appetuntur. Exempla suppeditant Græcorum & Romanorum historia. Quamdiu hæ Respublicæ multos habuerunt qui dona principum aspernarentur, incolumes erant: cùm autem omnes prædæ inhiarent, collapsæ sunt.

Deus dicit per Iethronem Exodi decimooctauo, deligendos iudices qui odio habeant auaritiam, & proinde munera illa non appetant. Deuteronomij decimosexto, munera excæcare oculos prudentum, & mutare verba vel res iustas. In Prophetis sæpe *σωφροσύνη* iudicibus obiicitur: Isaiæ primo capite, & decimo. Oseæ quarto, Principes eius dilexerunt afferte, hoc est, inhiarunt muneribus. Amos quarto, Vendiderunt iustum pro pecunia, pauperem pro calceamento. Micheæ tertio, principes eius pro munere iudicarunt, &c. Ecclesia quoque illa salua esse non potest, in qua Ministri munera corruptoria accipiunt. Quid auaritia pontificum pepererit totus mundus nouit. Familiæ quoque consistere non possunt quæ inhiant huiusmodi muneribus. Quantum verò sit scelus sanguinem infantis fundere, sæpe in hoc libro est dictum.

XI. *Vsuram & emolumentum vel excessum accepisti.* Nullus quantumuis bonus ciuis pecuniam comparare potuit, qua ad tempus vti posset, nisi daret magnam vsuram creditori: idem fiebat si quis domum, vineam, agrum conducere vellet: ditiores modo emolumento non contenti, exugebant medullam pauperum. *Fraudasti vel oppressisti proximos tuos per oppressionem*, id est, violenter. Vndique captabant occasionem vt etiam cum proximi detrimento cumularent suas opes. Charitas prorsus refrixerat. Nonne hodie multi cum iniuria pauperum quæstum faciunt? Forsterus reddit, *Vulnerasti sodales tuos cum iniuria*, scilicet auaritia.

XII. *Mei oblita es.* Fons & origo omnium scelerum est obliuio Dei. Si homines de Deo non rectè sentiant, eumque non curent: si non cogitent quid ab eis postulet, quòd omnes actiones ipsorum videat, quòdque in hoc & futuro seculo eos puniturus sit, nisi officium faciant, laxatis habenis in omnia scelera ruunt. Sin verò Deum timeamus & reucreamur, cauebimus nobis à peccatis. Siracides in fine septimi capituli dicit, Cogita nouissimum tuum, & nunquam peccabis. Illi in memoriam non reuocabant beneficia, & leges, item minas diuinas. Ex hoc catalogo intelligimus quibus flagitiis Deus horribiliter irascatur, & ob quæ totas vrbes & gentes euertat. His grassantibus, nisi homines pœnitentiam agant Ministri non taceant, sed suum officium strenuè peragant.

## HOMILIA XCIII.

*¶ Pœnam denunciat genti Iudæorum propter flagitia quæ patrabant.*

13 Et ecce percussi manum meam propter auaritiam tuam quam fecisti: & propter sanguinem tuum, qui fuit in medio tui.

14 Nunquid consistet cor tuum: num fortificabuntur manus tuæ in diebus quos facio tecum? ego Iehouah loquutus sum, & faciam.

15 Et dispergam te in Gentes, & ventilabo te in terras, & deficere faciã munditiam tuam à te.

16 Et capies hæreditatem in te, in oculis Gentium: & scies quòd ego Iehouah.

Postquam

**D**ostquam Propheta multas species scelerum recitavit, quæ Iudæi contra priorem & posteriorem tabulam Decalogi palàm patrarunt: sequitur iam de pœna, quam Deus ab ipsis sumpturus sit. Solet enim si magistratus & alij lægnes sint, & flagitiosos non puniant, ipse hominibus pœnas inferre. 1. Corinth. 11. Si nos ipsos diiudicassetis, haudquaquam diiudicati fuissetis. Pœnas verò primùm simpliciter & aperte, deinde allegoricè illis denūciat, simulq; causas earum admiscet. Vbi in primis ut iam sæpe admonuimus, nobis cogitandum est, hæc nō Iudæis solùm, sed etiam nobis dici. Deus bone quàm facile & breui hæc nobis quoque possent euenire, quæ Iudæis euenisse scimus? Veniamus ad ipsa verba Prophetæ, in quibus primo loco ostendit Deum illis grauitè irasci, deinde eos pœnas non euasuros, tertio quis modus & effectus pœnæ futurus sit.

I. *Et ecce percussisti manum meam propter, contra vel super auaritiam tuam, quàm exercuisti, &c.* Deus Spiritus est, ideoque carnem & ossa non habet: tribuuntur tamen ei in Scripturis *ὀφθαλμοὶ, αὐτιά, ὄστος, χεὶρ* oculi, aures, os, manus. Manus complodimus teste Laurentio Valla multas ob causas: vel ad testificandum dolorè, item per subitam admirationè. Miratur Deus inexplabilem auaritiã ipsorum, & crudelitatem. Doleat ei quòd propter impœnitentiã eos punire oportet. Nam ut parentes nō delectantur castigatione liberorum, ita nec Deus. D. Hieronymus complodere manus irascentis habitum vel gestum esse scribit, his enim sceleribus quæ commemorata sunt, Deus grauitè irascitur. Hoc quoq; gestu excitamus & incitamus homines, ut in bello, in venatione, in cursu: & tunc erit sensus: Incitabo hostes contra te. Ad hæc feras & aues complodis manibus abigere solemus, non statim lapidibus & sagittis: ita Dominus leuioribus iræ significationibus, per prædicationem & ferulas paternas eos absterreere voluit à sceleribus, quibus cū nihil moti essent, adhibuit durissimas pœnas. Secundo iam loco ostendit eos pœnas non euasuros.

Complodere manus irascentis signū.

II. *Nunquid cōsistet cor tuum?* quasi dicat, minimè. Ingruentibus malis cor tibi in pedes deciderit: Græci quoq; similem phrasim habent, *ὁμοῦ ἐπιπέσει τὸ στήθος*, dicit:

Iracundiam Dei homines nec mente nec corpore possunt sustinere

*τὰ ῥέθρα, πᾶσι δὲ ὡς ἓν ποιοῦν ἅπαντες ὑμεῖς*, hoc est, expauerunt, omnibus autem in pedes deciderit animus. Quod de his dicitur, qui vehementer consternantur atq; expauescūt. Nos dicimus, *es roirt dir das hertz enpfallen*. In corde agendorū omniū radicem constituunt, in corde consilium residere dicunt. Consilij, inquit, inops nescies quo te vertas. *Num fortificabuntur manus tua?* Manus metu languebunt: nihil virium habebis ad resistendum hostibus: salutem desperabis. *In diebus quos faciam tecum vel quibus tibi hæc faciam*, hoc est, cū ferio incipiam tecum agere. In diebus afflictionis, quas tibi propter peccata immissurus sum, corporis & animi viribus destitueris. Ier. c. 6. *Audiuius rumorè eius, dissolutæ sunt manus nostræ, angustia & dolor occuparunt nos instar parturientè, &c.* Indubiè multa sibi promittebant de suis consiliis & robore: Nabuchadonosori, dicebant, negocium erit cum viris: erant enim audacissimi. Ferè autem vsu venire videmus, ut qui sunt audaces priusquàm appareat periculum, postea vbi res virum postulat, sint lægnes. Græci prouerbio dicunt, *ἄεθλος ὁ ἐπὶ ἔργου, ἐκ πολλοῦ κακός*. Stultū est si quis irato Deo, ad rem gerendam promptum se fore speret. Iudæi sæpe paruis copiis magnos exercitus fuderant, sed tunc propitium habuerunt Deum, nunc iratum habebāt. Videmus etiam hoc sæpe accidere, ut qui initio strenui sunt, tandem turba & diurnitate malorum fracti deficient. Deus vires & cōsilia, quæ in bello plurimum possunt, subministrat, & quemadmodum spiritum momentò auferre potest, ita alacritatem & robur. Quamobrem nostris viribus & cōsiliis nihil tribuamus. Babylonij qui hoc tempore fortes erant, appetente tempore vindictæ, consternati sunt. Isā. enim 13. capite dicit: *Omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis liquefcet, terrebuntur, torsiones comprehendent eos, dolebunt ut parturiēs,*

&c. Daniel 5. capite. Discamus Deum reuereri, illo enim irato, animi & vires cōcidunt, externa quoque præsidia nihil valent. *es gat als hinderfich.*

*Ego Iehouah loquutus sum & faciam.* Si cum solis hostibus vobis negotium esset, sperare possētis, eos vel non suscepturos expeditionem contra vos, vel non assequuturos speratā victoriā, vel fœdus tolerabile posse iniri: si illi soli dixissent vos excidendos, meliora sperare possētis, homines enim sunt mutabiles: at ego vobis comminatus sum pœnas, ego eas vobis inferam. Quæ Deus sibi proponit, certa sunt: consilia ipsius nemo potest impedire. Zacharias 6. cap. videt Deum, quadrigas (per quas quatuor monarchiæ quæ afflictiuræ erāt populū Dei adumbrantur) emittere per æreos montes, ad significandam firmitatē suorum consiliorum.

Hinc colligimus, quæ sit humana miseria & cæcitas. Si princeps aliquis, vel gens aliqua bellicosa nobis semel bellum minaretur, statim deliberaremus quomodo possent placari: at mortales sunt, quid nolente Deo possunt: Cum verò Deus, bellum, & alias calamitates, nobis toties minatur propter scelera, Deus inquam potentissimus Monarcha, qui omnes creaturas in nos armare, & momento nos perdere potest, quotusquisque est qui ferio ipsum placare conetur, & illa auferre quibus tantopere irascitur.

Capti disper-  
gentur.

III. *Dispergam te in gentes & ventilabo te in terras.* Tertio loco modus pœnæ ostenditur & effectus. Dissipabo vos in gentes, & quasi paleas quæ huc & illuc rapiuntur, vos ventilabo. Hac metaphora etiam innuit quàm facile eos possit perdere. Magna erat inter eos discordia & animorum distractio, rarius congregabantur in sacris cœtibus: Distrahā igitur nunc ciues & familias, à mariti complexu vxorem, è parentum gremio dulcissimos liberos abstrahā. Quàm autem miserum sit exulare totam gentem cum familiis & paruis liberis, vagari sine certo hospitio inter victores, quorum linguam non tenes, quorū religio cum tua pugnat, quis verbis exprimere potest? Esaias deplorans hanc miseriam, Iniquitates nostræ, inquit, vt venti dissiparunt nos. *Descere faciam immunditiam tuam à te* Diximus eos libidinosos & salaces fuisse, sed Deus effecit, vt post hac se non polluerint. Cibi delicati & vina pretiosa irritant libidinem secundum illud, Sine Cerere & Baccho friget Venus: Deus sustulit illa irritamenta libidinis. Nam in vrbe obfidione, & postea exulantes inter hostes, non habebant vnde latrantem stomachum vtcunque placarent. Recte dicitur,

Luxuriant animi rebus plerunque secundis.

Deus itaque res tristes eis immisit, vt petulantiam eorum frangeret. Hodie Deus priuatim, scortatores, adulteros, ebriosos, decoctores in viam reuocat: opes amittunt, cum fame & morbis conflitantur, vt non possint in sceleribus illis pergere, & hæc vna est ex præcipuis causis afflictionum. *Et capies hæreditatem in te, in oculis gentium.* Hic locus variè redditur ab interpretibus. Thargum, *Et sanctificabitur in te.* Septrag. *καταληρομήσω ἐν σοι* hæreditatem accipiam in te. Hier. *Possidebo te in conspectu gentium.* Aquila & Theodotio *Et contaminabo te.* Symmachus *Vulnerabo te, siue confodiam.* Ex recentioribus alij. *Eris capiens hæreditatem, possideberis ab alijs.* alij, *eris polluta vel pollueris in te, infirmata eris.* Quidā dicunt à *חלאל* quod vulnerare, polluere, occidere significat: alij à *נחל* *nachal* quod est hæreditate accipere & possidere. Sensus hunc esse dicunt, Fuiſti ante hac Dei hæreditas, iam verò omnibus videntibus, tibi ipsi misera & calamitosa relinqueris: expelleris vt filius quem pater exhæreditauit: vel debuisti esse sancta ciuitas, sed polluisti te, pollueris itaque nunc, stuprabunt filias vxores tuas. *Scies quòd ego Iehouah.* Noluiſti me cognoscere ex beneficiis, cognosces itaque ex suppliciis. Discamus ex his, admonitiones & leuiore pœnas non contemnendas esse, sed priuatim & publicè pœnitentiam esse agendam vt supplicia vel tollamus vel mitigemus.

HOMILIA

# COMMENT L. LAVAT.

HOMILIA XCIX

*Duplici similitudine, quarum prior a rebus metallicis sumpta est, posterior a terra non compluta, neque purgata, excidium gentis ostendit.*

17. Et fuit verbum Iehoua ad me, dicendo:

18. Fili hominis, fuerunt mihi domus Israel in scoriā: omnes sunt vt aes, & stannum & ferrum, & plumbum in medio fornacis, vt scoria argenti fuerunt.

19. Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Quia facti estis omnes vt scoria, idcirco ecce ego congrego vos in medium Ierusalaim.

20. Congregatione argenti, & aëris, & ferri, & plumbi, & stanni ad medium fornacis, vt sufflent in ea ignem ad conflandum: sic congregabo in furore meo & ira mea, & requiescere faciam, & fundam vos.

21. Congregabo inquam vos, & sufflabo super vos in igne furoris mei, & fundamini in medio eius.

22. Vt funditur argentum in medio fornacis, sic fuseritis in medio eius: & scietis quod ego Iehouah, effuderim iram meam super vos.

23. Rursum fuit verbum Iehoua ad me, dicendo:

24. Fili hominis dic ad eam, Tu terra es non munda, nec compluta in die furoris.



Votiescunq̄ Deus populam suū in signi aliqua clade adficere voluit; eum per seruos suos præmonuit: in primis vero quando vrb̄ cum templo excidenda, & reliquæ in diuturnā captiuitatem abducendæ essent. Multas enim prædictiones in hoc Propheta hætenus audiuimus de illis malis. Paulò ante simpliciter pœniam prædixit: nunc duplici allegoria eadem prædicat: tamque diligenter de his malis concionatus est, vt conciones eius vix sine tædio legantur, vel recitentur. Proinde Iudæi non potuerunt dicere si Deus nos admonuisset de tantis malis, pœnitentiam egissemus. Accedamus ad allegoriarū illarum explicationem. Prima sumpta est à metallicis & aurifabris: eadem allegoria vsi sunt. Isa. 1. cap. Iere. 6. Malachias 3. Summa est: Metalla quæ scoriā habent admixtam, purgantur per ignem, vt scoria consumatur: ita vos qui in scoriā verfi estis, igne afflictionum consumamini. *Fuerunt mihi hi qui sunt de domo Israel in scoriā: omnes ipsi sunt. æs stannum & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt.* Sentus est, debebatis esse argētum purum, sed estis recementum argenti vel scoria. Scoria sunt sordes & purgamenta metallorū: metal larū vocant *schlacken alle vneikeit so im schmeltz ofen oder trib hard ab gadt, oder ab gatz gen, also scheiden vnd hinc ge vvarffen v vndt.* Vel, erant æs, stannum, ferrū, plumbum, quæ sunt viliora metalla. Vel similes erant argento adulterino, cui multum aëris, & ferri, & stanni, & plumbi comixtum est. Hesiodus, vt ostenderet homines subinde deteriores fieri, genera hominum vel secula, certis metallorū generibus distinxit: Primum dicit aureum fuisse, secundum argenteum, tertium æreum, quartum mixtum ex duobus prioribus, quintum ferreum. Hunc postea alij poetæ imitati sunt. Iuuenalis Satyra 13:

Nunc ætas agitur, peioraque secula ferri

Temporibus, quorum sceleri non inuenit ipsa  
Nomen, & à nullo posuit natura metallo.

Deus ex omnibus nationibus sibi Iudæos delegerat, vt sanctus essent populus, & quantum aurum & argentum præstat aliis metallis, tatum aliis gentibus, puritate & bonitate præstarent: sed ipsi similes erant massæ compactæ ex multis metallis, *emer stikken*, vel argento vitiato. Hieronymus dicit, auri speciem adulterium in artis similitudinem mentiri: argenti candorem stannum simulare, vt simplex & rusticus facile non dignoscatur. Cominæus scribit de Heluëtiis, quod victo Carolo Burgundiæ duce, vasa argentea pro staneis vendiderint, tantam fuisse nostræ gentis simplicitatē. Israelitæ qui præ se ferebāt se esse populū Dei, qui gloriabatur circumcissione, Tēplo & aliis, hypocritæ erant. Ferrei erāt, hoc est, duri & impudentes. Isā. 48. Ceruix tua ferrea est, & frons chalibea: plūbei, hoc est, indociles. Breuiter, corruptissimi erant & sceleratissimi. Alij interpretantur, omne eorum æs, stannum, ferrum, & plumbum, hoc est, quatuor ordines, qui sunt in bene constitutis ciuitatibus, docti, principes, milites & opifices, omnes scoria facti sunt. Hæc ad nos quoque transferenda sunt. Deus bone quantum à maioribus nostris degenerauimus, qui religiose & piè vixerunt? versi sumus in scoriam, Euangelio gloriamur, interim Euangelio indignè viuimus.

*Quia facti estis omnes vt scoria, ideo ego congregabo vos omnes in medio Ierusalem congregabo vt argenti & æris.* Argentū ex fodinis erutum, defertur ad officinas liquidatas, *off die schmeltz huttem*, vt à scoriis & aliis metallis igne purgetur. Aurifabri quoque argentum à scoriis & aliis sordibus, in fornace vel testa positum, excoquant. Nisi enim segregarent scorias ab argento, non possent malleo id tractare. Hinc Solomon Prouer. 25. cap. Aufer scorias de argento, inquit, & prodibit argentario vas: aufer impium à conspectu regis, firmabitur in iustitia folium eius. Deus miserat Iudæis conflatores vel vt vocant, probatores, qui in vrbe veluti quadam fornace eos castigarent & reprehenderent ex verbo Dei, sed furdis canebant fabulam: tam scelerati erant, vt monitores ferre non possent. Deus itaque alios misit conflatores, *schmelzer, abtriber, ertz scheider*. Vt massa auri, argenti, aut alterius metalli in fornace excoquitur: ita Deus dicit, Ego congregabo & concludam vos in media fornace: & requiescere faciam vos, vel derelinquam. Ostendit diu multaque variis malis exercendos. Hæc ex historia rectius intelliguntur. Iudæi aduentante Babyloniorum exercitu, in urbem collecti sunt, vt fit, in cuius diuturnâ obsidione, afflicti sunt fame, siti, peste, tandem vrbs inflammata fuit. Argente sic Ierusalem fuit fornax illa probationis, postea Babylon in quam reliquæ abductæ fuerūt. Deuteronom. quarto cap. Ægyptius ferreæ fornaci comparatur.

*Congregabo, inquam vos, & sufflabo super vos, &c.* Eandem rem repetit, vt videant Dominū serio agere. *Et scietis quod ego Iehouah effuderim iram meam super vos.* Contemnebant omnes adhortationes, tandem re ipsa senserunt Dominū illis iratum fuisse. Nisi enim Dei ira contra eos exarsisset, non tot malis obruti fuissent.

Altera similitudine sumpta à re rustica idem docet quod priore, quia corruptissimi sint, perdendos esse. *Tu terra es non munda, neque compluta in die furoris.* Nisi ager, vinea, hortus, subinde expurgentur à vepribus, sentibus & vrticis, steriles redduntur, vel fementis non respondet votis agricolæ: ita nisi ex populo Dei flagitia eradicentur, tandem inualescūt. Erant in populo Dei Prophetæ, qui agrum zizaniis vepribus & aliis pestibus repurgarent, sed Iudæi similes erant terræ, quæ culturam respuit. Pseudoprophetæ qui in pretio erant, tantum abest vt à flagitiis eos deterrerent, vt potius eos confirmarint in illis. Rex & ab eo constituti iudices negligentes erant, hinc sequuta est magna corruptio. Etsi enim proceres seduli sunt, tamen proueniunt multa mala: quid si officium suum negligant?

Deinde

Deinde dicit terram non fuisse complutam. Terra nisi compluatur (*vven nit ein bodenlinde kumpt*) vel nō potest coli aut feri, præsertim in calidis illis regionibus: vel si fruges serantur & proueniant, aduruntur, nisi pluuia recreentur. Deus itaque præcepit populo suo, vt ab ipso tempestiuam pluuiam peterent: ipse enim gubernat hæc omnia. Pluuia significat doctrinam, nam sicut pluuia, herbas, gramina & omnia terræ nascentia, pascit & educat: ita doctrina cælestis homines recreat. Isa. 5. cap. Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem. Domum enim Israel vineæ comparat, mandatūque ait nubibus, ne super eam pluant, hoc est, ne Prophetæ amplius oracula in Israeliticum populum conspergant. Iudæos terram non irrigatam vocat, quia non excipiebāt pluuia veræ doctrinæ. Doctores ipsorum erant vel mutæ personæ, vel falsa docebant. Boni doctores, vt iam dixi, in erudiendis ipsis nihil proficere poterant, quia non dabatur illis locus docendi. Huc pertinent verba epist. ad Heb. 6. cap. Terra quæ produxerit spinas & tribulos reprobata est, &c. Ostendit igitur nihil superesse nisi exitium.

Ex his similitudinibus discimus quare Deus ignem afflictionis accendat, & quis sit eius effectus. Si scoria argenti puritatem violat, vel argētum in scoriam vertitur, & nemo est qui purget à recrementis, hoc est, si homines sint corrupti, & nemo eos corrigit, Deus excoquit eos in fornace afflictionis. Argentum igne non perditur, sed magis entescit, scoria separatur & abiicitur: ita electi cruce quidem probantur, sed virtutem animi non amittunt, sed veluti purgatum argentū redduntur: reprobi verò, qui ostendunt se nulla fide & patientia præditos esse, abiiciuntur à Deo. Psal. 119. omnes impios in terra vt scoriam abiicis. Et quamuis pij cum impiis in publicis malis sæpe corpus amittant, tamen anima ipsorum seruetur, & corpus quoque suo tempore ipsis redditur. Addendum est illud quoque, quod bonorum & malorum separatio in nouissimo die futura est, quo Deus argentum conseruabit, scorias autem in ignem æternum proiciet.

HOMILIA C.

*¶ Quia omnes ordines Ecclesie & politie corrupti erant, grauiam eis minatur.*

25 *Cōiuratio prophetarum eius, in medio eius: sicut leo rugiens, rapiens rapinam, animam comederunt, opes & gloriam acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio eius.*

26 *Sacerdotes eius surripuerunt Legem meam, & polluerūt sancta mea: inter sanctum & prophanum non posuerunt discrimen, inter immundum & mundum non iudicarunt: & à sabbathis meis absconderunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum.*

**P**ropheta gentem Iudæam comparauit scorix, & agro non purgato neque compluto: iam explicat hæc per singulos ordines & status, dicens tam proceres quam populum violare Legem Dei. Primo loco agit de prophetis, deinde de sacerdotibus, mox de principibus, postea iterum redit ad prophetas, tandem accusat populum, queriturque neminem repertum qui sepem reficeret, ideòque iustum esse, vt omnes afficiantur pœnis. Initium facit à prophetis. Præcipua enim excidij causa fuerunt. Etenim si illi fecissent officium suum, res nunquam eò recidissent, Vide tertiū caput, in Threnis Ieremiæ. Non autem loquitur de veris Prophetis,

Per partes peccata ostenduntur.

Prophetæ.

qui non tantum ex Leuitis, sed ex aliis quoque tribubus à Deo excitati fuerunt, vt populo res futuras prædicerent, eum docerent, exhortarentur & consolarentur. I. Cor. 14. hi officium fecerunt: sed loquitur de falsis prophetis quibus Iudæi auscultabant, & quos in pretio habebant, quod se affectibus ipsorum accomodarent. Illi Regem proceres & populum ita dementarunt, vt eos scelerum suorum non pœnituerit. Illi conspirarunt contra Ezechielem, sicut & contra Ieremiam, vt est videre capite 26. *Coniuratio prophetarum eius in medio eius.* Primum quod in pseudopropheta reprehendit, est quod coniurarint, nimirum ne quis secus doceat, quam ipsi, & ita vno ore mentiantur: vtque oppugnēt prophetas Dei. Quid ab aliquot seculis factum est à papistis? Collecti sunt in synodis multi episcopi, decreto scripserunt pugnantia cum verbo Dei, illa approbarunt omnes, anathematizaruntque illos qui ea impugnarent. In Academiis bacalaureos, magistros nostros, doctores Theologiæ, iuramento adstrinxerunt, non vt gloriam Dei propagarent, sed vt dignitatem pontificis Romani tuerentur. Hodie quando in illa opinionum discrepantia, inter monachos, sacerdotes, doctores Theologiæ, ab eis petitur summa doctrinæ in qua consentiant, iurant in aliquot capita, quæ aliis inuitis obtrudant. Etsi verò aliquot ex ipsis, de illorum veritate dubitent, mordicus tamen omnia retinent, ne si in vno errasse se confiteantur, de aliis quoque homines dubitare incipiant. Interim iactant consensum summum in doctrina. Evangelici tamen non in omnibus conueniant, tamen quo ad summam fidei eadem docent. Loquuntur enim ex Scripturis, quæ emanant ex Spiritu Dei, ideoque secum non dissident. Paulus longo tempore prædicarat priusquam suam doctrinam cum reliquis Apostolis contulisset, tandem ab aduersariis accusatus, quod longè aliter doceret, cum Apostolis conferens, omnes intellexerunt ipsum eadem docuisse. Non statim sequitur, Illi consentiunt in doctrina, ergo doctrina ipsorum est vera. *Quadringenti pseudoprophetae vno ore dicebant Achabum recuperaturum Ramoth-Gilead, nihilominus tamen falsa dixerunt.*

Coniuratio  
pseudopro.

*Sicut leo rugiens, rapiens prædam, animam comederunt.* Secundo loco reprehendit in eis, quod instar famelici leonis animas hominum vorarint. Nam pestilentibus doctrinis, quod ipsos attinet, æternæ damnationi obnoxios reddebant. In suis operibus docebant eos spem fiduciamque suam collocare, non in sola misericordia Dei. Qui pastores esse debebant, & lupos, vrsos atque leones abigere, illi ipsi leones erant rugientes: magnis clamoribus & aperta tyrannide, falsam doctrinam, quæ venenum est, suis ouiculis obtrudebant. Annon pseudoprophetae hodie quoque, quæ Scripturis non possunt, clamoribus obtinere moluntur? verbumque Dei, quod animarum cibus est, fidelibus eripiunt? Rectè de illis dici potest, quod Scribis & Phariseis Christus obiicit Matth. 23. quod non solum ipsi regnum cælorum non ingressi sint, sed ipsum ante alios clauserint. Quis aliud cogitauit superioribus annis, quam promerendam esse vitam æternam, vel pereundum? *Opes & gloriam acceperunt.* Munsterus reddit, *Theaurum & quod pretiosum est.* Tertio loco taxat eorum auaritiam & ambitionem. Micheæ tertio, de illis dicitur, quod si quis non dederit aliquid in os eorum, sanctificent super eum prælium. Non contenti honestissimis quæ habebant stipendiis, varia habebant pecuniæ aucupia. Quid superioribus aliquot seculis factum sit à monachis & sacrificulis, lippis & tonioribus notum est. Quemadmodum vsurarij quotidie nouas vias conquirendi pecunias excogitant: ita illi quoque subinde noua artificiola inuenierunt: vendiderunt sacramenta, remissionem peccatorum, ex fumo, campanarum tinnitibus quæstum fecerunt, quin à statuis tributum exegerunt. His viis tot agros, siluas, prata, lacus, prædia suis monasteriis adiunxerunt. De hac insatiabili eorum auaritia, consule Prouerbia Erasmi, A mortuis tributum exigere.

Animas vorarunt.

Auari & ambiriosi.

De am-



De ambitione pontificū multa dici possent: quomodo sibi arripuerint primatum, & principes suis pedibus subiecerint. Possemus exempla referre, quomodo ab episcopis sanguis in ipsis templis fusus sit, propter loci dignitatem. In consiliis etiam sæpe contenderunt, quem quisque locum occupare debeat. Hodie quoque auaritia & ambitio quorundam ministrorum Euangelij magnæ sunt pestes Ecclesiæ. *Viduas eius multiplicarunt in medio eius.* Quartò notat in eis crudelitatem. Non solum veros Prophetas, sed aliquos quoque qui eis aduersabantur, curabant interfici: hinc auctus fuit viduarum numerus. Viduæ curæ illis esse debebant, illi verò faciebant viduas. Quanta à seculis aliquot fuerit truculentia Antichristi, omnes historiæ testantur. Synodos multas celebravit, quarum decreta, si qui non probarunt, illis statim bellum intulit: unde vulgus dicit, Omne concilium parit bellum. Crucem prædicarunt, ut vocant, contra illos, qui ab eis dissenferunt. Atrox bellum gestum fuit contra Bohemos, quòd placitis concilij Constantiensis nollent assentiri. Quid nostra memoria, in Germania & Gallia factum sit, & in aliis nationibus, neminem latet. Nullum ferè bellum aliquot seculis gestum est, cuius præcipui authores non fuerint pontifices Romani. Deinde si qui vel suspecti sunt, quòd non probent doctrinam pontificis, statim ab inquisitoribus, ut vocant, hæreticæ prauitatis, examinantur, & adiudicantur variis suppliciiis. *Sacerdotes enim surripuerunt legem meam.* Descendit iam ad sacerdotes qui oriundi fuerunt ex tribu Leui, ex posteris Aaronis, officium eorum varium & multiplex fuit, de quo in Moyse, præcipuè verò populum docere debuerunt legem diuinam. In illis reprehendit, primùm quod legem suam violarint. Torquebant enim legem Dei, secundum affectus suos. Christus quoque Scribis & Pharisæis obiicit, quòd legem Dei suis traditionibus eneruarint. Superioribus seculis, clerici Scripturas sacras ex templis magna ex parte eiecerunt, easque ad morum suorum defensionem torserunt, & in locum illarum legendas sanctorum prodigiosis mendaciis refertas substituerunt, traditiones patrum cumularunt, quarum multæ ex diametro cum Scripturis sacris pugnant. De hoc nihil dicam, quòd sacri libri passim à Papistis discerpuntur & exuruntur. Deinde reprehendit in eis, quòd sancta sua violarint. Non enim tractarunt quemadmodum ipse instituerat. Nam in templo prostabant idola, sacrificia non legitime offerebantur, de quo supra. An nõ hodie loca sacra, & Deo dicata plena sunt altaribus & simulachris? an non sacramenta ab adulteris, ebriosis & aleatoribus administrantur? an non sacra opes in res pessimas expenduntur? an non monasteria quæ sacra dicunt, fœdis libidinibus conspurcantur? vbi sunt vestri canones? Tertiò taxat in eis, quòd inter sacrum & prophanum, inter mundum & immundum, non discreuerint. Hoc ad mores & ceremonias referendum puto. Flagitia virtutum, virtutes vitiorum nomine appellabantur. Immundis cibis vescebantur non minus quàm mundis, contra leges illas, quæ vsque ad Christi aduentum durare debuerunt. Hodie quoque flagitia virtutum nominibus ornant sacerdotes, fortes vocant & pios qui multos Christianos iugulant: liberales, qui per fas & nefas collectas opes eis offerunt. Honestos maritos exurunt, impuris scortatoribus sua sacra cõmittunt. Theodoretus prophanum hoc loco dicit vocari id quod commune est & à rebus diuinis distinctum: neque de cibis tantum & sacrificiis Prophetam loqui, sed etiam de indumentis, & aliis quæ tum voluntate, tum præter voluntatem accidunt, fluxu feminis & menstruo laborante, & contactu lepræ, cadaveris, morticini, à fera capti, & de aliis omnibus quæcunq; lex prohibet. Quartò notat in eis, quòd à sabbathis suis oculos suos absconderint. Videbāt multos violare sabbatha: videbāt Israelitas onera portare in die sabbathi, id quòd Ie. 17. c. in eis reprehendit: & tacebāt, auertebāt oculos suos, ne videretur videre & intelligere. Quam multa Antichristus principū & aliorū scelera dissimulat: quin aperte defendit? Peccat in hac re,

etiam Euangelici illi doctores, qui ne cogantur reprehendere in aliis scelera, lip-  
pis & tonforibus nota, ne sibi pariant odium, simulant se nescire, non videre, in-  
terim in rebus ad suum commodum pertinētibus, etiam sunt plus quàm oculati.  
*Et coinquinabar in medio eorum.* Prophanatus sum inter eos: hoc accidit cum Deus  
contemnitur. Non solum sacerdotes nomen ipsius polluerunt: sed etiam alij qui  
viderunt sacerdotes tam esse corruptos. Idem legitur de Heli filiis, quod propter  
ipforum vitam sceleratam, verbum Domini malè audierit.

## HOMILIA CI.

*Accusat principes quòd suum officium non faciunt,  
redit ad Prophetas, de populo omnibusque aliis  
queritur, quòd nemo inter eos repertus sit  
qui sepem reficiat, ideòque  
vastandos esse.*

27 Principes eius in medio eius, tanquam lupi rapientes rapinam, effundendo  
sanguinem, ad perdendum animas, ut auarè sectentur auaritiam.

28 Prophetæ autem eius complanabant eos luto infirmo, videntes vanum & diui-  
nantes eis mendacium, dicentes, Sic dixit Dominus Iehouah: & Iehouah non erat lo-  
quutus.

29 Populus terræ opprimebant opprensione, & rapiebant rapinam, & egenum pau-  
perem opprimebant, aduenam item opprimebant absque iudicio.

30 Et quæsiui ex eis virum, qui sepiret sepem, & stantem in fractura coram me pro  
terra, ne dissi parem eum: & non inueni.

31 Propterea effudi super eos iram meam, igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum  
in caput eorum dedi, dixit Dominus Iehouah.



Propheta causas excidij gentis Iudææ ostensurus, non solum in ge-  
nere scelera, quæ publicè grassabantur, eis obiicit: sed propius acce-  
dens, apertè ostendit singulos ordines corruptos esse. Nam ut est a-  
pud Isocratem in oratione ad Philippum Macedoniæ regem, quod  
omnibus dicitur, nemini dicitur. Audiuimus de prophetis & sacerdotibus, iam de  
principibus, & iterum de prophetis & populo agit, quemadmodum audiemus.

Forma Rei.  
apud Hebr.

*Principes eius in medio eius tanquam lupi rapientes rapinam.* Deus formam Reipub.  
Hebræis præscripserat. Moses populum ex Ægypto eductum solus rexit. Postea  
consulente Iethrone, alios quoque constituit ex omnibus tribubus, qui eum hoc  
onere leuarent. Sub Samuele politia vel aristocratia in regnum mutata est. Reges  
tamen suos quoque senatores & iudices habuerunt. Præscripsit illis omnibus  
Deus, suum officium. Loci Scripturæ noti sunt. Regem iubet legem suam diur-  
na & nocturna manu versare. Iudices vult esse fortes, timentes Deum, fide-  
les, odio habentes auaritiam, Exodi 18. Deuteron. primo cap. Quales verò erant  
principes Ezechielis temporibus? sicut lupi rapientes prædam. Sophoniæ tertio  
cap. Principes in medio eius leones rugientes, iudices vt lupi vespertini, non  
reliqua faciunt ossa vsque manè, hoc est, crudeles, famelici, rapaces, *swēspa-*  
*201* sunt.

Si tales sub optimo principe Iosia fuerunt, quales credemus postea fuisse sub Zedechia pessimo rege? Micheas 3. capite, idem in sui temporis principibus reprehendit. Constituti erant à Deo, vt pastores essent qui abigerent & coercerent lupos, hoc est, falsos doctores, sceneratores & alias pestes populi: at illi lupis ferociores & voraciores erant, Isā. i. capite, socios vocat furum. *Effundendo sanguinem.* Suo sanguine, oues suas defendere debebant: sed fundebant sanguinem absque causa: mouebant bella non necessaria: fœdus quod habebant cum rege Babylonio, perfidè ruperant. Si cui displicebat ipsorum crudelitas & perfidia, statim dicebatur reus esse læsæ maiestatis. *Ad perdendum animas.* Vel partem accipit pro toto homine, vel simpliciter ostendit, eos conspirasse cum Prophetis, vnde factum sit, vt quos oppugnare debuerunt, & in ordinem redigere, illorum auctoritatem confirmarint. Principes non solum curare debent vt corpora curentur, sed etiam animæ. Quomodo verò animæ, quæ immortales sunt, dicantur interfici, aliàs dictum est. *Vt auarè seſtentur auaritiã.* Omnia studia sua in hoc conferebant, vt lucrum venarentur: neque contenti opibus mediocribus immensas appetebant vt helluarentur, &c. Nulla autem maior est pestis magistratuum, quàm auaritia: quæ à D. Paulo non temere radix appellatur omnium malorum. Auari enim vendunt sententias, munera publica, subditos, ex facinorosis quoque quæstum faciunt, &c. Principibus & magistratibus suis subditi pendere debent ordinarias Exactiones: exactiones & extraordinarias postulante necessitate. Christus enim ipse dicit: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Ad Rom. 13. cap. Reddite omnibus quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Regna & respublicæ non possunt conseruari absque pecunia. Fraudem in his admittere, aut propter hæc tumultuari, magnum est peccatum. Admonēdi sunt principes, ne modum excedant in exactionibus, ne quotidie nouas vias emungendi pecunias excogitent: ne subditos in hoc conditos putent, vt eos deglubant: admonendi sunt vt minuunt luxum: vtq; suis Ministris frænum imponāt, qui sæpe magnam crudelitatem in scis suis principibus exercent contra subditos, alioqui exuguntur miseri: tandem si omnia exhauriant, hostibus viam patefaciunt multisque malis dant occasionem. Grati nos simus Deo, à quibus magistratus præter ordinaria debita, ne obolum exigit. Ad hæc in electionibus magistratuum quæ penes plebem est, deligatur optimi quique, de quibus spes esse possit quod non in lupos & leones degeneraturi sint. Iam redit ad pseudopphetas, maxima enim erant causa omnium malorum. Prophetæ corrigere debebant hæc & alia principum vitia: sed nolebant offensam eorum incurrere: neque solum parcebant flagitiosis, sed extenuabant & defendebant eorum flagitia, mutuuum ab illis sperantes auxilium. Dicit enim Prophetæ. *Complanabant eos luto infirmo.* Munsterus reddit, *Limierunt eis cæmentum insulsam.* Tigurina Latina versio, *Oblinunt eis crustam insulsam.* Germanica, *si bstachent inen mit vngrurtem kalch.* Idem dicit supra 13. cap. Forsterus *בבל thapel* incoditum vel caducum interpretatur materiam quæ ad compingendum inutilis est: quæue citò decedit. Arena non hæret, nisi calcem admisceas. Quemadmodum illi qui ruinofum parietem dealbant, vel incrustant, vt bonus videatur: ita pseudopphetæ, ad interitum ruentibus, crustam inutilem illinebant. Principibus & aliis adulabantur, scelera eorum fucabant, cupiditatibusque eorum morè gerebant. Architecti boni esse debebant: sed mali erant. Vel est sensus, volebant videri, quod taxarent vitia, sed interim non rectè id faciebant. Nisi enim calx rectè patetur, non hæret. *vven man die arbeit nit last daruber gon, das mǎ das kalch vacht schv velle, vnd das pflasterrure, so hatt es nitt vven man ein mur bsticht.* Explicat seipsum. *Videntes vanum, & diuinantes eis mendacium.* Iactabant suas visiones, de futuris rebus vaticinari conabantur, sed vana erant omnia. *Sic dixit Dominus Iehouah, & Iehouah non erat lo-*

*quintus.* Promittebant eis victoriam, pacem, remissionem peccatorum, non ex Deo. Iere. 23. dicit Dominus, Currebant & non mittebam eos. Imitabantur veros Prophetas, dicendo, Hæc dicit Dominus, &c. Hodie quoque multi sub prætextu Evangelij, quod non didicerunt, quodque oderunt, homines simplices decipiunt. Ne itaque statim credamus illis, qui iactant visiones, quique præ se ferunt amorem verbi Dei. Christus dicit Matth. 7. Nonne multi dicent in die illo: Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes præstitimus? Ac tum confitebor illis: nunquam noui vos, &c.

Qualis prius  
ceps talis  
populus.

*Populus terræ opprimebant oppreffione, & rapiebant rapinam, &c.* Iam descendit ad taxanda populi vitia: dicere enim potuissent, Oportetne nos propter proceres nostros perire? iisdem, dicit, flagitiis obnoxios esse quibus illi. Plerumque enim fit, ut quales sint proceres Ecclesiastici & politici, tales sint subditi eorum. Si proceres sint boni, ipsi quoque boni sunt, sin mali, ipsi quoque mali sunt. Solo. Prouerb. 29. Principis auscultantis verbo mendacij, omnes ministri sunt impij. Debeant quidem homines, etsi principes flagitiosi essent, nihilominus tamen Deum imitari: sed tam procliues sumus ad scelera, ut vndecunque malè agendi occasiones arripiamus. Idem factum est in populo Iudæorum, qui in suos quoque gradus distinctus fuit: alij erant nobiles, alij mercatores, alij opifices: itè alij diuites, alij pauperes. Potentiores ex illis oppresserunt infirmiores. Quidam vertunt, *Calumniati sunt.* Calumnia regnavit inter ipsos. Rapinis fuerunt dediti: egenos & pauperes & peregrinos, qui se non poterant defendere, iniuste oppresserunt, licet Deus multis legibus eos munierit. Eadem hodie fiunt. Charitas refrixit: omnia iniuriis, calumniis, rapinis, plena sunt. Omnes quæ sua sunt quærunt, de aliis nihil solliciti. *Quæsi ex eis virum qui sepiret sepem, &c.* Munsterus vertit, *Qui instauraret materiam.* Hanc allegoriam supra quoque 13. ca. habuimus. Populus Dei passim in Scripturis confertur vineæ. Vineas verò sepibus, maceris vel muris muniunt, ut homines & pecora arceant. Si sepes lacerantur, aut pars murorum corrui statim reficiuntur, in rupturas statur, ne animalia ingrediantur & vineam vastent. Sublatis sepibus, vineæ vel horti, mox vastantur. Sepes illa fuit fœdus quod Deus certis legibus cum Iudæis pepigit. Cuius summa est, quod velit protector ipsorum esse, & uicissim postulat ab ipsis, ut ipsum ritè colant. Sepes illa dilacerabatur, cum Iudæi contra legem idola sectarentur & sceleratè viuerent. Deus voluit ut sepem reficerent, hoc est, fœdus renouarent, utque starent in ruptura coram se pro terra, id est, precarentur pro ipsis, ne terram vastaret, sed nemo repertus est qui hoc faceret, & qui obfisteret sceleratis, eosque ad pœnitentiam reuocaret. Cum delenda esset Sodoma, & vicinæ vrbes, Abrahamus pro eis intercessit apud Deum, Gen. 18. c. Cum omnia corruptissima essent Heli tempore, Samuel sepem refecit, sic Dauid, sic Iosias & alij: sed hoc tempore nemo erat. Factum itaque est, ut vinea cultissima vastata fuerit à bestiis: vites excisæ ab hominibus. Alia similitudine res potest declarari: nempe neminem fuisse qui ignem extingueret.

An nemo  
bonus fuerit  
Hierosolymis.

An verò, inquis, Ne vnus superfuit, qui sepem reficeret, sicque velut murum opponeret, ne vinea vastaretur? Erant quidam, ut Ieremias, Baruch & alij: sed Ieremias à Iudæis in carcerem coniectus fuit: & Dominus prohibet ei, ne preces fundat pro populo rebeli. Reliqui quoque, vel in nullo erant precio, vel seruantes se melioribus temporibus, nolebant impiis contradicere: desperabant enim de illis in rectam viam reuocandis. Similis locus extat Iere. 5. cap. Circuite per vicos Hierusalem, & videte quæso & cõsiderate & quærite per plateas eius, si inuenire possitis virum, & an sit qui faciat iudicium, &c. Si consideremus nostra tempora, nõ possumus negare, quin diruatur murus agri Dominici: multiplicantur schismata, vsuræ, adulteria, perfidia, dormiunt bonæ leges, quæ Rerum publicarum quasi murus sunt

rus sunt & propugnaculum: pauci sunt ex principibus, Ministris Ecclesiæ, aliisque ordinibus qui instaurent Ecclesiam & politiam: si qui manum operi admoueāt, ut obstant malis, habentur pro seditiosis & hostibus Reipub. & Ecclesiæ: nihil itaque aliud expectare possumus, quàm vineam tandem vastandam. Audiamus ipsum Prophetam, quid Iudæis tandem acciderit, cum sepem vel materiam non instaurassent.

*Propterea effudi super eos iram meam, & igne iræ meæ consumpsi eos.* Alibi quoque aquæ & ignis metaphora, grauitatem iræ Dei expressit. *Viam eorum in caput eorum dedi.* Per viam intelligit opera & studia eorum. Sensus est, Iuxta opera eorum retribuam eis: non afficiam eos iniuria. Hieronymus alteram quoque afferens interpretationem, per caput intelligit magnates, qui Deo principes pœnas dederint. In lib. Sap. dicitur, Potentes potenter à Deo puniri. Vtitur autem vt alibi Præteritis pro Futuris, ad certitudinem vindictæ futuræ declarandum. Colligimus ex his quòd etsi magna & multa scelera in populo aliquo diu grassata sint, nihilominus tamen omnium ordinum homines reprehendendos esse: neq; simpliciter tantum iudicandum quid facere debeant, quid omittere, vt hodie quidam vociferantur. Deinde diuinam misericordiam cum iudicio coniunctam esse, ideòque longanimitatem Dei non contemnendam.



# Concio decimasexta

## EZECHIELIS.

HOMILIA CII.

*Sub parabola duarum mulierum, utriusque regni, Iudæ scilicet & Israelis adulterium, describit, hoc est, quomodo cum Deo desponsati essent, ab eo recedentes cum Gentilibus fœdera inierint, eorumque idololatriam, & pessimos mores imitati sint, atque tandem scelerum suorum pœnas dederint.*

CAPVT XXIII.

1  
2  
3



*T* fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
Fili hominis, duæ mulieres filia matris vnius fuerunt.  
Fornicatae autem sunt in Misraim, in adolescentia sua fornicatae sunt: ibi compressa sunt vbera earum, & ibi confuderunt mammæ virginitatis ipsarum.

4 Porro nomina earum, Aholah maior, & Aholibah soror eius: fuerunt autem meæ & peperunt filios & filias: nomina inquam earum Samron, Aholah: & Ierusalaim, Aholibah.

5 Fornicata est Aholah sub me, & adauit amatores suos, nempe Assur propin quos.

6 Induti hyacinto, duces & principes, iuuenes desiderabiles vniuersi erant equites equitantes equos.

7 Dedit itaque fornicationes suas cum eis (cum electis filiorum Assur vniuersis) & in omnes quos adauit, in cunctis idolis eorum polluit se.

8 Sed & fornicationes suas, quas dicit ad Misraim, non dereliquit: nam cum ea dormierunt in adolescentia eius, & ipsi compresserunt vbera virginitatis eius, & effuderunt fornicationem suam super eam.

9 Propterea tradidi eam in manum amatorum suorum, in manum filiorum Assur quos adauit.

10 Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios eius, & filias eius tulerunt, & ipsam gladio occiderunt, & fuit nomen mulieribus, & iudicia fecerunt in ea.

Scopus cap.

Allegoria  
vritur.



Vsus.

Partes.

I. Pars.

ONCIO XVI. hoc capite continetur in qua Propheta ostendit regnum Iuda periturum, sicut regnum Israelis perierat: isdem enim vitis laborare, quibus Israelitæ obnoxij fuerint, quin illos longè vincere. Vtitur allegoria duarum sororum, quæ non contentæ suo marito, fidem coniugalem violarint. Deus enim hunc populum sibi quasi desponsarat: promiserat se fore Deum, hoc est, patronum eius, vicissim postulans, vt fiducia in ipsum posita, sibi ab alienis diis cauerent. Illi verò spem suam in idolis & fœderibus externis ponebant, hoc est, scortationem spiritualem exercebant. Tunc enim exercetur spiritualis scortatio, cum animæ à Creatore ad creaturas deficiunt. Omnino videtur alludere ad coniugium Israelis à quo orti & cognominati fuit populus Israelis. Sermo est eruditus & elegans, simul tamen spurcus & obscenus. Ideò autem Propheta sancto Spiritu præditus, verbis obscenis rem tractat, vt scelerum in quibus Iudæi impudenter pergebant, atrocitatem melius exprimat, & ante oculos eorum ponat. Similem ferè orationem supra 16. capite, habuimus. Discemus ex hoc capite quantopere Deus idololatriam & fœdera cum impiis, item adulteria detestetur. Et si enim hoc loco non præcipuè agat de adulterio carnali, interim tamè aliud agens, eius fœditatem publicè ostendit. Hac autem methodo vritur in hoc capite. Primum coniunctè de duabus vxoribus, hoc est, de regno decem, & de regno duarum tribuum loquitur: deinde separatim de vtriusque regni malitia & pœnis, ostendens scortationem regni Iuda, collatione Samariæ, longè impudentiorem esse: tertio iterum de vtriusque regni peccatis & pœnis, coniunctim differit.

Accedamus ad primam partem. *Duæ vxores filia matris vnius fuerunt.* Mox dicit, maiorem vocatam esse Aholah, sororem verò eius Aholiba, & interpretatur per maiorem sororem intelligendam esse Samariam, per minorem Ierusalem. Hoc est regnum Israelis & regnum Iuda, quorum ibi fuerunt metropoles. Aholah verò significat Tabernaculum eius, non meum, quasi diceret, ad me non atinet. Hieroboam enim aureos vitulos collocavit in Dan & Bethel, vt populum auerteret à cultu Dei. Aholiba Tabernaculum meum in ea. Dei enim Tabernaculum erat in Hierusalem. Hæ duæ sorores natæ sunt ex vna matre, nempe stirpe

pe stirpe vel gente Israelitica, quæ in Ægypto & aliquãdiu in terra promissa vna, postea in duos populos vel in duo regna diuisa fuit. Utque paulò altius rem repetamus. Populus Dei dictus est populus Hebræus, Israelius, Iudæus. Hebræos volunt dici à Heber abnepote Noe, qui ex illis Patriarchis, qui vixerunt illa ætate, quæ fuit post diluuium, vltimus ex hac vita decessit: & quia vixisse traditur 464. annis, non solum Abrahæ & Isaci, sed & Iacobi tempora attigit. Proinde multis annis posteritati Sem veram doctrinam tradidit, vt nõ immeritò ab ipso Hebræi dicti videantur. Alij formant hoc nomen à præpositione *רַי ever* trans, eò quòd Abraham trans fluuium Euphratem venerit in terram Chananæorum, &c. Israelitæ dicuntur à Iacobo, qui alio nomine Israel appellatus est, hoc est, præualens contra Deum, eò quòd in lucta Angelo præualuisset, quæ mutatio nominis ad hoc faciebat, vt memor rei gestæ confidentior esset in posterum, metumque illum quo fratrem Esau timebat, excuteret, Gen. 41. Iudæi cognominati sunt à Iuda filio Iacobi, familiæque Iudaicæ Patriarcha & progenitore: ex quo multi reges, & ipse Christus, verus Rex fidelium secundum humanam naturam, ex Maria virgine natus est. Hic populus initio quidem iudicibus, postea regibus subiectus fuit. Sub quarto rege Roboamo, regnum scissum est in duo: primum appellatur regnum Iuda vel Ierusalem: alterum regnum Israel, vel Samariæ, à metropoli, de qua re aliàs: post illam diuisionem, per Iudæos, illi qui ad regnum Dauidis: per Israelitas, illi qui ad regnum decem tribuum pertinebant, intelliguntur. Quamquam Prophetæ hæc duo nomina sæpe confundunt. Vtunque autem regnum ab vna stirpe descendit. *Fornicatae sunt in Misraim, &c.* Exprobrat eis, quòd in Ægypto idololatriam didicerint & exercuerint. Et si enim non de omnibus hæc verba accipienda sint, tamen multi, nimirum vt à dominis suis humanius tractarentur, vel propter diurnam consuetudinem Ægyptiorum, prauas religiones suscipiebant, ideòque offensus Deus, seruitutis iugo diutius eos pressit, donec tandem cum pœnitentiam agerent, seruitute eos eximeret. *Pressa sunt verba, &c.* hoc est, vitiatæ sunt, ibi seruierunt idolis. Violatam virginitatem, mammaram laxitas consequitur, obscenè loquitur, vt horrorem turpis idololatriæ mentibus eorum incutiat. Videmus ex hoc loco nostram naturam tam vitiosam esse, vt illa quæ nos ad rectè viuendum excitare debebãt, sæpe à recta via non potius abstrahant. Seruitutis iugum, quo Israelitæ premebantur, excitare eos debuit, vt dissimiles essent Ægyptiis, & Deum sincerissimè colerent, qui libertatem eis promiserat: ipsi verò ad prophanos Ægyptiorum ritus, depulsa quoque seruitute, animos transtulerunt. Bello, peste, fame, grassantibus, agenda nobis erat pœnitentia, at multi hinc scelerum occasionem arripiunt. *Fuerunt mea & pepererunt filios & filias.* Fuerunt meæ vxores, hoc est, astrinxi eos mihi fœdere, me agnouerunt suum Deum, meque ritè coluerunt: & valde aucti sunt, rectè & fœliciter processerunt res ipsorum, ad tẽpus filios pietate imbuerunt. Quæ omnia ex historia notissima sunt. Grauiissimè peccant illæ, quæ cum meretrices fuerunt, & postea ab honestis viris in vxores ductæ, redeunt ad illicitos amores: ita illos etsi idololatræ essent, Deus sibi desponderat.

Hebræi.

Israelitæ.

Iudæi.

Iam seorsim de vtraque sorore, hoc est, de vtroque regno, & primò quidem de Ahola maiore, hoc est, de regno Samariæ loquitur, vel illud accusat, quia prius in vitulorum impietatem collapsum est, in duas partes diuiso regno. Maiorem vocat, propter diuitias & potentiam. *Fornicata est Ahola sub me.* Cum me haberet sponsum, cumque nomine meo adhuc gloriaretur. Multæ quanuis libidinosæ, si maritos habeant, illis contentæ sunt. Ieroboamus mox ab initio regni, vt res suas stabiliret, nouos Dei cultus excogitauit, vitulos, & delubra in celebribus locis erexit, idque in nomine Dei, dixit enim: Hi sunt Dij qui eduxerunt te de terra Ægypti: idololatriam auxerunt sequentes reges, in primis verò Achabus cum

II. Pars.

Iezabel. Manahem decimus sextus Israelitarum rex, non solum impius fuit, sed & Phul Belochum Assyriorum regē maximis muneribus primus pessimo exemplo contra præceptum Dei (qui iam pridē mandarāt, ne cum inipijs fœdera iungerent, sed se fœderato contenti essent) in regnum Israelis attraxit. *Adamavit amatores suos. Assur propinquos. Munsterus: Deslagrauit in eos*, hoc est, deperit eos, vt mulierculæ aliquando infano amore abreptæ, officij sui metas transgrediuntur, ita regnum decem tribuum. *Propinquos vel vicinos. קרוב* karaf significat appropinquare, accedere, adiungere se. Vt impatientes libidinis, aliquando dum sanguine coniunctis, vicinis, & obuiis quibusque rem habent: ita illa gens impudenter idololatriam passim exercuit: opemq; à vicinis expectauit. *Indutos hyacintho equites, &c.* Meretrices quæ frontem perfricuerunt, videntes aliquem firmis lateribus, bene uestitum, equos habentis flectentem, aut pulchrè incedentem, se ei vellent prostituere: ita illi varia idola accersebant sibi, inque equitatu & peditatu suorum fœderatorum spem suam collacabant. *Posuit fornicationes suas cum eis*, hoc est, in diis & viribus ipsorum, spem suæ salutis posuit: exponens enim seipsum dicit: *In cum his idolis eorum se polluit.* Ferè autem fit, vt eorum cum quibus homines fœdera pangunt, vitia & falsos cultus paulatim imitentur: de quo postea. *Fornicationes suas quas didicit ab Misraim non dereliquit.* Et si Assyrios haberet amatores, tamen non fastidiuit Ægyptios, qui eam deuirginarent: primi enim amatores plerunque sunt acerrimi Phrafi illa, *Effuderunt fornicationem suam super illam*, vehementiam amoris exprimit, & effrenatam libidinem. Meretrices etiam vxores factæ, aliquando ad veteres amores redeunt: Licet Israelitæ Assyriorum idola colerent, & cum ipsis fœdera sancirent, non tamen abiiciebant idola Ægyptiorum: vt aliquando nouus error veterem excludit. Primis enim annis Ægyptiacam idololatriam imbiberant: quod verò teneris mentibus instillatur, per omnem vitam hæret, iuxta illud Horatianum?

Quo semel est imbuta recens seruaabit odorem

Testa diu.

1601011. 211

Experimur hodie quoque, quàm ægrè ex animis euellatur errores, qui puerorum mentibus infixi sunt. Ideo cauendum à malorum consuetudine, ne sermonibus aut vitæ ipsorum exemplo corrupamur. Psaltes dicit, Cómixti sunt inter gentes, & didicerunt opera ipsarum. Videmus etiam, quàm grauius peccent, qui pueros prauis opinionibus, odiis, & aliis id genus imbuunt.

Sequitur iam de præniis quas pependerunt. *Propterea tradidi eam in manum amatorum suorum.* Quia Samaria Assyriorum præsidij nititur, eorumq; deos, me exulso, sectatur, amatores eius in hostes atrocissimos conuertat. Scorta ab illis, quos immodicè deperierant sapenunero, si vel alios ament, vel pro phyltris venenum amaris potrigant, aut alii qui eos lædant, malè tractantur: ita illi, inquit, te tractabunt. Achaz rex Iuda afflictus à rege Israelitarum Pæka & Syris, euocauit ad belli societatem Phulazarem regem Assyriorum ingentibus præmiis: adest ergo Assyrius & capta Damasco, cæloque rege Syriæ, mox belli molem conuertit contra regem Israelis, occupata Galilæa, incolas captiuos in Assyriam transfert. Pækæ succedit Oseas vltimus rex x. tribuum, huic successor Phulazaris bellum inferre, eumque tributarium efficit. Oseas impatiens seruitutis, cum rege Ægyptio perfidè contra Assyrium conspirat: redit itaque Assyrius, regnumque Israelis populaturæ ac vastat. Metropolim Samariam diu fatigatam, tandem expugnat & Regem populumque rebellem in Mediam abducit, ex qua postea paucissimi redierunt. Plus autem dolet nobis, si ab illis affligimur, de quibus olim bene meriti fuimus, quàm ab aliis. *Discooperuerunt ignominiam eius.* Mulieres quatumuis impudicæ nolunt aliis videntibus leuari vestes suas.

Ostendit



Ostendit Deus se urbem expugnaturum, & omnia ipsorum probra in publicum protracturum. *Filios & filias eius tulerunt.* Vniuersum enim populum Israelis, qui ex diuturni & acerrimi belli incendio superstes manserat, in miseram captiuitatem fuisse abstractum in Medorum vsque vrbes & montes, iam diximus. Quanta verò miseria sit exilii, præsertim si liberi è sinu nostro abstrahuntur, aliàs ostendimus. *Ipsam gladio occiderunt.* Samaria regni metropolis tribus annis obfessa tandem expugnata est & inflammata. *Fuit nomen mulieribus.* Vulgata versio habet, *Facta sunt famosa.* Omnium sermone celebratae sunt: fabula fuerunt aliis nationibus & urbibus. Septuag. ἐγένετο λάλημα εἰς γυναίκας. Honestæ matronæ conuicia iecerunt in fœdam illam meretricem. Impudicæ quoque, si audiant nobile aliquod scortum pœnas dare, à conuitiis non abstinent. *Iudicia fecerunt in ea.* Assyrii in Samaria exempla vltionis memorabilia ediderunt. Proculdubio enim authores defectionis à militibus comprehensi, vt sit, pœnas insignes victoribus dederunt, ne alii idem facere tentarent. Durauit hoc regnum annis 263, tot enim aut circiter, currunt à diuisione Israelitici populi vsque ad Samariæ desolationem. Vnde colligimus etsi idololatria diu duret, tamen Deo nihilominus displicere. Discamus ex his pœnis, Deum qui se nobis quoque obstrinxit, reuereri; cultus ab eo nobis præscriptos retinere, nō in res caducas spem nostram collocare: ne similibus pœnis perfidos vlciscatur.

## HOMILIA CIII.

*Ostendit Aholibam, hoc est, regnum Iuda, malitia superasse regnum decem tribuum.*

11 Et vidit soror eius Aholibah, & corrupit amorem suum præ illa, & fornicationes suas præ fornicationibus sororis suæ.

12 Filios Assur adamauit, duces & principes propinquos indutos omni genere pretiosarum vestium, equites equitantes super equos, adolescentes desiderabiles vniuersos ipsos.

13 Et vidi quòd polluta esset, via vna ambabus.

14 Addidit verò super fornicationes suas: nam vt vidit viros depictos in pariete, imagines Chasdim depictas sinopide:

15 Accinctos balteo lumbos suos, & tiaras tinctas in capitibus suis habentes (aspectus ducum vniuersis ipsis, & similitudo filiorum Babel, Chasdim terra natiuitatis eorum.)

16 Adamauit eos ad aspectum oculorum suorum, misitque nuntios ad eos in terram Chasdim.

17 Et ingressi sunt ad eam filii Babel, ad cubile amorum, & polluerunt eam fornicatione sua: polluit quoque se cum eis, & recessit anima eius ab eis.

18 Et denudauit fornicationes suas, discooperuitque ignominiam suam: propterea recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea à sorore eius.

19 Multiplicauit item fornicationes suas, ita vt in memoriam reduxerit dies adolescentiæ eius quibus fornicata fuerat in terra Misraim.

20 Et adamauit seruos eorum quorum caro vt caro asinorum est: & vt fluxus eorum, fluxus eorum.

21 Et recordata es sceditatis adolescentiæ tuæ, quando compresserunt in Misraim vbera tua, propter compressionem vberum adolescentiæ tuæ.

De Hierusalem seu regno Iuda.



Am seorsim de Aholiba, hoc est, de regno Iuda differens, ostendit hoc regnum superasse malitia regnum Samariæ, ideòque graues Deo pœnas persolaturum. Et vidit soror eius Aholiba, & corrupit amorem suum pra illa. Aholiba sororem suam, quantumuis in sano amore correptâ turpitudine longè superauit: vidit enim miserabilem sororis interitum, non tamen eo commota pœnitentiã egit. Post euersum regnũ Samariæ, regnarunt octo Reges in Iuda, annis 133. vsque ad excidium vrbis Hierosolymorum. Videre ergo potuerunt ardentem & fumantem Samariam, aliàsque vrbes. Causæ non fuerunt obscuræ: Prophetæ enim alta voce clamabant Deum eis irasci, quòd spem ponerent in creaturis, hoc est, in diis & fœderibus quæ cum exteris gentibus sanxerant. Samariæ item exemplo territi fœdus cum Deo renouare debebant: sed pergebant in suis sceleribus. Leuius est illorum peccatum, qui ex incogitantia peccant, neque sciunt quæ pœnæ sequutæ sint illos, qui hæc vel illa fecerunt, quàm illorum, qui scientes quomodo Deus hæc vel illa flagitia omnibus seculis vltus sit, nihilominus tamen in illis pergunt. Si nunc recentia exēpla, si domestica in oculos eorum incurunt, & nihilominus absterri non possint, crescit peccatum. Ebrii, auari, adulteri, multis exemplis edocti sciunt quibus pœnis his sceleribus dediti à Deo afficiantur, in seipsis aliquãdo hoc experti didicerunt: quid igitur sperabis de eorum salute, si in viam reuocari non possint? Asinus si impingat ad lapidem, sibi cauet: nos tot malis edocti, publicè & priuatim, non sapimus. Quid fecerit Aholiba pluribus verbis exponitur. Primùm expetiuit fœdus cū Assyriis, deinde cum Chaldæis, tertio cum Ægyptiis: de singulis ordine dicemus. *Filios Assur deperit, duces & principes propinquos, &c.* Primo loco dicit Aholibam exemplo pœnarum sororis, non solum non resipuisse: sed violato fœdere quod cum Deo inierat, cumulasse peccata peccatis. Tam impudēs fuit, vt cum sororis suæ amasiis ipsa quoque rem habuerit: quod non raro fit à scortis. Vt prostibulum amore capitur peregrinorum, qui robusti & egregiè vestiti sunt: ita illi expetiuerunt amicitiam cum Assyriis, qui eos necessitate postulante contra suos hostes defenderent. Equorum facit mentionē, quia confidebant in equitatu, quo illi plurimum valebant, quẽadmodum hodie Germani: stipendia numerabant ductoribus belli, signiferis, legatis, &c. *Depictas sinopide.* ~~vt~~ *schaschar* alii rubricam, alii minium, alii sinopidẽ vertunt. Est autem Sinopis vrbs Ponti vbi terra illa apta ad pingendum effoditur. *Tiaras tinctas in capitibus habentes.* Forsterus vertit Extensa tincturæ in capitibus suis: addit ita vocari latas & amplas cappas seu mitras Babyloniorum. Tigurinus interpres reddit, Cristas gestates in capitibus suis, *fader duschen* quod pulchrè huic loco congruit. Galea enim, vt Nicolaus Erythreus in Vergiliano indice annotat, cristis adornatur, quòd terribilior hosti fiat, & formidolosus eius aspectus magis horrore sit: hinc, Terribilem cristis galeam, & cristatus Achilles, & mille alia. Porrò miles longè procerior cristis apparet, vnde illud: Et cristis capita alta ferentes. Has autem ex olorinis pennis colligere moris fuit apud antiquos: cùm hodie ex struthiocamelo plurimùm petantur. Vt, Olorinæ surgunt de vertice pennæ: quæ aliàs ex equinis setis componebantur, Vt: cristæque hirsutus equina &c. Rubræ autem hæc de cono galeæ, aut duplices

Ierusalẽ spē posuit in Assyriis eorumque idoloatriã assumpsit.

Sinopis.

Cristæ.

aut

aut triplices conſurgebant, quare Vergilius earum ſummitates cornua appellat, vt, Et rubræ cornua criſtæ. &

Viden' vt gemino ſtant vertice cornua criſtæ, &

Cui triplici crinita iuba galea alta chimeram ſuſtinet, &

Purpurei criſtis iuuenes, auróque coruſci.

Sed hæc nō ſunt noſtri inſtituti, reſpondeo ad verba Prophetæ. *Et vidi quòd polluta eſſet, vna via ambabus.* Deus dicit ſe vidiffe, quòd non minus polluta eſſet, quàm ſoror ipſius, hoc eſt, quòd iniſſet fœdus cum illis, eorūque religionem & mores didiciſſet. Tegunt homines aſtutè ſua conſilia, ſed Deo omnia ſunt in aperto, quod (vt ſæpe reſero) reuocare nos ab impietate debet, & ad veram pietatem accendere. Vtriuſque ſororis idem fuiſſe conſilium & inſtitutum, eadem ſtudia, legitur 1. Regum 19. Vtque de aliis Iſraelis regibus nihil dicam, de Achaz aperte teſtatur ſacra hiſtoria 2. Regū 16, quòd Tiglat-Phalaſar magnis muneribus cōtra Regem Iſraelis & Syros euocarit: qui cū Damascum cepiſſet, rex Achaz ibi vidit altare, cuius delineationem miſit ad Vriam pontificē &c. Fœdera cum externis gentibus facere, equitatum vel peditatum petere ad tuendos fines &c. per ſe non malum eſt, de quo alibi: ſed magna ibi opus eſt cautione. *Addidit verò ſuper ſcortationes ſuas, nam vt vidit viros depiſtos in pariete &c.* Secundo loco fœdus expetiſſe cū Babyloſiis dicit. Si vxor aliqua coram videns virum forma atque viribus præſtantem, & ab eo ad ſtuprum ſolicitata, ſe illi prostituat, argumentum eſt magnæ impudicitæ. Quid verò de illis dicemus, quæ ſimulachris & picturis virorum, nō ſolùm ad libidinem accenduntur: ſed & nuncios mittunt ad illos qui reſtantantur, vt ſe illis commiſceant?

Tales fuiſſe Iudæos dicit Prophetæ. Tanto enim erga Babyloſios affectu rapiabantur, vt etiam habitu eorum coloribus expreſſo; mirificè afficerentur. In hunc uſum comparabant ſibi effigies principum illius gentis, & in parietibus ſuspendebant. Apud nos qui ſunt Gallicarum partium, paſſim lilia pingunt, illorūque intuitu oblectantur. Obiter hoc annotandum eſt, ſtatuas quoque & ſimulachra, quæ in templa paſſim illata ſunt, in multorū peccatoribus flammas libidinis excitaffe: tantum abeſt, vt animum ad virtutem accendant. *Quorum locus natiuitatis eſt terra Chaldæorum.* Videtur ſignificare quòd quia ille habitus patrius fuerit, illis non ſit vitio dandus, ſed Iſraelitis, qui vt apud illos ſe inſinuarent, habitu eorum delectabantur. Admirati ſunt ſtultas Chaldæorum ceremonias (vt mulieres ornatum exquisitum) eâſque aſſumpferunt. *Ingreſſi ſunt ad eam filii Babel, ad cubile amorum, & polluerunt eam fornicatione ſua.* Hoc eſt, inierunt amicitiam & fœdus cum Ieruſalem, docueruntque eam cultus ſuorum deorum. Sæpe fœderati auxilium promittentes, duras aliquas, etiã in religione conditiones præſcribunt. *Polluit quoque ſe cum eis.* Iudæi freti auxiliis Babyloſiorum, non poſuerunt fiduciam ſuam in ſolo Deo: deinde paulatim contaminati quoque ſunt falſa religione, corruptiſque eorum moribus: quin idola collocarunt in Templo, quod perinde fuit ac ſi mœcha in mariti lectum adulterum ducat. Plerunque enim fit, vt homines ſe peregrinis fœdere obſtringentes, eîſque militantes vitia quoque & habitus exterarum gentium inuehant, & ita paulatim ſub iugum eant. Hanc ob cauſam in noſtra Republica præclaræ leges contra fœdera cū peregrinis nationibus, & mercenariam militiam, item munera corruptoria latæ ſunt. *Receſſit anima eius ab eis.* Quia antè tantopere deperiit, & in ſui amorem pellexit, reliquit. Eſt hoc ingenium adulterarum, vt putent ſe non poſſe viuere niſi optatis amoribus fruantur, poſtea ad alios mox animum adiiciant. Idololatræ quoque ab aliis idolis ad alia tranſeunt: exempla vidimus in indulgentiis

& peregrinationibus ad templa vel simulachra diuorum. Si consulamus Historiam sacram, inueniemus Iudæos ab illo tempore, quo Babylonis tributarii facti sunt, multa cum eis tractasse. Probabile est antè quoque legationibus in Chaldæam missis, & propositis bonis conditionibus fœdus ab eis impetrasse. Quanquam de hoc nihil extat in sacris Literis. Multæ enim historiæ non sunt relatæ in sacras literas: libri quoque aliquot historici sunt amissi: quæ verò nobis ad salutem necessaria sunt, abundè in sacris Literis sunt comprehensa. Sæpe principes se liberis gentibus non difficiles præbent, vt hac occasione situm locorum, vires, consilia explorent, & postea illos, cum quibus fœdus habuerunt, facilius subigant. *Denudauit scortationes suas, discooperuitque ignominiam suam.* Adulteræ celant ad tempus suam turpitudinem, tandem absterfo omni pudore omnibus prostant. Iudæi suam infamiam quæ hæctenus latuit, detexerunt, ostendentes se non credere Deo dicenti in Tabulis fœderis, quod cum eis pepigerat: Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto &c. *Propterea recessit anima mea ab ea.* Quoniam aliorum magis, quàm Dei præsidio confisa est, cultumque ab ipso descriptum reiecit, suam gratiam eis subtraxit, abominatus est eos, vt matitus qui videt se frustra de vxore sua bene mereri. Quare si volumus Deum nobis propitium experiri, caueamus ab illis, propter quæ cor eius à nobis auellitur, hoc est, propter quæ beneuolentia eius erga nos mutatur. *Multiplicauit scortationem suam, recordando dierum adolescentiæ suæ quibus scortata fuerat in Ægypto.* Tertio loco, dicit Iudæos reiectis Babylonis defecisse ad Ægyptios. Deus liberarat eos ex Ægypto, & disertè præceperat eis, ne in Ægyptum redirent, cogitantes quæ maiores ipsorum ibi perpessi essent: illi verò, vt historia tradit, perfidè à Nabuchadonoso deficientes cum Ægypto conspirarunt, quæ causa fuit interitus vrbs & gentis. Mulieres nisi impudentissimæ sint, horrent conspectum locorum & virorum, in quibus, & à quibus deuirginatæ sunt. *Adamauit amatores eorum, quorum caro ut caro asinorum est: fluxus equorum: fluxus eorum.* Munsterus reddit, Concupitores suos, Santes, Seruos *שׂוֹבֵי פִלְגַשְׁחַי* pellicè significat Hinc Forsterus, ita reddit. *Adurebatur super pellicibus suis, quorum caro erat, &c.* Et de masculis amatoribus per contemptum dici scribit: Sic Cicero in sua inuectiua Salustium cubiculorum omnium pellicem vocat. Quidam pellicem putant vocari illam, quæ cum illo cui vxor sit, corpus misceat: alii aliter definiunt: dictâ volunt à pellicio, quod est blandiendo decipio, quia blandiendo virum ab vxore seducat. Lucundiores sunt atque obsequentiores visis, quàm conueniat. Per carnem intelligunt Hebræi membrum virile. Sensus est, deperit (saluo honore) bene mentulatos, qui semine abundabant. Obscœnis & turpibus his verbis, Spiritus sanctus exprimere voluit, quàm fœdum, turpe & abominandum sit, Dei iudicio, confidere in hominibus, & falsa religione teneri. Multa fœda continentur in sacris Literis, qualia sunt quæ dicuntur de mensuris, de nefandis libidinibus, incestu, bestialitate, Sodomia. D. Paulus scribit ad Rom. 1. cap. quòd fœminæ illorum, mutarint naturalem vsum, in eum qui est præter naturam: similiter & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserint per appetitiam sui, alius in alium &c. Hæc scribuntur in hunc finem, vt homines sibi caueant ab illis turpitudinibus, non vt assuescant obscœna & spurcè vel facere vel loqui. Nam *ἀσχηρολογία* prohibetur ab Apostolo ad Ephes. 4. omnis sermo spurcus ex ore vestro non procedat. Quanquam vocabulum *σπυρς* id est, putris, carie vitiat, quod Erasmus vertit spurcus, à Th. Beza melius reditur corruptus: comprehendit enim etiam sermones otiosos, vanos, scurriles & mendaces, detractionem, calumniam, blasphemias. Sumpta metaphora ab arbore

Fœdus cū  
Ægyptiis.

Pellex.

Multa ob-  
scœna in  
Scripturis.

arbore putrida quæ non profert bonos fructus, Matth.7.ad Coloss.4. iubet nostrum sermonem esse sale conditum. Ephes.6.cap. *ἀνεπίσημος καὶ μαρολογία* ne nominetur inter vos. Matth.12. Christus dicit, de verbo ocioso reddēdam esse rationem, quanto magis de obsceno? quod de sermone dicitur, ad cantilenas quoque & rythmos debet referri. Aulti, iuniores non offendant obscenitate verborum: iuniores quoque assuescant rectè loquī. Ex sermone iudicatur de mente alicuius. Stobæus ex Charondæ Catanæi legibus refert inter alia: Turpia nemo loquatur, ne factis obscenis animus inquinetur, mentemque impudentia & sceleribus repleat. Nam quæ honesta & chara nobis sunt, congruis nominibus, & in lege scriptis, appellamus: quæ verò odimus illorum vel nomenclaturam causa turpitudinis abominamur. Esto igitur turpe, etiam loqui rem turpem. Hæc gentilium decreta sunt. Hodie multi Christiani sibi faceti videntur, siquàm turpissimè de rebus Veneris, & id genus aliis loquantur.

Hactenus Deus cum Propheta visus est verba facere: iam deinceps ad ipsam Aholibam orationem conuertit. *Et recordata es fœditatis adolescentiæ tuæ.* Non sine oblectatione. Alii si recordantur scelerum quæ olim patrarunt, non sine dolore hoc faciunt, Deumque qui placabilis est, orant ut ipsis peccata sua remittat, secundum promissa sua, quæ sacras Literas legentibus passim occurrunt.

HOMILIA CIIII.

*¶ Describit iustam pœnam, quæ de Aholiba, id est, regno Iuda sumenda sit.*

22 Propterea Aholibah, sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego suscito amatores tuos contra te, eos à quibus recessit anima tua, & venire faciam eos aduersum te undique.

23 Filios Babel, & omnes Chasdim, præfectos, & principes & duces, & omnes filios Assur cum eis: iuvenes desiderabiles, duces, & principes vniuersi ipsi erunt heroes, & maiores, ascensores equorum vniuersi ipsi.

24 Et venient super te cum rhedis, curribus, & rotis, & multitudine populorum: scutum & chypeum, & galeam ponēt contra te undique: dabóque coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis.

25 Et dabo zelum meum contra te, & facient tecum in furore: nasum tuum & aures tuas remouebunt, & nouissimum tuum gladio cadet: ipsi filios tuos & filias tuas capient, & nouissimum tuum deuorabitur igni.

26 Et exuent te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ.

27 Et cessare faciam fœditatem tuam à te, & fornicationem tuam de terra Misraim, nec attolles oculos tuos ad eos, & Misraim non recordaberis amplius.

Pœnitentia  
sæper utilis.



**P**œnitentia scelerum Aholibæ, hoc est, regni Iudæ commemoravit: iam sequitur de pœnis eius quas multis verbis commemorat, vt eos reuocet ad veram pœnitentiam. Certum enim est, pœnitentiam semper vtilem esse: nam si homines resipiscunt, Deus pœnas vel auertit vel mitigat, vel si eas omnino immittit, & corpora eorum perdit, animas tamen, quæ etiam perirent nisi pœnitentia intercederet, clementer conseruat. Singula membra ordine consideremus. *Ecce ego suscito amatores tuos contra te.* Perstat in allegoria. Amatores scortilla deperunt, opesque suas stulti in ea conferunt, tandem animaduersa eorum perfidia, odio ea prosequuntur & malè mulstant: Ita Babylonios, dicit Dominus, à quibus defecisti, contra te adducam. *Vndique*, vt obsidione urbem cingant eamque expugnent, totam regionem vastent. Quia fœderati fuerant, norant Iudæorum consilia, vires, locorum conditionem & alia, idèoque melius vincere eos poterant.

Nomina of  
ficiorum Ba  
bylon.

*Præfectos principes & duces &c.* Ostendit qui venturi contra ipsos bellumque administraturi sint, illi scilicet, quos antè magnis præmiis conduxerant, quosque tanti fecerant, vt eorum picturis animum pascerent. Quidam interpretes Hebraica, vel potius Chaldaica nomina retinent. Sunt autem vel propria, vel officiorum, vel vt quidam volunt, regionum & provinciarum Orientalium nomina. *פקיד* *pekid* est præfectus vel commissarius. *שׂוּשׂוּ* *schoa* diues, opulentus, item princeps, magnificus, tyranus. *כּוֹא* *koa* Kimhi dicit nomen esse principis magni: Tigurina versio habet, munificos. *פּחַת* *pachath* dux, princeps, præfectus. *סַגְנִים* *saganim* magnates: Septuaginta vertunt *στρατιγους*. Tigur. *satrapas*. *שְׁחַלִּישִׁים* *schalischim*. Septuaginta reddunt *tristatas*: sunt autem *τριστάται* regii satellites, qui tria hastilia manu tenent. Hieronymus dicit nomen esse apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem. Qui dicti sint apud Romanos *triatii*, vide *proverb.* Erasmi, *Res ad triarios rediit*. *קֵרְוִים* *keruim* nominati, vocati, qui ad res arduas Reipublicæ aduocantur à principibus, celebres, Sept. *ὀνομασους*. Nos diceremus, *die hauptleuth, luinampt, fanderitch, rittmeister, prouiantmeister, wvachtmeister &c.* Si plures periti rei bellicæ in castris hostium sint, minus sperare possumus nos victoria potituros. *Veniens super te cum rhedis curribus, & rotis, & multitudine populorum.* Quomodo venturi sint nempe cum ingentibus copiis (notum enim est ex historiis, Orientales duxisse, & nostra ætate ducere, maximas copias) & bene instructi.

Curruum  
tria genera.

Tria genera curruum commemorat. *רֶחֶב* *hozan* rheda, species quædam currus, alii vt Kimhi, genus quoddam armaturæ volunt esse. *רַכָּב* *rachaf* currus, collectiue ponitur, vt *classis*, pro expeditione curruum, vectura: hæc vox significat etiam equos curules & equites. Vergilius etiam currum, teste Seruio, pro equis posuit. In *Georg.*

---neque audit currus habenas. & *Æneid.* 12.

---infrenant alii currus, &c.

Per rotas intellige etiam currus, est enim *Synecdoche*. Curruum & vehiculorum vsus in bello varius est. Aduchitur curribus commeatus pro militibus, pabulum pro iumentis, arma quoque & instrumenta bellica, curribus imponuntur. Ex currubus veteres pugnabant, magni ad hæc viri, carpentis & rhedis vehebantur. De re curuli vide *Conradi Gesneri historiam animalium, in equo.*

*Scutum & Clypeum & galeam ponent contra te vndique.* Quid facturi sint ostendit. Cingent te obsidione, & vndique prement, vt non possis effugere. *צִינָה* *zinnah* scutum vertunt. Forsterus dicit sic vocari, quod præacutum est, & perforat,

perforat, interpretatur spadam, peltam, Amos 2. contum significat: Tigurini reddunt lanceam. Placuit Iudæis ornatus & pompa Babyloniorum, sed malè eis cessit. *Ponam coram eis iudicium, & iudicabunt te in iudiciis suis.* Sensus est, Permittam te hostium libidini, vt secundum leges suas supplicium de te sumant. Emphasim videtur habere quod dicit, *Iudiciis suis*: Iudæorum enim iudicia & leges languebant, scelerati non puniebantur (vt nostro tempore iudicia quæ vocant spiritualium) iudicabunt vos Babylonii. Historia testatur regem Babyloniorum proceres Iudæorum iudicasse dignos supplicio, & pœna capitis eos affecisse. Magistratus debita supplicia sumat de sceleratis, ne Deus excitet alios, qui secundum suas leges, de omnibus pœnas sumant. Suppliciorum genera varia recenset.

*Dabo zelum meum contra te, & facient tecum in furore.* Instar zelotypi tæcum agam. Maritus in adulterio deprehensam, minimum domo pellit, ita Deus populum suum patria exturbauit. *In furore*, host est crudelissimè egit hostis. Hostes aliquando parcent nondum adultis, mulieribus, senio confectis, illi verò nemini parcent. *Nasum tuum & aures tuas remouebunt.* Diodorus Siculus De rebus antiquis libro 2. cap. 2. scribit apud Ægyptios in adulterio deprehensum, virgis cæsum esse ad mille plagas: mulierem naso mutilatam, vt dedecore vultus alios deterreret ab adulterio. Hodie quoque moris est vt matronæ, in adulterio cum marito deprehensas, naso mutilent, vt facies earum quæ placuerat, deformetur. Dicunt interpretes, per nasum, qui ceteris in facie supereminet, significari regalem dignitatem, & per aures, quæ doctrinæ consecratæ sunt, sacerdotalem. Historia testatur Regem & summum Pontificem sublatos fuisse. Sæpe in aliis historiis legitur captos extremis partibus, auribus, naribus, digitis, mutilatos crudelitate victorum vel hostium, *Nonissimum tuum gladio cadet.* אַחֵרִית *acherith* nomen substantiuum, postremitas, postremum, posteritas: hoc loco accipi videtur pro plebis reliquiis, aliisque rebus quæ relictæ fuerunt. Promiscua turba, inquit, gladio peribit. *Filios tuos & filias tuas capient.* Multi ex populo in captiuitatem abstracti sunt, de quo aliàs. *Et nouissimum tuum igni deuorabitur.* Bona mobilia, vt mox dicet, auferent, reliqua quæ supererunt, & quæ secum auferre non poterunt, concremabunt, domos, oppida &c.

Naso mutilari aduiteras

*Exuent te vestimentis tuis.* Si bonis vestibus indutus sis, exuent te illis & iniicient tritam & laceram aliquam, vel nudum relinquent. Hodie quoque in bellis victi, nudi dimittuntur cum bacillis. In omni sexu, ætate, ordine, reperiebantur, qui immoderato cultu corporis vterentur. Pecebant in materia, quantitate & qualitate, sumebant sibi habitum illarum gentium, cum quibus fœdera inierant, spoliati itaque sunt à peregrinis militibus vestibus illis. *Tolent vasa gloria tua.* Hostes vasa templi, & aliam publicam & priuatam suppellectilem auexerunt: item pretiosa ornamenta. Tigurina versio habet, *Auferet instrumenta mundi tui.* Iudæi enim in his quoque rebus modum excesserunt. Ostendit vtilitatem ex crudelitate futuram. *Et cessare faciam fœditatē tuam à te, & fornicationem tuam de terra Ægypti.* *Simmah* iniquum conatum Munsterus interpretatur: significat scelus meditatū. In illo ocio, omniūque rerū affluētia, inquit, cogitatis nefaria, efficiā igitur, vt variis ærūnis pressi, alia cogitetis, nepe, vnde habituri sitis victū, amictū & id genus alia. *Vt nō eleues oculos tuos ad eos.* Quæadmodum impudicæ mulieres oculos in iuvenes coniiciunt, eosq; ad scelus pelliciūt: ita illi vertebāt oculos ad Ægyptios, opemq; ab eis eorumq; diis expectabant. Cæterum si mulieri nasus auferatur, demittit vultum, tegitque suam deformitatem: ita Iudæi cum in exilio vagarentur miseri, non vertebāt amplius oculos ad Ægyptum, obliuiscabantur deorū ipsius. Si cōsulamus

Vestitus luxuriosus.

historias, inueniemus Iudæos ab illo tempore exteriorem cultum idolorum semper profligasse. Sæpe autem Deus hoc remedio utitur ad cohibendum homines, ne in omnia scelera præcipites ruant, de quo aliquoties iam diximus. Notandæ sunt illæ phrasæ, Ego suscito eos: ego adducam eos contra te: ponam eis iudicium: dabo zelum meum contra te: cessare faciam fœditatem tuam à te &c.

Quod enim Babylonii Israelitas debellarunt, Dei ductu factum est. Cùm in ipso itinere dubii essent, num ab Ammonitis vel Iudæis bellum ordiendum esset, Deus contra Iudæam gentem eos direxit. Iustum autem fuit Dei iudicium, quod illos contra ipsos armavit, cum quibus fœdus ex diffidentia diuini auxilii inierant, quod ipsos postea in idololatriam pertraxit. Hodie quoque Deus ad hunc modum hominum perfidiam ulciscitur: illorum enim opera, in quorum gratiam contra ipsum peccamus, ad nos puniendum utitur. Consolatione autem plenum est, quòd Deus illos inter se committit, qui in sceleribus communicarant: nam hodie quoque illos qui fœdera pangunt contra veram fidem, discordes facere potest.

## HOMILIA CV.

*Pergit in predicanda pœna grauissima, qua Aholiba  
afficienda sit.*

28 Sic enim dixit Dominus Iehouah, Ecce ego trado te in manum eorum, quos odisti, in manum eorum à quibus recessit anima tua.

29 Et agent tecum cum odio, & tollent omnem laborem tuum, & dimittent te nudam & discoopertam: & reuelabitur turpitudò fornicationum tuarum, & fœditas tua, & fornicationes tuæ.

30 Faciam ista tibi, quòd fornicata sis post gentes cum quibus polluisti te in idolis earum.

31 In via sororis tuæ ambulasti: & dabo calicem eius in manu tua.

32 Sic dixit Dominus Iehouah, Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum: erit causa ut derideat, & subsument te gentes, magnus erit ut multum capiat vini.

33 Ebrietate & dolore repleberis: calice solitudinis & desolationis, calice sororis tuæ Somron.

34 Bibes inquam illum, & exhauries, & testas eius confringes, & vbera tua euelles: quia ego loquutus sum, dixit Dominus Iehouah.

35 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, & etiam tu porta fœditatem tuam, & fornicationes tuas.

**P**ergit in descriptione pœnæ, qua Aholiba afficienda erat. Idèò autem tam copiosè, euidenter, & perspicuè pœnam illam describit, simulque causas eius admiscet, ut videntes quantum fiducia in creaturas, & alia peccata Deo displiceant, nobis ab eis caueamus, inque viam rectam redeamus, si ab ea defleximus. Pergamus in commemoratione pœnarum. *Ecce ego trado te in manum eorum quos odisti, à quibus recessit anima tua.* Minatur eis quòd potestati & libidini



libidini illorum eos permiffurus fit, quos odio habebant. Nam vt meretricem quem iam amant, mox capitali odio profequuntur: ita Iudæi Chaldæorum amicitiam expetiuerant, mox in odium eorum verfi, cum Ægyptio conſpirarunt, vt iugum Babilonicum abiicerent, id quod Babilonios non latuit. His, inquit, te tradam. Quàm durum autem fit hoſtibus tradi, qui nulla commouentur miſericordia, quiuis poteſt intelligere, Trado te, pro traditurus ſum te, duplicem habet emphafiſm: nempe quòd hæc certò euentura, quòdque non temere aut voluntate hominum, ſed Dei prouidentia euentura ſint. *Agent tecum cum odio.* Quæ odii ſit natura, quis effectus, quotidiana exempla oſtendunt: *Crudeliffimè, inquit, tecum agent, nullam tibi miſericordiam tribuent. Tollent omnem laborem tuum.* Opes magnis laboribus atque ſudoribus, vel iuſtè, vel iniuſtè partas auferent: fruges demerent, vina in cellas reſoſita ex haurient: domum tuis laboribus partam, magniſque ſumptibus exædificatam, exurent.

Multum autem dolet nobis, ſi videamus labore immenſo parta, & fraudato genio ſenectuti reſoſita, temere diſſipari à perditiffimis hominibus. *Dimittent te nudā & diſcoopertam.* Non relinquent tibi veſtes, quibus illas partes contegas, quas natura iubet regere. Magna eſt beneficium Dei, quòd nobis dat veſtes, quibus contra ætium & frigus muniamur: hoc pauci conſiderant, pauci quoque qualis veſtis eos deceat expendunt: in primis hæc in re mulieres officii ſui metas tranſgrediuntur, & partes corporis quas teſtas eſſe oportebat, aperiunt: excitat itaque Deus milites, qui veſtes omnes auferant. *Reuelabitur turpitudò fornicationum tuarum, & fœditas tua & fornicationes tue.* Si meretrici veſtes detrahantur, non modò nuda conſpicitur, ſed ab omnibus conuitiis laceratur. Ita cum expugnata & direpta eſſet vrbs Hieroſolymorum, omnibus manifeſtum fuit, eam per idololatriam à Deo defeciſſe. Urbibus enim captis, omnes quicquid habent, in eorum inuidiam temere effutiunt. Quin ipſi Iudæi falſi ſunt, ſe ſuis flagitiis pœnas illas attraxiſſe. *Faciã iſta tibi quòd fornicata ſis poſt gentes.* Cauſam harum calamitatum hanc aſignat, quòd exemplo gentium, idololatriam impudenter exercuerit. Multa alia ſcelera patrarant, ſed præcipuè idololatriam eis exprobatur, quæ non ſolum eſt externa, ſed interna quoque. *Cum quibus polluiſti te in idolis eorum.* De hoc aliàs dictum. Volebant hæc ratione ſe expiare à peccatis ſuis, vt hodie quoque: at ſolus ſanguis Chriſti nos à ſordibus peccatorum abluit, 1. Ioan. 2. capite. *In viis ſororis tuæ ambulaviſti.* Quæ fuerint ſtudia Aholæ vel Samariæ ex ſuperioribus repetendum eſt. *Dabo calicem eius in manu tua.* Hoc eſt, Eadem pœna te afficiam.

Frequentiffimum eſt in ſacris Literis poculum vel calicem, ponere pro ætumnis, afflictionibus, calamitatibus, vt qui grauedinem & ebrietatem inſereret. Bibete de poculo, eſt, obnoxium eſſe malis. Bibere de eodem poculo, eſt: eiufdem mali eſſe participem, Pſal. 74. Iſa. 51. Ier. 25. Oſtendens Deus Babilonios & alias gentes puniendas eſſe, iubet Prophetam accipere calicem vini furoris eumque propinare gentibus, vt ex eo bibant, inebrientur, vomant & corruant. In nouo Testamento Matth. 20. Chriſtus dicit ad filios Zebedæi, Ioannem & Iacobum, Potestis bibere poculum, de quo ego bibiturus ſum?

Loquens de ſupplicio quo afficiendus erat. Matth. 26. Si poſſibile eſt, tranſeat iſte calix à me. *Calicem profundum & latum.* Multa mala eis exantlanda fore ſignificat. Nam & obſidio vrbs & captiuitas diu durarunt. Calix quantumuis profundus & inſuauiſ exauriendus erit: vt ſi catapotium bibas.

*Erit ut derideant & subsannent te gentes.* Ebrii ridiculi sunt. Antè annos non multos apud nos puerorum caterua temulentos sequuta est, miratìque sunt eorum ineptias, omnibùsque fuerunt ludibrio: ita Iudæi cùm bibissent, hoc est, cùm maximis cladibus affecti essent, fuerunt ludibrio vicinis gentibus, quæ parum memores erant inconstantix rerum humanarum. *Magnus ut multum capiat.* Iterum dicit calicem capacem esse, ut grauitatem supplicii innuat. *Ebrietate & dolore repleberis.* Vincet vinum, hoc est, opprimeris aduersis. *Calice solitudinis & desolationis.* Non erit calix lætitiæ, quidam enim bibunt ut omnium suarum ærum narum obliuiscantur, sed calix vastationis. *Et testas eius confringes.* Ebibendus tibi erit calix vsque ad fundum, & ne qua guttula remaneat, frangendus erit in testas, ut ipsa fragmenta lingas. His verbis significat Iudæam gentem extrema quoque mala experturã. Alludit ad ad mores combibonum & ebriosorum, qui fæces in fundo vini auiditate ebibunt, & poculum quoque si possent, deglutire vellent: quin audiui repertos esse, qui vitrei poculi fragmenta comederint. *Die ein anderen den wvijn end die gleser gebracht habint.* Mira recitantur de compotoribus. Vel sensus est, Ita inebriaberis, ut poculum frangas: quod à temulentis non rarò fit. His omnibus pœnæ magnitudinem ostendit. *Vbera tua euelles.* Præ doloris magnitudine pectus tuam vnguibus foedabis, comas euelles: ut solent magnis & subitis malis oppressæ. At rebus afflictis, semper erigendæ sunt mentes diuinæ prouidentix contemplatione, dolori non nimium laxandæ sunt habenæ. Iterum causam tantarum calamitatum subiicit: *Eò quòd oblita es mei.* Non quidem videri volebant obliti esse sui conditoris, at legis & iudiciorum ipsius non fuisse memores, facta ipsorum declarabant. *Proiecisti me post corpus tuum.* Hoc est, Me reiecisti, rebellis mihi fuisti: Germanicè dicimus, obuertisti mihi tergum. Quemadmodum mœcha maritum fastidit, ita tu me contempsisti: Prophetas enim Dei seruos audire nolebant. *Porta sceditatem tuam, & scortationes tuas.* Sarcasmus est. Pœnam meritam perfolue, quam tibi accersuisti sceleribus tuis, & imprimis idololatria. Hac cogitatione exulciscenda est nostra patientia: magnis malis pressi cogitemus nos Deum toties à peccatis nos reuocantem reiecisse, ideòque dignos esse, qui mala perferamus. Conuertemur interim ad percutientem nos.

Vfus huius  
vaticinii.

Si cum huius prædictionis singulis membris cõferamus Historiam sacram videbimus omnia ad amissim esse impleta, ex quo (ut sæpe diximus) sacrorum vaticiniorum veritas & constantia intelligitur. Elicimus etiam ex hac narratione, hostes Dei interdum amplissimas victorias consequi: ideòque ex bellorum euentu non iudicandum de religionis veritate. Discunt adhæc qui amicitis & opibus florent, ne his rebus nimium tribuant: sed spem suam omnem, in Deo collocent. In primis verò obseruandum est, auxilia contra Deum comparata hominibus exitium adferre. Addatur hoc quoque, Deum non solum spiritualement, sed & carnalem scortationem quam homines non puniunt, grauibus pœnis afficere.

## HOMILIA CVI.

*¶ Per ἀνακεφαλαιώσιν iterum coniungit vtrunque regnum,  
& primũ scelerum seu causas pœnarum recenset.*

36 Et dixit Iehouah ad me, Fili hominis nonne iudicabis Aholah & Aholibah? & annuntia eis abominationes suas.

37 Quia adulteratae sunt, & sanguis est in manibus earum: & cum idolis suis fornicatae sunt: atque etiam filios suos quos genuerant mihi transire fecerunt per ignem illis, ad consumendum.

38 Amplius hoc fecerunt mihi, polluerunt Sanctuarium meum in die illa, & Sabatha mea profanarunt.

39 Et quum immolassent filios suos idolis suis, ingrediebantur Sanctuarium meum in ipsa die, ut polluerent illud: & ecce sic fecerunt in medio domus meae.

40 Et quanto magis quod miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntius missus fuerat, & ecce venerunt, propter quos te lauisi, & tibi fucasti oculos tuos, & ornasti te ornamento.

41 Et sedisti super lectum honorabilem: mensa quoque praeparata est ante ipsum: & thymiana meum, & unguentum meum posuisti super eum:

42 Et vox turbae pacificae exaudita est in ea: & cum viris ut multiplicarunt homines, adducti sunt Sabaei ex deserto, & posuerunt armillas super manus earum, & coronam gloriae super capita earum.

43 Et dixi inueteratae in adulteriis, Nunc egredientur fornicationes eius, & ipsa.

44 Et ingressi sunt ad eam, sicut ingreditur quispiam ad mulierem meretricem: sic ingressi sunt ad Aholah & Aholibah mulieres foedas.

**R**ostquam separatim de Ahola & Aholiba, hoc est, de utroque re- III. Part.  
 gno differuit, iam tertio loco iterum coniunctim de ingentibus  
 peccatis & poenis vtriusque regni loquitur. Haec autem reperitio  
 non videri debet superuacua: hinc enim colligimus quanto-  
 pere Deo, cum alia scelera, tum in primis idolomania displiceat. Discimus ip-  
 sum ardentem precari, ut & nos, & alios ab illis sceleribus cõseruet, & in vnũ  
 vel plura prolapsos clementer liberare dignetur, ne tandẽ in scelera demersi  
 ingentes nobis ipsis poenas accersamus. *Nonne iudicabis?* Hoc est reprehendes  
 eos, iudiciũque Dei iustum illis denuntiabis? quasi dicat: Omnino incre-  
 pandi sunt. Hac phrasi, quam supra quoque habuimus, & Ezechielem, & om-  
 nes alios ministros ecclesiarum sui admonet officii, nempe ne sint muti, si  
 scelera in populo palam videant grassari. Dicunt multi, Multi reprehensionibus  
 Prophetarum deteriores fiunt: at tu interea tuum facias officium. Item,  
 accendo aliorum iras contra me: sin verò taces, vbi loquendum erat, prouocas  
 contra te iram Dei. Idem cogitent proceres reipublicae, patres familias, lu-  
 didi magistri & alii. *Quia adulteratae sunt, &c.* Duo praecipue scelera eis obiicit:  
 nempe adulterium & homicidium. Adulterium carnale, hoc est, foedae libi-  
 dines inter eos vigeant: deinde adulterium spirituale quod grauius est,  
 spem enim suam collocabant in foederibus cum exteris nationibus, item in  
 diis ipsorum, quod Deus indignissimẽ ferebat: deinde non solum leues ob-  
 causas fiebant caedes mutuae: sed propter idola: si quis apertẽ detestabatur i-  
 dololatriam, ab impiis iugulabatur. Scelera re-  
prehēda.

Filios quoque suos traducebant per ignem, & holocausta eos offerebant diis alienis: de quo 16. capite audiimus. Quod dicit, *Filios suos*

Liberi sunt  
ipſius Dei.

Impudētia  
& hypocri-  
ſis.

Stibium.

Lectū ſter-  
nit & men-  
ſā apponit.

quos genuerunt mihi, emphasiſim habet. Communia noſtra pignora tradiderūt diis in cibum : non quòd dii ederent, ſed quia in eorum gratiam conſumebantur igne. Adulteræ in gratiam adulterorum aliquando liberos iugulant, veluti de Medea legitur. Suos vocat liberos, eò quòd etiā ad ſœdus pertinet. Iubebat eos externè per circumciſionem in ſœdus quodammodo inſcribi. Hodie quoque vult vt parentes liberos ſuos ipſi offerant, & ad eius gloriam eos rectè educant: negligētiam parentum in formandis puerorum moribus, magnis pœnis afficit, illorum præcipuè, qui dedita opera ſuos Marti, Veneri & Baccho conſecrant. *Polluerunt Sanctuarium meum in die illa, & Sabbatha mea profanarunt.* Quod de Sanctuario dicit, ſequenti verſu explicat. Sabbatha non ſanctificarunt, ſed profanarunt. Idem hodie quoque & papiftis, & non paucis Euangelicis exprobrari meritò poteſt. *Et cum immolaſſent filios ſuos idolis ſuis, ingrediebantur Sanctuarium meum in ipſa die.* Si adultera de adulteri ſtratis ſurgens, recta ad maritum ſuum veniat, & amorem coniugalem ſimulet, iudicium eſt magnæ impudentiæ: ita illi tam impudentes erant, vt cùm filios iugularent, deinde dæmonibus eos offerrent viſtimas, cùmque redirent à cæde virenti liberorum, & ab idolis, tamen auderent ſimulare ſe cultores eſſe Dei Iſraelis. Redeuntes à valle Hinnon & cultu dæmonum, tanquam re bene geſta cruentis manibus templum ingrediebantur, citra conſcientiam oraturi, vel ipſi Deo ſacrificia oblaturi. Si in Sabbatho hoc fecerunt, ruruſus eſt ſceleris amplificatio: nam illo die interdictum erat operibus vitæ humanæ alioqui neceſſariis. Quando Deum offendimus pœnitentia agenda eſt, exemplo publicani Lucæ 18. nō impudenter, & quod dici ſolet, illoſis manibus irrumpendum ad ſacros cœtus & ad ſacramenta. De illis quos ſcelerum ſuorum nō pudet, quæ poteſt eſſe ſpes? *Et ecce ſic fecerunt in medio domus meæ.* Impudenter ſe ingeſſerunt veluti in conſpectum meum: non ſolùm in lucis & collibus exercuerunt idololatriam: ſed & Templum meum, quod officina veræ religionis eſſe debuit, polluerunt: erexerunt in domo mihi dedicata, idola, altaria, polluti liberorum ſanguine illud ingreſſi ſunt. Argumentum eſt proſtigatiſſimi & perditiffimi animi, ſi vxor aliqua in ædes & thalamum mariti mœchos adducat. Hieronymus dicit, illos neque loci, neque temporis religionem cuſtodiuiſſe. *Miſerunt praterea ad viros venientes de longè.* Libidinoſæ mulieres, magnis ſumptibus peregrinos amatores interdum accerſunt, cumque eos aſeſſe audiunt, ſe lauant, ſtibus pingunt oculos ſuos, & ornant ſe variis ornamentis, vt pulchriores videantur, & amatores alliciant. *כחל kachal* ſignificat ſe ſtibus colorare. Stibium vel ſtibi, *σίμιμι* Græcis, eſt metallum quo mulieres Græcorum tingendis ciliis vſæ ſunt. Vnde poëtæ quidam *ὀμματίγαρον* alii *πλατύοφθαλμον* vocant, quia enim tinctura nigrum eſt, cilia ornat: quia nitidum, etiam dilatat. Oculos pingere dicuntur quæ ad venuſtatem augendam ſupercilia tingunt: oculi præcipuè mulieres commendant. Hinc Propertius dicit:

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Tigurina verſio habet, *Illustraſti faciem tuam*, Nam per ſynecdochē oculum pro tota facie accipit. Mulierculæ medicamentis quibuſdam cuti inductis vitia formæ occulunt. De Iezabele legitur, quòd cùm auდიſſet Iehu aduentantem colorem fuco mentita ſit, 2. Reg. 9. Caſtæ matronæ neque fucis, neque ceruſſa ad faciem dealbandam vti debent, nec alio laſciuo ornaru. *Et ſediſti ſuper lectum honorabilem, menſæque præparata eſt ante ipſum*, ſcilicet lectum. Solent meretriculæ, vt amatores alliciant, non ſolùm ſe comere, pingere, fingere, ſed & inſtituere opiparas cœnas, lectulos inſternere, odores accendere. Talis deſcribitur in Prouerbiis Salamoniſ 7. capite, quæ iuueni, quem apprehenſum

hensum osculabatur, dicit se instruxisse cœnam, strauisse lectum, &c. Solebant autem veteres iacendo cœnare (ad quod videtur respicere Propheta) vt hodie Turcæ. Hinc triclinium locus in quo discumbebant & cœnabant, dicitur, à tribus lectis, quos præcipuè conuiuus sternebant. Significat Propheta Hierusalem & Samariam peregrinis gentibus, quas per crebras legationes maximis sumptibus & laboribus ad fœdera sollicitabant, ostendisse suos thesauros sacros & profanos: instruxisse eis splendidissima cœniua: Item puluinaria, aras & ædiculas diis illarum gentium dedicasse (Puluinar est lectus, qui in templis sterni consuevit, numini dicatus) ad hæc agitasse peractis sacrificiis in honorem deorum Gentilium, vt moris erat, splendida conuiuia.

*Thymiama meum, & vnguentum meum posuisti super eum*, vel cam: alij ad lectum, alij ad mensam referunt. Hodie quoque inuitantes conuiuas, grana thuris adolemus, odoratis herbis vel lignis, suffitum facimus. Thymiama & vnguentum suum vocat, eò quòd illa ex Dei liberalitate accepissent: vel suum vocat, quòd ad suum cultum illis vti deberent, non impendere diis alienis. Hieronym. dicit: Thymiama meum & vnguentum, quod mihi specialiter iusseram fieri: & exterminari animam illam de populo, quæ in priuatos vsus hæc facere voluisset, tu idolis obtulisti: vide Exodi. 33. cap. Per hoc thymiama preces significatæ sunt, quas hodie quoque multi offerunt diis alienis, non contenti mediatore Christo, &c. *schaman* nomen generale est ad omnem pinguedinem, ideo quidam vnguentum, quidam oleum interpretantur. Posuerunt super mensam pinguedinem, hoc est, delicatissimos cibos: multa profundeabant in suos fœderatos, plura in idola, afferentes eis delicatos cibos, quibus tamen illa non vescerentur: idem hodie quoque idololatræ faciunt. Olei quoq; in cibo vsus fuit. Sic nos butyrum simulachris olim obtulimus, esurientibus interim viuis Dei simulachris. Ad hæc magnus vnguentorum apud veteres, præcipuè in conuiujs, luxus fuit. Homerus multis locis indicat, antiquos hunc morem habuisse, vt hospites lauarint & vnixerint. Lib. 3. *Odyssæ*, Telemachus à Nestore hospitio exceptus, lauatur & vngitur oleo. lib. 23. *Vlysses* ab Eurynome in suis ædibus, &c. Evangelica historia testatur de Maria, quòd in conuiuio Bethaniensi vnguētum in caput Seruatoris nostri, atque adeò in totum eius corpus effunderit, quod Iuda æstimatore plurimis quàm trecentis denariis vendi potuisset. Magnum est peccatum si dona Dei eximia ad idololatriam conuertimus. Vide *Oscæ* 2.

*Et vox turba pacifica, audita est in ea. Tigurina, Et vox turba læta in eo.* In conuiujs, præsertim luxuriosis, auditur conuiuiarum, cum mero incaluerunt, murmur & strepitus. Fœcundi calices, etiam mutis linguam resoluunt. Audiuntur item cantilenæ, plerunque amatoriarum: adhibentur varia instrumenta musica, ad exhilarandum conuiuas. Musicæ vsus bonus esse potest in conuiujs. David Musicam in Templum induxerat, quòd populus Dei laudes celebraret. 1. Paralip. 16. illos vero, suos deos musicis instrumentis & hymnis celebrasse, admodum est probabile: qui maximus huius, alioqui pulcherrimæ artis, abusus fuit. Hodie si noua fœdera panguntur, pulsantur tympana, inflantur tubæ, exonerantur bombardæ, &c. Superstitiosi homines diuos suauissimo cantu, organis, tinnitu campanarum, placare nituntur, odoribus item cunctis sensibus suorum amatorum idololatræ placere volunt.

*Et cum visis vt multiplicarent homines, adducti sunt Sabæi è deserto.* Munsterus reddit: *Et iuxta viros illos erat magna multitudo hominum Sabæorum, qui adducti erant ex deserto.* Tigurina versio: *Cum visis illis præ multitudine hominum adductorum Sabæorum de deserto.* Vatablus putat hunc esse sensum, Sabæi, vt inuitatorum numerus cresceret, adducti sunt. Arabia fœlix, cuius pars est Saba, vicis atque pagis magis, quàm vrbibus habitatur. hinc quidam putant hunc esse sensum horum verborum, quòd

hæ impudicæ fœminæ, non solum ciuiles, sed etiam siluestres & agrestes amatoribus accersuerint. Hieronymus dicit: Placere voluisti amatoribus, qui venerunt ad te ebrii, non vrbane alicuius elegantie: sed de deserto & solitudine, rusticorum ac latronum habitum præ se ferentes. Est argumentum magnæ petulantie si nobilis fœmina rusticis: maximè autem si etiam sceleratis sui corporis potestatem faciat. Significat quod Arabum quoque amicitiam expetuerint, atque religionem receperint. Tamen si omnes Gẽtiles religionem habuerint communem, tamen magna fuit diuorum quos coluerunt, & rituum diuersitas, sicut hodie (vt de aliis multis nihil dicam) missæ quoque, in quibus pontificij diuini cultus proram & puppim constituunt, non eodem modo vbique celebrantur.

Coronæ.

*Posuerunt armillas super manus earum, & coronam gloriæ super capita earum.* Hieronymus dicit, impudicas has mulieres, hæc ornamenta imposuisse manibus & capitibus amatorum, vel sibiipsis. Solent enim fœminæ petulantes, aliquando viros vulgares, quibus se prostituunt, ornare preciosis vestibus, & aliis id genus rebus. At quia in *hen* affixum est generis fœminini, sensus erit, amatores illos imposuisse manibus & capitibus harum meretricum hæc ornamenta, hoc est, Fœdera iniurunt cum Samaria & Hierusalem, vt regna eorum stabilirent, sed nulla fuit illorum vtilitas. Coronam gloriæ, vocat coronam egregiam & elegantem. Veteres corollas gestasse in conuiujs, Cicero in Verrinis testatur. Vide num ideo Sabæorum fiat mentio, quod thus, cinamomum, & alia odoramenta, ibi magna copia prouenirent, quibus in falso cultu vsi sunt Hebræi.

*Et dixi inueterata in adulteris, Nunc egredientur fornicationes eius, & ipsa,* scilicet recusat. Munsterus sic interpretatur: *Nunc expirabunt fornicationes eius cum ea,* hoc est, finem accipient cum ea. Cùm enim inueterata sit, deseruere necesse est libidinem eius, hoc est, adducta in captiuitatem peribit cum idolis suis. Tigurina versio habet: *Et dixi, Cum vetula aliquando adulteria commiserunt, nunc & cum illa scortabuntur, scortationibus eius, & ingressi sunt ad eam.* Sensus, ni fallor, hic simplex est, vt Deus humano more dicat, Sperabam illas forma amissa, nõ amplius mœchos sectaturas, sed modo nequitie & libidini constituto, deinceps seruaturas fidem coniugalem: at noluerunt, quin prostituerunt se omnibus: viri qui pulchriores nancisci non potuerunt, vt satiarent suam libidinem, rem cum illis prostitulis habuerunt. Vt exprobet vtrique genti pertinacem incredulitatem: etsi enim Deus lapsos recipere paratus esset, tamen magis magisque idololatriæ dediti, nullum superstitionis genus non amplexati fuerunt.

## HOMILIA CVII.

### Fertur sententia contra adulteras & parricidas.

45 Et viri iusti iudicabunt eas iudicio adulterarum & iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, & sanguis est in manibus earum.

46 Sic enim dixit Dominus Iehouah, Ascendere faciam aduersum eas cœtum, & dabo eas in commotionem & rapinam.

47 Et lapidabunt eas lapidibus multitudo, & succident eas gladijs suis, filios earum & filias earum interficient, & domos earum igni comburent.

48 Et cessare faciam fœditatem à terra: erudienturque omnes mulieres, & non facient secundum fœditatem vestram.

49 Et ponent

49 Et ponent scditatem vestram super vos, & peccata idolorum vestrorum portabit: & scietis quod ego Dominus Iehouah.



N vltima huius capituli parte, repetit Propheta ingentia peccata & pœnas vtriusque regni, nempe Ierusalem & Samariæ, prosequendo allegoriam de mulieribus adulteris. De sceleribus verò earum cum proximè dixerimus, sequitur iam deinceps de pœna. Pertinent autem hæc præcipuè ad regnum Hierusalem, alterum enim regnum iam pridem pœnas dederat. Ideo autem pariter describi supplicia videntur, ne Hierosolymitani putent se non ad hunc modum puniendos, vt illi puniti sunt, præsertim cum tot anni effluerint: sed vt videant communem esse causam. Loquitur de illis adulteris, ac si producendæ sint in forum, & publicè sint afficiendæ supplicio. Moris enim est in plerisque Rebus publicis, vt publicè recitentur scelera personarum quæ ad supplicium ducuntur, mox sententia capitalis contra eos lata, promulgetur. *Viri iusti iudicabunt eas iudicio adulterarum, & iudicio effundentium sanguinem.* Principio summam paucis complectitur, dicens, supplicium de eis sumendum, quod de adulteris & parricidis sumitur secundum leges. Assyrios & Babylonios iniustissimos, ideo iustos vocat, quod essent exequutores diuini iudicij, quod iustum fuit. Quoniam enim illarum gentium idola, relicto Deo, pertinaciter retinebant & defendebant, iustissimū fuit, vt ab illis euerterentur. Theodoretus, quem sequutus est Lyranus, dicit comparatione Iudæorum iustos dici, Assyrij enim & Chaldæi non acceperant legem scriptam vt Iudæi. Suprà quoque dixit, Iustificasti sorores tuas in peccatis tuis, &c. Dicit afficiendas supplicio quod adulteris & homicidis debetur. Nulla fuit vnquam, etiam inter gentes, Respublica bene constituta, in qua adulteria non graui supplicio affecta sint: quanquam alicubi leges mitiores, alicubi duriores fuerint. Quædam mœchas & mœchos notarunt publica infamia: quædam supplicium capitale de ipsis sumpserunt. Lex Mosis dicit: Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, tam adulter, quam adultera. Et mox, Lapidibus obruentur, &c. Leuit. 20. capite. Plura repete ex 16. capite huius Prophetæ. Iniustas quoque cædes Deus severo & graui supplicio affici iussit: de qua re ibidem quædam diximus. Honestæ etiam inter gentes Respublicæ, magno supplicio dignos iudicarunt homicidas: atrox enim esse peccatum, sanguinem innocentem fundere, luce quoque naturali intelligitur. Quod autem hodie cædes passim committuntur, acceptum referendum est Antichristo, qui subditos armavit in suos magistratus, & hodie quoque largas indulgentias, vt vocant, illis promittit, qui veræ doctrinæ amantes iugulant. Etiam si verò magistratus, qui legum custos esse debet, interdum cesset, Deus tamen non cessat: sed in adulteros & homicidas animaduertit variis suppliciis. Breuiter Propheta ostendit Deum Iudæos seuerissimè puniturum. *Quia adultera sunt*, hoc est, deprehensæ sunt in adulterio & conuictæ. Multæ iudicantur adulteræ ex quibusdam suspicionibus, & sermonibus malorum, quæ tamen sunt pudicæ. Hæ autem in ipso scelere deprehensæ sunt. *Et sanguis est in manibus earum.* Non possunt negare parricidia: sanguis filiorum suorum, aliorumque innocentium hominum manat per digitos earum.

I. Pœnam summam complectitur.

Adulterij pœna.

Homicidij pœna.

Supplicium quod paucis complexus est, per partes iam enumerat. *Ascendere faciam aduersus eas cœcum.* Sensus est, quemadmodum numerosum exercitum duxi contra Samariam, ita contra Hierusalem quoque ingentes copias educā. Deus est qui hostes alicui genti immittit. Putant homines aliquando, se asturis suis cõfiliis, vitare posse bellum, quibus potius bellum attrahūt: Deum enim hac via cõtra se prouocant. Hostes se antè nō commouere possunt, quàm Deo visum fuerit.

II. Per partes pœnam declarat.

Magni exercitus.

Magna autē est pœna, si ingentes exercitus contra gentē aliquam armet. Illi enim omnia longē latēque populantur & vastant, regna quoque exhauriunt: magna itē multitudo, nō sine magnis cladibus, à paucis, quāuis fortissimè se gerant, profligari potest. Exiguæ copię Heluetiorum, tempore Concilij Basiliensis ad Basileam, ex maximo Delphini Gallici exercitu plurimos trucidarunt: sed simul ipsi victores interfecti sunt. *Et eas in commotionem.* *וַיַּחַדְוּ* *saauah*, vt annotauit Pagninus, est cōmotio, & *וַאֲ* est loco he vltimæ literæ radicalis, he verò signum est fœminini generis. Radix est *וַיַּחַדְוּ* *saah* quod idem est quod *וַיַּחַדְוּ* *saah*, id est, mouere, commouere, teste R. Dauid Deut. 28. versu 23. Et eris in commotionem per omnia regna terræ. Vulgata editio, *Vt dispergaris.* Munsterus: *Eris in commotionem*, scilicet capitis, quod multi mouebunt caput super te, stupebunt: Septuaginta vertunt *ταραχὴν*, tumultum: vt sit sensus, Magna inter vos erit trepidatio & turbatio, vt sit ex improuiso hoste adueniente: qui sensus pulchrè huic loco congruit: vel, faciam vos præ metu tremere, alij de diuersis Iudæorum exiliis interpretantur. *Et rapinam.* Prædis & rapinis diu dediti fuerunt, frustra clamantibus Prophetis, Deus itaque depradandos dedit peregrinis militibus, *er hat scy pris gaben.* *Et lapidabunt eas lapidibus multitudo.* Cùm lapidibus adulteræ obruendæ erant, vndique homines concurrerant: ita Deus dicit, ex Babylone & aliis nationibus plurimi colligentur, qui te lapidabunt. Obsessa enim vrbe, suis machinis ingentia saxa in eam iaculabantur. *Succident eas gladiis suis.* Forsterus ita reddit: *Et obruent super eos lapidem congregatio, etiam expurgando eos gladiis suis*, id est, remouendo. *וַיִּבְרַח* *bere* in 2. Coniugatione dicit significare res creatas expurgare, tollere è medio, remouere. Alij reddunt *Succidet*, pro succident vel dissecabunt, & est Præteritum ex Cal, teste R. Dauid. *Filios & filias earum interficient, & domos earum igni comburent.* Propter liberos suos, contra Deum & proximos suos peccarunt: cùmque Propheta diceret mox ventura mala, illi securi ædificabant egregias domos, quas liberis relinquerent: prædicit ergo nunc, liberos interficiendos, & palatia illa inflāmanda esse. Quæ ex his rebus utilitas sequutura sit ostendit. *Cessare faciam fœditatem è terra.* Fines iam ostendit, ob quos tam grauiter puniendi sint. Efficiam, inquit, vt deinceps non committant tam atrociam scelera. Omnes minæ irritæ erant & frustranæ, maiorem itaque populi partem occidit Deus, reliquos in exilium pepulit. Hodie quoque si homines aliter emendari nolunt, per mortem auferuntur vt desinant peccare.

III. Causas ostendit ob quas puniēda sint.

*Erudienturque omnes mulieres, & non facient secundum fœditatem vestram.* Alius finis est, vt aliæ mulieres discant fidem suis maritis seruandam esse. Ideo enim adulteras lapidibus obruebant, vt aliæ ab adulterio deterrerentur. Deus Iudæorum exemplo alias mulieres, hoc est, nationes, ciuitates, pagos cognoscere docuit, quantopere detestetur fiduciam in creaturas, cædes iniustas, & alia scelera: quodque solus velit coli, quod suum honorem, vt apud Isaiam dicit, non det alteri. Discamus ex hoc loco, quæ utilitas percipiēda sit ex suppliciis facinorosorum, siue de multis simul, siue de paucis sumantur. *Et ponent fœditatem vestram super vos.* Ne quis Deum crudelitatis vel iniustitiæ accusaret, quod tam horribiliter suum populum puniuit, addit, propter scelera multa & magna quæ patrarint, sumpturos supplicia de ipsis.

III. Iustitiam Dei in inferendis pœnis ostēdit.

*Et peccata idolorum vestrorum portabitis.* Non est, inquit, quod me vel alios accusetis, pro vestris meritis tractabimini, fructum laboribus vestris dignum percipietis. *Et scietis quod Dominus Iehouah.* Claudat hanc orationem epiphonemate, quod velut intercalaris versus subinde recurrit.

CONCIO



# Concio decimasseptima

## EZECHIELIS.

HOMILIA CVIII.

*¶* **P**ropheta tempus prædicit, quo urbs obsidione  
cincta fuit: & allegoria olla ostendit quo-  
modo Iudei propter pertinaciam  
suam puniendi sint.

CAPVT XXIII.

- 1 **F**uit verbum Iehouæ ad me anno illo nono, mense decimo,  
decima die eiusdem mensis, dicendo:
- 2 **F**ili hominis describe, describe tibi nomen huius diei, hunc  
ipsum diem: appropinquauit enim Rex Babel Ierusalaim  
hoc ipso die.
- 3 **E**t parabolicè loquere ad domum rebellionis, atque dic ad eos, Sic dixit Domi-  
nus Iehouah, Pone ollam, pone inquam, & etiam funde in eam aquam.
- 4 **C**ongere frusta eius in eam, omne frustum bonum, femur, & armum electis of-  
sibus imple.
- 5 **E**lectum pecus assume, & etiam incende ossa sub ea: bullire fac bullitiones eius:  
etiam coquite ossa eius, in medio eius.
- 6 **P**ropterea sic dixit Dominus Iehouah, Væ ciuitati sanguinum, ollæ cuius spuma  
est in ea, & spuma eius non exiuit ab ea: frustatim, frustatim educ eam, non cadet su-  
per illam fors.
- 7 **S**anguis enim eius in medio eius fuit, super eminentem petram posuit eum: non  
effudit illum super terram, ad operiendum illum puluere.
- 8 **V**t ascendere faceret iram ad vliscendum vltionem: ita posui sanguinem eius  
super locum eminentem petræ, ne operiatur

**H**oc capite CONCIO XVII. Ezechielis continetur, quæ eius-  
dem est argumenti cum superioribus: prædicit enim quæ mala Iu-  
dæorum genti, & in primis Hierosolymis immineant: nempe oc-  
cupandam terram, obsidendam urbem, eamque ciuibus variis ma-  
lis affectis, tandem expugnandam & inflammandam esse. In hoc  
differt hæc oratio à superioribus, quod diem designat, quo urbs obfessa est: dein-  
de noua constat dicendi forma.

**Partes.** Primùm enim iubet Deus Prophetam ollam implere carnibus, & ignem subicere, &c. deinde præcipit ei, ne mortua vxore eius, pro more gentis luctum suscipiat. Discemus ex hac prophetia, quod perpetuum est in hoc libro, quid tandem urbibus & regnis, priuatisque hominibus accidat, si contempto Dei verbo, securè in sceleribus pergant, nempe quòd à Deo funditus perdantur. Germanico prouerbio dicitur, tandiu dici aliqua de re, donec tandem fiat. Non desunt, qui si videant multos violare legem Dei absq; pudore putent id non esse peccatù, &c. Descendamus ad explicationem verborum Prophetæ.

**Vñs.** *Fuit verbum Iehoua ad me anno nono, mense decimo, decima die mensis, &c.* Principio tempus notat, quo hæc prophetia ei à Deo reuelata fuit: nempe anno 9. nimirum captiuitatis Iechoniæ vel regni Zedechiæ (illo enim anno, quo Iechonias rex abductus est in captiuitatem, successit ei Zedechias) mense decimo, qui respondet nostro Decembri, decimo die mensis, quo rex Babylonius Hierosolyma obsidere cœpit, vt Ierem. 39. 52. & 2. Regum vltimo capite, habetur. In Babylone scripsit hæc Propheta, proinde magnum fuit, per tot interualla locorum, articulum diei obsidionis, reique euentum indicare. Nam ipse rex cùm exercitum educeret, vt suprâ audiuius, dubitabat num belli initium à Iudæis, an ab Ammonitis esset facturus. Non minus stupendum hoc fuit, quàm si quis nostro tempore Cōstantinopoli degens, diceret, Hodie princeps Turcicus adduxit copias suas vt obsideat Viennam Austriæ, vel Augustam. Postea Iudæi captiui, Prophetam vera dixisse compererunt, saltem à vulneratis qui obligatis capitibus in Babylonem veniebant: vel vt nos dicimus ex claudicante nuncio. Alij quoque Prophetæ, omnia quasi acu tetigerunt: miranda itaque est stultitia illa hominum, qui si prognosten aliquem semel & iterum audiant vera dixisse, stupent & mirantur: interim prophetica scripta, in quibus duntaxat veræ sunt prædictiones, nullis falsis admixtis, non mirantur, non eas euoluunt, &c.

**Quando  
vrbs obses  
sa sit.**

*Appropinquauit rex Babel.* Forsterus reddit, *Diem quo sustinuit rex Babel ad Ierusalem*, id est, diuina voluntate & instinctu tendit. *וּבַסַּמַּח* interpretatur sustinere personam, ne cadat & pereat. *Et parabolicè loquere ad domum rebellionis, atque dic ad eos. Sic dixit Dominus Iehoua, Pone ollam, &c.* Deus mandat Prophetæ, vt per parabolam vel allegoriam loquatur Iudæis, quos domum rebellè vocat: Deo enim non obtemperabant: sed pendebant à pseudopphetis: veròque Prophetas & Dei cultores, vt hodie quoque fit, sub seditioforum & rebellium nomine insectabantur: interim volebant videri quòd Deo obedirent. Ideo verò non simpliciter, sed per parabolas Prophetam loqui voluit, quæ euentura sint ciuitati, teste Theodoro, vt propter eorum quæ dicuntur obscuritatem, studiosiores ad interrogandum auditores effecti, exploratius oracula diuina perciperent. Sumit autem allegoriam à re vulgari, nempe à culina. Seruator quoque noster, similitudines suas, à rebus vulgo notis ideo sumpsit, vt ab agricolis, opificibus, & plebeis hominibus intelligeretur. Concionatores discant se ad captum suorum auditorum demittere, sunt enim qui similitudines à rebus obscurissimis petant, & tam obscure Sacras literas enarrent, vt nemo eos intelligat. Inueniunt tamen stultos admiratores suæ illius obscuritatis, &c.

**Cur parabolis  
vñs sit.**

*Pone ollam & funde in eam aquam, &c.* Deus cum Propheta loquitur, tanquam cum coquo, iubet eum I. apponere ollam, per quam urbem significat. II. Infundere aquam in eam, per quam, sicut & per ignem, crebrò afflictiones, & omnis generis calamitates significantur in Scripturis. III. Congerere frusta eius in eam, hoc est, quæ in illam mittenda sunt: addit, *Omne frustum bonum fœmur & armum.* Germanica translatio habet, *die henden vnd schulteren*, nostri Ianij vocant *den stotzen vnd den foaderen schilt*: Regem & primates intelligit: electis adhæc ossibus implendam dicit: intelligens robur militum, electumque pecus assumendū, principes

principes, duces, Leuitas, qui ex aliis urbibus & locis accesserant. Fieri etiam potest, ut tantum optimates & delectos milites in urbem receperint, exclusis reliquis.

III. Iubetur ossa, nimirum arida, sub olla incendere, nam instar ligni ardent, si arida sint. Significatur innocentes occisos, huic igni materiam præbuisse, nam sanguis eorum postulauit vindictam. V. Præcipit, ut faciat ita bullire, ut non carnes solum, sed & ossa coquantur. In obsidione enim non solum delicati homines, sed & duri milites consumpti sunt. Mox subiicit interpretationem. Solet enim Deus obscura vel mox subiectis verbis, vel aliis Scripturæ locis explicare. Si Iudæos iussisset hanc parabolam explicare, attulissent mirabilia figmenta. Hodie reperiuntur qui putant satis esse proponere nuda Dei verba, postea cuius liberum esse debere, illa interpretari suo arbitrato: nolunt enim taxari scelera, quibus se obnoxios esse sciunt. Deus longè aliter rem instituit in sua Ecclesia, ut hic, & multi alij loci ostendunt. Cæterum ut hæc similitudo vel allegoria de olla, à nobis rectius intelligatur, quædam ex capite II. repetenda sunt. Ieremiæ I. capite, interrogat Deus Prophetam, quidnam videat? ille respondet, ollam bullientem ab Aquilone. Deus rectè, inquit, hinc enim educam, qui urbem obsidione cingant &c. Hæc Iudæi in fabulam & risum vertentes (ut hodie quoque non desunt, qui securè cõciones sacras, in animæ suæ perniciem, rident) dicebant, Hierusalem est olla, nos sumus caro, carnes non mox educuntur ex olla (quis enim crudis vesceretur?) sed expectandum est donec elixæ fuerint: ita nos locum habebimus aliquandiu in olla, id est, urbe nostra, Babylonij non statim nos extrahent & vorabunt. *sy vver-dend vns nit also laebendig fraessen.* Inducias illas quas se habituros somniabant, vertebant in peccandi occasionem. Confirmat nunc Propheta eorum sermonem, & non ita statim extrahendos, sed diu excoquendos vaticinatur.

Scripturæ  
sunt expo-  
nendæ.

*Væ ciuitati sanguinum.* Per exclamationem ollam illam, urbem sanguinum nominat. Hoc nomine apud Nahum prophetam 3. cap. Niniue quoque appellatur. Exprobrat eis iniustas cædes, quas non solum in bellis iniustis, sed domi per iniqua iudicia, & priuatæ vindictæ cupiditatem commiserant. Abakuk sanguinariam ciuitatem nominat 2. cap. ex sanguine ædificatam. Sanguines in plurali numero, apud Hebræos etiam capitalia scelera, & sanguine pianda, significare alibi annotauimus. Igitur urbs sanguinum, idem est quod plena capitalibus sceleribus.

Vrbs sangui-  
naria.

*Olla cuius spuma est in ea, & spuma eius non exiit ab ea.* חלה חמה חלה חמה quidam spumam, quidem rubiginem interpretantur. Forsterus, qui quanta potuit diligentia proprietatem vocabulorum obseruauit & expressit, scribit in suo lexico, Hebræos hoc nomine sordes vocare, quæ propter nimiam ignis adustionem de esculentis ollæ adhærent. Sensus est, Væ illi ollæ non despumata, hoc est, urbi indurata in sceleribus. Ut per spumam intelligat scelera manifesta, & omnibus conspicua, à quibus ne tanto calamitatum igni dimoueri potuerint. Nos quoque sceleratos homines populari lingua vocamus spumam, *den schum vnd abseimeten.* Si rubiginem vel adustionem intelligas, idem erit sensus. Est autem magnæ pertinaciæ argumentum, si sceleribus ita assuescimus, ut ne maximis quidem afflictionibus, ab olla corporis nostri defricari possint. Quidam grauibis morbis oppressi, non possunt ita compefci, quin cum Deo expostulent, cur non alios peiores in hos morbos coniecerit, & alias huius generis impias voces emittunt, non cogitantes se iustas scelerum suorum pœnas dare. Nemo autem miretur Deum huiusmodi homines castigare, quorum pertinacia ne tot afflictionibus potest mollescere.

*Frustratim frustratim educ eam.* Significat non semel & simul omnes, sed alio atque alio tempore, alios atque alios perdendos esse: multi enim peste, multi fame, multi variis telis diuersis temporibus perierunt.

*Non cadat super illum fors.* Sensus est, nulli sexui, ordini, ætati parcam, vt fit si forte alij ad perniciem, alij ad salutem delegantur: Sine discrimine, dicit, eos vel interficiam, vel in miseram seruitutem redigam. Vel super ollam, hoc est, super vrbem, non cadet fors, hoc est, non sorte explorabitur; num vrbis relinquenda aut euertenda sit. Iam enim Deus & Nabuchadonosor funditus delendam esse decreuerant. Romani diu consultarunt in senatu, an Carthago funditus excindenda esset, necne, ita de aliis vrbibus sæpe disceptatur, aliquando ad sortes descenditur. Propheta dicit quòd vestram vrbem attinet, non confugiendum erit ad sortes, euertenda sit necne, iam enim lata est sententia de illa euertenda.

*Sanguis enim in medio eius fuit, &c.* Inter excidij causas, passim apud Prophetas, iniustæ cædes primo fere loco collocantur. Hierusalem sanguinem super siccam petram, non super terram posuisse dicitur. Sanguis qui effunditur in petram altam, diffunditur, neque facillè celati potest, non enim imbibitur à petra: ita sanguinis quoque in domo aliqua effusi, vestigia sæpe longo tempore manent. Sanguis verò qui in terram effunditur, statim absorbetur à terra: pulueribus obruitur. Sensus est, publicè & palàm effundunt sanguinem, glorianturque copioso sanguine effuso: defendunt iniustas cædes, & alia scelera tanquam legi meæ consentanea: sed sanguis hic semper est in conspectu meo.

*Vt ascendere faceret iram.* Hierusalem sua illa crudelitate, Deum ad iram prouocauit: qui quia sanguis in loco eminente positus fuit, non potuit eius obliuisci. Sanguis enim ille subinde, vt sanguis Abeli, vindictam postulauit. Vtinam hæc Prophetæ verba, à Caribus qui bella volunt, & illis quoque qui veros Dei seruos passim magno numero trucidant, diligenter expenderentur, quò obruere potius conarentur innoxium sanguinem, vera pœnitentia, quàm nouis subinde conatibus refricare.

## HOMILIA CIX.

*Pergit in expositione allegoria de olla.*

9 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, *Væ ciuitati sanguinum, & ego faciam grandem pyram.*

10 Multiplicabo ligna, succendam ignem, consumam carnem, & condiam condimentum aromatibus, & ossa adurentur.

11 Et statuam eam super prunas eius vacuam, vt incalescat & comburatur fundum eius: & fundetur in medio eius inquinamentum eius, consumetur spuma eius.

12 Mendacijs fatigarunt sese, nec exiit de ea multa spuma eius: ideo igni consumetur spuma eius.

13 In immunditia tua adhuc es, hoc est scelere: propterea quòd mundasti te, & non mundasti te ab immunditia tua, non mundabis te amplius, donec quiescere faciam iram meam in te.

14 Et ego Iehouah loquutus sum: venit, & feci, non retrocedam & parcam, neque pœnitebit me, iuxta vias tuas, & opera tua iudicabunt te, dixit Dominus Iehouah.



N prima parte huius capituli, proposuit Propheta allegoriam de olla, quam mox Deo verba dictante, explicat. Similitudo illa de olla, in prouerbitum abiit, apud impios illos Dei contemptores, minasque propheticas hac ipsa similitudine eluserunt, dicendo, Si vrbis nostra olla est, nos

est, nos caro: non statim inde extrahemur ab hostibus, manebimus in illa olla, ad multos annos. Pergit itaque Propheta, grauissimèque de obsidionis acerbitate loquitur, vti audiemus.

*Væ civitati sanguinum, etiam ego grandem faciam pyram.* Iterum Hierusalem civitatem sanguinum appellat: minaturque illi, quòd quemadmodum multa & magna scelera patrarit: ita ipsa quoque, magnis calamitatibus opprimenda sit. Perstat in allegoria, dicens se congesturum tantum ligni sub illa olla, vt caro & ossa consumantur, quin ipsa olla liquefcat. Quàm horrendum sit vrbes obsideri à crudelibus hostibus, & vndique premi, ex historiis & experientia notum est. De Scodro vrbe Epiri oppugnata, & Rhodo expugnata, libri hominum manibus teruntur.

*Et condiam condimentum aromatibus.* Munsterus, Inspergendo pigmenta. Vt luti carnes variis aromatis condiuntur, vt palato sint gratiores: sic mora obsidionis efficiam, vt auidius vos vorent, hoc est, vrbe expugnata iugulent. Optimum condimentum, vt prouerbio dicitur, est fames. De Dionysio, cui fastidienti nigrum ius, quod in phiditiis (phiditia, teste Cicerone, Lacedæmonij cœnationes seu conuiuia nominabant) apponebatur, coquus respondit, non esse mirum, cum deessent condimenta, de palestra & cursu ante cœnam sentiens. Milites igitur illi, quibus illa condimenta non deerant, auide carnes illas elixas comederunt. Vel hic potest esse sensus: Si propter fœtorem cadauerum ( fieri enim potest, vt quod in posteriore obsidione sub Vespasiano & Tito accidisse memoratur à Iosèpho, cadauera insepulta in fossas coniecerint ) soluendam obsidionem cogitent, addam eis animos, vt eam continuent. Vt carnes quæ condiuntur aromatis, vel sale non computrescunt, ita efficiam, ne fœtore ab instituto suo depellantur. *Statuam eam super prunas eius.* Si carnes & ossa consumpta fuerint, ollam vacuam super prunas collocabo, vt æs liquefcat, & sic sordes atque rubigo consumatur. Minatur his verbis, inflammadam urbem, de qua re sæpe dictum est in hoc Propheta. *Mendacijs fatigarunt sese, nec exiuit de ea multa spuma eius.* Munsterus, *Molestissime fatigasti.* Tigurina versio habet, *Frustra sudatum est,* &c. Forsterus in dictione *ללא* laah laboribus vel cœcupiscentiis defatigata est, neq, tamen egredietur ab ea multitudo adustionis. Thau loco He scriptum esse annotat, *והנהו* theunim vanitates secundum Kimhi, teste Munstero, ab *אפן* asen vanitas: deficere Beth præpositionem Santes annotat, positum esse pro bitheunim, in mendacijs laborare fecit, scilicet seipsam. Ego hunc puto esse simplicem sensum: Vani & irriti fuerunt omnes labores tui, quos suscepisti ò Ezechiel, vt ollam illam à rubigine repurgares, non enim nisi per ignem, & vehementem quidem, purgari poterit. Hunc sensum sequentia videntur confirmare.

*In immunditia tua adhuc es, in scelere.* Apostrophe ad ollam. Etiam cum admotus & suppositus est ignis, adhærescit tibi rubigo vel adustio: obsessi enim ab hostibus, perseverarunt in sceleribus. *Mundavi te, & non mundasti te.* Serui mei Prophetæ frustra labores insumpserunt in te purgando: pœnas quoque leuiores frustra adhibui, vt te purgarem: tam pertinaciter adhærent tibi sordes peccatorum, vt defricari nullo modo possint. *Kein ribel nach harnesc blatz nimpr dahin.* Inuidia certe fuit & deplorata huius gentis pertinacia. *Non mundabis te amplius donec quiescere faciam iram meam in te.* Nulla est spes emendationis tuæ donec Dei iram grauissimam experiaris. Medicus in desperatis morbis, etiam ad extrema remedia confugit.

*Ego Iehouah loquutus sum.* Prophetæ non sua somnia afferunt: nõ est quòd blandiamini vobis, vana hac cogitatione, *Quis Prophetæ hæc vel illa dixerit? Venit, nēpe malum quod prædixi: iam rex Babylonius tentoria figit ad urbem, admovent machinas bellicas &c. Feci, nimirum quod prædixi.*

*Non retrocedam.* Aliàs sæpe feci instar illorum, qui cùm pugnare decreuerunt, pedem aliquando certas ob causas referunt, sed hoc tempore, tibi non placabor. *Neque parcam.* Nulli sexui, ætati, ordini parcam. A militibus quantumuis barbaris, certis hominum generibus plerunque parcitur. *Neque pœnitebit me.* Decretum meum non mutabo, sed pœnam omnino eis infligam.

Quomodo  
Deus pœni-  
tentia agen-  
tibus parcat

*Iuxta vias tuas iudicabunt te.* Non est quòd in quenquam culpam conferas tuarum calamitatum, præterquam in teipsum, aut vt Deum crudelitatis insimules. Quomodo cum his, inquis, verbis, congruunt verba quæ Deus dixit per Ieremiam 18. capite. Repente loquar aduersus gentem & regnum, vt eradicem, destruam & perdam illud: si verò pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, contra quod loquutus sum, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi, vt facerem ei. Exemplum huius rei habemus in Niniuitis, quos Deus perdere decreuerat: sed cùm illi pœnitentiam agerent, mutauit sententiam. Deut. 9. capite Moyses dicit, se coram Domino quadraginta diebus, & totidem noctibus procidisse, eò quòd dixisset, se velle populum suum delere: orasse Dominum placatumque esse furorem eius. Sæpe quidem, at non semper fit, vt Deus intercedente pœnitentia, pœnas auertat: aliquando aliis in exemplum, etiam pœnitentiam agentibus, calamitates infligit, idque animo paterno, non infesto. Cæterùm si Iudæos consideremus, abhorrebant à pœnitentia, etiam tot malis pressi, necessariò itaque eis pereundum fuit. Si toto pectore conuersi fuissent ad Dominum, vel auertisset pœnas, vel mitigasset eas: vel si omnino illis quoad corpus pereundum fuisset, tamen ipsorum animas seruasset.

Quid verò ad nos pertinet hæc narratio, tam acerbæ obsidionis Hierosolymorum? Vt nobis ab illis rebus caueamus, quibus Iudæi sibi tam graues pœnas attraxerunt. Si hodie dicamus, vsuras immodicas, adulteria, ebrietatem, & alia scelera, tollenda esse, multi vociferantur, has consultationes esse de rebus impossibilibus, hæc ita inualuisse, vt remedium nullum inueniri & sperari possit. Certè si hæc tolli non possunt mitioribus pœnis, verendum est, ne Deus nobis quoque missurus sit hostes, qui ollam carnis nostræ, à rubigine & fordibus illis, magno nostro malo, repurgent. Sin verò generalis pœnitentia sperari non possit, pij homines se præparare debent ad ventura mala, & Deo se approbare, quòd pœnas mitiget, aut minimùm corporibus pereuntibus, animas eorù clementer conseruet.

## HOMILIA CX.

*In secunda parte huius capituli, Propheta per aliam parabolam, de subita morte uxoris suæ, ostendit Iudæos præ nimia animi consternatione, excidium Templi, uxorum & liberorum interitum non lucturos.*

15 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

16 Fili hominis, en ego tollo à te desiderium oculorum tuorù percussione: ne plangas eum, nec plores, neque veniat lachryma tua.

17 Ab eiulando tace, mortuorum luctum ne facias, tiaram tuam circumliga super te, & calceamenta tua pone in pedibus tuis, & ne operias labrum superius, & panem hominum ne comedas.

18 *Loquutus sum itaque ad populū manē, & mortua est vxor mea vesp̄ri, sc̄ique manē sicut iussus sum.*

**I**N secunda parte huius capituli, Deus per Prophetam alia parabola Iudæis, qui partim abducti erant in captiuitatem, partim Hierosolymis & in Iudæa adhuc degebant, iudicium suum denunciat. Prædicat enim Ezechieli prophetæ obitum vxoris, eique præcipit ne eam lugeat: si interrogent, dicat, hoc fieri ipsis in signum, quòd excidium Templi, vxorum, liberorumq; interitum, præ nimio dolore & animi consternatione, non sint lucturi. Homines enim sæpe miseriarum mole ita obruuntur & perturbantur, vt nec flere possint. Similis ferè locus extat. Iere. 16. vbi Deus Prophetæ mandat, ne ducat vxorem, ne prodeat in ipsorum funera, ne epulis intersit: quæ omnia particularia vel personalia sunt mandata. Videamus primùm verba Prophetæ, deinde vsum & fructum eorum.

*En ego tollo à te desiderium oculorum tuorum percussione. Munsterus, In ipsa plaga. Forsterus, In strage.* Hoc est, non diu decumbet, sed repente morietur, siue peste siue paralyti, siue alio morbo extincta sit. Vocat eam desiderium oculorum, quòd ei iucunda & plurimùm amabilis esset (nostri homines dicunt, *syn augmentrost.*) eò quòd multis virtutibus esset prædita: alioqui facile potuisset ad illius subitam mortem, sibi à lachrymis temperare. Dicit, ego tollo à te: oculi enim semper ad Deum conuertendi sunt in omnibus ærumnis tanquam primam omnium rerum causam. Addit quomodo se gerere debeat extincta vxore charissima.

Desiderium  
oculorum.

*Ne plangas, ne plores, neque veniat lachryma tua: ab eiulando tace, mortuorum luctum ne facias.* *פפח saphad, בבהח bachah, דמה dama, אנק anak,* plangere, flere, lachrymari, gemere significat. An hæc verba eiusdem, an diuersæ sint significationis, vt apud Latinos flere, plorare, plangere, vociferari, lamentari, gemere (de quibus Laur. Valla Elegant. lib. 5. cap. 52.) non facilè dixero. Deus certè his verbis vel eiusdem, vel diuersæ significationis, prohibet, ne Propheta vel voce vel gemitu dolorem, quem ex obitu vxoris maximum percepit, testetur.

*Mortuorum luctum ne facias.* Hoc est, qui fieri solet pro mortuis, secundum morem gentis. *לבל ešel* luctum vel pompam lugentium significat. Vetat ne pompa funebri cadauer prosequatur, ne mutet habitum, ne vlla in re speciem lugentis præ se ferat, id quod per species aliquot explicatur.

*Tiaram tuam circumliga super te.* Id est, capiti tuo. *פאר peer* decus & ornatus. Exodi 39. ponitur, Ornatus mitrarum: vnde colligitur ornamentum fuisse applicatum tiaris: aliqui tiaram interpretantur, vel pileum. Iudæi in luctu capita vel nudabant, quasi indigni consueto ornamento: vel illa operiebant, quasi indigni qui lucem hominèsque aspicerent, aut qui ab illis conspicerentur. Apud nos quoque alijs pileis in luctu, alijs lætis temporibus vtuntur. Propheta iubetur consueto pileo vel ornamento vti.

Habitus lugentium apud Hebr.

*Calceamenta tua pone in pedibus tuis.* Discalceati enim erant in luctu. Antonius Margarita ex Iudæo Christianus factus, Germanica lingua scripsit librum de ritibus vel superstitionibus Iudæorum, in quo de ritibus quos hodie circa mortuos suos seruant scribit, de mortui cognatos, mox ab obitu eius lacerare vestimenta sua, nec comedere in domo illa illo die, sed foris: non comedere carnes, nec vinum bibere, nisi fuerit Sabbathum: nudis pedibus sequi funus &c.

*Ne operias labrum superius.* *פפח scapham* comprehendit labium superius & inferius cum mento: breuiter, quicquid est infra nasum. Leui. decimotertio: Et caput eius erat euacuatum, & super labro velabatur. Micheæ 3: Pudefient videntes, & erubescant diuini, & velabunt labrum vniuersi illi. Secundo Samuelis 15. David

in seditione Absolomi ascendendo montem oliueti fleuisse obuoluto capite, nudisque pedibus incessisse legitur, more lugentium. 19. cap. plangens Absolomum filium, faciem operuit. Possent alia quoque loca proferri, ex quibus colligitur hunc lugentium habitum fuisse.

*Panem hominum ne comedas.* פַּנֵּי אִנְשִׁים *enafchim* calamitosorum, lugentium, melius est quam virorum. In luctu diuites exicipiebant pauperes conuiuuiis: vel, ut hodie quoque solemus, missitabant eis fercula, ut eos recrearent. Item diuites alioque funebri epulo excepisse probabile est, ut illi qui suos amisissent, dolorem suum, hominum consuetudine lenirent. Parentalia Latini vocant conuiuia, quæ in funere parentum vel propinquorum fieri solebant. Nonius scribit Silicium esse funebre conuiuium, quod senibus exhibeatur. Varro, Funus executi lautè ad sepulchrum, antiquo more silicernium fecimus, id est, conuiuium, in quo pransi discederes dicimus aliis alij, Vale. Græci funebria conuiuia vel ferales cœnas, *ἀεὶδύρνια* vocant. Fieri potest, ut ditiores apud Iudæos, etiam huiusmodi conuiuia habuerint. Contra hunc morem extant Ambrosij & aliorum patrum orationes & decreta. Gyraldus scribit, in huius consuetudinis vicem, in quibusdam adhuc regionibus in parentationibus perseuerare, ut domi amici & cognati conuocentur, peractisque ad sepulchrum iustis & funeralibus, domi conuiuia, & lautissima quidem agerent, in quibus & demortui laudes, & uiuentium solatia à sacerdote, vel pro eo ab alio post epulas funebri oratione referantur.

Funebres  
epulæ.

Addit, Propheta, se populo hæc manè dixisse, vesperi uxorem obiisse, postero die se fecisse quod in mandatis acceperat, nempe uxorem, quæ ei charissima erat, non luxisse, non mutasse habitum, &c.

Observatio  
nes.  
Prophetæ  
uxores pro-  
prias habue-  
runt.

Videamus iam deinceps, quis usus sit huius siue parabolæ, siue historiæ. Primum colligimus ex hoc loco, quod sancti Dei Vates, uxores suas habuerint: quodque coniugia non interturbarent eorum munus & Spiritus sancti dona. Moyses dux populi, propheta & legislator, uxorem habuit, ex qua liberos suscepit: Samuel, Isaias iussus est ingredi ad Prophetidem, nimirum ad uxorem suam. In lib. 2. Regum 4. capite, vxor Prophetæ auxilium petit ab Eliseo. Deus Jeremiæ decimo sexto capite, coniugium prohibet, ne liberos suscipiat, non quod simpliciter coniugio interdicit, quasi indigno prophetæ: sed ut ostendat sæuissimam captiuitatem eis impendere. Dicit enim omnia ita implenda fore cadaueribus, ut ne humari quidem possint: alioqui nemini coniugio interdixit.

Generalis est regula, ad Corinth. septimo cap. Ad vitandam scortationem, habeat unusquisque uxorem suam, &c. Apostoli quoque uxores suas habuerunt. 1. Corinth. nono cap. Romani pontifices, diaboli instinctu, ut aperte, 1. Timoth. quarto capite, prædictum fuit, ministris Ecclesiarum coniuges ademerunt. Longum esset hoc loco recensere, quibus artibus hoc effecerint: quam acriter Germani in hac parte restiterint Romanis pontificibus: item quantum malorum agmen ille cælibatus in Ecclesiam inuexerit. Petrus Martyr scripsit defensionem contra Richardi Smythæi duos libellos, de cælibatu sacerdotum, & votis monasticis, in qua multa præclara, ad hanc rem pertinentia tractat. Scripserunt & alij, de eodem argumento.

Pij exercen-  
tur ærūnis.

Deinde colligimus ex hoc loco, Deus suos amicos & eximios seruos, qualis hic Propheta fuit, aduersis casibus exercuisse: neque semper omnia eis concessisse, quæ voluissent. Propheta sui Ezechielis, uxorem charissimam, quæ exilij acerbiter lenire potuisset, subito aufert. Si diu decubuisset, optasset, eam tandem liberari doloribus, sed repente ea orbari, fuit acerbissimum. Tolerabilius etiam fuisset, si repente sublata desiderium, lachrymis vberimis testari potuisset, id enim aliquam in tanta calamitate leuationem attulisset. Rectè Ouid. lib. 4. de Tristibus dicit:

Fletus leuat  
dolores.

Fléque



Fléque meos casus, est quædam flere voluptas,  
Expletur lachrymis egeriturque dolor.

Seneca in Troade, Fletus ærumnas leuat. Et Eurip. ait, Ως ἡδὺ δάκρυα τοῖς κακῶς πάπον θόσι. Idem in Andromada Ο κάμνον δακρύων μεταδούς ἔχει κουφότητα μοχθῶν. At Propheta dissimulare dolorem debuit. Omnes itaque ærumnas, Sanctorum exemplo patiēter feramus, excutiamúsque tristes illas cogitationes, quas Diabolus nobis immittit, Si Deus tui curam haberet, hæc & hæc tibi non acciderent, &c.

Adhæc videmus *στοργὰς* fuisse in Prophetis. Honesto amore vxorem suam *στοργὰς* exilii sociam prosequutus est, eamque luxisset, nisi Deo aliud fuisset visum. in Prophe-  
Sancti non sunt *ἀπαθείς*, instar lapidis & ferri, vt Stoici fingebant, sed & suis & tis fuerunt  
& aliorum malis afficiuntur.

Elicimus præterea, Deo charissimos homines, subitanea interdum morte hinc auferri. Cōiugem Ezechielis piam & castam aliisque virtutibus ornatā, ideoque Deo charam fuisse, non est dubitandum, alioqui Propheta eam tam vehementer non dilexisset, tamen repēte sublata est. Genesis 35. cap. Rachel vxor Iacobi in itinere ex partus doloribus obiit, quam constat Deo gratam fuisse. Si impii subitò pereunt, horrenda res est: si pii subitò moriantur, non item: etenim manè surgentes, & vesperi euntes cubitum, se Deo commendant: sciunt perpetuò vigilandum esse, cùm tot sint morbi, tot casus, qui repente hominem possint interimere. De Phaaltia impio homine, qui subitò expirauit, suprà habuimus. Annorandum est hoc quoque, omnibus antefendum esse mandatum Dei. Vxorem suam vehementer quidem diligebat Propheta, non tamen eam Deo prætulit: Deo iubente, solito vestitu & habitu incedit, non funus decorat lachrymis &c. Ne itaque vxorem, liberos, charissimos quosque Deo anteponamus. In Abrahamo huius rei insigne habemus exemplum, qui Isaacum Deo præcipiente immolaturus erat. Christus dicit, Qui parentes, fratres, sorores mihi præfert, me non est dignus. Obediendum est Deo: Propheta omnia vt iussus erat, exequitur. Deus à nobis non requirit, ne amicos nostros lugeamus, sed ne immodicè eos lugeamus. Fuit & hoc peculiare, non generale præceptū, quod Deus Prophetæ hoc loco præscripsit. Postremò certitudinem videmus prædictionum Dei: dixit vxorem morituram, vesperi mortua est: dixit nos morituros, omnes ibimus. Prædixit alia quoque quibus euentus respondet, hæc nostram fidem exuscitare debent. Domino Deo sit gloria.

## HOMILIA CXI.

*Explicat parabolam de vxore sua  
mortua.*

19 Et dixit ad me populus, An non indicabis nobis quid ista portendant nobis? tu enim facis illa propter nos.

20 Et dixit ad eos, Verbum Iehouæ fuit ad me, dicendo:

21 Dic Domui Israel, Sic dixit Dominus Deus, Ecce polluo Sanctuarium meum, superbiam fortitudinis vestræ, desiderabile oculorum vestrorum, & indulgentiam animæ vestræ: filii vestri, & filia vestræ, quas reliquistis, gladio cadent.

22 Et facietis quemadmodum feci: labrum superius non operietis, & panem ho-

minum non comedetis.

23 Et tiaræ vestrae erunt super capita vestra, & calceamenta in pedibus vestris: non plangetis, neque flebitis, sed tabescetis propter iniquitates vestras, & gemetis alter cum altero.

24 Eritque Iehozel vobis in portentum: iuxta omnia quæ fecit, facietis: quum venerit istud, tunc scietis quod sum Dominus Iehouah.

25 Et tu fili hominis, an non in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, desiderium oculorum ipsorum, & eleuationem animæ eorum, filios eorum & filias eorum:

26 In die inquam ipsa veniet euasor ad te, ad auditum aurium?

27 In die illa aperietur os tuum cum euasore, & loqueris, nec obmutesces ultra: & eris illis in portentum: & scient quod ego Iehouah.



Hæc audiui, Deum Prophetæ vetuisse ne subitam vxoris suæ mortem lugeret: illum vt iussus fuerat, nullam luctus speciẽ præbuisse: sequitur iam interpretatio illius rei: Deus enim tã est clemens & misericors, vt nobis non solum verbum suum proponat: sed etiam quæ obscura sunt, interpretetur: id quod non semel in hoc Propheta obseruauimus. Sic Christus seruator noster parabolam de semine, discipulis de sensu interrogantibus interpretari dignatus est, Matth. 13. capite. *An non indicabis nobis quid hæc nobis?* Supple, portendant, & significet, vt vetus translatio habet. *Tu enim facis*, scilicet propter nos. Lugere vxorem, liberos, necessarios nostros, non solum est mos solennis, sed etiam natura omnibus insitus: non enim lapides sumus aut trunci. Gen. 23. Abrahamus Saram suam planxit. Coniuges sunt quasi vnum corpus, si moriantur vxores, cogitamus de beneficiis quæ in nos & liberos contulerunt. Si vel cõuictores à se inuicem diuellantur, sibi à lachrymis vix temperare possunt. Mortuos deflendos ac lugendos esse, etiam Homerus dicit sub persona Achillis, mortuum Patroclum deflentis, Odyss. ʒ

Lugere de  
functos hu  
manum est

Πάτροκλον κλαίω μὲν ὁ γὰρ γέρας ἐστὶ θανάτου.

Vide apud Stobæum titulum de luctu. Iudæi itaque mirabantur Prophetã, qui ab humanitate alienus non erat, cùm tempus luctum postularet, contraria omnia præ se ferre, interrogant quid istud portendat. Propheta responderet illis, se hoc mandante Domino facere (maluisset enim indulgere dolori) qui hac re significet, quæ ipsis euentura sint mala: delendum esse Templum, occidendas vxores & liberos ipsorum, tot tantãque fore miseras, vt attoniti flere non possint. Memoratu digna est historia, quæ apud Herodotum extat, de Psammenito Rege Ægypti: is captus à Cambyse rege Persarum, cùm vidisset filiam suam inter captiuas seruili habitu missam ad aquam ferendam, mox filium quoque ad supplicium duci, cæteris ploratibus ipse tacitus sedit: postea cùm inter captiuos amicus quidam ipsius ad supplicium raperetur, vberes lachrymas profudit: Cambyse miratus quid sibi vellet interrogauit, quod amici aduerso casu plus moueretur, quàm filia & filii: ille respondit domestica mala maiora esse lachrymis, sed amici calamitatem posse lachrymis significari. Hæc vox Cambysem, & alios qui aderant, admisericordiam flexit, ideoque iussit filium incolumem seruari, sed priusquã id significari ministris posset, iam filius interfectus erat.

Flere aliquando nõ  
possumus.

Quod Propheta paucis verbis dixit, iam multis explicatur. Primum commemorat ærumnas quibus inuoluendi sint. Secundo quid in his ærumnis

facturi

facturi sint. *Ecce polluo Sanctuarium meum.* Ipsi templum cōtaminabant idolis, deinde in tēplo manus sanguine plenas, ad Dominū tendebant: quare Deus Chaldaeos adduxit, qui illud ingrederentur, & omnes quotquot illuc confu- gissent, occiderent. Plebs Sanctum ingredi non audebat, sacerdotes Sanctum sanctorum: milites vero irrumpentes, omnia vasa & instrumenta sacra aufere- bant. *Meum*, quod in mei nominis gloriam constructū fuit. Sequitur periphra- sis huius templi: multis enim verbis (vt etiam paulò pōit) illud circumloquit- ur. *Superbiam fortitudinis vestra.* Iudæi superbiebant & gloriabantur propter templum suum, quod toto orbe celeberrimum fuit: fiduciam adhæc contra Dei verbum, in illo collocabant, non cogitantes in quem finem esset extructū Iere:7 cap. *Desiderabile oculorum vestrorum*, hoc est, quod libenter aspicitis, tan- quam rem gratissimam. Etenim citra controuersiam ædificium splendidissi- mum & pulcherrimum fuit, vnūmque ex præcipuis terræ miraculis. Historia sacra testatur, plus centum quinquaginta millia hominū opere, septimo tan- dem anno absolutum esse: mirum ergo non est elegātissimum fuisse, famám- que illius toto terrarum orbe percrebruisse. Iudæi qui in Babylone erant, ex- petebant templum hoc videre, eiúsque ceremonias, sed spe frustrati sunt.

Periphraſis  
templi.

*Indulgentiam anima vestra.* *חננו machmal* indulgentia, miseratio, parcētia, si ita diceretur. Sic vocatur templum, quia ex animo optabant vt templo parceret- ur: maluissentque vrbem deleri, quam tēplum. Matth. 24. Apostoli Domino templum secundum, non sine admiratione ostenderunt, omnino dignum iu- dicantes, quod non excinderetur. *Filij vestri, & filia vestra quas reliquistis, gladio cadent.* Multi qui abducti erant cum Iechonia, filios suos Hierosolymis reli- quisse probabile est, hos iugulandos prædicit: item liberos eorum, qui Hiero- solymis fame & peste extincti erant: pueris qui infra pubertatem sunt, parci- tur à militibus, nisi postulantibus hominum peccatis, à Deo contra eos insti- gentur. Hæc dicta sint de ærumnis, quæ significatæ sunt repentino vxoris Prophetæ obitu: nam & illæ repente cū minimè expectarent, Iudæos ob- ruerunt.

Secūdo loco quomodo se gesturi sint explicatur. *Facietis quæ admodum feci.* Miramini me non deffere mortuam vxorem, sed idem facietis vos: si tēplum quo nihil vobis charius est, & liberos amiseritis, præ animi cōsternatione plo- rare non poteritis: tot erunt funera, vt non cum pompa ad sepulchrum dedu- cturi, sed in plateas cadauera abiecturi sitis. Ita vrgebunt vos hostes, vt vix oc- cium vobis mutandi habitum concedatur. Quisque de se sollicitus, vt in pesti- lentis & præliis fit, aliorum paruum habebit rationem. In genere ostendit nil facturos quod in luctu fieri solet: iā per species aliquot id explicat, de quibus paulo antè diximus. I. Labrum non operietis. II. Panem lugentiū non come- detis. III. Tiaras vestras, vel ornamēta imponetis capitibus. IIII. Calceamēta vestra induetis. V. Nō plangetis, neq; flebitis. *Sed tabescetis propter iniquitates ve- stras.* *פנא namak* contabescere, per metaphoram fœterè. Deus hoc euēturum minatus est populo suo, si legem violet. Leuit. 26. Et qui superstites māserint, tabescent in iniquitate sua, in terra inimicorum vestrorum, quin imò in ini- quitatibus patrum suorum, & cum ipsis tabescent. Iniquitas in sacris Literis aliquando pro supplicio iniquitatis accipitur, & ita quidam hunc locum Eze- chielis interpretantur. *Et gemetis alter cum altero.* Vos qui in Babylone estis, si audiueritis vrbem cum templo dirutam esse, nō audebitis plangere, ne Baby- loniorum odia incurratis, qui indignè ferrent, si intelligerent vobis dolere, quòd rex Babylonius vrbem & templum inflammavit, omnia vastavit, & c. Suprà autè diximus, lachrymis quasi laxari animorum angustias. *Eritque Eze- chiel vobis in portentum: iuxta omnia quæ fecit, facietis, & c.* *מפת מופת* lignum

Luctus sym-  
bola.

prodigium, portētum. Isa. 20. Et dixit Dominus, Sicut ambulauit seruus meus Iesaias nudus & discalceatus tribus annis, in signum & prodigiū super Ægyptum, & super Æthiopiā, sic abducat rex Assur captiuitatem Ægypti & Æthiopiæ. Vide supra 12. capite. *Cum uenerit israhel.* Nimirum iste rumor, ista propheta vel calamitas. In calce capitis iubet Prophetam si nuntius afferatur de templo exusto, & multis cæsis, liberè cum populo loqui, eisque exprobrare pertinaciam. *An non in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, &c.* postea inferet, *Aperies os tuum?* In die, hoc est, tempore illo cum tēplum & liberos eorum perdidero: & nuntius uenerit, qui hæc omnia referet, tu fortiter agito &c. Templum iterum circumloquitur. I. Vocat fortitudinem eorum: ob vanam spem, quam in eo collocauisse, supra annotauimus. II. Gaudium gloriæ eorū: de quo gloriabantur & superbiebant. III. Desiderium oculorum ipsorum: propter elegantiam eius. IIII. Eleuationem animæ eorum. *משא mascha* onus, pondus, grauamen, templum uocat, quod potissimum animum eorum uirgeret, metuentes ne euerteretur. Alii reddunt eleuationem animæ eorum, hoc est, ad quod redire desiderabāt Iudæi abducti: eleuare enim animam, uisitata phrasi apud Hebræos, expetere & desiderare aliquid significat. *In die ipsa cum ueniet euasor ad te, ad auditum aurium.* Non solū in præsentī hæc eis proponere iubet: sed etiam quando prædictio euentu fuerit cōprobata, ut discant hæc omnia non propter hostium uirtutem, sed propter iustam iram Dei eis accidisse. Cū qui euaserunt ueluti ex naufragio, narrabunt in auribus tuis, hoc est, te audiente casus Iudæorum. *In die illo aperietur os tuum cum euasore.* Tunc temporis licebit tibi liberè loqui cum euasore, deque singulis rebus quas prædixisti, sciscitari. *Et loqueris nec obmutesces ultra.* Maiore quā deinceps libertate, etiam cum popularibus tuis agere poteris & debebis. Hactenus enim dixerunt, *Quis tibi hæc uel illa dixisset?* Alii Prophetæ, qui non minus se Dei spiritu dicunt afflari, contraria affirmant: cur tibi soli potius, quā aliis multis crederemus? Cognoscent re ipsa te uerum, illos uero falsos prophetas esse. Ier. 28. Ananias audiente Ieremia, magna confidentia dicebat, intra biēnium redituros ex captiuitate. Infra 33. uersu 21. duodecimo demum anno captiuitatis, mēse decimo, decimo die mensis, nuntius uenisse dicitur, qui triste nūcium de urbis & templi excidio attulit: uide locum.

Cogitādum hodie quoque cū ministris Ecclesiarum, tūm omnibus piis, quod etsi nunc silentium eis imperetur, & Antichristiani suis furiosis clamoribus, os ipsis obthurare moliantur, tamen illucescet tandem lætus ille dies, quo cūctis mortalibus manifestum erit, quis catholicus, quis hæreticus fuerit, Sapientia 3. capite. Christus quoque Apostolos suos quibus multa pericula prædicit, consolatur Matth. 10. Nihil est reatum, inquit, quod non sit reatum, & nihil occultum quin futurum sit ut sciatur. Deus suorum fidem & integritatem, aliquando ipsis uiuentibus asserit, ut Iosephi, Dauidis, Susannæ: aliquando post mortem ipsorum, ut Prophetarum, Christi filii sui, Apostolorū. In nouissimo die omnia patefient. Reuelabitur Antichristus 2. Thess. 2. hypocritarum insipientia manifesta erit, 2. Timoth. 3. segregabuntur hirci ab ouibus, Matth. 25. Quia uero omnia illa de quibus toties Propheta prædixit, Iudæis euenerunt, uiles adhortationes, quæ hodie quoque ex Prophetis desumuntur, ne contempserimus, alioqui nostro magno malo demum ipsi quoque experiri cogemur, Deum in minis suis ueracem esse.

TERTIA

Templi periphraſis.

Eleuare animam.

Deus innocentiam suorum asserit.

# TERTIA PARS LIBRI

EZECHIELIS.

## Concio decima octaua

HOMILIA CXII.

*Ammonitis interitum prædicit, eò quòd læati sint  
malis Hebræorum.*

CAPVT XXV.

- 1 **F**T fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo.  
2 Fili hominis, pone faciem tuam versus filios Ammon, &  
3 **P**ropheta aduersum eos.  
Et dic filiis Ammon, Audite verbum Domini Iehouæ, sic dixit Dominus Iehouah, Propterea quòd dixisti, Euge, super Sanctuarium meum, quia pollutum est: & super terram Israel, quia desolata est: & super domum Iehudah, quoniam abierunt in captiuitatem.  
4 Idcirco trado ego te filis Orientis in hæreditatem, & collocabunt palatia sua in te, & ponent in te habitacula sua: ipsi comedent fruges tuas, & bibent lactuum.  
5 Dabóque Rabbah in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum: & scietis quòd ego Iehouah.  
6 Quia sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd plausisti manu, & percussisti pede, gaudius es in omni contemptu tuo ex animo super terram Israel.  
7 Idcirco ecce ego extendi manum meam super te, & tradam te in direptionem gētibus, & succidam te à populis, & perdam te è terris, & delebo te, & scies quòd ego Iehouah.

**P**ropheta orditur nouam tractationem, quæ per octo continua capitula protenditur, nempe ab hoc 25. vsque ad 33. caput. In his capitulis, Deus per suum seruum exteris gentibus & regibus vicinis Iudæorum, prædicit, quòd & ipsi per Nabuchadonosorem puniendi sint. Gaudebant enim cladibus Iudæorum: non cogitantes quòd Nabuchadonosor easdem belli causas haberet contra ipsos, quas contra Iudæos habuerat: nam & ipsi fœdus in eius perniciem cum rege Ægyptio pepigerant: Deum quoque non minus ad iram prouocarant idololatria & sceleribus suis, quàm Iudæi. Alii Prophetæ, etiam hunc ordinem seruant, vt postquàm Iudæorum peccata reprehenderunt, supplicia eis prædixerunt,

Similes con-  
ciones apud  
ceteros pro-  
phetas ex-  
tant.

F.iii.

aut faulta denuntiarunt, mox ad gentes transeant. Isaias denuntiat populo Dei pœnas imminentes, postea à 13. capite, vsque ad 22. exteris gentibus sua fata exponit, & iterum 24. capite. Ieremias capite 25. in genere prædicit, non solum populum Dei, sed & alias gentes per Babylonium regem affligendas: Hierusalem primò biberurâ calicem iræ Domini, qui postea obambulatoris fit ad alias gentes. Mox à 46. capite vsque ad 52. caput, sigillatim recenset, quæ pœnæ singulas gentes vicinas maneant. Ita noster quoque Propheta, supra cap. 27. in genere prædicit, & Iudæos & exterarum nationes, pœnas persoluturas: postea explicat specialibus concionibus, quid de Iudæis: nunc in hoc & sequentibus capitibus, vsque ad 33. cap. quid de aliis populis futurum sit, & iterum 38. capite. Diuidi potest omnis hæc tractatio, in septem membra, secundum populos, contra quos vaticinatur, quorum hæc sunt nomina:

Partes &  
ordo.

1 Ammonitæ                      2 Moabitæ.                      3 Idumæi  
4 Palæstini                      5 Tyrii                      6 Sidonii.

7 Ægyptii. Contra quatuor priores paucis agit, contra Tyrios & Ægyptios multis, eò quòd fieri non posse videbatur, vt interituri essent. Fuit autem hæc tractatio, non solum illis temporibus, quando hæc gentes floruerunt, utilis & necessaria: sed etiam nostris temporibus. Iudæi qui cum Iechonia abducti erant, & qui post varias clades eos tandem sequebantur, offensi sunt felicitate gentium, & impiis illis sarcasmis, Vbi est Deus vester? didicistis ne vestris malis, quæ vera, quæ falsa sit religio? Deus itaque prædicit eos hoc non impunè laturos, se asserturum suam gloriam ostensurumque quòd & gentibus dominetur, suorùmque curam gerat: quæ prædictio quin multum Iudæos confirmarit, non est dubitandum. Qui verò dicunt, se non videre quid hodie nobis Christianis profint, quæ Deus gentibus concionatus est, valde ineptiunt: non considerantes Deum sibi similem, illa quæ olim in gentibus odio habuit, hodie quoque in nobis odio habere, ideòque nobis prophetica & alia scripta tradidisse, vt certam fidei & vitæ regulam habeamus.

Utilitas.

Videamus generalia aliquot capita, quæ ex tota hac tractatione elicienda sunt. Primum, exemplum habemus in his capitibus, illius dicti apud D. Petrum 1. epistola capite 2. Iudicium Domini incipere à domo eius, postea ad alios quoque progredi. Vt pater primum in suam familiam animaduertit, ita Cœlestis noster pater à suis initio factò, postea aliis quoque pœnas infligit. Nam si filiis non parcat, quomodo aliis parceret? Pii quoque homines vehementer percelluntur, si videant illos florere quos constat verbum Dei odio habere, è diuerso illos premi, qui etiam cum vitæ periculo Euangelii doctrinam propagatam vellent, vt vt suos natos habeant. Non rarò venit eis in mentem, quòd se impiis coniungere velint, vt ad honores & opes aditum habeant, sed statim iterum erigunt mentes hac cogitatione, quòd & in hoc, & altero seculo impii pœnas luant: item hoc exemplo, quòd Deus impiis illis gentibus, quæ in populum Dei grassatæ fuerunt, non pepercerit: sed per eundem Nabuchadonosorem eas euerterit. Cogitanda sunt alia quoque, vitæ humanæ breuitas & fragilitas, æterni gaudii magnitudo, quæ nos in officio retineant.

Iudicium  
incipit à  
domo Dei.

Non gau-  
dendum a-  
lienis malis

Deinde discimus quantopere Deo displiceat gaudium de alienis malis. Et si enim hæc gentes multis nominibus iram Dei contra se prouocassent, vnum tamen hoc in primis eis exprobratur quòd gauisæ sint ærumnis Iudæorum, & excidio Hierusalem. Hoc peccatum vt intolerabile Deus grauitè puniuit. Discamus potius timorem Dei, & veram pœnitentiam, de idem nobis quòd aliis eueniat, sed de hac re paulò post plura dicam.

Adhæc

Adhæc discimus, Deum qui Iudæos peculiariter sibi delegerat ex omnibus nationibus, aliarum gentium curam non prorsus abiicisse: nam & illas, per Prophetas suos docuit, mala ventura eis prædixit. Ionam misit ad Ninivitas, ut præco esset pœnitentiæ. Act. 14. Paulus & Barnabas turbis dicunt: Deus in præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi vias suas, quanquam non expertem testimonii seipsum esse sinebat, dum beneficia conferrer, de cœlo nobis dans pluias & tēpora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra &c. His rebus Deus semper se patefecit hominibus, Rom. 1. cap. Gentibus non omnia permisit, sed fræno suæ prouidentia eos cohibuit.

Deus est  
Deus om-  
niū gentiū.

Præterea colligemus quas ob causas Deus florentissima regna, fortissimos populos & vrbes munitissimas funditus euertat, nempe si lætentur ærumnis populi Dei, si defendant idololatriam, si sint crudelēs, perfidi, auari, libidinosi, superbi, securi: nam propter hæc Deus tam seueriter punit has gentes. Priuati homines multò minus freti potentia, diuitiis, clientelis, flagitiosè viuere debent, nam si totæ gentes & monarchiæ non potuerunt consistere, quantò minus priuati homines? Omnia quibus homines confidunt, irato Deo, facillè colabuntur.

Quas ob  
causas re-  
gna euertā-  
tur.

Discunt adhæc ex his sermonibus ministri Ecclesiarum, quòd externorum quoque scelera reprehendenda sint, si fuerit è re Ecclesiæ fidei ipsorum commissæ. Hæc in genere ex hac tractatione Prophetæ excerpti possunt: quid præterea in singulis capitibus obseruandum sit, suis locis ostendemus.

Præsentī capite, continetur xviii. CONGIO Prophetæ, quæ prima est cōtra gentes, nempe Ammonitas, Moabitas, Idumæos & Palæstinos, de quibus sigillatim audiemus: qui volunt plures conciones Prophetæ constituere id possunt, ita ut quæ contra Moabitas habita fuit, sit numero 19, quæ contra Idu meos 20, quæ contra Palæstinos 21: ego sub vna cōcione cōplexus sum. Tres, cum quibus priore loco agit, fuerunt consanguineæ Iudæorum: Palæstini verò & reliquæ gētes alienigenæ. Oditur ab Ammonitis, de quibus tria ordine audiemus: primùm, quæ nam fuerit hæc gens: deinde quo pacto se gesserit, quibusque rebus cùm aliis temporibus, tum in excidio Hierosolymitano Deū offenderit: tertio loco, de pœna qua à Deo affecta sit. De Ammonitis supra cap. 21. vaticinatus est, item Ier. 49.

Partes qua-  
tuor capitū

Hoc loco annotat Oecolamp. operæ precium esse, topographiam vicinarum gentium animo complecti. Iudæam igitur ad ortum habere Ammon, cui ad latus dextrum sit Moab, ad sinistrum Edom: ab Occidente Palæstinam, & quinque maritimas vrbes: ad Aquilonem, Tyrum, Sidonem & Damascum: ad Meridiem, Arabiam, Ægyptum & Æthiopiam.

Quod Ammonitas attinet, originem trahunt, sicut & Moabita à Lotho, qui ebrius incestum commisit cum suis filiabus, & ex maiore Moab, ex minore Ammon suscepit, à quibus hi duo populi descendunt, Genesis 19. cap. Ammonita, de quibus nunc sermo est, paucis annis valdè aucti sunt. Deus dedit eis in Arabia regionem fertilem & munitam, Num. 21. Habuerunt multa pasqua, in quibus armenta & greges aluerunt, habuerunt egregios agros, cultas vineas, arbores fructiferas. Oppida multa habuisse, colligitur ex Iudicum 11. cap. vbi Iephte viginti cepisse commemoratur. Reges aliquot hinc inde in in Scripturis nominantur. Bellicosa & robusta gens fuit: Deus insignes ei victorias contulit. Deut. 2. leguntur è finibus suis gigantes pepulisse. Opes verò, munitiones locorum, & nominis celebritas eos ut ferè sit, confidentes, securos, ferocēsque reddidit. Exprobrant enim eis Prophetæ, superbiam, crudelitatem, perfidiam, & quod pessimum est, idololatriam.

Ammonitæ

Et si enim Lothus veram eis religionem, quasi per manus tradidisset, tamen illi paulatim falsam didicerunt: hinc odium contra Hebræos natum est. Deut. 23. legitur quod Ammonitæ & Moabitæ Israelitas egressos ex Ægypto commeatibus intercluserint, licet Israelitæ eos bello non laçesiuerint. Vult enim hoc ipsis Deus, dicens quod terram illam eis concessisset. Adhæc Deus præcepit ibidem, ne Moabitæ & Ammonitæ in cætum suum recipiant etiam in decima generatione. Iudicum 3. iunxerunt copias cum Eglon rege Moabico contra Hebræos, quos suæ tyrannidi 18. annis subiecit. Iudicum 10. 11. Galaad repetentes à Iephthe, magno prælio victi sunt. Amos 1. capite dicit eos secuisse grauidas Gilead, nimirum vt se dederent illis. 1. Sam. 12. & 14. Saul initio statim regni sui eos domuit, cum Nahas non alia conditione Iabenses in clietelam recipere vellet, nisi paterentur sibi dexteros oculos erui. 2. Sam. 10. Ioabus eos Dauidis tributarios fecit. 2. Paral. 26. ab Uzia quoque victi esse leguntur: subinde enim rebellarunt. Hoc tempore, quo Ezechiel hæc vaticinatus est de eorum interitu, foedus inierant cum Iudæis, contra Nabuchadonosorem. His breuiter explicatis verba Prophetæ melius intelligemus. Præmittit quod Deus iusserit eum faciem ponere cõtra Ammonitas, id est, conuertere se ad illos, omisis Iudæis & in certamen contra illos descendere, & pedemque cum eis conferre. Hæc phrasîs constantiam significat, vt, licet periculo non vacet gentibus concionari, tamen pergat. Concionatorum munus est, strenuè imperata facere tametsi multi malè interpretentur & indignè ferant. Potuisset cogitare, Quid ad me exteræ nationes? Quare his quoque Dei iudicia denunciare iubetur.

Faciem ponere contra aliquem.

*Audite verbum Iehoua.* Excitat eos, dicens se non sua somnia, sed Dei vaticinia afferre.

*Propterea quod dixisti, Euge.* Est interiectio gaudentis & insultantis, vt cum aliquis deprehensus est in aliquo scelere *habæ*. Psal. 35. Dilatarunt super me os suum, dixerunt *heach*. Psal. 40. Desolètur in mercedem pudoris sui, qui dicunt mihi *heach*. Ammonitæ gauisi sunt malis Iudæorum, suumque illud gaudium, verbis & rebus testati sunt. *Super Sanctuarium meum quia pollutum est.* Capta vrbe non solum pollutæ sunt Templi omnes partes ab improbis & nefariis hominibus, sed & exustum fuit. *Super terram Israel, quia desolata est.* Cum decem tribus captiux abducerentur, gaudebant Ammonitæ. *Et super domum Iudab, quia abierunt in captiuitatem.* Cum duæ tribus in exilium abducerentur, gaudium suum testati sunt. Sensus est, Lætati estis cladibus Israelitarum, insultatis eis quod frustra se ab aliis seiunxerint, Deum Israelis coluerint, quodque Templum eis nihil profuerit. Omnibus aliis præteritis, quæ à prima eorum origine recensere potuisset, & quæ alii Prophetæ eis exprobrant, vnum illud præcipuè eis exprobrat, quod odio veræ religionis, populo Dei insultarint: eorumque miseris lætati sint. Quantum hoc dolorem piorum animis attulerit, hinc possumus colligere, quod non solum infirmiores, sed etiam robusti in fide, huiusmodi sarcasmis nostro tempore vehemèter percelluntur, de qua re quædam habuimus 21. capite. Ammonitæ plus condolere ipsis debuerunt, quàm alii: nã primùm quasi fratres eorum erant. Loth enim, à quo originem ducebant, Abraham nepos fuit ex fratre. Cognatos etsi dissideant, tamen communia pericula debent concordés efficere. Deinde vicini fuerunt, id quod mutuam beneuolentiam augere debuit. Hesiodus quoque bene mereri iubet de vicinis, eò quod in perioulis accurrant, vt opem nobis ferant. In mentem venire debuit eis: Ecquid,

Euge.

Sarcasmi.

Ad te post paulò ventura pericula sentis?

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Ad hæc



Ad hæc fœderati erant Iudæis, & ex fœdere tenebantur eos contra hostes defendere. Illi retinentes antiquum odium, in periculis eos non solum contra datam fidem deferebant, sed & victis insultabant. Cautè itaque, vt obiter hoc annotem, in fœderibus contrahendis cum hostibus religionis est agendum. Promittunt multa suum quærentes commodum, sed plerunque rebus difficilibus fidem fallunt: nemo itaque sibi nimium promittat de religionis hostibus. Repetet postea, cladibus Israelitarum gauisos esse. *Idcirco ego trado te filiis Occidentis in hæreditatem.* Hoc est, Chaldæis, vel vt alii volût, Medis & Persis, te tradam in hæreditatem vel possessionem: iure belli occupabunt tuam terram. *Collocabunt palatia sua in te.* תרבו תיראב ædificium splendidum, quod ordines columnarum, & sua ornamēta habet: alii castellum vel arcem vertunt, vetus interpres, caulam. Qui aliquo in loco diu hæere volunt, splendide ædificant: Principes verò qui gentem aliquam vicerunt, munitiones & arces ædificant, vt eam facilius in officio retinere possint. Adimit his verbis Ammonitis spem recuperandæ libertatis, & expellendi hostis. Si caulas interpretæris vel casas pastorales, sensus erit, ita vastandos esse, vt vbi nunc sunt amœna oppida, ibi pastores tentoria sua fixuri sint, vel caulas extructuri. *Et ponent in te habitaculata tua.* vel de hostibus, vel de nomadis intellige. Principes illecti amœnitate loci, ibi habebunt suas arces, & vulgus suas casas: veteres coloni, partim migrabunt, partim in seruitute viuent.

*Ipsi comedent fruges tuas.* Fruges & fructus hostes tui absument, omnibusque bonis terræ potentur. *Bibent lactuum.* Ammonitæ fuerunt γαλακτοφάγοι, ex lacte, butyro, caseo, pecore, magnum quæstum fecerunt, Fruentur, inquit, his omnibus hostes. Septuaginta vertunt πόντω hoc est, obesitatem, vbertatem, pinguedinem: est enim pinguedo vel adeps lac coagulatum. *Daboque Rabbah in habitaculum camelorum.* רבבה נאפאב locum amœnum, graminosum, & pascuis idoneum significat, seu tugurium in pascuo. Rabbah authore D. Hieronymo, vel proprie, vel propter magnitudinem sic dicta, Amonitarum metropolis fuit, & à rege Ægypti Ptolomeo cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Iudæa, Philadelphia cognominata est, quod nomen à tate Hieronymi retinuit. 2. Sam. 12. capite Ioab toto anno eam obsedit. Hæc Metropolis ita vastanda fuit, nimirum à Nabuchadonosore, vt cameli in ea habitarent, hoc est, vt ibi futura essent pascua. Camelorum vsus frequens est in calidis illis regionibus, sunt enim & sitis & laborum patientissimi. Postea à Ptolomeo Rabbah, vt iam dixi, fuit instaurata.

*Et filios Ammon in cubile pecorum.* Id est, urbem vel regionem. Septua. in pascua ouium. Sæpe vrbes celeberrimæ ita euertuntur, vt vix vestigia aliqua supersint. In nostra Heluetia Auenticum, Vindonissa, olim celeberrimæ vrbes, adhuc modum euersæ sunt. Aliquibus in locis rudera indicant vel oppida vel arces fuisse, quorum nomina obliuione sepulta sunt. Admonent nos hæc de inconstantia rerum humanarum. Quod autem dixit, Trado te Orientalibus: nunc, Dabo Rabbah in habitaculum camelorum, emphasim habet quam sæpe exposui.

*Scietis quod ego Iehouah.* Iam contemnitis Iudæos quod Deum Israelis colant, sed re ipsa sentietis, me verum esse Deum, qui omnia futura prouideam, & hostes meos coercere possim: populum item meum, non propter imbecillitatem meam hæc passum esse, sed propter sua scelera.

*Eò quod plausisti manu, & complosisti pede.* Repetit de malo culpæ & pœnæ ipsorum. Non modò gaudium animi sui conceptum ex miseriis Iudæorum verbis testati sunt: sed gestibus quoque: manibus enim comploserunt, pedibusque terram percusserunt, saltantes & tripudiantes. Psalmorum 47.

Propheta hortatur omnes populos, vt plaudant manu & Deo iubilent: hi diabolo iubilabant. *Gaufus es in omni conceptu tuo ex animo.* Hoc est, omniratione contemnendi, idque toto corde: genio indulgebant, ludebant, saltabāt, tanquam re bene gesta. *Idcirco ecce ego extendi manum super te.* Sicut tu complolisti manus tuas, ita ego extendam manum contra te, hoc est, puniam te: percussuri enim ictum vibrant. *Posui te in direptionem gentibus.* Quidam putant quod vox *באג* Chaldaica sit, & significet diripere, item cibum, quia dicerpitur. Danielis 1. capite, constituit Rex Danieli & sociis portionem cibi regii, vbi etiam hæc vox ponitur. Si legamus, *Posuite in cibum*, sensus est, Vt cibum te vorabunt, nihil supererit ex te. *Succidam te è populis, perdam te ex terris.* Non eris posthac populus, & qui hinc inde diffugient, iugulabuntur. Deleti autem sunt à Nabuchadonofore.

Ex illo, quòd Propheta omisis aliis exoptulat cum eis, quòd lætati sunt calamitatibus Iudæorum, idque repetit, colligimus, ingens esse peccatum aliorum publicis vel priuatis ærumnis lætari, quod Deus grauitè vlciscatur: publicas voco, cùm tota gens, vel totum oppidum vexatur bellis, peste, cluuiione aquarum, incendiis, & aliis id genus: priuatas, cùm homines aliqui morbis, paupertate, & aliis malis premuntur. Siue autem propter nostra commoda, siue propter odium, inuidiam, & meram malitiam lætemur, vt Ammonitæ, non impunè feremus. Si ingens est peccatum de impiorum, maius certè est peccatum, de piorum calamitatibus gaudere. Quantum nunc scelus est, si qui ex calamitatibus piorum, occasionem petant suas res agendi, vt vsurarii, qui ad quæstum suum aliorum paupertate abutuntur: fures, qui in incendiis asportant aliena bona: milites mercenarii, qui bello vexant pios Christi cultores, &c.

Argumenta  
contra  
*ἐπιχαρῆ-  
νασίαν.*

Videamus argumenta aliquot, quæ ostendunt alienis malis non esse gaudendum. Mat. 5. capite dicit Seruator noster: Audistis quòd dictum sit, (scilicet antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. At ego dico vobis: diligite inimicos vestros: bene precemini deuouentibus vos: benefacite iis, qui vos odio prosequuntur: orate pro iis qui lædunt & insectantur vos, &c.

Christus non intelligit à Mose & Prophetis dictū esse, Odio habebis inimicum tuum, sed Scribas & Pharisæos respicit, qui nouam hanc interpretationem finxerant, quam interim pro vetere venditabant. Illi enim non dicunt odio habēdos hostes: Leuit. 19. disertè præcipitur, vt diligamus hostes nostros. Christus in quinto hoc capite, repurgat legem à falsis traditionibus & expositionibus Scribarum & Pharisæorum. Idem Seruator noster, passim charitatem inculcat: aduersatur autem charitati, si quis gaudeat malis suorum proximorum, sub quibus etiam hostes comprehendi, Lucæ 10. ostenditur parabola de Samaritano. Paulus præcipit ad Romanos 12. capite, gaudendum esse cum gaudentibus, flendum cum flentibus. Heb. 13. capite: Vincitorum estote memores, tanquam vnà cum illis vinciti: eorum qui affliguntur, velut ipsi quoque versantes in corpore. Mederi malis debemus, non augere mala. Deus hominibus calamitates non idè immittit, vt alii lætentur: sed vt resipiscant, Lucæ 13. capite. Semper cogitandum est in huiusmodi casibus, Vel similis es proximo tuo cui hoc vel illud accidit, vel peior vel melior. Si ei similis es, cur non idem expectabis, quod nunc ei accidit? Si peior, multò magis. Sin melior, cogita Dei hoc donum esse, qui si gratiam suam tibi subtrahat, statim & tu rues in scelera, & pœnas attrahes. Si nemo tristari debet de bonis sui proximi, quod hominis inuidi est, sed potius ei gratulari, etiam nemo gaudere debet de aduersis quæ

quæ ei accidunt. Consideranda est rerum humanarum inconstantia & vicissitudo, de qua pulchræ admonitiones passim extant. Prouerb. 27. dicit Solomon: Nō glories de die crastino quia nescis quid hodierna dies paritura sit. Ethnici quoque dixerunt: Nescis quid vesper ferus vehat. Item.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,  
Et certam præfens vix habet hora fidem. Item:  
Irus & est subitò, qui modo Cræsus erat.

Fieri quoque potest, vt qui nunc malis afficitur, fiat aliquando tuus frater. Hæc si expendamus, non lætabimur alienis malis. Ex lætitia de alienis malis, oriuntur suspiciones malæ, odia, certamina: ex dolore ob alienas calamitates, benevolentia mutua nascitur &c.

Pœnam illis minatur Deus, & grauem quidem, qui alienis malis gaudent. Prouerb. 17. Qui gaudet in contritione alterius, non erit immunis. & 24. cap. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne læteris, & cùm ipse impegerit, ne lætetur cor tuū. Ne forte videat Deus, & displiceat in oculis eius, & auertat ab eo furorem suum. Natura omnibus insitum est, non esse alienis calamitatibus gaudendum. Deus enim veluti digito suo omnium cordibus hoc inscripsit, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: nemo autem vellet, sibi alioqui calamitoso insultari. Hinc tot pulchræ admonitiones apud Ethnicos proponuntur, contra ἐπιχαρηναιαν (sic enim vocant gaudium de alienis malis) & σαχνασ μὲν. Consule hac de re Stobæum sermone III. & 112. Egregia etiam apud Ethnicos exempla extant illorum, qui malis suorum hostium non lætati sunt: Scipionis Africani, Iulii Cæsaris, quorum alter Carthaginis incendium, alter caput Pompeii, non sine lacrymis aspexit. Pauli Æmilii, qui capto Perseo rege, ad modestiam iuuenes hortabatur, & ad considerandum fortunę inconstantiam. Ad illud, quod Sancti interdum aduersis casibus impiorum lætari esse videntur, vt quod David lætabatur Nabalis interitu, & aliorum: item quod hostibus suis dira imprecari sunt: respondemus, bonam esse radicem gaudiū illius: non enim gaudent pii ex corruptis affectibus, sed quod gloria Dei asseritur, & verbum eius propagatur, quod liberantur oppressi, & modus sceleribus imponitur. Siquis obiiciat, hæc non sine voluntate Dei accidere: gaudendum autem esse, si voluntas Dei fiat. Respondeo gaudendum quidem esse, sed non ex prauis affectibus: non enim ideo hæc immittit, vt illa ratione lætemur. Friuolum est quod vulgus obiicit, Alii quoque meis malis lætantur: Deus enim dicit, nō repēdendum esse malum pro malo. Si hodie hostes veritatis, toti Ecclesiæ, vel singulis eius membris insultent, consolemur nos exemplis & Scripturis. Dauidem Semæi lacerabat maledictis. Christus ipse nostra causa sarcasmos tulit. Nos in conspectu habentes verbum Dei, non lætemur malis aliorum, sed potius oremus, vt & aliis, & nobis sit propitius.

## HOMILIA CXIII.

*¶ Prædicat. Moabitas funditus excindendos esse, eo quod etiam super ruina populi Dei lætati fuerint.*

moabitas  
funditus  
excindendos  
esse, eo  
quod etiam  
super ruina  
populi Dei  
lætati fuerint.

8. Sic dixit Dominus Iehouah, Propterea quod dixit Moab & Sejr, Ecce sicut omnes gentes, domus Iehouah.

9 Idcirco ecce ego aperio latus Moab ab urbibus, ab urbibus inquam eius quæ sunt in extremo eius, desiderabiles terras Bethesimoth, Baalmeon, & Ciriathaim.

10 Filios Orientis vocabo ut veniant contra filios Ammon, & dabo eum in hereditatem, ita ut non memorentur filii Ammon inter gentes.

11 In Moab quoque faciam iudicia, & scient quòd ego Iehouah.

Origo Moabitaram.



Sedes eorū.

Res gestæ.

Peccatum ipsorum fuit, quòd insularunt Iudæis.

Ecundo loco Deus per Prophetam Moabitis denunciat miserabilem interitum. Ibi in primis videndum est, quid in Scripturis de hac gente extet. Fuerunt non solum vicini, sed & fratres Ammonitarum: ex eodem enim patre oriundi fuerunt, nempe ex Loth qui ex maiore filia Moabum suscepit, à quo Moabitæ descendunt. Hanc gentem Deus (sicut suprà de Ammonitis diximus) multis & magnis beneficiis affecit. Tradidit eis terram natura loci & arte munitam: limitaneas enim vrbes, munitissimas fuisse paulò post audiemus. Aliæ quoque vrbes, quarum Isaias & Ieremias aliquot recensent, splendidæ fuerunt. Habuerunt suos Reges & principes, regionem tenuerunt feracem vini, frumenti, aliarumque rerum: aluerunt multa armenta & greges. Opes ingentes & insignes victorias nacti sunt. Pro ingentibus verò illis Dei beneficiis, ingrati fuerunt erga ipsum fuerunt enim idololatræ. Chemos præ cæteris coluerunt, Iudicum 10. 21. 1. Regum. 11. Libidinibus, ebrietati & aliis sceleribus deditos fuisse, ex Prophetis apparet. Hebræos licet sanguine sibi iunctos, nulla relæsi, implacabili odio prosequuti sunt. Deut. 2. Deus cauit ne Israelitæ Moabitis arma inferrent, illi verò nihilominus transitum & comeatum petentibus negarunt, Iudicum 11. Nehe. 13. In libro Numerorum 21. 22. 23. 24. 25. capitibus legitur, quòd Balac rex ipsorum, cum viribus Israelitis impar esset, Bileamum hariolum magnis præmiis ad hoc conduxerit, ut eos diris deuoueret: credebant enim quòd artibus suis posset Israelitis obesse. Et concedit interdum Deus Magis multa, ut est videre in Magis Pharaonis, & Simone mago. Bileam expugnatus promissis, conatur maledicere populo, licet à Deo deterritus esset, cumque non succederet, dedit eis consilium, ut prostituerent filias suas Hebræis, quòd Deus scortatione & idololatria offensus, eos puniret, id quod factum est: plurimi enim illorum cæsi sunt. Ab illo tempore, semper hostili animo fuerunt erga Hebræos. In libro Iudicum, libris regum, & Paralipomenon legimus, eos sæpe ab Israelitis dõmitos esse, sæpe etiam abiecto iugo, Israelitis magnas clades intulisse. Iudicum 3. cap. Eglon rex Moab ab Ammonitis & Amelechitis adiutus prælio vicit Israelitas, & ciuitate palmarum eis ablata, tributarios sibi fecit, post annos demum 18. Ehud confosso Eglone rege Moabitaram, eos compresit. A Saule quoque victi sunt 1. Sam. 14. 2. Sam. 8. cap. David Moabitas domuit magna eorum parte interfecta. Post regni dilacerationem cæso Achabo, Moabitæ Ochosiæ filio eius negarunt tributum, 2. Regum 1. cap. quare cum ille ex lapsu interuisset, Ioram eius frater suscepit expeditionem cõtra illos, & vsus auxilio Iosaphati, eos compescuit 2. Regum 3. cap. 2. Paralip. 20. cap. sicut Helisæus prædixerat. Nehemiæ 4. cap. Ammonitæ instaurationem Hierosolym. impediunt, &c. Propterea quòd dixit Moab & Seir, Ecce sicut omnes gentes domus Iehouah. Sensus est, Gens Iudæa se ab aliis nationibus circumcissione seiunxit, suum peculiarem Deum, suas ceremonias habuit: at non videmus quid ab aliis gentibus differant, nõ minus victi sunt, quàm aliæ gentes vincuntur. Vbi est Deus ipsorum, cuius præsidio se tutos fore persuasissimum habuerunt: vbi templum, vbi ceremoniæ? Vana est illorum

rum gloriatio. Iere. 48. capite, Deus per apostrophen ad Moabitas dicit: An non risui tibi fuit Israel, ac si inter fures inuentus esset? nam ex quo loquutus es de eo, commouisti te, hoc est, exiliuisti præ gaudio: nulla fuit *συμπάθεια*. Deus bone, quàm crebri sunt hodie illi sarcasmi: cum pij viri cladem aliquam accipiunt, hostes Euangelij etiam per irrisionem dicunt, Deum à domo sua incipere, castigare illos quos diligit. Nam quod Moabitæ dixerunt domus Iehouah, non caret emphasi. Cum Moabitis Seir coniungit, quòd & illi victis insultarent.

*Icirco ecce ego aperio latus Moab, ab vrribus, ab vrribus inquã eius, quæ sunt in extremo eius.* Peccato ipsorum pœnam subiicit. Aperiam latus *קתהפ* vel *katheph* scapulam, humerum, latus & angulum interpretantur, per metaphoram pro robore, pro arcibus & munitionibus ponitur: Confringam robur, vt hosti non possint resistere: faciam aditum per regionem Moab: regni claustra aperiam. Moabitarum regio habuit strictas vias vel fauces: item arces & vrbes munitissimas in finibus, in quibus illos spem suam collocasse Ieremias disertè ostendit. Deus itaque dicit se claustra montium, viarum & portarum reuulsurum, vt hosti pateat ingressus.

*Desiderabiles terras Bethiesimoth, Baalmeon & Ciriathaim,* scilicet aperiam, vt copiarum hostiles peruagari possint interiores regionis partes, omnes interficere, omnia diripere. Ieremias planius dicit, nihil fore tutum: Veniet vastator ad singulas vrbes & nulla vrbs euadet: peribitque vallis & dissipabitur planities, quemadmodum dixit Iehoua. Lutherus hunc locum ita conuertit, *Ecce Moab ad latus aperiam in vrribus suis, & in terminis suis, nobilis regionis, nempe, Bethiesimoth filij ad Ortum, &c.* Gloriam terræ vocat vel delicias, quòd in loco amœno & fertili sitæ essent illæ vrbes. Ciriathaim apud Ieremiam quoque, inter vrbes illius terræ collocatur. Hieronymus dicit Beelmeon sua adhuc ætate vicum in Moab fuisse maximum.

Munire vrbes mœnibus, aggeribus, fossis propugnaculis, sua natura non est illicitum: sed spem & fiduciã in illis ponere, quod Moabitis Ieremias disertè exprobrat. hoc pugnat cum primo præcepto Decalogi. Hæc præsidia nihil profunt nisi Deus gentem aliquam protexerit. Nihil est tam munitum quod non vno Dei flatu dissipetur. Vidimus nostra ætate vrbes munitissimas, nullo resistente captas. *Filijs orientis aperiam contra filios Ammon & dabo eam in hæreditatem, ita vt non memorentur filij Ammon inter gentes.* Gentem hanc ad interuersionem delendam minatur, & regionem aliis gentibus tradendam. Quod dicit in hæreditatem, habet emphasim, nam curamus vt quæ hæreditariò accepimus, retineamus, non cedamus aliis: hostes non relinquent illam terram vt qui diffugerunt, possint suas possessiones recuperare. D. Hieronymus annotat, non esse dubitandum, quin Nabuchadonosor euerit Hierosolymorum vrbe, Arabiam vastarit: cum id Prophetæ magno consensu prædixerint. Posteris temporibus in terras illas, promiscua hominum turba confluit, quæ vetus Arabum nomen sibi usurpauit. Ex his ortum habuit Mahumetes Saracenorum princeps. Legimus alias quoque multas gentes funditus interiisse, ita vt hodie docti viri vix diuinare possint vbi olim sedes ipsorum fuerint. Vnde colligimus inconstantiam rerum humanarum, quæ modestiæ nos admonere debet.

*In Moab quoque faciam iudicia.* Iusto iudicio pœnas ab eis sumam. Conciderant apud eos iudicia, frangebant leges, ius situm erat in manibus: igitur vnà cum illis forma quoque Reipublicæ intercidit.

*Scient quòd ego Iehouah.* Reipsa experientur quantum inter me, quem contumelia afficiunt, & deos Gentiliũ quos occultant, inter sit. Psal. 83. Propheta precatur Deum vt contra cõiuratos Moabitas, Ammonitas, & alios, populo suo victoriam largiatur, in fine dicens: Et cognoscent quòd tu, cuius nomen est Iehouah, solus es altissimus super omnem terram.

Contra Ammonitas extant vaticinia, Isa. 15. & 16. capitibus, Iere. 48. Amos 2. Sophoniae 2. cap. Audiui probra Moab, & opprobria filiorum Ammon, quibus affecerunt populum meum, & magnificarunt os suum contra terminum ipsorum. Postea subiungit poenam: vide locum. Duo praecipue eis exprobrat. Primum est, quod multa contumeliose contra Deum & populum eius dixerint. Alterum est, quod Ammonitae superbe & arroganter partem tribus Gad sibi armis vendicaverunt, Iosue 15. Iere. 49. Magnum est peccatum, si vel Principes vel priuati homines, suis finibus non contenti, aliena inuadant, & sibi vsurpent. Coniungit in his verbis Moabitas, Ammonitas, & Seir, hoc est, Idumaeos, quia iisdem peccatis fuerunt obnoxij: tamen si consanguinei essent Hebraeorum, tamen semper feroces contra ipsos fuerunt. De Idumaeis iam seorsim ageat. Ex Moabitarum miserabili interitu, eiusque causis colligimus quid tandem illis expectandum sit, qui Ecclesiam Dei oppugnant: quodque nulla gens sit tam bellicosa, opulenta, robusta, quae non absque negotio à Deo opprimi possit. Non itaque ponamus spem in rebus terrenis, sed in solo Deo. Ipsi sit gloria.

## HOMILIA CXIII.

*Idumaeis propter ingentia peccata interitum praedicit.*

12 Sic dixit Dominus Iehouah, eò quod fecit Edom, quando ulta est ultionem contra domum Iehudah, & deliquerunt delinquendo, & vlti sunt sese de eis.

13 Idcirco sic dixit Dominus Iehouah, Extendam manum meam super Edom, & succidam ex ea homines & iumenta, ponamque eam in desolationem à Theman, & incolae Dedan gladio cadent.

14 Et dabo ultionem meam in Edom per manum populi mei Israel, facientque in Edom iuxta furorem meum, & iuxta iram meam, & scient vindictam meam, dixit Dominus Iehouah.



Idumaei qui  
& quales.

Idem loco, Propheta ad Idumaeos transit, quibus propter ipsorum peccata certissimum interitum praedicit. Hoc loco ad intelligentiam huius prophetiae & aliorum, paulò altius quaedam de Idumaeis repetenda sunt. Idumaei nomen & originem trahunt ab Esau, qui alio nomine Edom dicitur, nimirum quia rufus fuit, Gen. 25. *וְרֵא אָדָם* rubere significat. Hieronymus annotat ab edulio rufo nomen sortitum, ob quod ius primogeniturae perdiderit. Hieronymus alio nomine hanc gentem Dumam dici scribit: sed Ismaelitas eorum vicinos potius intelligi, ex Gen. 25. & Isa. cap. 21. colligitur. Idumaei illi, intra paucorum annorum spacium multum creuerunt: sedes suas habuerunt ad mare rubrum, in montanis Seir. Ante Esau & filios eius, Horraei illam terram incoluerunt, Deut. 2. Postquam autem filij Esau in illa terra dominati sunt primò ibi duces, deinde reges, & iterum duces fuerunt, Gen. 36. 1. Par. 1. Hanc terram Seir vel Idumaeam non omnino sterilem fuisse hinc colligo, quod in ea vrbes multae, & inter illas primariae, Theman, Dedan (quarum hoc loco mentio fit) & Bosram, à sacris & prophanis scriptoribus numerantur. Pro qualitate regionis asperi natura & inhumani fuerunt, imprimis verò hostili animo semper contra populù Dei. In Gen. legimus Esau & Iacobù geminos, in vtero materno, se mutuò collidisse, cumque Rebecca interrogaret quae causa esset, oraculù respondit, eam in vtero gestare duas gentes, quae inuicem bella gesturae sint, Genes. 37. Postea cum Esau ius primogeniturae, quod maximum erat, rufa coctione permutasset, patriisque

patrísque Isaaci benedictione spoliatus esset, in furorem versus, Jacobum fuga salutem quærere coegit. Is post multos annos cum vxoribus & liberis in patriam rediens, cum audiret fratrem sibi occurrere, consternatus est, sed visione cœlesti iterum confirmatus, præter expectationem à fratre humaniter exceptus fuit. Posterius tamen eius tanto odio Israelitas prosequuti sunt, vt Idumæi ( sicut & Moabitæ Isa. 25. cap. ) κατ' ἐξοχῆν generaliter pro hostibus Dei vsurpentur. Isa. 63. Ioelis 3. Amos 9. & alibi. Odium illud oblata occasione exeruerunt. Cùm Israelitæ egressi essent ex Ægypto, Moyses è Cades legatum mittit ad regem Edom, qui per eorum regionem transitum peteret, sed illi armata manu eos repulerunt, ideo Israelitas per longas ambages circuire oportuit, Num. 30. cap. Hanc gentem domuit rex Dauid eosque Iudæorum regibus vectigales fecit, 2. Sam. 8. 1. Par. 18. Postea Solomoni cùm à Deo defecisset, rebelles fuerunt, 1. Reg. 11. capite. Sub Iosaphat cum vicinis gentibus conspiratione facta, iugum abiecerunt, nisi armis pij principis fuissent repressi, 2. Paralip. 20. cap. Postea sub Ioram filio Iosaphati impio defecerunt, vt libr. 2. Regum 8. cap. legitur: nec mirum, cùm ille prius à Deo defecet. Ab hoc tempore, varia conati sunt contra Israelitas, à maiorum ingenio non degenerantes. Quomodo autem erga eos affecti fuerint, quando Ezechiel hæc contra eos vaticinatus est, iam audiemus. Primùm commemorantur eorum scelera, postea subiungitur pœna.

Partes huius Prophetiæ.

*Propterea quòd fecit Edom vltionem, vlciscendo se de domo Iehudah, & delinquendo deliquerunt, atque vindictam sumpserunt de eis.* Suprà dixit, Moab & Seir dixisse, Iudæos non differre ab aliis gentibus, non esse populum Dei. Per Seir intelligit Idumæos. Nam Esau alio nomine Seir dictus est, teste Hieronymo, eò quòd pilosus & hirsutus esset, Genes. 25. quod non probatur, nam Seir pater Horræorum ante Esau terram illam incoluerunt, à quo cognominata est. Seir item mons pro tota eorum terra accipitur. Isa. 21. cap. Iam adiicit quòd vlti sint se de Iudæis. Idem mox repetit. Facere vindictam, pro sumere. Vel quòd fecit Edom propter vindictam, hoc est, per vindictam, vel animo vlciscendi se ( idem de Palæstinis postea dicit ) intelligit autem multa mala & iniurias. Iudæi prouocati ab Idumæis, multa contra eos bella gesserunt, in quibus, vt fit, multa dâna eis dederant, & vicissim acceperant: nunc Idumæi oblata occasione: vindictam sumunt de Iudæis. At grauiter illa in re peccabant ( vt suprà de Ammonitis quoque, & Moabitis annotauimus ) primùm quia cognationis vinculo sibi inuicem obstricti erant: Esau enim & Iacob, gemini fuerunt, & germani fratres: deinde vicini erât: adhæc fœdere se Zedechiæ regi contra Nabuchadonosorem obstrinxerant, Ieremiæ 27. Fœderati verò sepultis odijs veteribus, se mutuùm defendere debent. Illi cùm Iudæis ex fœdere auxilium ferre debebant, aut minimùm eis condolere vel aliquam saltem beneuoli animi significationem edere, suam vtilitatem sequuti iunxerunt se hostibus ipsorum, & alioqui ferocibus, frigidam suffuderunt, & quia periti erant locorum, prodiderunt Israelitas hostibus, ne ex manibus eorū euaderent. Psal. 137. Israelitæ captiui in Babylone, Recordare, inquiunt, filiorū Edom diei Ierusalem, qui dicebâr, Discooperite, discooperite vsque ad fundamentum in ea. Rabies militum interdum egregiis ædificiis parcat, sed illi instigabant eos vt omnia diruerent, ne Iudæi suos nidos repeterent. Neque solùm contra homines, sed etiam contra Deum perfidi fuere. Rectè institutos fuisse ab auo suo Isaaco probabile est, sed illi amissa luce veræ doctrinæ, & piis cultibus reiectis, cum vicinis gentibus idola coluerunt. Hinc sequuta sunt varia scelera, crudelitas superbia, fœdæ libidines, &c.

Commemoratio peccatorum, siue causarum interitus.

Interitum iam eis comminatur. *Succidam ex ea homines & iumenta.* Abundantur pecoribus ex quibus locupletati sunt.

Prædictio excidij.

*Ponam eam in desolationem à Theman ad Dedan gladio corruent.* He in fine G. ij.

dicunt significare motum ad locum. Terra quæ nunc cultissima est, vastabitur, inquit, vrbes funditus euertentur, & quia incolæ earum iugulabuntur, redigentur in vastam solitudinem. Theman celeberrima fuit ciuitas, dicta à Theman qui nepos fuit Esau ex Elipha, Genes. 36. capite. Alibi eius quoque fit mentio. Isaia 21. capite, Themanitæ pro Idumæis ponuntur. Dedan quoque, Dedan filius Ialkan fuit, Genes. 25. cap. Fuerunt autem hæ vrbes indubiè extremitates illius regionis.

*Dabo ultionem meam in Edom per manum populi mei Israel.* Illi vindictam sumpturunt de Israelitis, iacebat enim altis mentibus repositum, quot cladibus ab eis essent affecti. Ego quoque vindictam sumam ab eis, qui à prima eorum origine, toties me offenderunt. Ostendit per quem ultionem sumpturus sit, nempe per suos Israelitas, quibus vires denuò collaturus sit. Grauius autem dolebat eis, quòd illis daruri essent pœnas, quos antea toties affixerant, maluisent ab alijs excindi.

*Facièntque iuxta furorem meum.* Si sperent Iudæos victoria clementer vsuros, non par pari relatuos, scient se iuxta meum furorem tractandos esse. Hostes sæpe vellent parcere deuictis, sed sentiunt se diuinitus permoueri, vt omnia euertant. Si duces velint parcere hominibus, vel splendidis ædificijs, milites aliquando contra eorum imperium, vehementer sæuiunt. Idem accidisse in secunda expugnatione vrbs Hierosolymorum Iosephus testis est. *Et scient vindictam meam.* Re ipsa experientur, me de gentibus mihi meoque populo infestis, pœnas posse sumere, me non talem esse, quales sunt ipsorum dii.

Similes prophetia.

Alij quoque Prophetæ contra hanc gentem vaticinati sunt. Isa. 21. Iere. 49. infra 35, sequetur aliud vaticinium. Amos 1. cap. Abdia argumentum est, excidium Edomitarum: Jeremias & Abdias eodem tempore videntur vixisse. Certè ira de euersione huius gentis, cuiusq; causis loquuntur, vt vnus ab altero sua transcripisse videatur. Exprobrant eis superbiam, securitatem, crudelitatem, perfidiam. Illa in quibus spem ponebant nihil eis profutura dicunt, sapientiam, robur, fœdera, opes, situm locorum. Duabus dissimilitudinibus ostendunt quid de ipsis futurum sit, Non facient sicut in vindemia leguli, aut fures si noctu domum aliquam ingrediantur, illi aliquid relinquunt, hostes omnia auferent vel perdent. Verba illa Jeremiæ & Abdia: Paruum reddidi te inter gentes, & contemptum inter homines, sic interpretor, Vos qui hætenus in re bellica præstantes, & alijs terrori fuistis, feci contemptos, vt ne lixæ & calones vos metuant, sed pugnare vobiscum expetant. Nam vt illi miseros vexarant, ita postea etiam miserimi homines, magno animo in eos irruerunt.

Impleta prophetia.

Quando impleta sit hæc Prophetia, non constat ex historia, nisi quòd Ioannes Hyrcanus Simonis Asmonæi filius, prælio victos ad eiusdem doctrinæ & cultuum professionem adegisse legitur.

Vsus huius prophetia.

Quæ verò de huius gentis interitu prædicuntur, nemo superuacanea esse putet, nam ad nos quoque pertinent. Discunt enim ex hoc loco omnes gentes, vt veterum iniuriarum memoriam aboleant. Si cum gentibus vicinis aut longinquis bella gesserunt, facta pace, perpetua obliuione omnes iniurias sepeliant, illis qui hostes aliquando fuerunt, profint vbicunque possunt. Priuati quoque odia non alant, nec posteris ea tradant quasi per manus. In primis verò discamus, populum Dei non impunè affligi. Quicquid populo Dei infertur, Deus in se recipit. Nemo vnquam impunè læsit populum ipsius. Zacha. 12. capite. Deinde quòd Dei consilium, si gentem aliquam punire instituit: non possit impediri, illa enim quæ alijs temporibus genti alicui profuerunt, postea in eius exitium vertuntur. His addendum est, Esau significare facientem vel operantem, Edom rusum, sanguineum, vel terrenum. Hæc gens Iustitiarum sunt typus, qui suis operibus & meritis



& meritis saluari volunt. Hi atrocissimi sunt hostes populi Dei, ἀσπονδον πόλεμον contra eos gerunt, sanguinemque eorum fundunt vbicunque possunt: tandem verò iustas dabunt pœnas.

HOMILIA CXV.

*J Ezechiel Palestinis excidium denunciât propter scelera eorum.*

15 Sic dixit Dominus Iehouah, Propterea quòd fecerunt Peliſthim propter vindictam, & vlti sunt vltionem cum contemptu in animo ad vastationem inimicitiiſ perpetuis.

16 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego extendam manum meam super Peliſthim, & succidam Cherethæos, & perdam residuum littoris maris.

17 Faciámque in eis vltiones magnas cum increpationibus iræ: sciéntque quòd ego Iehouah, quum dederò vindictam meam in eis.

**P**ostquam tribus populis, qui cognatione iuncti erant genti Iudææ, excidium prædixit: iam transit ad illas gentes, quæ nullis cognationis vinculis eis obſtriçtæ erant, & primo loco Palæstinis excidium denunciât, causámque illius assignat. Hoc loco, vt omnia dilucidiora euadât, de Palæstinis quorum sæpe fit mentio in Scripturis pauca repetenda sunt. Gens hæc fuit vetustissima, orta ex Cham filij Noe Genes. 10. capite, occuparunt oram maritimam in Syria. Abundarunt rebus omnibus, partim propter terræ fertilitatem, partim propter portuum commoditatem. Tota regio distincta fuit in quinque metropoles satrapias vel præfecturas, quæ Iosue 13, & 1. Samuelis enumerantur, nempe Accaron, Afotus, Aſcalon, Gath, Gaza. Temporibus Abrahami & Isaaci, regem Abimelechum habuerunt (D. Hieronymus putat, communem fuisse hanc omnium regum illorum appellationem, vt Pharaonum apud Ægyptios) postea singulæ suos videntur habuisse regulos. Bellicosissima fuit gens, parens multorum gigantum ex quibus David eiusque milites aliquot deleuerunt. Palæstini victorias opésque multas consequuti sunt: quibus elati insolentissimè se gesserunt.

Cōtinuatio.

Scopus & summa huius loci. Palæstini qui.

Idola coluerunt, Beelzebub, Dagonem, Astaroth, & alia: obnoxij fuerunt multis magnisque sceleribus. Populo Dei semper fuerunt infesti, nimirum propter religionis diuersitatem, & quòd metuerent ne ipsis idem accideret, quod Chananæis. Samson, vt est in lib. Iud. populum Hebræum contra eos diu defendit. 1. Sam. 4. cum propter sacerdotum negligentiam & malitiam, Israelitæ dissolute viuerent, Palæstini bellum eis inferentes, 4000. viros prælio interfecerunt. Israelitæ adducta arca Domin' ex Silunce, iterum vincuntur ab eis ingenti prælio, cæsi enim sunt 30000. Palestini arca capta gloriâtur, sed tandem non sine suo dedecore eam Israelitis remittere coacti sunt. 1. Sam. vltimo capite, Saulem regem cum filiis, multosque ex Israelitis in monte Gelboe interfecerunt, & aliquot Israelitarum oppida eo bello videntur occupasse. Postea cum procures quidam Saulini, regnum Israel in familia Saulis retinere vellent, bellumque oriretur, continuerunt se domi Palæstini, vt illi se mutuam attererent, quando verò David communibus suffragiis Rex delectus est, 2. Sam. 5. cap. bellum ei intulerunt, bisque à Dauide prælio victi sunt. Postea 8. cap. iterum ei bellum inferunt, & vincuntur.

Ex eo autem colligitur, quàm fuerint animosi & potentes, quòd toties victi non quiescunt, & pugnam redintegrare possunt. Postea distractis iam in duo regna, Vzias eos vicit, atque Gethi & Azoti mœnia diruit. 2. Par. 26. Ezechias quoque de eis insignem victoriam adeptus est, 2. Reg. 28. An verò hoc tempore, quo Ezechiel hoc vaticinium contexuit, fœderati fuerint Iudæorum, vt aliæ gentes, non exprimitur in sacris Literis, fuisse autem admodum est probabile: certè vicini eorum fuerunt. His præmissis, ipsum vaticinium plenius intelligemus.

*Obid quod fecerunt Palestini propter vindictam, & sumpserunt vindictam.* Cùm Iudæi bello à Babyloniis premerentur, Palæstini memores cladum, quas in multis bellis ab eis acceperant, hac commoditate arrepta, arma cum hostibus populi Dei iunxerunt, Iudæosque miserè afflixerunt: & certè plurimum eis potuerunt incommodare, vt qui prius sæpe bello cum eis contenderant. Vti sunt seipfos cum contemptu. *In animo,* Hoc est, insultarunt miserè afflictis, ex animo eos contemnentibus.

*Ad vastationem inimicitijs perpetuis.* Munsterus explicat, *molientes vastationem.* Omnia euertere funditus cupiebant, ex odio implacabili, quo eos persequebantur: vel sensus est, ex crudelitate illa ortum est odium perpetuum inter illas gentes.

Cōdolendū  
est malis pro  
ximorum.

Natura docet afflictos non premendos, sed potius consolationibus erigendos esse. Scripturæ nos passim hortantur ad *συμπάθειαν*. Inter alios præclarus est ille D. Pet. locus in 1. ep. 3. vbi dicit: *Τὸ δὲ τέλος πάντες ὁμόφρονες, συμπαθεῖς, φιλάδελφοι, ἔυσπλαγχοι, φιλόφρονες, μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας, τὴν ἀντίον δὲ ἐυλογοῦντες, εἰδότες ὅτι εἰς τοῦτο ἐκλήθητε ἵνα ἐυλογίαν κληρονομήσητε.* Postquam enim Petrus singulis ferè ordinibus sua officia præscripsit, mox in genere docet, quò pacto nos erga omnes homines, tam qui nobis bene, quàm qui nobis male volunt, gerere debeamus. Iubet nos aliorum calamitatibus condolere: non priuatis solùm, vt si quis paupertate, morbis & aliis malis prematur, sed publicis quoque oppidorum, & regionum, vt si bello, annonæ penuria, peste, incendiis, eluuiionibus aquarum, aut aliis huius generis affligantur: nec solùm condolere sed opitulari alijs debemus. At digni sunt his malis, inquis, quia pessimi sunt.

Tu verò, inquit Paulus, quis es, qui seruum alienum iudicas? Impiis semper boni sunt permixti. At me læserunt. Deuteron. 32. dicit Dominus, Mihi vindictam, ego retribuam. Christus & Apostoli prohibent, ne acceptas iniurias vlciscamur. Petrus hoc loco iubet nos benedicere etiam illis à quibus læsi sumus, vt benedictionem consequamur.

Cōfert inter  
se nostram  
& Dei  
ἐυλογίαν.

Per *ἐυλογίαν* intelligit varia Dei beneficia, atque adeò vitam æternam, quam ex mera gratia accipimus, vocatur enim hæreditas. Exemplo igitur Dei à quo, licet subinde eum lædamus, tamen hæreditatem vitæ æternæ expectamus, bene precemur & beneficiamus illis à quibus læsi sumus. Deus irascitur illis generibus, quæ non condolebant Iudæis, qui iustas suorum scelerum Deo & hominibus pœnas persoluebant, quos graues hostes sæpenumero experti erant: cum quibus non eandem religionem profitebantur.

Pis si affli-  
gatur in pri-  
mis est con-  
dolendum.

Si illæ condolere Iudæis debuerunt, quanto magis nos condolere debemus fratribus nostris, qui eandem fidei confessionem ediderunt, qui nō propter scelera, sed propter illam ipsam confessionem, multis miseriis premuntur. Sumus eiusdem corporis membra: debemus itaque esse *συμπάθεις*. Acto. 12. cap. cùm Petrus in vincula coniectus esset ab Herode ardentes preces fiebant in Ecclesia, igitur cùm tot omnis ætatis ordinis & sexus, propter religionem veram in maximo vitæ fortunarumque periculo versentur, seriò orandus est Deus, vt constantiam in vera fide eis largiatur, ingentisque illas ærumnas mitiget.

Quanto

Quanto sceleri nunc se astringunt, qui Ecclesia laborante, non modò parum moventur, sed etiam cum hostibus colludunt: aduersisq̃ue fidelium casibus lætantur? Item qui alioqui afflictis afflictionem addunt, vt qui viduis & pupillis debita negant, qui petunt ab eis quæ non debent, quiq̃ue vsuris aliisq̃ue nefariis artibus, possessionibus suis eas eiiciunt, qui tributũ à mortuis tyrannicè exigunt? Exemplo itaque Palæstinorum admoniti, discamus proximorum calamitatibus condolere, eos ope & consilio iuuare non vlciſci acceptas iniurias.

Afflicto ad-  
dere affli-  
ctionem est  
magnum  
peccatum.

Audiamus iam de vltione quam Deus de inimica hac gente Palæstinorum sumpsit. *Succidam Chretim.* Chretim excisores interpretantur, hoc est, milites qui omnia ferro excindebant. Quidam Hebræorum putant, nomẽ esse familiæ apud Palestinos bellicosissimæ. Hanc sententiam confirmare videtur, quod 1. Sam. 30. c. legitur: Irrupimus ad meridiem Chreti, quæ est contra Iehudam, & contra meridiem Caleb, & Ziclag succedimus igni. Postea mox subiicitur: Bibentes & tripudiantes propter multiplicem prædam, quam tulerunt de terra Philistim, & de terra Iuda. Zoph. 2. Væ habitatoribus ad tractum maris, genti Crethim: quem locum plerique interpretes per synecdochem de tota gente Palæstina intelligunt. Vel fieri potest vt Palæstini, aut ex illis præcipui, se Chretim nominarint, quòd fulmẽ quoddam essent belli, & omnia longè lateq̃ue excinderent: gaudent enim milites terribilibus cognomentis. Dauidi regi Chretim & Pelethim præsto, fuisse dicuntur in Historia sacra, 2. Sam. 8. cap. de quibus nominibus multa disputant Forsterus in suo Lexico, pagina 397. & Petrus Martyr loco antè citato, pagina 226. qui varias interpretum sententias in medium proferunt. In hoc consentiunt omnes, illos *σωματοφύλακας* vel satellites fuisse Dauidis, quales principes habent, vulgò Guardiam Gallico vocabulo appellant: sed de vocum etymologia non idem sentiunt. Pleriq̃ue à *ἄνω Carath*, quòd excindere, & *ἄνω Galath*, quòd liberare significat in secunda coniugatione, deducunt. Paulus Burgensis ab officio sic vult dictos esse, quòd iustitiæ fuerint exequutores, qui facinorosos (sicut lictores apud Romanos) occiderint, bonos verò eripuerint & liberarint. Ego si post tãtos viros, meam quoque coniecturam afferre licet, sic dictos putarem, quòd in eorum manu situm quodammodo esset regem vel seruare vel perdere. Non solùm quòd, si perfidi fuissent, Regem trucidare potuissent, quemadmodum prætorianos milites, suos imperatores aliquando occidisse legimus: sed etiam quòd si fuissent negligentes in obeundo suo munere, Regem exposuissent vitæ periculo. Sæpe enim propter excubitorum negligentiam, non solùm principes, sed toti exercitus oppressi sunt. Ad sensum nostri Prophetæ parum interest, siue intelligas certam familiam armis insignem, siue milites egregios, qui seipſos nescio quibus formidolosus titulis venditabant, siue promiscuè omnes Palæstinos, qui omnes parati erant vrbes excindere, & finitimas gentes armis vexare. Deus enim non solùm gregarios, sed præstantissimos quoque milites, quin totam illam gentem funditus deleuit.

Chretim &  
Pelethim le-  
gio vel satel-  
litum Dauidis.

*Et perdam residuum littoris maris.* Oram maritimam tenebant: minatur se etiam reliquias belli deleturum. *Faciam in eis vltiones magnas cum increpationibus iræ.* Munisterus reddit: *Cum castigationibus furoris.* Ipsi vlti sunt veteres clades iniuste, ego iuste vlciſcar veteres & recentis iniurias, dicit, quas mihi intulerunt, sumamq̃ue de eis graues pœnas ex furore. Sæpe per Prophetas suos, & clades leuiore, eos ad pœnitentiam reuocauit, sed frustra. In ira itaque mea eos puniam. Castigatio quæ animo fit sedato & pacato, plurimùm ab illa differt, quæ fit ab irato & perturbato: non quòd ira & perturbatio in Deum cadant, loquitur enim Propheta *αὐτὸ θεοποπάειτος.*

Castigare  
ex ira.

Alij quoque Prophetæ, huic genti fata sua cecinerunt. Isa. 15. Amos 1. cap. & Soph. 2. In primis verò Ierem. 47. cap. vbi modum vltionis ostendit: exercitum Ba-

Similes præ-  
dictiones a-  
libi extant.

bylonium aquæ inundanti comparans. Qua similitudine ostendit subitum exitium, quod nulla vi prohibere possint. Fluij enim vel torrentes subitò imbribus aucti, omnia rapiunt secum, saxa, arbores, pontes, id quod nuper Veronæ accidisse non sine dolore accepimus: Athesis enim fluius subitò auctus, sua vi pontes lapideos, molas, domos, ligna, vasa abstraxit, homines & pecora multa oppressit, agros, hortosque cultissimos, domos, templa arena, lapidibus & limo compleuit, merces plurimas corruptit, breuiter, urbem illam splendidissimam, vicinaque loca maximo damno affecit. Dominus Deus ipsos consoletur, & nos ab huiusmodi malis conseruet.

1567. die  
Octob. 30.  
& 31.

Impleta hæc  
sunt.

vsus.

Quæ verò Prophetæ de huius gentis interitu vaticinati sunt, vera fuisse omnia, euentus declarauit: Rex enim Babylonius deuictis Iudæis, ipsam quoque vastauit. Libro primo Machabæorum 10. 11. & 13. cap. de Ionathane & Simeone legitur, quòd Gazam & Ascalonem, vicinaque loca imperio Iudæorum adiecerint. Non autem est dubitandum, quin etiam multi ex ipsis Palæstinis, veterum iniuriarum memores, crudeliter tractarint. Etsi enim Imperatores belli & alij, moderate victoria interdum vtendum iubeant, tamen multi ferociter agunt cum illis à quibus læsi sunt. Vfus huius historię generalis est, vt caueamus nobis ab his quibus Palæstini Deum contra se prouocarunt: nempe ab ira, odio, cupiditate vindictæ, crudelitate.




## Concio decimanona

### EZECHIELIS.

HOMILIA CXVI.

*Vaticinatur de excidio Tyri, causas eiusdem admiscens.*

CAPVT XXVI.

- 1  T fuit vndecimo anno, prima mensis, fuit verbum Iehouæ ad me dicendo,
- 2 Fili hominis, propterea quòd dixit Sor super Ierusalaim, Euge, contracta est porta populorum, conuertit sese ad me, replebo me, deserta est.
- 3 Idcirco sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego contra te Sor, ascenderè que faciam contra te gentes multas, sicut ascendit mare fluctibus suis.
- 4 Et dissipabunt muros Sor, & destruent turres eius, & detraham puluerem eius ex ea, ponamque eam in summitatem petreæ.
- 5 Expansio sagenarum erit in medio maris, quia ego loquutus sum, dixit Dominus Iehouah, & erit in direptionem Gentibus.

6 Et filie

6 Et filiae eius quae sunt in agro, gladio occidentur, & scient quod ego Iehouah.



Hoc capite continetur CONCORD. XIX. Ezechielis Prophetæ, quæ cōtra gentes secūda est, & prima contra Tyrios. In sequentibus quoque capitibus, nēpe 27. & 28. de excidio Tyri concionatur, in fine 28. capitis, paucis Sidoniis quoque interitum prædicit, postea ann-

Sūma huius concionis.

ait promissionem de regno Christi. Possent hæc tria capita, sub vna concione comprehendi, sed visum est commodius, vt in tres distinguamus. Alij quoque Prophetæ idem argumentum tractant. Isaias 23. cap. & Ierem. 47. noster verò Prophetæ, multis hoc agit, eò quod & ipsis, & aliis, persuasum esset inexpugnabilem existere. Nō autem est dubitandum, quin hæc prophetiæ ad eos perlatae sint: Deus enim non solum Israelitis, sed & illis ad quos præcipue spectabant, voluit notas esse: mercatores quoque hinc inde negotiationis causâ proficiscentes, obseruant quæ ad suarum vrbium conseruationem & interitum, aliquo modo faciunt: rumores quoque interdum venantur.

Præmittemus pauca quædam de Tyro, quæ ad horum capitum, aliorumque sacrae Scripturae locorum elucidationem pertinere videbuntur. Tyrus ab Hebraeis *תיר* dicitur, eò quod in petra ædificata fuerit *תיר* enim & *תיר* saxum vel petram significat. Seruius lib. 2. Georg. Virgilij, hæc verba: Sarrano dormiat ostro, interpretatur Tyria purpura, & addit Tyrum olim Sarram vocatam esse, à pisce qui illic abundet, quem Sar appellant sua lingua: is nimirum est, qui alio nomine purpura vocatur, potius à *תיר* vel *תיר*, sic dictam fuisse credendum est. Vrbs fuit vetustissima & celeberrima Syriæ Phœnicisque. Sidon nepos Chami, ex filio Chanaam, condidit Sidonem, si Iosepho creditur. Ex hac postea, propter discordiam ciuium, coloni deducti, in vicinia Tyrum condiderunt. Alij Tyrum filiū Iaphet, hanc urbem condidisse volunt. Isai. quoque 23. Tyrum filiam Sidonis nominare videtur. Tyrus autem, teste Iosepho lib. 8. antiquit. cap. 2. annis 240. condita est, antequam Templum Solomonicum extrueretur. Plin. 5. lib. 19. capite, Tyrus, inquit, quondam insula, præalto mari septingentis passibus diuisa, nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim partu clara vrbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula, terrarum orbis auida Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas cōchylio atque purpura constat. Strabo lib. 16. etiam de Tyro scribit. Hæc vrbs propter situs commoditatem, non solum munita fuit, sed celeberrimum opulentissimūque & quasi totius orbis emporium, Fere autem fit, vt huiusmodi vrbium mores sint longè corruptissimi, quod ex omnibus fere nationibus vitia importentur, & mercatores magnam vitæ licentiam sibi concedendam, suo quodam iure, putent. Opulentiam comitatur superbia, luxus, libido, &c. Multos ex ciuibus, principes fuisse, vt hodie Venetiis, Antuerpiæ, Augustæ Vindelicorū, ex Isaiâ colligimus. Populosam fuisse ex hoc intelligitur, quod tot colonias deduxit. Marii dominati sunt, vt hodie amplissima Venetorum Respublica. Vetus fuit Tyriorum cum Hierosolymitanis amicitia. Hiramus enim rex amicissimus & fratris loco fuit Dauidi, postea Solomonem in ædificio Templi adiuuit: non solum, cedros & abietes in monte Libano cæsas, sed & artifices mittendo. Reges aliquot Tyrios, enumerat Iosephus contra Appionem lib. 1. Curtius dicit Tyrios Herculem & Astarthē præcipue coluisse. Expugnata fuit hæc vrbs à Nabuchadonofore, qui aggere mare compleuit. Quomodo ab Alexandro obsessa, & continenti aggere coniuncta sit, Diodor. 7. lib. & Curtius 4. lib. describunt: Forte interea cum iterum ædificata est, agger partim vi ventorum, partim ab ipsis Tyrijs disiectus fuit. Sequentibus quoque seculis hæc vrbs fuit celebris. Christus in eius finibus concionatus legitur. D. Paulus iter factururus Hierosolymam, in illa vrbe, septem diebus cum fratribus

Tyri origo.

4421

commoratus est. Origenes in hac vrbe, teste Hieronymo, mortuus est: item nobilissimus princeps Fridericus Barbarossa, Romanus imperator à filio illuc perlatus. Ex eadem vrbe oriundus fuit Vlpianus iureconsultus, vt ipsemet testatur in Digestis, Tit. de Cens. De hac vrbe lege Guil. Tyrium De bello sacro libro decimotertio capite 1. & aliquot sequentibus.

Veniamus iam deinceps ad vaticinium Prophetæ. *Et fuit vndecimo anno prima mensis.* Exprimit annum quo hæc prophetia sibi à Deo reuelata est, anno vndecimo, nimirum à captiuitate Iechoniæ, qui idem vndecimus est Zedechiæ, quo anno vrbs Hierosolym. capta fuit. Illi verò securi ad se minimè pertinere hanc rem putabant, cum illo exemplo facillè videre potuissent, quidnam ipsis fuerit expectandum. Mensis quo hæc facta sunt, non est expressus: quidam, nescio qua ratione ducti, mensem Iulium dicunt fuisse. *Euge confracta est porta populorum, &c.* Euge, est particula gaudentis & insultantis alicui, quam superiore quoque capite habuimus. Portam populorum vocat Hierusalem, nimirum quòd non solum frequens & populosa esset: sed & multi peregrini ex omnibus nationibus ad eam partim & præcipuè religionis, partim mercaturæ causa confluerent. Acto. 2. capite scribitur, in festo Pentecostes ex omni natione quæ sub cælo est, homines Hierosolymis fuisse. *Conuertit sese ad me,* scilicet negotiatio quæ fiebat in ea. Ditissimi erant Tyrij, tamen gaudebant ad se deinceps plures mercatores venturos. *Replebo me, deserta est.* Iam actum est de Hierusalem, igitur ego mercatoribus & mercibus re-

**Rei priuati  
studium.**

plebor. Reprehendit Tyrios propter priuati commodi nimium studium. Hierosolym. vicini, & hoc tempore fœderati erant, vetus erat inter illos amicitia, vt paulò antè dictum est, non erant læsi ab illis: tamen propter suum commodum, gaudebant ipsorum malis. *Vt si hodie opifices,* aliquem insignem *ὁμότεχνον* extinctū vellent, si mercatores aliorum merces corrumpi, si vina, si frumenta perire & malignè prouenire optent, vt quæstum & lucrum ipsi facere possint. *Si qui velint aliquem mori,* qui dignitatem magnam consequutus est, vt ipsi possint succedere, honoribus & opibus augeri. Fieri potest vt gaudium eorum non ortum sit ex odio, inuidia, sed tantum ex priuati commodi studio. si autem accedant hæc vitia grauatulur culpa & pœna. Non omnia referenda sunt, ad nostram nostrorumq; utilitatem: sed aliorum quoque, & in primis Reipubli. ratio habenda est. Heluetij prouerbio dicunt, pessimam esse illam vaccam, quæ sola velit pascua loca occupare. *Ego contra te. Me hostem experieris.* Si Deus bellum gerat contra gentem aliquam, frustra arma expediuntur. *Ego adducam aduersus te Nabuchadonosorem.* Hūc ipsum hostem, qui vicinos vestros oppressit, contra vos armabo. *Sicut ascendit mare fluctibus suis.* Mare tranquillum subitò ventis concitatum, fluctus in altum attollit. Ostendit quòd subitò, nullo negotio hostes adducere possit, cum quibus frustra pugnaturi sint. *Dissipabunt muros Sor, & destruent turres eius.* Muros quos crassissimos & altissimos, turres quarum plurimas habuisse probabile est, arietibus deicient. *Detraham puluerem eius ex ea, ponamque eam in summitate petra.* Quia Tyrus in mari super petram condita fuit, probabile est ciues transtulisse in petram terram, vt hortos suos haberent, & in illis varias plantas. Hoseas certè 9. cap. Israelitas hortis siue arboribus in Tyro plantatis confert. Deus itaque minatur puluerem vel terram detrahendam, vt petra nuda sine terra appareat. Platis summo studio confitis, hortis pensilibus magnis sumptibus factis non parum est à militibus.

*Expansio sagenarum in medio eius.* Vbi nunc sunt horti & ædes splendidissimæ, ibi retia siccabuntur à piscatoribus. *Quia ego loquutus sum.* Si Deus aliquid fore prædicit, non est dubitandum de rei euentu. *Erit in direptionem gentibus.* Ædes non solum plenæ, sed quasi constipatæ erant rebus preciosis, quæ direptæ à militibus, in omnes nationes iterum disperisæ sunt. *Et filia eius quæ sunt in agro, gladio occidentur.* Per filias intelligit oppida, pagos, castella, quæ fuerunt in eorum ditione. Tyrios

in ora

in ora maritima, & locis mediterraneis, oppida multa habuisse, hinc potest intelligi, quòd Solomon Hiram dedisse scribitur, 1. Regum 9. cap. viginti oppida in terra Galileæ. Illa quoque oppida capientur & diripientur. Si per filias simpliciter intelligas mercatorum filias, & vxores quæ in agros & prædia sua expatiatæ erant, & illas à militibus cæfas esse, est probabile. *Scient quòd ego Iehoua.* Re ipsa cognoscent me veracem esse & potentem. Ne itaque aliorum malis gaudeamus: nec expectemus donec malorum experientia Dominum cognoscamus: non aburamur donis ipsius, non fidamus prudentiæ, opibus, viribus nostris, sed expendentes qualis sit Deus, quid nobis propter peccata ab ipso expectandum sit, studeamus nos ipsi probare, qui solus bellorum tēpestates excitare & sedare, & alia quoque mala immittere, atque tollere vel mitigare potest.

HOMILIA CXVII.

*Pergit in descriptione obsidionis & expugnationis Tyri.*

7 Sic enim dixit Dominus Iehouah, Ecce ego adducam aduersum Sor Nabuchadnesar Regem Babel ab Aquilone, Regem Regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cætu, populoque multo.

8 Filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet, & ponet contra te munitionem ligneam, effundetque contra te aggerem, & consurgere faciet contra te scutum.

9 Et balistas contra eam ponet, contra muros tuos, & turres tuas destruet malleis suis.


10 Præ multitudinem equorum eius operiet te puluis eorum: præ tumultu equitum & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui, quum ingressus fuerit per portas tuas tanquam per introitus ciuitatis dissipatæ.

11 Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio occidet, & statua fortitudinis tuæ in terram descendet.

12 Et prædabuntur opes tuas, & diripient negotiationem tuam, & destruent muros tuos, & domos desiderabiles tuas destruent, & lapides tuos, & ligna tua, & puluerem tuum, in medio aquarum ponent.

13 Et cessare faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur amplius.

14 Et ponam te vt summitatem petrae, expansio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra, quia ego Iehouah loquutus sum, dixit Dominus Iehouah.

 Ancti Prophetæ multas habent de bellis, præliis, obsidionibus & expugnationibus vrbiũ tam euidentibus & perspicuis narrationibus, vt oculis omnia coram intueri videamur. Non autem existimandum est, hæc in cœtibus sacris, pueris & mulierculis absque fructu recitari & explicari. Nam Deus hæc non solum prædici & fieri: sed & consignari monumentis literarum voluit, vt toti Ecclesiæ prodesse. Audientes enim tam ingentia mala, Deum orare omnes debemus, vt nos ab illis conseruet, & ita nos gerere, ne meritò nos iisdem afficiat: pro illis quoque, qui

vel propter sua peccata, vel ut fides eorum probetur, his malis premuntur, apud Deum intercedere debemus. De expugnatione Tyri heri diximus: sequuntur nunc de eadem re plura: planius enim dicit à quibus obsidendi sint & quomodo: quidque expugnata vrbe eis euenturum sit.

*Ecce ego adduco aduersum Sor Nabuchadrefar.* Nominatim exprimit à quo euerenda sit vrbs eorum, nempe à Nabuchadonofore cuius nomen tam celebre erat atque hodie Turcici imperatoris. Nabuchadonofor alibi scribitur, & exponitur gemitus vel planctus iudicij angustiae vel pressuræ, siue coartans iudicium angustiae. Hoc loco & infra 29. versu 18. & 30. versu 10. Nabuchadrefar scribitur, quod redditur gemitus siue planctus generationis angustiae vel pressuræ, aut coartatio generationis angustiae, vel pressuræ. Videtur autem certo consilio. Spiritus sancti, aliter in his locis scribi. *Regem regum cum equis.* Deus est causa princeps huius expeditionis, causa instrumentalis Nabuchadonofor, qui Rex regum, hoc est, potentissimus appellatur: multos enim reges tributarios habuit, qui ei auxilia miserunt. Quia verò Rex ipse in expeditione fuit, maiore cura bellum fuit administratum. Præsentia regum excitat & acuit milites, ad fortiter & strenuè agendum. *Filias tuas quæ sunt in agro gladio interficiet.* Oppida & villas quæ subditæ erant Tyriis, in continente primùm ceperunt, non igitur ab illis auxilium habere potuerunt, aut sperare, quòd euerfa vrbe in illa se conferre possent: vel secundum literam, filias quas fortassis in rus mittebant propter obsidionis pericula. *Pone contra te munitiōnem ligneam.* Per פִּרְיַי דַּיִק turres ambulatorias intelligit, ut supra, quas hostis erexit. *Fundet aggerem.* Tyrum quæ tota insula fuit, magno & difficili opere aggere continenti iunxit, quem in obsidione congeffit. *Er hatt das ordt eschuttet: er hatt gvvuret oder ein schutti gmacht zur stadt,* ut vrbi scalas posset admouere, eamque expugnare. *Consurgere faciet contra te scutum,* hoc est, aciem militum scutorum contra te collocabit. זִינְנָה *zinnah* etiam lanceam interpretari possumus. *Et balistas contra eam ponet, contra muros tuos.* מֵיִכּי *mechi* arcus vel balista, aries. Sensus non est obscurus, machinas bellicas expediet, murosque quatiet. Instrumenta vel tormenta bellica, quorum in obsidionibus magnus vsus fuit, Ammianus Marcell. lib. 23. descripsit. Habuerunt arietes, vineas, catapultas, balistas quibus spicula miserunt, onagros quibus lapides: quanquam, ut Suidas annotat, pro machinis etiam accipiuntur, quæ harpagines & lupi vocantur, quibus iniectis superne accedentes attrahebantur, nauibus etiam aliisque operibus iniiciebantur, sicut coruus & manus ferrea. *Et turres tuas destruet malleis tuis.* זֶרֶק *cheref* culter, gladius, pro bipenni etiam accipitur, & omnibus instrumentis, quæ findunt & scindunt. *mitt bicklen ond scintchsen.* *Præ multitudine equorum eius, operiet te puluis eorum.* Equestres exercitus puluerem excitant in campis, ut molestissimum sit peditatui eos subsequi. *Mouebuntur muri.* Strepitu vnus currus mouentur fenestræ: quid si multi sint currus multi equi? Tantuserit, inquit, equorum & curruum strepitus, ut vrbs quodam veluti terræ motu moueri videatur. *Tanquam per introitus ciuitatis dissipatæ.* Ostendit muros passim deiiciēdos, ut copiae militares tanquam de campo ingredi possint. Alioqui nō tutum est ingredi vrbes propter incolas, qui ex ædibus & summis tectis, saxa in capita hostium deuoluunt.

Tormenta  
bellica.

Columnæ.

*Statue fortitudinis tuæ in terram descendent.* Apud Græcos & Romanos bene meritis de Repub. decernebantur columnæ vel statuae, quibus inscribebantur res gestæ illorum, quorum gratia erectæ fuerunt: erigebantur columnæ in alios quoque fines, itē trophæa victis hostibus, Hæc omnia, inquit, deiicientur. Constat in nostra Heluetia ab Alemannis & Hunnis, statuas, sepulchra, titulos, libros, & omnia monumenta, odio Romani nominis fuisse deleta & dissipata. Hinc est quòd tam raræ sint apud nos veterum inscriptiones.

*Et pradabuntur opes tuas.* Opes ingentes non sine fraudibus & iniuriis proximorum,

rum,



rum collegerant, hæ iusto Dei iudicio direptæ sunt. *Diripient negotiationem tuam.* Varias habebant merces, pannos, metalla, aromata, pelles, &c. hæc omnia viritim diuisa sunt, & ab auaris militibus direpta. *Domos desiderabiles tuas destruent.* Ædificia publica & priuata, in quibus exornãdis modum excefferant, milites diruerunt. *Lapides tuos & ligna tua.* Sæuitia victoris tanta fuit, vt lapides, ligna, rudera in medium mare proiicerent.

*Cessare faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non au-*  
*diatur amplius.* Pueros suos symphonicos, & varia instrumenta musica habebant, quibus cum aliis, tum in conuiujs exhilararentur, quæ omnia conticuerunt. Musica vsus honestus esse potest: David quoque cythara lusit: cauendum ta-  
men ne musicam in alium, quàm nobis à Deo concessa est vsum conuertamus. Musica? Alioqui vbi nunc concentus musicus auditur, postea onocrotali, bubones, vlula-  
tus luporum exaudiuntur. Idem suo populo Iere. 7. cap. cõminatus est, Ego inquit efficiam vt cesset in vrbibus Iuda, & in plateis Hierusalem, vox lætitiæ & vox gaudij, vox sponsi & vox sponsæ: quoniam terra redigetur in desolationem. Amos 6. cap. reprehendit illos qui concinentes ad citharam: sicut David sibi instrumeta musica excogitant. Isaias quoque cap. 5. musica in luxuriosis conuiujs meminit.

*Et ponam te vt summitatem petræ.* Vel vt limpidam petram: ædificia omnia quasi abradentur, ne vestigia quidem vrbs supererunt. *Nec edificaberis vltra, quia ego Iehoua loquutus sum.* Intellige de restitutione in pristinum regni statum. Fuit quidem propter portuum commoditatem restituta, sed non tam egregie vt antè, nec amplius regina populorum fuit, sed posthac Chaldæis, Græcis & Romanis tandem Turcis seruiuit. D. Hieronymi temporibus, hæc vrbs nobilissima & pulcherrima fuit, vt ipsemet testatur.

HOMILIA CXVIII.

*J Principes & mercatores super inopinato occasu  
Tyri obstupuisse.*

15 Sic dixit Dominus Iehouah ipsi Sor, *An non à sonitu ruinae tuæ, quum vociferabitur vulneratus, quum occisione in medio tui commouebuntur insulæ?*

16 *Et descendent de solijs suis cuncti principes maris, & remouebunt pallia sua, & vestimenta discoloria sua exuent, stuporibus induentur, super terram sedebunt, & pauebunt ad singula momenta & obstupescunt super te.*

17 *Et assument super te lamentum, dicentque super te, Quomodo peristi quæ habitata eras à negotiatoribus venientibus à maribus, vrbs quæ eras laudata? quæ fuit fortis in mari, ipsa & habitatores eius, qui dabant terrorem suum omnibus habitatoribus eius.*

18 *Nunc pauebunt insulæ in die ruinae tuæ, terre buntur inquam insulares, qui sunt in mari ab exitu tuo.*

19 *Quia sic dixit Dominus Iehouah, Quum posuero te urbem desolatam, sicut ciuitates quæ non habitantur, quum ascendere fecero super te voraginem, & operuerint te aquæ multæ.*

20 *Et ascendere fecero te cum descendentibus in sepulchrum, ad populum seculi, & collocauero te in terra inferiore, sicut solitudines quæ fuerunt à seculo, cum*

descendentibus, inquam, in sepulchrum, ita ut non habiteris, & dederō gloriam in terra uiuentium.

21 Consummationem ponam te, & non eris: requirerisque, & non inuenieris ultra in seculum, dixit Dominus Iehouah.

Matth. 24.

**R**Ex & propheta Salomon, Prouerbiorum 21. cap. dicit, Non est sapiētia, neque intelligentia, neque consilium contra Dominum. Si Deus hominem, urbem, gentem uel regnum aliquod propter peccata caligare instituit, nemo potest prohibere. Huius rei exemplum infigne habemus in Tyriis, quorum urbs opinione hominum inexpugnabilis erat: natura enim & opere erat munita, à cōtinente, freto quatuor stadiorum, ut Curtius scribit, dirimebatur, incolas multos, prudentes, & rei militaris atque nauticæ peritos habebat, commeatu & armis erat instructissima, munita fœderibus: tamen cū impleuissent mensuram peccatorum suorum, urbs eorum ita ab hostibus fuit diruta, ut (quod Christus de Templo Hierosolymitano dixit) lapis super lapidem non manserit. Vnde discimus, nihil esse diuturnum in rebus mortalium: illa in quibus stulti homines fiduciam collocant, vno momento perire. Humiliemur itaque sub potenti manu Dei. 1. Pet. 5. Sequitur populos vicinos & remotos attonitos audiuisse de ruina Tyri, & plenius explicatur, funditus euertendam. Similia quædam leges Isa. 23. capite. *A sonitu uel fragore ruinæ tuæ, cū vulneratus uociferabitur, &c.* Si te oppugnante Nabuchadonosore, corrues, & clamorem, euitatum & gemitum miserabilem editum fuisse fama percrebuerit, insulares trepidabunt. Vno uerbo potuisset dicere, Si audiant te vastatam, mirabuntur: sed paucis interferit illa, quæ victores expugnatis urbibus facere solent. Subiungit quid principes maris facturi sint. *Descendent de solis suis cuncti principes maris.* Mediterraneum mare (ut de Oceano nihil dicam) plures & frequenter habitatas habet insulas: ut sunt Rhodus, Cyprus, Creta, Sicilia, Melite, Sardinia, Samus, Chius, ex qua uiua Maluatica, ut uocant, afferuntur, & aliæ, de quibus præter ueteres consulere potes Vadianum in fine epitomes de tribus orbis partibus. Ex his insulis quædam reges suos, reliquæ principes & præfectos habuerunt. Hi autem clade Tyriorum, *descendent de thronis suis. Remouebunt pallia & vestes discolors uel acupictas.* Plinius lib. 18. cap. 48. tradit, Apud ueteres in usu fuisse, vestes uariis & suauibus coloribus inficere, ut florum & herbarum pulchritudinem imitarentur. Non quod cuius liceret vestes quales uellet gestare: in omnibus enim *Rebus pub. rectè constitutis, fuerunt leges uestiaræ.* Fuit autem tristitiæ & humilitatis signum, quod hæc fecerunt. Sic Rex Niniuitarum Ionæ 3. cap. audita cominatione Prophetæ, scribitur descendisse de solio suo & deposuisse trabeam uel paludamentum suum, induisse sacco, & sedisse in puluere. *Stuporibus induentur.* hoc est, ut uestis corpus circundat: ita horror & metus undique erit. Luth. uertit, *Vestes lugubres induent:* qui sensus etiam non malè congruit. *Super terram sedebunt.* Nimirum, ut in mentem reuocent, se *in terram uertendos esse.* Job. 1. cap. in acerbissimo suo luctu in terram sedit: Job 2. cognati ipsius etiam in terram sedisse dicuntur. Isa. 47. Descende & sede in puluere filia Babel, sede in terra. *Et pauebunt ad singula momenta.* Ruina Tyri, cuius ueterem gloriam unius horæ procella euerit, principibus terrorem incutiet: uidentes enim, quàm nihil sit diuturnum in rebus humanis, consternabuntur, cogitantes quid ipsis tandem expectandum sit. Tigurina uersio. *Pauebunt ad subitos,* scilicet istos casus: *Obstupeficient super te.* nihil aliud facere possunt, quàm stupere. *Et assument super te lamentum, & dicent super te.* Et principes & alij, considerantes quàm illustis & potens fueris, lamentabuntur te, nec sine stupore dicēt: *Quomodo peristi quæ habitata eras à maribus?* Babylo-  
niorum

niorum virtute non potuissent euerti, nisi Deus eos in manum ipsorum tradidisset, proinde non immerito stupent. Qualis fuerit vrbs ostendunt.

I. *Habitata eras à maribus*, hoc est, à negociatoribus venientibus à maribus. Mare mediterraneum multa habet nomina, quæ petenda sunt ex tabulis geographicis. Vrbs populosa fuit: non solum ciues multos, sed etiam inquilinos habuit, & frequentiam peregrinorum: qui ex omnibus terræ partibus, & insulis, ibi confluabant.

II. *Vrbs quæ erat laudata*. Inclyta & celeberrima per totum orbem, tum propter mercaturam & varias artes, tum propter colonias deductas, item propter res bellogestas, crebramque, vt Curtius dicit, fortunæ varietatem.

III. *Quæ fuit fortis in mari*. De eius situ supra diximus: fuit insula, postea facta est peninsula.

III. *Ipsa & habitatores eius, dabant terrorem omnibus habitatoribus eius*, scilicet maris, cui præcipue dominabantur. Hæc vrbs terrori fuit omnibus insulis. Instructa enim fuit rebus omnibus ad bellum, præsertim nauale gerendum necessariis: deinde Carthaginenses quorum potentia ex historiis nota est, eam matrem agnouerunt, & necessitate postulante arma cum ea iunxerunt. Tyria maria prouerbio dicuntur de re plena periculi. Festus Pompeius inde naturam arbitratur, quod Pœni Tyro oriundi adeo potentes maris fuerunt, vt per hos omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Quod ille de Pœnis dicit, de Tyriis rectius dici potest. Iam enim dixi duas has vrbes iunxisse vires & copias, &c. *Nunc pauebunt insula in vel à die ruina tua*. Insulæ, hoc est, insulares homines metuent sibi cum audient te cecidisse, ne in eadem mala incidant. *Terrebuntur insula quæ sunt in mari ab exitu tuo*. Idem repetit aliis verbis: *Terrorem eis incutiet tuus exitus*, hoc est, tuum exitum, *din end, din esgang din vndergang*. Vel quando fueris captiua abducta. Reliquias enim belli captiuas abduxit rex Babylonis. Hodie à Turcis multi abducuntur in perpetuam seruitutem: venduntur in triremes, metalla, latumias. Obseruandum est, quod non solum mercatores, sed & principes maris, audito Tyri excidio, subito metu perculsos fuisse dicit. Natura enim insitum est hominibus, vt aliorum cladibus commoueantur, & cogitent miserabiles generis humani casus. Qui se suis quidem, nedum vicinarum & exterarum gentium cladibus commouentur, re ipsa testantur, se exuta humana natura, in bestias degenerauisse. Subiungit nunc Tyrum ita delendam, vt nihil reliqui futurum sit, ac si nunquam extitisset. *Cum posuero te urbem desolatam, sicut ciuitates quæ non habitantur*. Ostendit in desolatione redigendum, vt alias vrbes quæ dirutæ iacent, quas nemo repurgat aut incolit, in quibus serpentes, & bestiaæ amantes solitudinis versantur. *Cum descendere fecero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ*. Per abyssum & aquas multas, intelligit numerosos exercitus & innumeras calamitates, ex quibus non sint emersuri: vt sit sensus: *Cum copiosos exercitus contra te eduxero, te prorsus delebo*. *Descendere faciam te cum descendentes in sepulchrum*. hoc est, tollam te prorsus è medio: proiciam te in sepulchrum: *Ad populum seculi*. hoc est, qui longe retro tempore è vita decesserunt vel, qui perpetuo, hoc est, longo tempore, nempe ad diem vsq; iudicij nouissimi in terra quiescunt. Sic Solomon Eccl. 12. sepulchrum vocat domum seculi, quia mortui perpetuo, donec resurrecturi sunt, in eadem permanet conditione. Nos dicimus, *den abten huffen zu furen*. Et collocauero te in terra inferiore. Repetito est, intelligit sepulchrum: *Cum bene sepulta fueris*. Psal. 63. *Qui ad desolationem quaerunt animam meam, introibunt in inferiora terræ*, hoc est, in sepulchrum vel infernum. Minatur igitur Tyriis, etiam in futura vita diros cruciatus. *Sicut solitudines a seculo*. Faciam vt sis sicut solitudo perpetua, in qua nulla vnquam fuerunt ædificia. Qui sepeliuntur, non videntur. *Et dabo gloriam terræ viuentium*. Cum posuero decus in terra viuentium. Placet interpretatio Vatabli, cum terram Iudæam restituerò in pristinum statum, honorem & splendorem.

Terra viuētium.

Iudæa autem dicebatur terra viuētium, vel quòd Deus viuētium ibi coleretur, vel quòd incolis illius terræ peculiariter hæreditatem vitæ promiffisset, idque propter Christum, qui vita in Scripturis dicitur. *Consumptionem ponam te.* Prædicat penitus extirpandam. Alij reddunt: *Terrores ponam te, & non eris, requirens & non inuenieris ultra in seculum.* Quæris, Quomodo res ita habeat, cum constet Tyrum reædificatam, & sæpe interea captam esse: Sensus est, incolas omnes partim cædendos, partim abducendos, nunquam redituros in patriam. Iudæi quoque abducebantur in captiuitatem, sed multi ex ipsis, & filij ipsorum fuerunt reducti. Hic alia fuit ratio. Ab aliis gentibus vrbs quidem reædificata fuit, non ab ipsorum posteris, qui vel prorsus interierunt, vel alibi sedes suas habuerunt. Seculum significat definitum tempus. Per Isa. 23. capite, 70. annorum tempus ei fuit definitum. Hodie sunt quædam regiones, quæ non quidem carent incolis, sed veteres incolæ interierunt prorsus: non idem est populus qui fuit, non eadem vrbes, pagi, castra, &c. Theodoretus hunc locum etiam secundum spiritum posse intelligi dicit, nam si quis quærat Tyrum priorem, non inuenturam illam priorem, quæ impia fuerit: sed aliam quæ diuinæ cognitionis lumine illustrata sit, &c. Excitet hæc nos ad timorem Dei, & considerandam rerum humanarum instabilitatē: quia non tantum audimus, quid Tyro acciderit: sed quæ interea acciderunt, res maximas audiuius, & oculis nostris vidimus. Nemo itaque in sceleribus suis securus sit, quasi à Deo puniri non possit.




## Concio vigesima

### EZECHIELIS.

HOMILIA CXIX.

*¶ Urbis Tyri potentiam & gloriam in aedificiis, in apparatu nautico & bellico describit.*

CAPVT XXVII.

- 1  *T fuit verbum Iehouæ ad me dicendo:*
- 2 *Et tu fili hominis, assume super Sor lamentum.*
- 3 *Et dic ipsi Sor quæ habitat in ostiis maris, negociatrici populorum ad insulas multas, Sic dixit Dominus Iehouah, Sor, tu dixisti, Ego sum perfecti decoris.*
- 4 *In corde marium sunt termini tui: aedificatores tui, perfecerunt decorem tuum.*
- 5 *Ex abietibus de monte Seir aedificauerunt ibi omnes naues: cedros de Lebanon tulerunt, vt facerent malum tibi.*

6 E pinis

6 E pinis Basan fecerunt remos tuos: tabulatum tuum fecerunt ex ebore, congregatio Assurim de insulis Cithim.

7 E bysso opere phrygionico texta, ex Misraim fuit expansio tua, ut esset tibi in velum, ex hyacintho & purpura de insulis Elisab, fuit operimentum tuum.

8 Habitatores Sidon & Arvad fuerunt remiges tibi: sapientes tui Sor fuerunt in te, ipsi erant nauæ tui.

9 Senes Gebal, & sapientes eius, instaurauerunt in te ruinas tuas: omnes naues maris, & remiges earum fuerunt in te ad negotiandum negotiationem tuam.

10 Paras & Lud, & Put fuerunt in exercitu tuo, viri bellatores tui: scutum & galeam suspenderunt in te, ipsi dederunt decorem tuum.

11 Filij Arvad cum exercitu tuo illo super muros tuos per circuitum, & Pygmæi in turribus tuis fuerunt: scuta sua suspenderunt super muros tuos per circuitum, ipsi perfecerunt pulchritudinem tuam.



Hoc capite continetur **C O N C I O X X.** ordine, tertia contra gentes, & secunda contra Tyrios, in qua Propheta principio describit celebritatem & potetiam Tyri, quoad ædificia splendida, rem naualem & militarem, atque mercaturam. Deinde naufragium facturam dicit, hoc est, interituram. Tertio loco, planctum super Tyrum describit. Idemque in hac oratione agit, quod in superiore, nempe urbem illam amplissimam & opulentissimam miserè perituram propter peccata sua: alia tamen forma orationis rem explicat: adhibet enim allegoriam à re nauali. Tyrum comparat naui instructissimæ, & omnis generis mercibus onustæ. Aptæ autem fuit hæc similitudo: nam quotidie & suas, & peregrinas naues videbant: nobis qui procul à mari degimus, similitudines à trirēibus, eiusque partibus ductæ, non ita notæ sunt. Quod verò rem eandem toties inculcat, ideo fit, quod non ipsi solùm Tyrij, sed & alij, quotquot Tyrum viderant, fieri non posse existimarent, ut expugnari posset: potuerunt itaque intelligere Deo procurante esse subuersam.

Duplex autem est securitas, vna ortum habet ex fide. Scientes nos per Christum Deo reconciliatos esse, etiamsi fractus illabatur orbis, tamen pacato animo sumus. Altera oritur ex *amisiã*. Homines munitione locorum, opibus, cognationibus, clientelis freti, omnia pericula contemnunt: non cogitant à quo hæc omnia & quare acceperint. Tales erant Tyrij, Propheta itaque, ut vt securi sint, perituros prædicit: securitate enim pericula non depelluntur. *Assume super Sor lamentum.* Luge & deplora sortem Tyrij. Lamentamur si res nobis tristes accidunt. Ieremias exidium vrbis Hierosolymorum & Templi lamentatus est. Docet autem hæc oratio, ut annotauit Theodoretus, cum peccantibus correctionem quandam adhibemus, non odio aliquo aut inimicitia id faciamus, sed commiserantes & dolentes. Etiam Deus iurè & iustissimè iudicans, Prophetæ prædicit ut ciuitatem punitam lamentetur, declarans qua animi affectione eam puniret.

Duplex se-  
curitas.

Et dic ipsi Sor quæ habitat in ostiis maris. Munsterus, Quæ sedes in introitu maris. Propter portuum commoditatem vndique adiri potuit nauibus. *Negotiatrici populorum ad insulas multas.* Habuit sua commercia cum multis populis, qui merces eius variis insulis importarunt, quod commodè nauigiis fieri potuit. Alij vertunt, Vna cum insulis multis, ut sit sentus, Omni genere mercaturæ negotiati sunt, & cum illis qui in continente habitant, & cum insularibus.

*Ego sum perfecti decoris*, hoc est, Te ipsam laudas, & dicis: Ego sum omnium urbium splendidissima. Superbiã & fastum & iactantiam eorum accusat: quicquid donorum acceperat, suæ virtuti ascribebat: non Deo. De Nabuchadonofore legitur apud Daniele 4. capite, quod in palatio regio deambulã dixerit: An non est hæc Babylon magna, quam ædificaui excellenti mea potentia, ut existat Regia, & decus magnificentiæ meæ? Mox audit, regnum à se auferendum, inter bestias abiiciendum, &c. Quando magna dona accepimus, grati illorum largitori Deo esse debemus.

*In corde marium sunt termini tui.* Iam Propheta per quandam concessionem, recenset omnia quibus excelluerunt. Quanquam D. Hieronymus scribit, quia dixerit se perfecti decoris, ostendi iam quid à singulis acceperit regionibus, proximis & remotis, secundum illud, Quid habes quod non accepisti? Illa misit militem, illa ligna, &c. Limites ipsius in medio maris esse dicit: vndique enim maris vrbs cingebatur. Aliis principibus limites sunt, vrbes, pagi, montes, valles, fluij, tibi ipsum mare: nemo ad te potest accedere, si obsistas: non enim terrestris via ad te ducit.

*Ædificatores tui perfecerunt decorem tuum.* Sidonij tui conditores, munierunt te mœnibus, turribus, propugnaculis, domos egregias ædificarunt, nihilque omiserunt rerum illarum, quæ ad ornatum & munitionem vrbs pertinent. Multum enim refert quomodo vrbes ædificentur. Vrbes vnde laudentur ex Rhetoricis libellis notum est. Nostri dicunt, *bii habend nichts an dir vergasten.*

Lignorum  
diuersitas.

*Ex abietibus de monte Senir, ædificarunt tibi omnes naues.* Munsterus vertit omnia tabulata duplicia. Luth. *tafel iverck*. וילי *luach* tabula ponitur in duali. Oecolampadius annotat, Prophetam naues sic vocare, quod duo habeant latera, vel duas extremitates, puppim & proram: Tigurina versio habet transtra. Senir est mons qui alio nomine Hermon, Sario, & Sion dicitur. Vide Onomasticon R. Stephani adiunctum Bibliis magnis, in dictione Sanir. וברו *berofsch* quidam cedri speciem faciunt: Hieronymus & alij abietem dicunt, alij pinum vel cupressum, Forsterus fraxinum interpretatur. Urbem nauis instructissimæ comparat. Apud Horat. carminum lib. 1. Ode 14. Respub. nauis nomine significatur. Ecclesiam item nauiculæ Petri comparant. Ostendit autem urbem fuisse ornatam & instructam, simul etiam significat Tyrios suam classem habuisse, inque re nautica excelluisse. Ex diuersis montibus, diuersa ligna ipsi afferebantur. *Cedros de Libano tulerunt, ut facerent malum tibi.* Libanus mons Syriæ, in quo altissimæ cedri crescunt, celeberrimus est in Scripturis: Malos ex hoc monte cæsos, inquit, comportabas: sicut hodie proceras abietes ex silua Hercinia, & silua propè Aroiam oppidum Heluetiæ in ditione Bernatum, in mare Anglicum per Rhenum in hunc usum deducunt.

*Epinis Basan fecerunt remos tuos.* Basan regio Og regis quæ postea tribui Manassis cessit, nemoribus abundauit: præsertim quercetis. Quanquam וילי *allon* R. Kimhi, teste Munstero in suo Lexico, ubique interpretetur castaneam arborem: in Radicibus dicit, arborem esse quæ vulgo pinus vocetur. Vulgata versio quandoque habet arbor, plerunque quercus. Isa. 2. Zach. 11. quercuum Basan fit mentio. *Tabulatum tuum fecerunt ex ebore.* וקר *karæshc* tabulam vel asserem significat. Quidam turrim vel castellum nauis interpretantur, vel transtra, quæ ex materia vulgari aliàs fiunt. ור *shen* dētem simpliciter significat נאר' *ēzochim* accipitur pro ebore, id est, dente elephanti. Homerus regum lectos, & ædes opulentiorum, ebore ornatas fuisse refert.

*Filiæ Assurim de insulis Cithim.* Munsterus reddit: *Filij Assyriorum ferentes de insulis Cithim.* Tigurina versio: *Fori tui ex insulis Cethim.* Foros autem vocant tabulata nauium, per quæ discurritur. Cithim Hebræi interpretantur Italiam. Berofus lib. 3. Cùm iuisset ad regendum Cithim, quam nunc Italiam nominant. Alij à Cethim nepote

nepoti Noei ortos esse Macedones volunt, inter quos est Meláthon in suis Chronicis. In lib. 1. Machab. Alexander Macedo è Cethima terra egressus esse scribitur, ut regibus bellum inferret. Hoc loco, pro insula videtur accipi maris Græciani. Beth Aschurim, quidam pro vna voce legunt: אשורים *aschurim*, inquit, Forsterus, est nomen arboris apud Ezechielem.

*Domunculus Assyrim ex insulis Cithim* De lignis inde apportatis Munsterus in suo lexico. *Aschurim prætoriola*. Juxta Chaldaicum interpretem, est genus arboris, unde fiunt transtra & domunculae, Ezech. 27. Lyranus prætoriola interpretatur domunculas in nauibus, ad reponendum necessaria: alij tabernaculum in puppi: Lutherus vertit. *Preciosa sedilia (gestuele) ex insulis cithim*, scilicet, adduxerunt. Vatablus dicit hunc esse sensum: Filia Assurim, hoc est, fabri peritissimi, quos accersuisti ad te ex Assyria, tabulatum ex ebore allato ex insulis Cithim fecerunt. At nulli elephantum in Ionia sunt, & quia natare non possunt, non probabile est eos in insulis, præsertim paruis, reperiri.

*E bysso opere Phrygionico texta, ex Mizraim fuit expansio tua, ut esset tibi in velum.* Vestium varietas. Expansionem quam mox interpretatur velum, dicit fuisse ex bysso Ægyptia. Ægyptus bysso & lino optimo abundat. Loco veli vsi sunt pannis preciosis, quibus frugales pro aulais vtuntur. Vela vel carbasa fiunt vulgò ex rudi panno. נב נב proprie significat signum, vel vexillum quod in altum leuatur, sunt autem vexilla hodie quoque ex serico. Puto Prophetam non loqui de velis nauium, sed de aliis velis, ut sit sensus: Ægyptus tibi varia stragula & tapeta misit. Quamquã in Plutarcho Antonio legitur de Cleopatra regina Ægypti, quod Cydno amne subiecta sit Lembo, cuius aurea puppis erat, velis passis purpureis, remis argenteis, qui ad tibiarum, fistularum, cithararumque sonum concinnè agerentur, &c. Fieri igitur potest, ut si non omnia vela Tyrorum ex pretioso panno fuerint, tamen nobiliores, suas opes ita ostentarint.

*Hiacynthus & purpura de insulis Elisah fuit operimentum tuum.* In tectoria nauium die oder teckinen oder blachen fuerunt ex pretioso panno. Vel per operimentum vestes possunt intelligi. Filius Iauan Elisa dictus est Gen. 10. à quo gentem Ionicam, vel insulas Ionij maris, ortas esse perhibent. Alij Græciam intelligunt indumenta omnis generis purpurea misisse.

Descriptio est luxus maximi in ædificijs, suppellectile, vestitu. Non contenti erant rebus parabilibus, sed ex distitis regionibus multa magnis sumptibus conquirebant: aurea erant quæ fictilia, aut stannea esse poterant, argentea, quæ lignea: ita in cibo & potu modum excessisse est probabile: in illis cõquirendis modum seruare oportet & rectè illis vti. Non tam videndum est quibus delectemur, quàm quibus possimus carere. In quæ mala hodie multos luxus, in vestibus, lectisterniis, cibo, potu exquisito, sumptuosis conuiujs tãdem coniciat, quotidie experimur. Laudamus quidem veterum Romanorũ, & maiorũ quoque nostrorum frugalitatem & continentiam: sed eam non imitamur. Si principibus luxus vitio datur à Deo, quomodo eum in priuatis hominibus ferret?

*Habitatores Sidon & Aruad fuerunt remiges tibi.* Per Aruad Oecolampadius Damascũ intelligit: Septuaginta Aradios interpretatur, quod huic loco melius congruit. Hierony. Arad insulam dicit Tyro propinquam: fuerunt autem incolæ eius rei nauticæ peritissimi. Apud Liuium historiarum ab vrbe condita, lib. 35. Antiochi legatus in consilio Achæorum, dicit: dextrum cornu Sidonios & Tyrios, sinistrum Aradios & ex Pamphilia Sidetas tenere, quas gentes nullæ vnquam, nec arte nec virtute nauali æquarint. Tyri igitur conduxerunt uel coëmèrunt remiges peritissimos.

Nautica gubernatio.

*Sapientes tui Sor, qui fuerunt in te, ipsi naucleri tui.* Sensus est, non necesse tibi est naucleros aliunde accersere, nam ipsa illis abundas. Oecolamp. annotat naucleros H. iij.

ros עֲבָלִים *chouelum* à funibus diei, quòd funes veli ad ventum aut recipiendum, aut auertendum laxare vel contrahere præcipiant. Sapientiam eis tribuit. Quanto acumine ingenij Hiram præditus fuerit, inde promptum est colligere, quòd Solomonem sapientissimum mortalium multis quæstionibus exercuit. Ingeniosos fuisse artifices illos Tyrios, quorum opera in extruendo templo Solomon vsus est sacra Historia testatur. Per metaphoram ostendit Regem prudentem senatum habuisse. Senatores vel consiliarij gubernatoribus nauis comparantur: qui portum sibi habent propositum: & quicunque venti sunt, tamen gubernaculum non reiiciunt: cauent sibi ab ebrietate, ne nauim subuertant. Hæc metaphora depingit procerum Reipublicæ officia. Consiliam quoque apud Hebræos חֲכֻלָּה *thachbulah* à funibus nomen habet.

Gebal.

*Senes Gebal & sapientes eius, instaurarunt in te ruinas vel fracturas tuas.* Naues viuentorum hinc inde iactatæ fatiscunt: habuerunt itaque vrinatores & peritos artifices, qui pice, stuppa, aliâque materia rimas obturarunt. Gebal ciuitas Syriæ vel Phœnicia, quam alio nomine Biblum dictam volunt, abundauit peritis latomis, quorum opera in extruendo templo Solomon vsus est, i. Regum 5. cap. Fit eorum etiam mentio Psal. 83. Alios quoque ingeniosos artifices, artis nauticæ peritos habuisse ex hoc loco intelligitur qui à ciuitate עִבְלִים *gblim* dicti sunt. Publica quoque ædificia apud Tyrum curasse videntur, murorumq; ruinas refecisse. *Omnes naues maris, &c.* Hoc est, ex omnibus maribus mercatores venerunt ad te, qui im portarunt & exportarunt merces tuas.

Milites.

*Paras & Lud & Put fuerunt in exercitu tuo, viri bellatores tui.* Conduxisti milites ex Persis, Lydiis siue Græcis, & Lybiis siue Afris, qui rebus dubiis urbem defenderent. *Galeam suspenderunt.* Vt solent milites arma figere in parietibus. *Ipsi dederunt decorem tuum.* Hoc est, tibi fuerunt ornamento, illis enim temporibus clari erant militia. Hodie equitatu valent Germani, peditatu Heluetij qui ferè hastis pugnant, arcubus Angli & Scoti, sclopetis Hispani, &c. Ex his milites quoq; classarios habuisti contra pyratas. Hodie in magnis nauibus habent multas bombardas.

Pygmæi.

*Filij Aruad cum exercitu tuo, & robur tuum super muros tuos per circuitum.* Aruadios supra quoque nominauit, qui vicini fuerunt, ideòque statim vocati præsto erant. *Et Pygmæi in turribus tuis fuerunt.* עַמְּוִי *gamadim* nani, paræ staturæ homines dicti sunt à עַמְּוִי *gamad* cubitus, quòd cubitum non excedant sua statura, à Græcis quoque Pygmæi à πύγμα, quod cubitum significat, nomen acceperunt, teste Eustathio. In Æthiopia & India reperiuntur. Aristoteles & Philostratus negant fabulosa esse, quæ de illorum paruitate referuntur. Probabile est mercatores Pygmæos ex India & Asia adductos, in delitiis habuisse. Quidam putant in turribus collocatos ad declarandam fortitudinem Tyri, quòd etiam ab imbellibus facile defendi posset. Quæ interpretatio non congruit, alioqui etiam in mœnibus collocare oportuisset, non Sydonios viros bellicosos, sed claudos vel pygmæos. Puto itaque hunc esse sensum, turres Tyriorum quibus vrbs munita fuit, tam excelsas fuisse, vt illi qui fuerunt super illas, hominibus infernè stantibus, visi sint pygmæi, qui vix cubitum statura sua excederent. Ex summitate turris Argentoratensis despicienti viri proceræ staturæ parui admodum esse videntur. Licet turres Tyriæ nō fuissent celsæ, sed tantum validæ, tamen quia vrbs in petra extructa fuit, illis qui inferius in nauibus erant in turribus degentes, visi sunt pygmæi. Ciuitates & regna, non solum legibus, sed armis quoque conseruantur: illi itaque delectissimos milites habuerunt, quorum opera, si ortum esset bellum, vti possent.

HOMI.



*De negotiatione Tyriorum in omni genere mercaturæ.*

12 *Tharsis negociatrix tua, ob multitudinem cunctarum diuitiarum in argento, ferro, stanno & plumbo, quæ dederunt in nundinis tuis.*

13 *Iauan, Thubal & Mefech, ipsi institores tui: cum animabus hominum, & vasa ærea dederunt in nundinis tuis.*

14 *De domo Thogarmah, equos & equites, & mulos dederunt in foro tuo.*

15 *Filij Dedan negotiatores tui, in sulcæ multæ negotiatio manus tuæ, cornua eburnea, & pauones reddiderunt in munus tuum.*

16 *Aram negociatrix tua, propter multitudinem operum tuorum, cum carbunculo, purpura, & vestibus diuersorum colorum, & bysso & coraliis, & ymnibus quæ dederunt in nundinis tuis.*

17 *Iehudah & terra Israel ipsi institores tui cum frumentis terræ Minnith & Pannag, & melle & oleo, & theriaca, quæ dederunt in mercatu tuo.*

18 *Dammesc negociatrix tua, in multitudine operum tuorum, propter multitudinem vniuersarum opum, in vino loci Helbon, & lana candida.*

19 *Dan autem, & Iauan Meuzal in nundinis tuis dederunt: ferrum purum, casia & calamus aromaticus in mercatu tuo fuit.*

20 *Dedan institrix tua in pammis preciosis pro curribus.*

21 *Arab & vniuersi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hircis, in his inquam institores tui.*

22 *Mercatores Seba & Ramah fuerunt institores tui: præcipua inter vniuersa aromata, & omnem lapidem pretiosum, & aurum dederunt in nundinis tuis.*

23 *Haran & Chameh & Eden, negotiatores Seba: Assur & Chilmad institrix tua.*

24 *Ipsi institores tui in omnibus generibus, in palliis hiacynthinis, & polymitis, & in capsis pretiosarum vestium, funibus iunctarum, & torquibus in negotiatione tua.*

25 *Naues Tharsis pariter eunte s ad te, in negotiatione tua: & repleta es, & multiplicata es valde in medio marium.*

**I**N prima parte huius sermonis, narrat Propheta quàm potens fuerit Tyrus, quo ad classem & apparatus bellicum: iam de negotiatione sequitur. Ostendit non solum gentes finitimas, sed etiã remotissimas ad nundinas Tyriorum venisse, quanque suas merces importasse, & alias vel cõmutatione facta, vel precio emptas, exportasse. Fuit enim quasi emporium totius mundi. Hoc loco non est necesse vt de singulis regionibus & vrbibus, itẽ de mercibus quarum in hoc capite fit mētio, multa afferamus (hæc enim aliunde petẽda sunt) sed paucis verba Prophetæ explanabimus. Summa est quicquid ad victum & cultum corporis facit, ex omnibus vnde quaque locis mercatores importasse.

Mercatura.

Priusquam verò textum ipsum interpretemur, annotandum est mercaturam & negotiationem per se non damnari. Nam vt artes mechanicæ, & aliæ ad conseruationem reipublicæ faciunt: ita etiam mercatura. Non omnis fert omnia tellus: per negociatores quæ in vno loco copiosè proueniunt, in alium importantur. Cauere tamen illi debent, ne ex auaritia illa importent quæ ad superstitionem aut voluptatem inhonestam alendam pertinent: vt sunt instrumenta falsæ religionis, res item aliæ quibus carere homines commodè possunt, quæque ad effeminandas eorum mentes faciunt. Cauere item debent, ne merces corrumpant, nè in ponderibus & mensuris, siue aridorum siue liquidorum, fraudem committant: nè sint propolæ aut monopolæ, rerumque precia ultra modum grauent: ne alios fallant & mentiantur. Si mercatores merces pluris aliis vendant, quam emerunt, non est reprehendendum, nisi modum excedant. Magni enim sumptus faciendi sunt negociatori, multa subeunda pericula siue eques siue pedes iter faciat. Merces coemptæ non rarò in itinere, aut fluuiis pereunt: iam huc, iam illuc proficiscenti, imbres & grandines sunt expectandæ: vt nihil dicam de labore emendi & vehendi domum, de periculo quod à latronibus eis impèdet, item à feris quorum opera in conseruandis, mutandis & transferendis mercibus vtuntur. Merces magna pecunia emptæ, sæpe annis aliquot vendi non possunt: vnde iacturam mercator facit. Mercatores in primis hæc regulam sibi præfixam habeant: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. His prælibatis, iam ipsa verba explanabo.

Tharsis.

*Tharsis negociatrix tua propter multitudinem cunctarum diuitiarum in argento.* Per Tharsis, quidam mare Mediterraneum, quidam Oceanum, hoc est, totum mare intelligunt, quod à Tharsis filio Iauan quidam dictum volunt, qui, vt est apud Mosem, cum fratribus suis insulas maris occupauit: vel à colore cæruleo: hinc Reges Tharsis, pro marinis accipiuntur: Psal. 45. 72. Isaia 2. & 23. capitibus. Alij per Tharsis Carthaginem, vel Ciliciam, in qua Tharsus est D. Pauli patria, intelligunt, Sensus est, Ex omnibus maribus vel Carthagine, aut ex Cilicia veniebant ad mercatum tuum negotiationis causa, exponebantque venalia in illo varia metalla. *יִצְיִן יִשְׁבוֹן* derelictio, in plurali *isbonim*, fora, emporia, nundinæ, loca vbi merces relinquuntur, ab *אִשַׁף* quod est derelinquere, dimittere: Chaldaus interpres, thesaurum & merces interpretatur, quæ sæpenumero in emporiis relinquuntur. Mercatores habent suas domos & officinas, in quibus reponunt suas merces: sunt & publicæ domus in hunc finem constructæ, *die kauffhuser, gradhuser, zusten, also nempt man die huser darhyn man die kauffmans guetter entladet vnd behalter, an etlichen ortem nemt mans guetter stüdel.*

Cappadoces  
seruili ingenio.

*Iauan, Thubal, Mesech, ipsi institores tui, cum animabus hominum & vasa ærea dederrunt in nundinis tuis.* Iauan sunt Iones, Græci. Tubal interpretatur Iosephus, teste Melanchthone in suis Chronicis, Hispanos, & nominat Iberos: fuisse autem initio Iberos & Chalybes in Asia vicinos inter pontem Euxinum & mare Caspiu, metallicis venis claros. Alij Albanos intelligunt. Mesech sunt Moscouij, qui relictis suis sedibus ad pontum Euxinum, versus Septentionem progressi sunt: in locum eorum successerunt Cappadoces, hinc quidam per Mesech Cappadoces intelligunt. Hæ gentes in nundinis Tyrii mancipia vendiderunt. Ex Græcia, & præcipuè ex Cappadocia multa fuerunt mancipia. Cappadoces fuisse seruili ingenio, ex sequente historia intelligitur. Memoriae proditum est, quod cum regium genus inter eos periisset, senatus populûsq; Romanus eis concesserit, vt sui iuris liberi que deinceps essent. At principes re perpensa, libertatem recusarunt, oraruntque Regem habere liceret. Romani admiratione ducti, liberum eis permiserunt, vt quando libertatem non vellent amplecti, Regem suo arbitratu constituerent. Hodie in Turcia homines instar iumentorum venduntur. Vasa quoque ærea venalia exposuerunt

exposuerūt. Corinthia æra olim toto orbe laudata fuerūt. Verg. quoq; lib. Geor. 2. celebrat Ephyreia æra, id est, Corinthia. Ephyra enī apud Homerū est Corinthus. Vasa domestica omnis generis vetulstis tēporibus fuisse ænea, passim est videre apud authores. *De domo Thogarmah, equos & equites & mulos dederūt foro tuo.* Cap. 38. Propheta inquit, Gomer & Thogarma latera esse Aquilonis, Hieronimus & alij veteres, per Thogarma Phryges intelligit, illi miserunt equos & generosos equites, quorum vsus esset in bellis, vel qui inferuissent nobilibus *ruter oder ritknecht. Mulos.* Pæred mulus ex equa & asino. Hinc vocem burdo, qua etiam Vlpianus vititur, dēductam volunt. Sunt nationes, in quibus equi militares & generosi nascuntur. Ex Epiro olim non nisi optimi equi prodibant.

*Filij Dedan negociatores tui.* Dedan est in Arabia deserta: Septuaginta Rhodios interpretantur. *Insula multæ negociatio manus tuæ.* Multæ sunt insulæ quarum merces importantur in te, vt tua opera distrahantur.

*Cornua eburnea, reddiderunt tibi pro munere.* Alij reddunt, *Cornua & ebur.* Cornua scilicet varia, veluti, Ibicum, Rhinocerotis, cuius cornu aduersus venena vsurpāt, sicut & monocerotis. De ebore scribit proregis indiæ medicus. Gaccia ab Horto, in historia aromatum lib. 1. 14. ca. Nullius in medicina vsus sunt ipsi dentes apud Indos: sed duntaxat ab Arabibus & Turcis vsurpantur ex Auicennæ præscripto in iisdem remediis quibus nos vtimur. Verūm in operibus & instrumentis monilibusque fabricandis maximus eorum vsus est, &c. Cornua Symmachus hebenos interpretatus est, teste Theodoro.

*Et pauones.* חובן vel חובני *Hoben*, in plurali *hobanim*, quidam pauonem, alij hebenum verterunt, Kimhi lignum esse dicit, quod Arabicè vocatur Abus. Hebenus Theophrasti & Plinij sententia, in sola India nascitur: ex illius ligno, quod cæsum in lapidem durefcit, pocula tanquam *ἀλεξίφάρμακα* fecerunt. Manardus gaiacum hebenum esse asseruit, quem Iodocus Vvitlichius in suis ad Georgica Vergilij annotationibus confutat. De hebeno Plin. lib. 12. cap. 2. Incensum hoc lignum suauissimum odorem emittit.

*Aram negociatrix tua, propter multitudinem operum tuorum.* Hoc est, propter copiam & varietatem rerum preciosarū, quæ miro artificio in te fiebant, Syri ad te commearunt. Tyrus enim multos ingeniosos artifices habebat.

*Carbunculum, purpuram, & vestes diuersorum colorum, & hyssum & corallium & vniones dederunt in mercatum tuum.* נופך lapis preciosus, quem aliqui carbunculum, alij rubinum esse putant, quidam sericum exponunt, vel preciosas pelles, vt sunt zobelinæ. Georg. Agricola de animantibus subterraneis scribit, se comperisse optimas quadraginta numero (tot enim vno fasciculo colligari & vendi solere) plus quàm millibus nummūm aureorum venisse: Theodoretus guttam, id est, balsamum, sub quo comprehendit precisa vnguenta, interpretatur: Munsterus smaragdum vertit. נאמח *namoth*, Septuaginta sublimia, quidam corallium interpretantur. Forsterus unicornu interpretatur, quod magno est in pretio. נדקדק *kadkod* quid sit, D. Hieronymus fatetur se ignorare: quidam carchedonium esse putant, Forsterus accipit pro bitumine pellucido, quod gagates, succinum seu glessum, & Germanis *agstein* dicatur, eò quòd in maris littore reticulis capiatur: alij cristallum vertunt, alij carbunculum, quidam margaritam nigram, Theodoretus gemmam quæ onyx dicitur.

*Cum frumentis Minnith, & melle & oleo, & theriaca.* Minnith Iudicum 11. cap. fit mentio. Aurogallus ciuitatem dicit fuisse Ammonitarum, Robert. Steph. in suo onomastico, in tribu Gad: probabile est circa illam urbem, triticum maxima copia prouenisse. *Et pannag.* Quidam balsamum reddunt, tantum hoc loco ponitur, Forsterus ficum interpretatur, alij putant, vt idem scribit, speciem esse delicatissimi frumenti, seu polentæ, quibus Chaldæus quoque suffragatur: quod non

malè congruit huic loco. Kimhi exponit pro loco proprio in Iudæa, *רזי זאוי* resina, humor ex arboribus defluens, quo liniuntur vulnerum dolores, quidam guttam balsami interpretantur. Sunt arbores resinatæ non ignotæ, pinus, pinaster, picea, abies, larix & tæda.

*Damascus negociatrix tua propter multitudinem vniuersarum opum, in vino Helbon & lana candida.* Quia ipsa diues fuit, vel quia tu diues fuisti, apud te negociata est, permutauitq; merces suas tecum. *חלבן chelbon* pinguedo, ad verbum, *in vino pinguedinis.* Chaldæus dulce intelligit artificio factum: Theodoretus chelban vicum fuisse dicit finitimum Dedæ. In Aethiopia quæ est prope sinum Arabicum, & alibi nascuntur arbores laniferæ, Græci *δένδρα έεροφόρα* vocant, quæ fructum nullum ex sese producunt, sed lanarum villos. Plin. earum meminit, lib. 13.

*Dan autem & Iauan Meuzal dederunt in nundinis tuis: ferrum politum casia & calamus in mercatu tuo sunt.* Meuzal forsitan est nomen gentis. Aliqui putant esse participium præteritum in piel: ideo Munsterus vertit, *Adducti sunt.* D. Hieronymus scribit: ex nomine patriarchæ Dan, & tribus, & locus, in quo habitauit tribus nomen accepit: vbi hodie Paneas quæ quondam Cæsarea Philippi dicebatur. Vnde & Iordanis fluuius sortitus est vocabulum: Ior videlicet riuus Dan qui fluit de Libano. Iauan autem Græciam sonat, pro Meozel Symmachus transtulit, deferens, &c. Dedan vrbs Idumæ: Dedan cum Theman Ierem. & Ezechiel coniungunt, & *קידה kiddah* species cannæ seu fistulæ aromaticæ, quam Græci *καγιω* vertunt. Casia frutex Æthiopiæ est, iuxta cinamomi furculos crescens, quæ oleo macerata oleum vel vnguentum reddit. *קנה kannah* (vt annotat Forsterus) canna aromatica est, cuius succus per decoctionem fit saccharum, Germanis *Zuckerkanne* vocatur, aliqui tamen putant esse calamum quem Germani vocant *kalmus*. Theophrastus libro quarto & nono de plantis: Thus, inquit, myrrha, casia, cinamomum, regione Arabum media, circa Sabam & Adramitta gignuntur.

*Dedan negociator tuus in pannis nobilibus pro curribus.* Arabes pannos preciosos vel libertatis, hoc est, quibus ingenui vtuntur, ad mercatum attulerunt, quibus insternerentur currus. *Arabia & vniuersi principes Cedar, ipsi negociatores manus tua, cum agnis, &c.* Arabes abundant ouibus, arietibus, & hircis, quos ad mercatum Tyrium magna copia transtulerunt, quibus ad cibos & vestes vterentur. Hircos in equorum stabulis nutriunt, quia creduntur equis prodesse.

*Mercatores Seba & Ramah.* Et hi Arabes, vel hæ Æthiopicæ & Indicæ gentes, aromata, gemmas & aurum attulerunt: his enim Arabia abundat. *Haran, Chanah, & Edæ negociatores Seba, Assur, & Chilmad institrix tua. Ipsi institores tui, &c.* Loca sūt Mesopotamiæ vel vicina ei: Saba Indica natio. *In omnibus generibus.* Nempe mercium quas miserunt Tyrum. *In pallis.* Munsterus reddit: *In inuolucris.* Res preciosæ inuoluuntur.

*In capsis preciosarum vestium funibus iunctarum.* *Perumim* Kimhi in Arabica lingua, dicit significare vestes preciosas. Hæc vox tantum hoc loco ponitur. Munsterus, In scriniis nobilium vestium, quæ funiculis amiciuntur. Vt sit sensus, arculas illas colligatas fuisse funibus: vel ipsas uestes funiculis, quæ ex aureis filis interdum fiunt, ornatas fuisse, *mitt kostlichen schmuren.*

*Naues Tharsis pariter euntes ad te in negociatione tua.* Alij reddunt: *Naues Tharsis primariæ ibant ad te.* Sensus est, naues Tharsis, hoc est maris, negociationis causa magno numero Tyrum venisse. *Et repleta es.* Cum ex omnibus ferè habitati orbis partibus merces suas Tyrum adueherent, opulentissima facta est. Nomina his terris, à primis ferè qui post diluuium eas occuparunt, indita sunt. Ex hac verò regionum & vrbiū enumeratione, quæ quod insigne habuerunt, certatim Tyrum attulerint, discimus Deum non vni regionem vel terræ omnia, sed sua cuiq; dona dedisse.

Sunt

Non omnia  
fert omnia  
tellus.

Sunt quædam regiones fertilissimæ, quas tamen ab aliis quoque regionibus, quædam veluti emendicare oportet. Quædam abundant re frumentaria, aliæ sunt pascuæ, aliæ vitiferæ, quædam aptæ metallis, quædam thermas, quædam salinas habent. Vergilius lib. I. Georgicorum:

Varium cœli prædiscere morem  
 Cura sit: ac patrios cultûsque habitûsque locorum,  
 Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuset:  
 Hic segetes, illic veniunt foelicius vix  
 Arborei fœtus alibi, atque iniussa virefcunt  
 Gramina. Nonne vides, croceos vt Tmolus odores:  
 India mittit ebur: molles sua thura Sabæi:  
 At chalybes nudi ferrum, virosâque Pontus  
 Castorea: Eliadum palmas Epirus equorum.  
 Continuò has leges æternâque fœdera certis  
 Imposuit natura locis, quo tempore primùm  
 Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem. &c.

Libro 2. Georgicorū:

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt:  
 Fluminibus salices, crassîsque paludibus alni &c. Mox,  
 Aspice & externis domitum cultoribus orbem,  
 Eoâsque domos Arabum, pictôsque Gelonos:  
 Diuisæ arboribus patriæ: sola India nigrum  
 Fert hebenum: solis est thurea virga Sabæis.  
 Quid tibi odorato referam sudantia ligno,  
 Balsamâque, & baccas semper frondentis achanti?  
 Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?  
 Vellerâque vt foliis depectant tenuia Seres,  
 Aut quos Oceano propior gerit India lucos:

& quæ sequuntur. Non vni homini Deus dat omnia: etsi enim multi, multis eximiis animi, corporis, & fortunæ, vt vocant, bonis præditi sint: tamen multa sunt quibus carent. Hac enim ratione Deus homines quasi vinculis inuicem astringit. Oppidani vicinorum ope indigent, & hi illorum vicissim: ne igitur vnus alterum contemnat, cuius opera ei aliquando, præsertim in publicis periculis, utilis esse potest. Hoc ipsum si Tyrii secum expendissent, non tam superbi fuissent, & iactabundi.

HOMILIA CXXI.

*Sub metaphora navis vi tempestatis confracta, euerfionem Tyri describit, luctûmque eius, quo eam mercatores prosequuti sunt.*

26 In aquas multas adduxerunt te remiges tui: ventus Orientalis contriuit te in medio marium

27 Opes tuæ & nundina tuæ, negotiatio tua, remiges tui, & nautæ tui, instauratores fissurarum tuarum, & omnes viri bellatores tui, qui erant in te, & vniversus cœtus tuus, qui est in medio tui, cadent in medio marium, in die ruinae tuæ.

28 Ad sonitum clamoris nauarum tuorum, contremiscent sub vrban-

29 Et ascendent de nauibus suis omnes tenentes remum: remiges omnes nauæ maris super terram stabunt.

30 Et audire facient super te vocem suam, & clamabunt amarè: & ascendere facient puluerem super capita sua, in cinere volutabunt sese.

31 Et decaluabunt super te calutium, & accingent se fassis, & plangent super te in amaritudine animæ, planctu amaro.

32 Et assument super te in lamentationibus suis lamentum, & lamentabuntur super te, dicentes, Quæ fuit sicut Sor, & vt succisa in medio maris?

33 Quando egrediebantur merces tuæ de maribus, saturabas populos multos: multitudine opum tuarum, & negotiationum tuarum ditasti reges terræ.

34 Tempore quo eris contrita à maribus in profunditatibus aquarum, negotiatio tua, & omnis cætus tuus in medio tui cadent.

35 Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te, & Reges earum formidauerunt formidine, indignati sunt vultu.

36 Negotiatores in populis sibilauerunt super te: terrores fuisti, neceris vsque in seculum.

**D**ostquam Tyrum sub allegoria nauis bene instructæ & onustæ mercibus descripsit: iam deinceps de naufragio eius, hoc est, quomodo euertenda, & quomodo à negotiatoribus plangenda sit, describit. Magnam verborum copiam adhibet: & per hypotyposin omnia veluti oculis subiicit: vt vniuersos & singulos homines doceat, quid tandem illis eueniat, qui timore Dei abiecto tantum rei priuatæ student, nepe quod colligant magnis sudoribus opes hostibus suis. Non cogitabant Tyrii, se tot opes Babylonis cumulare. *In aquas multas adduxerunt te remiges tui.* Imminente tempestate naues ad portum adducendæ erant, illi verò remiges nauem in altum duxerunt, & ira factum est, vt fracta naui nemo potuerit enatare. Munsterus reddit, *Quis tibi aduersantur*, vt sit sensus, Hostes adegerunt te in aquas multas, hoc est, maximas angustias. Per aquas in sacris Literis sæpe afflictiones intelliguntur. Varietas interpretationis hinc nascitur, quod quidam hanc vocem deducunt à *שׂוּשׂוּ* *schaith* quod significat remigem, in plurali *שׂוּשׂוּ* *schatim* remiges: alii à *שׂוּשׂוּ* *schaath* quod quidam hoc loco exponunt pro *שׂוּשׂוּ* *schalal*, quod est diripere, spoliare hinc *שׂוּשׂוּ* *schatim* deprædatores. *Ventus Orientalis contriuit te in medio mari.* Chaldæa spectat ad Orientem Tyri. Ab Oriente veniunt tres venti, Eurus, Vulturinus, Boreas: sensus est, à Claldæis hostili impetu euersos esse, non aliter quàm si ingenti tempestate orta, nauis in medio mari conteratur. Similitudo sumpta à vento procelloso, qui nauem euertit, aptissima est: ostendit enim subito euertendam urbem: neque ciues, neque fœderatos, aut alios, quos opum suarum iacturam facere oportebat, repulsiuros hostem. Venti enim subito turbant mare, & fluctus attollunt: deinde quanta sit ventorum vis, quotidie videmus: procellæ vel turbines sæpe radicitus euertunt arbores, deiiciunt turres, nemo est qui obistere vento possit: fertur quocunque vult, nemine prohibente: Ita nisi Deus hostes fræno suæ prouidentia retrahat, accepta femel potestate, longè latè que grassantur, omnia diruunt magno impetu.

*Opes tuæ nundinæ tuæ &c. Cadent in medio marium in die ruinae tuæ.* Opes quas magno labore, dolis item & fraudibus, multis annis maximas collegerant, item

item remiges, gubernatores, proretæ, vectores, merces simul & subito perierunt. Ostendit supra vnde fuerint remiges, architecti &c. nunc semel omnes submersos dicit in illa naui.

*Ad sonitum clamoris nautarum tuorum contremiscent suburbana.* Interpretes annotant Tyrum in mari quidem non habuisse suburbana, sed per suburbana intelligenda esse ædificia que in continente habuerunt. Quod verò suburbana illa in Phœnicia propter tumultum & clamorē quem nautæ ob ruinam vrbis ediderint, motum esse dicit, intelligendum est per hyperbolem. Extant enim quædã in Scripturis, vt cum hominū multitudo arenæ maris cõfertur: cum de Manasse dicitur, quòd vrbem Hierosolymorum ad pinnas murorum vsque sanguine iustorum cõpleuerit. Simpliciter etiam hunc locum ita interpretari possumus, illos qui in suburbiis fuerunt, hoc est, in continente, audita clade illa miserabili, & clamore militari valde fuisse commotos & consternatos. *sy habend sich doras er schiittet. Et descendent de nauibus suis omnes tenentes remum, nautæ & cuncti gubernatores maris super terram stabunt.* Alii qui in nauibus erant, cernentes fractam esse hanc nauim, ad portum festinabunt. Hoc est, insulares & alii, cum viderent Nabuchadonosorem Tyrum expugnasse & euertisse, nullam amplius in armis spem habebant, sed deliberabant quomodo cum hoste possent pacisci, ne eandem fortunam experiri cogerentur. Deliberabant quomodo res suas in tuto collocarent. Ita enim fit vt qui hostibus succedere vident ex animi sententia, animum ad pacis consilia flectant, & aliquando pacis conditiones iniquas quidem sibi potius præscribi patiantur, quàm vt cum hoste confligant.

Sequitur *θρηνωδία* cantus vel querela lugubris, luctus & lamentatio Tyri, qua eam mercatores & principes prosequuti sunt. *Audire facient super te vocem suam.* Hoc est, clamabunt propter tuum excidium sua voce: mox interpretatur quod dixit: *Clamabunt amarè.* Clamore miserabili dolorem suum testabuntur. *Et ascendere facient puluerem super capita sua.* Non solùm verbis, sed habitu quoque suo luctum testabuntur. Recenset autem aliquot luctus symbola, que apud Ethnicos, & ex parte apud Iudæos, in vsu fuerunt. Duplex autem causa fuit publici illius luctus. Vna, quòd iacturam faciēbant suarum opum, quas in Tyro repositas habebant. Solēt enim exteri mercatores, in magnis emporiis, quæ non vendunt, reponere vel relinquere. Altera, quòd multi cõsiderantes rerum humanarum inconstantiam: idem sibi quoque facilè euenire posse cogitabant, quod illis iam euenerat, iuxta tritum prouerbium, Nescis quid serus vesper uehat. Solomon quoque dicit, Ne glorieris de die crastino, nesciens quid hodierna paritura sit. Vtus hic præcipuus est talium exemplorum, vt cogitemus quid priuatim & publicè nobis accidere possit, idèoque pœnitentiã agamus. De hac re supra non semel diximus. Differt autem plurimum luctus piorum ab impiorum luctu: piis dolet offensum Deum peccatis suis, impiis verò præcipuè dolet ablatum lucrum & voluptates. Puluere in luctu caput conspergebant, vt in memoriam reuocarēt, ex qua materia orti essent, quòdque in puluerem redigendi essent: iuxta illud, Puluis es & in puluerem verteris. Iosue 7. cap. cum ad Hai cladem accepissent Israelitæ, ipse dux, & seniores puluere se conspergentes dolorem suum declarabant. Idem de cognatis Iobi legitur. 2. cap.

*In cinere volutabunt sese.* Consuetudo fuit in luctu, vt sederent in cinere vel puluere: propter eandem significationem: & fortè vt testarentur se dignos, propter peccata sua, qui æternùm perirent & quasi in cinerem redigerentur.

*Et decaluabunt super te caluitium.* Tondebant se in luctu gentes: alii capillos

Sagum.

euellebant: nos in luctu capillos & barbam promittimus. Nostra memoria pauci fuerunt barbati: hodie ferè omnes: ita hæc consuetudines subinde mutantur. *Accingent se saccis.* Vestes lugubres, atras, & detritas induent: à sacco fortè sagum dicitur. Apud Horatiū epodon ode 9. Terra, marique victus hostis punico lugubre mutauit sagū: hoc est, purpureo sago posito, assumpsit lugubre. Suetonius in Othone dicit sagū esse vestis stragule genus nō dissimilis cilicio. Fuit etiam militaris & bellica vestis, in bellis autem gestantur vestes ex viliori materia. Nostra quoque lingua, vestem plscaturis carentem, sacco vocamus. Ier. 6. cap. Propheta prædicens Iudæis Nabuchadonosorem in procinctu esse. Sacco, inquit, te accinge, ô filia populi mei, voluta te in puluere, & fac tibi luctum vnigeniti, & planctum amarissimum: quoniam repente veniet super vos vastator.

*Flebunt super te in amaritudine anima.* Ex imo corde gemitus edent, & plangent tuam ruinam: non erunt crocodili lachrymæ, vt est in prouerbio: non lamentabuntur vt præfixæ conductæ in funeribus diuitum. *Lenabunt super te in fletu suo lamentum.* A נחם *nathi* quod fletum significat, teste Munstero, descendit, igitur non rectè quidam verterunt, Et filii eorum. *Quæ vrbs est sicut Tyrus? & vt succisa?* Munsterus vertit, *Sic consopita in medio maris:* Qualis fuerit querela, qua Tyrum prosequuti sunt, ostendit, vel quibus verbis eam planxerint. *Quæ vrbs fuit similis Tyro, quæ in loco tam natura munito sita, tam miserabiliter interierit?* Sicut antea non fuit celebrior frequentia hominum & potentia, sic nunc non est ea miserabilior.

*Quando egrediebatur merces tua de maribus, saturabas populos multos.* Tyrus horreum quoddam mundi fuit: insulis enim, aliisque vicinis & remotis regionibus annonam misit, item vina, medicamenta, vestes &c. *Multitudine opum tuarum, & negotiationū tuarum ditasti reges terra.* Reges enim mittebant naues suas Tyrum cum mercibus, quæ aliis mercibus onustæ redibant: dein reges opulenti censentur, si diuites subditos habeant: Tyrii adhæc erant tam opulenti, vt regibus pecuniam mutuò darent. Nostro quoque tempore, mercatores principibus in pecunia sunt ditiores, & non rarò mutuò eis dant pecuniam, vtinam non in patriæ suæ interdum exitium. Quidam ad Nabuchadonosorem, cuiusque συμμάχος videntur referre, qui ex præda ditati sint. *Tempore quo eris contrita, &c.* Orta tempestate conquassaberis, & merces & mercatores, principes & vulgus ignobile, simul peribunt. *Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te.* Insulares homines quibus potentia tua notior est quàm aliis, valde mirabuntur tuam ruinam, quæ omnium opinione hætenus inexpugnabilis esse visa es.

*Reges eorum formidauerunt formidine, indignati sunt vultu.* Reges ad rumorè Tyri eversæ, valde sibi metuent, concutientur horrore, vultu dolorem, metū, iracundiāmque præ se ferent: *syj irerdend sich ontferroen.* *Negotiatores in populis sibilauerunt super te.* Sibilus aliquando stuporem, aliquando irrisionem significat. Vtraque significatio huic loco congruit. *Negotiatores quibus Tyrus commune emporium fuit, obstupuerunt ad eius interitū, dicentes, Quis nobilissimam urbem repente in extremam solitudinem mutandam putasset?* Alii, qui vel ab eis decepti fuerunt, vel nullam iacturam suarum rerum fecerant, exhibilarunt nomen eorum, insultaruntque funditus euersis. Qui antea rebus florentibus eam prædicabant, postea cum naufragium fecisset, eam iridebant. Sunt enim hi corrupti mores hominum. Licet sint qui illis casibus multum permoueantur, nunquam tamen desunt, qui miseris insultent. *Terrores fuisti.* Tyrus antea non solum admirationi, sed & horrori fuit aliis regnis & nationibus: iam verò multi contemptim de ea loquebantur eique insultabant:



bant: nam, vt est in prouerbio, Mortui non mordent. *Nec eris vsque in seculum.* Hoc est, longo tempore desolata eris, vt Isaias prædixit cap. 23. annis 70. Theodoretus putat propter pœnitentiam mutatum esse decretum Dei, vt in Niuiitis, secundum doctrinam Ier. 18.

Discamus, vt supra quoque annotaui, ex miserabili hoc Tyri interitu timorem Domini, qui si nos protegat, nauis nostra est in portu, si nos deserat, submergitur. Matth. 14. cap. legitur, quòd cum discipuli Christum mari inambulantem nauigio excepissent, statim tempestas quieuerit: ita si nos Christum in nostra naui retineamus, perducemur in portum æternæ fœlicitatis: retinebimus autem eum, si persiltamus in vera fide, coerceamus scelera, innocentiae vitæ studeamus. Falluntur qui aliis rationibus nauim conseruare volunt, nisi enim ad illam cynosurâ naucleri respexerint, & se & alios in profundis aquis & tenebris perdent. Nemo superbia efferatur propter eam quæ videtur fœlicitatem, mutatio enim magna subito consequi potest.

Tyri interitus, vel typus fuit Babylonis, hoc est, Romæ, de cuius excidio in Apocalypsi cap. 18. agitur: vel alioqui D. Ioannes ex hoc capite, & 51. Ieremiæ plurima mutuatus est: describit enim ipse quoque, quomodo principes & mercatores Romæ exultæ interitum luxerint. Quod partim in veteri Roma impletum legimus, partim quotidie impleri cernimus: postquam enim verbo Dei Babylon, hoc est, regnum Antichristi deiicitur, mercatores præsertim spirituales qui omnia venalia habent in Ecclesia, & ex antichristi consortio locupletantur, queruntur de eius interitu. Lege ipsum locum.



# Concio vigesimaprima

## EZECHIELIS.

HOMILIA CXXII.

*Regem Tyrionum propter superbiam miserè interiturum prædicit.*

CAPVT XXVIII.

- 1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
 2 **F**ili hominis, dic principi Sor, Sic dixit Dominus Iehouah,  
 Eò quòd exaltatum est cor tuum, dixisti que Deus ego sum,  
 in throno Dei sedi, in medio marium: quum tu homo sis, &  
 non Deus: & posuisti cor tuum tanquam cor Dei.  
 3 Ecce sapientior es Daniele: nihil est absconditum quod sit absconditum tibi.  
 4 Sapientia tua congregasti tibi opes, & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis.  
 5 Multitudine sapientiæ tuæ, in negotiatione tua, multiplicasti opes tuas, exaltatumque est cor tuum propter opes tuas.

- 6 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd posuisti cor tuum sicut cor Dei:  
 7 Idcirco ecce ego adduco super te alienos, robustos gentium, & euaginabunt gladios suos contra pulchritudinem sapientiae tuae, & polluent pulchritudinem tuam.  
 8 In foueam descendere facient te, & morieris mortibus occisorum in medio mariu.  
 9 Nunquid dicendo dices, Deus sum, coram interfecitore tuo? tu autem homo es & non Deus, in manu interfectoris tui.  
 10 Morte incircumcisorum morieris manu alienorum: quia ego loquutus sum, ait Dominus Iehouah.

parteshuius  
capitis.



vsus.

Hoc caput, quod ordine XXI. CONCIONEM Prophetæ, quartam contra Gætes, & tertiam contra Tyrios complectitur, distribuimus in tres partes: quarum prima vaticinium continet contra regem Tyri, quòd propter superbiam perdendus sit: secunda continet vaticinium de Sidonis, quæ in eodem littore, & opulenta erat, ruina & interitu: tertia, vaticinatur de restitutione Iudæorum. Si qui tres illas partes in totidem conciones Prophetæ distribuere velint, illis non refragatur: ita vt illa quam contra Sidonios habuit, sit 22. quam de liberatione Iudæorum, 23. ego sub vna complector. Discemus ex hac oratione præter alia, officium ministrorum hoc esse, vt non solum vulgaribus hominibus, sed ipsis quoque principibus scelera exprobrent, pœnamque eis denuncient, nisi resipiscant: atque ita ad veram pœnitentiam eos prouocent. Multum enim refert quo pacto principes populi se gerant: si sint amantes veræ doctrinæ & virtutum, plerunque subditi eorum exemplum imitantur: si veræ religionis sint hostes, subditi quoque impii euadunt. Idcirco grauius puniuntur principes, si ipsorum vitio hoc accidat. Deinde videbimus, quanto pere Deus superbiam detestetur. 1. Pet. 2. Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Homines quoque superbos & iactabundos ferre non possunt: humiles amant & prouehunt.

Aggrediamur ad primam partem, in qua regi interitus à Propheta prædicatur, simulque ipsis Tyriis: nam si regi non parcendum dicit, quid ipsius subditi expectarent? Hanc partem sancti Patres mysticè de casu Luciferi sociorumque eius interpretantur nos literalem, vt vocant, sensum prius afferemus: postea, suo loco de altero quoque videbimus. Propheta primùm regis Tyriorum peccatum, deinde pœnam persequitur.

Cognitio  
sui ipsius.

*Eò quòd exaltatum est cor tuum.* Principiò obiicit regi, quòd elato sit animo, quòdque seipsum non cognoscat. Multum autem refert, vt homo seipsum norit. Fons est omnium malorum, si nostram miseriam non agnoscentes, nobis plus quàm conuenit arrogemus. Gentiles quoque agnouerunt quàm necessarium sit ad vitam rectè degendam, vt homo seipsum rectè cognoscat. Vide prouerb. Erasmi, Nosce te ipsum. Regum autem & principum hoc commune malum est, vt potentia & opibus elati, homines se esse obliuiscantur, & putent bona illa perpetua fore.

*Deus ego sum, in throno Dei sedi, in medio marium.* Quidam notam similitudinis subintelligunt: Sum tanquam Deus. Quemadmodum Deus habitat in loco inaccessio, quòd nemo hominum pertingere potest: ita ego sedeo in loco vndique mari cincto, in quo nemo mihi potest nocere: vtque Deum omnes colunt, & sua sacrificia ei offerunt, ita omnes negotiatores me colunt, suaque munera mihi afferunt. *Cum homo sis non Deus.* Vt vt tibi placeas, tamen homo es, mortalis es. Principes quantumuis magni, si humanam conditionem spectes, iisdem malis obnoxii sunt quibus cæteri homines, sed quod caelestem

vocatio-

vocationē attinet, sunt sublimiores & c. *Posuisti cor tuum tanquam cor Dei.* Persuasisti tibi, quod Deus, aut Deo similis sis, ut ille obtinet cælum, ita te mari dominari. Non existimandum est regem Tyri tam fuisse amentem, ut putarit se immensam illam & æternam mentem esse, quæ cælum & terram cōdidit, & vniuersa gubernat: sed superiorē se putauit, quàm ut à quoquam mortaliū è sublimi illo fastigio deturbari possit: dona quæ maxima accepit, non accepta retulit Deo: præ se omnes contempit, ac si aliorum opera non indigeret. Quid enim aliud est se Deum facere, quàm sibi tribuere quæ soli Deo conueniunt? Cicero in orat. sui lib. 2. Tu mihi Deus esse videris, id est, singularis ac summus: Terētius in Adelpis, Deum te facio, id est, summis laudibus effero. Vide Eras. in prouerb. Deum esse, Deum facere. Hodie illi principes sibi diuinum honorem tribuūt (quamuis hoc non manifestè dicant) qui se negant vllis legibus subiici, qui extollunt & admirantur sese propter suam potestatem. De Antichristo vaticinatur Paulus, quod sibi diuinos honores arrogaturus sit. Quid aliud faciunt illi, qui se sanctissimos, ipsamque Sanctitatem saluari patiuntur, cum hic titulus soli Deo congruat? qui iubent facere quod Deus vetuit, verant quod Deus iussit? qui dicunt se non esse iudicandos? qui dicunt se suo arbitrato posse peccata remittere, vel non? qui pœnitentiariis quos hinc inde mittunt, plenam potestatem concedunt, ut interueniente pecunia, animas ex purgatorii cruciatibus liberent, & peccata hominibus remittant? Monachi nonne suis operibus tribuerunt, quod soli Christo competit? nonne supererogationis opera iactant? Hoc autem quid aliud est, quàm sibi vindicare quod Dei est proprium? Ad hunc ordinē omnes pertinent, quotquot suæ potentia, suis opibus, suis virtutibus tribuunt, quæ soli Deo sunt ascribēda. Quidam superbiam suam occultant: quidam verbis & factis eam produnt. Neque solum quidam se deos faciunt, sed alii quoque insanientibus addunt insaniam: ut qui imperatoribus adulati sunt, dicentes: Diuisum imperiū cū Ioue Cæsar habet. Ita illi adultores in Actis Apost. 12. cap. Herodi Agrippæ acclamarunt ut Deo. Theologi quoque sæpenumero ex suis doctoribus faciunt Deos. Rex ille confusus est locorum munitioni, item suæ sapientia & opibus, sequitur enim. *Ecce sapiētior es Daniele, nihil absconditum tibi,* nempe tua opinione: vel per ironiam hæc exponēda sunt. Sapiētia Danielis pæsim celebratur. Nabuch. abductū cum Iechonia, literis & artibus Chaldæorū erudiendum curarat: in quibus tantos fecerat progressus, ut regi somniū narraret & interpretaretur, cum reliqui sapientes, & physici attoniti non haberent quod afferrent. Habitus est itaque in pretio à rege: In filii quoque ipsius Euilmerodachi gratia fuisse credendum est: Balthasari verò, qui bonas artes contemnebat, non erat notus. Darius propter eximiā eius prudentiā, suas prouincias ei regendas commisit. Tantæ fuit celebritatis, ut prouerbio diceretur, Daniele sapiētior. Per sapiētiā hoc loco intelligūt interpretes politicā per quā negotia reipublicæ fœliciter administrātur: at nō solum rerū ciuiliū, sed & diuinarū magnā peritiā habuisse, res ipsa ostendit. *Sapientia tua & intelligentia tua congregasti tibi opes.* Rex sibi ascribebat illa, quæ reuera dona sunt Dei. Multi industrii sunt & prudētes, tamen cum paupertate eis cōstātandū est, Deo certas ob causas nō benedicēte eorū laboribus. <sup>h<sup>n</sup></sup> Chail Hebraica vox quæ repetitur, robur & virtutē significat, aliqui interpretantur exercitiū, aliqui diuitias. Cōductas habebāt suas copias, quæ rebus periculosis præstō essent. *Multitudine sapientia tua, in negotiatione tua multiplicasti opes tuas.* Non solum opes collegisti, sed valde auxisti eas tua negotiatione: nullam rex faciebat mentionem Dei, cum tam in negotiationibus in primis Dominus sit inuocandus.

Exaltatū est cor tuū propter opes tuas. Hæc est nostra miseria, ut propter opes &

Vitæ huma-  
næ fragili-  
tas.

alia quæ Deus in nos liberaliter effudit, nostri ipsorum obliti statim insolescimus. Putamus hæc perperua fore non cogitantes & nos & illa omnia caduca & incerta esse. Quid facerent principes qui maxima imperia habent, cum mendici propter nescio quas nugas intumescant? Vita nostra confertur in sacris Literis floribus, herbis, somno, umbræ: ab Ethnicis, bullæ, foliis, lucernæ, testæ: eam auferunt varii morbi & casus, equus sternax, canis rabidus, ut de terræ motibus, naufragiis, bellis & id genus infinitis aliis rebus nihil dicam. Deus bone, quam fluxæ sunt opes? quam inconstantes sunt amici? quæ incertæ sunt omnes res mortalium? Mors omnia aufert, tamen nescio quos spiritus nobis sumimus, affluentes aliquibus bonis. Regna quoque maxima concidisse tot exempla produnt. Deus re ipsa ostendit, se authorem esse omnium bonorum, statim igitur adimit rursus, ut agnoscant eum qui dedit. *Eò quod posuisti cor tuum, sicut cor Dei.* Repetit quod superbus fuerit & arrogans, valde enim hoc peccatum, quod multa alia secum trahit, Deo displicet.

*Ego adduco super te alienos.* Chaldæos scilicet, quorum linguam non intelligis. Homines verò peregrinæ linguæ, nostris sermonibus quantumvis patheticis, non possumus ad misericordiam flectere: si promittas illis multa auri talenta, nesciunt quid dicas: si dicas te multos habere liberos, belli consilia tibi semper displicuisse, non mouentur. *Robustos gentium.* Alii dicunt, Tyrannos gentium. *אריז ariz* fortior, qui aliis preæulet. Inter externos milites sunt interdum qui miserantur hostium suorum casus, at duros & inclementes se adducturum minatur, qui ei non parcant, ideo quod rex est, sed dicant, Hunc ipsum quærimus.

*Euaginabunt gladios suos contra pulchritudinem sapientiæ tuæ.* Milites illi copias quas collectas & instructas habes, opesque quas tua sapientia peperisse tibi videris, dissipabunt, obrueris hostium multitudine. *Polluent pulchritudinem tuam.* Hoc est, spoliabunt te regia dignitate, omnibusque rebus quæ splendorem tuum auxerant. *In foueam descendere facient.* Hoc est, occident te. *Morieris morte occisorum in medio maris.* Et si in arce inaccessa habites, tamen ut alii peribis, nullum erit inter plebem & principes discrimen: multis vulneribus confossus proiiceris in mare. Horribile fuit, præsertim regibus, si inhumatos se abiiciendos cogitarent. Potuit fieri, ut magnificum sepulchrum frustra sibi construxerit, in quod inferretur post obitum.

*Coram interfecitore tuo?* Quasi dicat, Cum strictis gladiis te circumfissent, videbis te non differre ab aliis hominibus, teque non esse *ἀνθρώπων*. Hostes quos contra te mittam, Deum te ipsum nominando non perterrefacies. *Morte incircumcisorum morieris, manu alienorum.* Incircumcisi erant gentiles, hoc est, impii, alieni à populo Dei, ideoque æternæ morti obnoxii. Innuit temporali & æterna morte periturum. Non quod omnes circumcisi, vera membra essent populi Dei, aut præputiati omnes alieni à populo Dei: fuerunt enim multi spiritualiter circumcisi. Circumcisione visibiliter recepti sunt Iudæi & profelyti in fœdus, & ab aliis separati: hinc præputiati, pro impuris prophanis & alienis à Deo ponuntur. Quam autem acerbæ sint superbis illis hominibus subitæ illæ mutationes, quiuis facillè intelligit.

Pœna super-  
bia.


*Quia ego loquutus sum.* Non est quod contenas hæc, quasi ab homine aliquo prolata. Deus re ipsa ostendit regem Tyrium, non esse Deum. Frustra agitur rationibus cum duris illis & superbis capitibus, proinde re ipsa à Deo cõuincuntur. Sic Pharoo sensit Dei manum, quem securè contempserat: Saul, Nabuchodonosor, Alexander magnus, qui se à diis ortum credebat, sed cum vulnus acciperet, sentiebat se mortalem: postea cum iterum occupata Babylone efferretur,

efferreretur, veneno hausto, vitam finiuit. Caligula se adorari præcepit, statuam Hierosolyma misit in templo collocandam, toleni iurifiurandi formulæ suū nomen inseri mandauit: sed cū non diu regnasset, interfectus à Pherea tribuno militum sensit se non esse Deum. Herodes Agrippa Acto. 12. non repressit populum clamantem, Vox Dei, non hominis: ideo ab Angelo percussus, & postea à vermibus corrosus didicit se mortalem esse. Multæ arces in altis mōribus sitæ, eisdem ob causas deiectæ sunt, multæ munitissimæ vrbes funditus deletæ. Fateamur itaq; nos omnia bona ex Dei manu accipere, nō efferamur, cū Deus reperere à nobis possit, rectè iis vtamur ad promouenda cōmoda proximorum nostrorum, & in primis gloriæ diuinæ. Principes illi in hoc speculo se intueri debent, qui se ipsos mirantur, sibi que plaudunt, quasi dii sint suorum subditorum, quos miserè deglubunt: non quid libeat, sed quid deceat considerent: ne Deum iustum iudicem, suique oppressi populi assertorē, magno suo malo experiantur. Aulici concionatores non foueāt principum illorum superbiam adulatione, sed officia eorum diligenter explicēt, bonorūque principum exempla eis imitanda proponant. Iusto enim iudici reddēda erit ratio, moriendum erit & principibus & eorum cōcionatoribus: nulla munitio principes malos quantumuis formidabiles poterit defendere contra iram diuinam.

## HOMILIA CXXIII.

*Deus iubet Prophetam vt plangat interitum  
regis Tyrri.*

- 11 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:
- 12 Fili hominis leua planctum super Regem Sor, & dic ei, Sic dixit Dominus Iehouah, Tu sigillas summam, plenus sapientia & perfectus decore.
- 13 In Eden horti Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topasius, & iaspis, chrysolitus, onyx, & beryllus, sapphirus, carbunculus, & smaragdus, & aurum: opus tympanorum tuorum, & tiliarum tuarum in te, in die qua creatus fuisti, præparata fuerunt.
- 14 Tu Cherub magnus tegens: & posui te in tali dignitate: in monte sancto Dei fuisti, in medio lapidum ignitorum ambulasti.
- 15 Perfectus fuisti in viis tuis, à die qua creatus es, donec inuēta est iniquitas in te.
- 16 Multitudine negotiationis tuæ repleuerunt medium tui iniquitate, & peccasti: & profanabo te de monte Dei, & perdam te ó Cherub tegens, de medio lapidum ignitorum.
- 17 Eleuatum est cor tuum propter decorem tuum, perdidisti sapientiam tuam propter splendorem tuum, in terram proiciam te, ante Reges ponam te, vt videant te.
- 18 Præ multitudine iniquitatum tuarum, & ob iniquitatem negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam, & producam ignem de medio tui qui consumet te, & ponam te in cinerem super terram in oculis omnium, aspicient in te.
- 19 Omnes qui nouerunt te in populis, obstupescunt propter te: terrores eris, nec eris vsque in seculum.



Eri diximus, in prima huius capituli parte, sanctum Vatem Regi Tyriorum denunciare poenam, qua afficiendus sit propter superbiam, ex qua gloriabatur, quod in loco munitissimo degeret, suaque sapientia sibi ingentes opes, & illustrem exercitum comparasset. Iam de eadem retractat, sed alia orationis forma, iubetur

Partes lamentationis

enim lamentari interitum regis Tyrii. Hæc autem *ἑρμηνεία* tria potissimum complectitur, primum amplitudinem regis Tyrii: deinde eius peccata: tertio eius poenam, de quibus singulis ordine cognoscemus. *Leua planctum super regem Sor.* Quemadmodum Prophetam antea ipsam urbem, sic nunc Regem iubet luctu prosequi. Lamentamur accepto demum malo: priusquam mala nos obruant, securi nihil non nobis promittimus, cum verò ærumnis immergi sumus, nescientes quo nos vertamus, lamentamur & plangimus. Videtur igitur hoc sibi velle, non esse inanes terrores, sed hæc omnia verè ipsi euentura, ut lugendi amplissimam habeat materiam. Ieremias quoque urbis & templi excidium luxit.

*Tu sigillas summam, plenus sapientia, & perfectus decore.* Munsterus vertit, *Tu paratum signaculum es.* Tigurina versio habet: *Tu es omnibus numeris absolutum exemplar*, scilicet excellentissimi regis. Forsterus in suo lexico, *Tu velut sigillum dimensum seu mensuratum penitus elaboratum, plenum sapientia & consummata pulchritudine.* *כִּן thachan* significat certò metiri, mensurare, expendere: hinc *כִּנִּיח tachnith* dimensum, elaboratum secundum omnes eius dimensiones. *das suber und vvol gshnitten ist, daran nichts felt.* Sensus est, regem hunc omnibus numeris absolutum esse, nihil ei deesse earum rerum, quæ ad principem magnum & in hoc mundo felicem, spectant. Sigilla enim accuratè conficiuntur, ut omnia quàm rectissimè exprimant, deinde literis non nisi perfectis & absolutis sigillum appenditur vel imprimitur. Ad externam illam Regis felicitatem, vix potuisset aliqua accessio fieri: Præstitisti, dicit, sapientia civili, absolutus fuisti venustate, non tam corporis formam regno dignam intelligit, quàm decus illud regni, item splendorem ædificiorum, utensilium, vestimentorum, &c. Quidam & hæc & sequentia ironicè putant intelligenda, quod propterea mihi non probatur, quia re vera, quoad res externas, fuit rex excellentissimus.

paradisus.

*In Eden in horto Dei fuisti.* Alii *In delitiis horti Dei fuisti.* Eden locus vel regio, in qua plantata legitur Paradisus, id est, hortus omnibus delitiis affluens, Genes. 2. cap. 10. Paradisus accipitur pro loco amœno (ut à Tempe loco amœnissimo Thessaliæ, omnia loca amœna & delectabilia, Tempe appellantur) Gen. 13. terra Sodomorum irrigata fuisse dicitur, instar Paradisi Domini. Rex Tyri affluebat omnibus delitiis, quotquot vel auidissimi cuiusque cupiditate expeti possent. Nos si locum à copia rerum laudare volumus, dicimus: *es ist ein rachte schmaltz gruoben, ein guote shnabelireid.*

*Omnis lapis preciosus operimentum tuum.* *כִּס sachach* operire, obducere. *כִּסֵּס messechah* tegumentum, pallium. Vestes variis gemmis ornabant veteres, ut passim apud poetas est videre. Diademata item variis gemmis hodie quoque principes, quin & episcopi exornant. Nam infula papæ (Regnum ipse vocat) gemmis exornata est. Platina scribit, in pompa coronationis Clementis 5. pontificem ruina muri ex equo deturbatum, carbunculum ex tiara sua amisisse, precio aureorum sex millium. Ocolamp. & Munsterus reddunt. *Umbraclium tuum.* Ut sit sensus, Regem habuisse palatia, quæ coruscarint variis gemmis.

*Sardius, Topazius, Iaspis &c.* Recenset nouem species, sub quibus alias quoque comprehendit, in fine addit aurum, quia gemmæ auro includi solent. De his gemmis consule Epiphaniæ libellum, de duodecim gemmis, quæ erant in veste Aaronis: quæ Gesnerus noster cum suo corollario edidit, in quo Hebraicas voces interpretatur. Scripsit etiam peculiarem de rerum fossilium, lapidum &

gemmarum figuris & similitudinibus librū, qui publicè extat. *Opus tympanorum tuorum & tiliarum tuarum in te, in die qua creatus fuisti, preparata fuerunt.* Simplex sensus horum verborum, hic esse videtur: Cū primū in hanc lucem editus esses, sonuerunt tympana & tibiæ. Solent enim hodie quoque, si princeps nascatur, & principes & eorum subditi lætitiā suā omnibus instrumentis musicis testari: & postea si recurrant natales eorum, festis, & aliquādo magna lasciuia celebrare. Item in ipsorum creatione, hoc est, inauguratione regni, tympana, tubæ & tibiæ audiuntur. Adhæc in omnibus conuiujs, musica instrumenta audita sunt. Non quidem vitio vertendum est principibus, si habeant magnifica palatia, vestes preciosas, suppellectilem lautam & magnificam, cibum & potum delicatum & exquisitum, viuaria, loca arboribus conferta, irrigua, equos & canes egregios, aulicos & inter illos musicos suos: hæc enim omnia sunt dona Dei. Gemmæ & aliæ res pretiosæ à Deo conditæ sunt ad certos hominum vsus, habentque peculiare vires: cauendum tamen principibus, ne modum in his excedant, néve suos subditos exugant, vt hæc omnia possint habere. Meminerint se pastores esse sui gregis, rationemque ab eis petendam. Diuiti illi purpurato, Lucæ 16. non exprobrat Christus, quòd haberit splendida ædes, vestitum sumptuosum, cibum & potum exquisitum, sed quòd securus Lazarum contempserit, dies noctesque tantū de his cogitarit. Quòd si principes culpandi sunt, quando modū excedunt in his rebus, quanto magis priuatorum hominum luxus est reprehendendus: *Tu Cherub magnus.* Cherub, & in plurali Cherubim, non tantū pro imaginibus humana forma præditis (nisi quòd sunt alaræ) sed etiam pro aliorum animalium, vt leonis, aquilæ, bouis figuris in Exodo & Ezechiele, accipiuntur. Adumbrarunt autem angelos quibus alæ tribuuntur, quòd expediti sint & celeres. Regem appellat Cherub, quòd magna fuerit potentia, dignitate, opibus: nec simplicem Cherub appellat, sed inunctum, hoc est, magnum: quia viri magni, vt reges & pontifices vngebantur. *Cherub unctus*, id est, inauguratus, in summum dignitatis fastigiū euectus, clarus, illustris: *Tegens* vel *extendens se*. Alludit ad Cherubim, qui super propitiatorium stabant fixi, alisque suis Arcam fœderis tegebāt, adumbrantes quòd Deus suos fideles protegere velleret, veluti gallina sub alis suis, pullos suos fouet, qua similitudine Seruator noster vtitur in Euangelio. Rex alas suas latè extendens, populos multos protexit. Lyranus exponit de famæ diffusionem. Alarum similitudine, pulchrè depingitur Regum & principum officium. Item Cherubim 1. cap. trahunt curram illum gloriæ Dei: ita reges vncti sunt ad vehendam gloriam Dei, hoc est, propagandam reuelatam in Euangelio gloriam, & ad quatuor mundi plagas ferendam. *Et posui te*, nempe in tali dignitate. Deus enim reges constituit bonos & malos, Prouerb. 8. Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo, quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit, &c.

Licet principes habeant res preciosas.

Rex Tyrus Cherub vocatur.

Hoc tam principes, quàm eorum subditi considerare debent: principes ne contempto Deo se extollant, & admirentur: sed agnoscant se Dei vallos: subditi ne insurgant contra principes, quos sibi à Deo datos intelligunt. *In monte sancto Dei fuisti.* Rex Hiranus ligna ad structuram templi Hierosolymitani miserat, atque artifices, ideòque particeps quodāmodo fuit templi. *hatt teil ond gemein daran.* Iudæos à regibus Tyriis propter hoc beneficium, non ita vt ab aliis gentibus abhorruisse admodum est probabile.

*In medio lapidum ignis ambulasti.* Quidam per lapides ignitos, sanctum Israelis populum intelligunt: quem ita volunt dictum, quòd alios amore Dei, sua consuetudine inflāmaret, lucemque cæteris mortalibus præferret. Tyriorum verò reges frequenter inter Iudæos versatos fuisse admodū

est probabile. Christiani quoque igniti lapides esse debent, hoc est, ardentis in vera pietate, qui alios accendant suo exemplo. Christus hortatur suos, Sic luceat lux vestra, ut alii videant vestra bona opera, Matth. 5. cap. & ad Philip. 2. capite, ut sint luminaria in corrupto hoc mundo. Alii per lapides ignitos intelligunt insignes & claros reges Iudæorum, non totum populum. Forsterus, *In medio lapidum ignis ambulabas*, id est, carbonum ignis: per hos autem scribit intelligi Seraphim, sequutus D. Hieron. Isa. 44. qui Angelos cœlestesque virtutes intelligit. Hic sensus si valet, hæc per ironiam accipienda sunt: vel sensus est, in throno Dei qui primo capite describitur, inter ignitos illos diuini solii lapides ipsum fuisse, hoc est, ex Dei institutione ad regiam dignitatem peruenisse. *Perfectus fuisti in viis tuis, à die qua creatus es*. Magis magisque cum latus es multis bonis: quicquid instituisti, feliciter cessit: regnum enim Tyriorum ex paruis initiis in immensum creuit. *Donec inuenta est iniquitas in te*, nimirum à Deo, qui inuenit iniquitatem, qui omnia quæ geruntur videt & obseruat, etsi homines negligant. Regnum tuum fuit fœlix & stabile, donec cœpisti insolescere, & tibi ascribere quæ soli Deo conueuiunt. *Multitudine negotiationis tuæ repleuerunt medium tui iniquitate, & peccasti*. Ciues tui, & mercatores peregrini, multitudine negotiationis medium vr̄bis, hoc est, totam vr̄bem repleuerunt iniquitate. Hieron. per interiora cellas intelligit. Vbi enim magna sunt emporia, & magna negociatio, ibi raro absunt imposturæ & fraudes. Ad hæc magnam vitæ licentiam mercatores sibi vendicant, neque tam merces, quàm vitia, cum à ciuibus, tum ab aliis ex omnibus nationibus importantur. *Et peccasti*. Assuescunt homines in huiusmodi vr̄bibus paulatim flagitiis: fraudes, dolos tandem virtutum loco habent. *Profanabo te de monte Dei*. Miscet peccata & pœnam regis Tyrii, atque adeo totius populi, cuius salus & incolumitas, item interitus à rege quodammodo dependebat. De monte Dei te deturbabo, tanquam prophanum, de templo te eiiciam, ad cuius ædificium maiores tui operam suam contulerunt, non habebis locum in hoc populo. Hiram fidem & pietatem posteris quoque conseruare debuissent, sed quia cõuerſi sunt in hostes Dei, & populi ipsius, Delebo, inquit, te ex numero sociorum populi mei, & spoliabo te regia dignitate omnibusque fortunis &c. *Perdam te ô Cherub tegens*. Etsi longè latèque alas expandas, hoc est, amplissimum nactus sis imperium, tamen perdam te: etsi eos protexeris, non poterunt te vicissim protegere. *De medio ignitorum lapidum*. Nullam cum populo meo amplius societatem habebis, nulla ab eis accipies beneficia, non parcam tibi amplius propter meum populum.

*Eleuatum est cor tuum, propter decorem tuum*. Non tam de forma corporis, quam in principe eximiam fuisse verisimile est, quàm de aliis bonis loquitur, ut quòd opes ingentes, & amplum imperium nactus erat. Propter hæc dona Deo non gratias egit, sed elato fuit animo. Eximia Dei dona eos potius ad humilitatem stimulare debebant, quàm ad superbiam.

*Perdidisti sapientiam tuam propter splendorem tuum*. Sapientia, qua non vulgari præditus erat, per superbiam ex diuitiis, potentia, viribusque conceptam corrupta fuit. Sunt qui sapienter dicere possunt quid deceat, quid minus, tamen claritas generis, opes, & alia huius generis seis sunt impedimento, quo minus faciant quod rectum est: metuunt enim ne suas res in periculum adducant. Falso sibi persuadent, propter opum generisque splendorem, sibi licere quicquid libet: cum eò diligentius seruire deberent Deo, quòd plura ab eo beneficia acceperunt. Opes & splendor huius seculi, suffocant in multis semen verbum Dei, Matth. 13. cap.

*In terram proiciam te, ante reges ponam te, ut videant te*. Hoc est, è folio detactum



proiciam te in terram, pedibus proterendum, faciámque te publicum exemplum, vt cum alij, tum præcipuè Reges, tanquam in totius orbis theatro, ad te oculos conuertentes, exemplo sumpti de te supplicij cautiore reddantur, suúmque officium faciant. Vtile autem est miserabiles & tragicos principum interitus regum & principum subinde oculis obseruari. Omnes enim ferè eis blandiuntur & assentantur, vnde Carneades dicebat, Reges nullam artem rectè percipere, præter artem equitandi, propterea quòd solus equus regi non aduleatur, sed nisi aptè norit insidere tergo, cum non minus exequat, quàm rusticum quemlibet.

*Præ multitudine iniquitatum tuarum, & ob iniquitatē negotiationis tuæ, poluisti sanctificationem tuam.* Per Sanctuaria Hebræi intelligunt regium palatium: vt sit sensus, Tu causâ fuisti, vt regale tuum palatium vastatum sit. Nã vt nõ licuit omnibus promiscuè ingredi Sanctum, sed sacerdotibus tantum: ita non licet omnibus: sed notis tantum, ingredi palatia principum. Pellicanus, fœdera, iusiurandum, datam fidem, quæ violarit Rex, per sanctuarium intelligit. Reges & regna florent cum publica iustitia locum habet, cum vera religio plantatur, cum coercetur mali, boni defenduntur: sed si quiduis omnibus facere impunè liceat, si scelera sceleribus cumulentur, & præcipuè si pura religio concidat, euertuntur Reges & regna. Exempla habemus in Solomone, Ieroboamo, & mille aliis. Rex Tyrius & suis & peregrinis mercatoribus omnia concedebat, vim iniustam non prohibebat, nimirum ne vectigalia minuerentur, & exosus omnibus esset, sed hac via & se, & regiam suam perdidit.

Quid nobis proderunt magnæ opes, euersa tandem Republica? *Producam ignem de medio tui, qui consumet te.* Sensum esse dicunt, quòd excitaturus sit ex Tyriis, qui defectione facta ad Nabuchadonosorem, regem & ciues suos accusent vt periuros, ignisque eis suscitent, *die in eden brand sthürgind.* Committit aliquando ciues inter se, vt in mutuuum exitium ferantur. Si ignis satanæ accenditur in vrribus, hoc est, si magno ardore homines in scelera ferantur & idololatriam, Deus inter ipsos incendium excitat: aut peregrinos adducit, qui omnia inflamment, Rex quoque Tyrius illati sibi supplicij occasiones præbuit. *Isa. 5. cap. Iudæis dicit: Ecce omnes vos ignem accenditis, & comportatis flammam, &c. Et ponam te in cinerem.* Sensus est, Te in cineres & fauillas redigam. Postquam enim direpta fuit vrbs, hostes eam incendisse ex hoc loco colligitur. *Omnes qui te nouerunt in populis obstupescunt propter te.* Rex propter vrbis celebritatem, multis non de nomine duntaxat: sed etiam de facie fuit notus, qui omnes de eius interitu audientes obstupuerunt, memoria repetentes splendorem ipsius. *Terrores fuisti,* hoc est, instar fluminis terrori fuisti omnibus, nimirum propter rei militaris peritiam, & opes ingentes: potuisset enim bellum ad longum tempus trahere. *Non eris vsque in seculum,* hoc est, non restitueris in integrum, nunquam de casu resurges. *du vvisst nit mee eskommen.* panolethriam ei minatur. Idem supra dixit de vrbe.

Primam huius cap. partem, sancti patres, veluti Tertulianus, Origenes, Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, & alij, per allegoriam Lucifero eiusque sociis adaptant: qui caput est tyrannorum & superborum. Huc etiam accommodant locum *Isa. 14.* qui iuxta literam ad Regem Babylonis pertinet: *Quomodo decidisti de cælo Lucifer, fili auroræ, ad terram afflictus es, qui gentes vulnerabas? Cum tamen in corde tuo dixeris, Ascendam in cælum, superne supra stellas Dei, exaltabo folium meum, & sedebo in monte testificationis, in lateribus Aquilonis. Ascendam supra altitudinem nubium, æqualis ero Altissimo. Veruntamen detractus es ad inferos, ad latera laci. Vt princeps ille Deo æqualis esse voluit, ita Luciferum diuinos honores sibi arrogare voluisse dicunt. Quod verò lapsum Angelorum attinget, tempus & modum, & reliquas eius circumstantias, Scriptura non peculiari-*

ter ostendit, sed in genere tantum: non enim hæc arcana curiosius peruestiganda sunt. Deus Angelos omnes initio bonos condidit, sed quidam non seruantes suam originem, propria culpa defecerunt ab hac bonitate, ideoque ex cælo deturbati sunt. Hoc factum esse ante lapsum hominis, inde colligitur, quod satan Euam sub inuolucro serpentis ad peccatum sollicitauit. Iobis 4. cap. dicitur, Et in Angelis suis reperit prauitatem. Christus Ioan. 8. cap. de diabolo loquutus ille homicida, inquit, erat ab initio, & in veritate non stetit. 2. Pet. 2. scribit Deum Angelis qui peccauerunt, non pepercisse, sed eos præcipitasse in infernum. Idem aliis verbis repetit in sua Epistola Iudas Thadæus. Locus qui extat Lucæ 10. capite: Vt debam satanan fulguris instar, de cælo cadentem, non pertinet ad primum diabolorum lapsum, sed ut Seruator noster ostenderet se vicisse & prostrauisse satanam, suis discipulis ad docendum ablegatis, dedit facultatem profligandi spiritus immundos ex hominibus, illi cum redirent ad Christum, & gloriarentur, quod res successisset ex animi sententia, Christus hæc verba subiiciens, effectum suæ & Apostolicæ prædicationis declarauit, nempe quod satan suo regno sit deturbatus. Hanc ruinam etiam prophani scriptores confirmant: Plutarchus enim in sermone de fœnore scribit, Empedoclem vetustissimum philosophum, demones vocare *δαιμονιαίς*, de cælo ruentes: Pherecydes dæmonum lapsum describens, ophin, hoc est, serpentem, rebellantis & à diuino placito deficientis exercitus, caput & antesignanum fuisse commemorat. Hæc de lapsu Angelorum paucis. Hæc verò pœna quam Deus regi Tyrio, & Angelis apostatis inflixit, assidue ob oculos nobis versari debet, ne quando obliti beneficiorum Dei, quæ ab eo maxima accepimus, insolescamus, & ex fœlici statu in extremas misérias præcipitemur.

## HOMILIA CXXIII.

*J Sidonem quoque interituram  
prædicat.*

20 *Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:*

21 *Fili hominis pone faciem tuam super Sidon: & propheta aduersus eam:*

22 *Et dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego venio ad te Sidon, & glorificabor in medio tui: & scient quod ego Iehouah, quum fecero in ea iudicia, & sanctificauero me in ea.*

23 *Et mittam in eam pestilentiam & sanguinem in plateas eius, & corruent interfecti in medio eius: cum gladio aduersus eam vndique venturus est hostis: & scient quod sum Iehouah.*

Sidonij.

**D**ostquam Tyro interitum suum prædixit, iam secundo loco ad Sidonem conuersus, quæ ipsi quoque euentura sint, vaticinatur: plerunque verò has duas vrbes Sacræ literæ coniungunt, in eadem enim ora maritima sitæ sunt, neque plus quàm ducentis stadiis distant. Sidon vetustissima & celeberrima fuit à Sidone filio Chanaam, si Iosepho credimus, primo eius conditore appellata. Justinus lib. 18. scribit eam à Phœnicibus conditam, illos enim terræ motu vexatos, relicto solo patrio, Assyrium stagnum primò, mox mari proximum littus incoluisse, condidisseque urbem quam à piscium vbertate Sidona appellarint: piscem enim Phœnices Sidon vocare. Post multos deinde annos, à rege Afcalonitarum expugnatos, nauibus appulso

bus appulſos Tyrium urbem, ante annum Troianæ cladis condidiſſe: ibi Perſarum bellis diu variéque fatigatos, victores quidẽ fuiſſe, ſed attritis viribus, à ſeruis ſuis multitudine abundantibus, oppreſſos eſſe. Lege ſi placet totam hiftoriam. A Plinio vocatur Thebarum Bœoticarum parens. Cadmus enim Agenoris regis Phœniciz filius, exul Thebas condidiſſe legitur. Hæc vrbs propter maris opportunitatem, etiam mercaturam fecit. Ingenia præſtantiffima eam aluiſſe conſtat. Nõnulli ſcribunt, eos Arithmeticam & Aſtronomiam, nauigãtibz & mercaturam exercentibus peraccõmodas artes, primùm inueniſſe, alij inuentas auxiſſe. Vrbs opulenta fuit & potens. Pomponius Mela, Sidon, inquit, adhuc potens antequam à Perſis caperetur, maritimarum urbium maxima. Tyrus & Sidon, inter ſe de primatu contenderunt, propter varios vtriuſque caſus. In lib. Iofue 11. cap. Sidon ob cauſam prædictam, magna dici videtur. Vtraque ſuos reges habuit peculiare, quod ex Ieremia liquet, cui Deus, vt iam dicam, ad vtrunque mandata dedit. Lib. 2. Regum 16. cap. nominatur Etbaal rex Sidoniorum, pater Iezabelis, impiæ fœminæ. Idololatriæ dediti fuerunt: Aſtarte nomen deæ Sidoniorum, à Solomone cultæ. 1. Regum 11. & 2. Regum 23. exprimitur. Coluerunt & alios deos. Quia verò idololatræ fuerunt, perpetuas inimicitias gesserunt cum Iſraelitis. Perpetuum enim hoc eſt, vt religionis diuerſitas odia pariat. Hoc verò tempore, fœderati erãt Iudæis contra Nabuchadonoſorem. Dominus præcipit Ieremiæ. 25. cap. vt & regi Sidonio calicem porrigat: & 27. cap. iubet ſingulis legatis dare iuga quæ afferant regi Tyriorum, regi Sidoniorum, & reliquis.

Iam accedamus ad ipſius vaticinij explicationem. Exordiolum ſæpe in hoc libro repetitum, præmittit. *Ecce ego ad te Sidon.* ſcilicet venturus ſum, vt pœnas à te repoſcam. Germani dicunt. *Ich vvoil au dich hin. Glorificabo me in medio tui.* Gloria Dei præcipuè in pœna malorum cernitur. Illi ipſi quoque qui affliguntur, gloriam dant Deo, quam rebus florentibus ei dare noluerunt. *Cùm fecero in ea iudicia,* hoc eſt, cùm iuſto iudicio eam afflixero. Non enim eſt quòd Deum crudelitatis inſimulemus, non punit immeritos. *Et ſanctificauero me in ea.* Idem dicit quod iam dixit, Ego glorificabo me: oſtendam me ſanctum & iuſtum eſſe iudicem, cui ſcelera diſpliceãt, & qui ſuo tempore ea puniam. Iſraelitæ audita urbis huius euerſione, Dei nomen ſanctificarunt, idem multos inter gentes quoque, quibus ſcelera apud Sidonios graſſantia, diſplicuerunt, feciſſe admodum eſt probabile. omnium enim pectoribus inſculptum eſt, homines non impunè ferre, ſi in ſceleribus pergant abſque reſipiſcentia. Hodie quoque ſi homines vel multi vel pauci, propter ingentia ſcelera puniantur, alij nomen Domini collaudant, virtutèque eius prædicant. Turbantur enim impiorum proſperis ſucceſſibus, aduerſis verò eorum caſibus, ite rum eriguntur. Eſi verò impij non ſemper in hoc ſeculo, debitas pœnas Deo perſoluant, tamen erit tempus, quo ratio erit dictorum factorumque, iuſto iudici reddenda.

Subiungit nunc quibus pœnis Sidonios afficere decreuit. *Mittam in eam peſtilentiam.* Aliquando Deus leuiore pœnas præmittit, vt peſtem, caritatem annonæ & alias, quibus ſi homines non moueantur ad pœnitentiam, grauiore ſuccedunt. Peſte enim ſimul & pœnuria rerum, item bello eos punit, Cùm obſidendæ ſunt vrbes, multi ad eas ex vicinis locis confugiunt, onuſti rebus quas habent precioſis, oriuntur autem morbi periculofi in illa hominum turba, qui multos extinguunt. *Et ſanguinem in plateis eius, & corruent.* In obſidionibus non rarò accidit, vt ciues cum præſidiariis militibus, qui magnam ſibi licentiam permittunt, comœntantur. Ciues aliquando mutuis vulneribus cadunt, vno alterum tanquã belli authorem accuſante. Quod in ſecunda urbis Hieroſo. expugnatione ſcimus accidiſſe. Irrumpentibus hoſtibus, omnes armati, ſæpe etiam inermes, paſſim in plateis ſternuntur, omnia ſanguine & cadaueribus implentur.

*Cum gladio aduersus eam vndique, supple, hostes irruent: nullasque eis inducias concedentes, corona urbem cingent, eamque prement, ea expugnata, in omnibus locis miserabilem stragem edent. Quæ urbem expugnatam consequantur, Æschines ostendit in oratione contra Ctesiphontem, de Thebis ab Alexandro Macedone vi expugnatis & direptis, sic dicens (interprete Dionysio Labino) Quandoquidem corporibus præstò non fuistis, saltem animis adeste, & cogitationibus vestris calamitates eorum contemplamini. Fingite vos videre urbem capi, muros suffodi, ac funditus euerti, domos incendi, mulieres & pueros in seruitutem abduci, senes & anus libertatem serò dediscentes, plorantes, vobis supplicantes, irascētes non illis qui tam crudeles ab ipsis pœnas expetiuerunt: sed iis quorum opera ac culpa in has misérias inciderunt. Eodem pertinent verba Cornelij Taciti de Cremonæ excidio lib. 19. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus stupræ cadibus, cædes stupris miscerentur. Grandæuos senes, exactas ætate fœminas viles ad prædam in ludibrium trahebant. Vbi adulta virgo aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium diuulsus ipsos postremò direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam vel grauiâ auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabatur, &c. Hæc vrbis captæ imago, ad alios quoque nostri Prophetæ locos illustrandum pertinet. Obserua quod Deus dicit, se mittere pestem, & sanguinem, hoc est, seditiones & bella: sæpe enim diximus, hæc non temerè oriri: sed Domino gubernante & oriri & quiescere. Hoc etiam quidam ex Gentilibus intellexerunt.*

Imago captæ vrbis.

*Et non erit vltra domui Israël spina pungens, & spina dolorem inferens, ex omnibus qui sunt per circuitum eorum, qui spernunt eos. Hæc verba non ad Sidonios solum: sed ad alias quoque vicinas Iudæorum & inimicas gentes pertinent. Fuerunt enim exemplar impietatis populo Dei, deinde quacūque oblata occasione, eos pupugerunt, eosque offenderunt: sed ita deletæ sunt omnes, vt posthac nō amplius Israelitas læderent. Iosue 23. cap. de Chananæis non expulsis dicit, Erunt vobis in laqueum. פח pach & offendiculum מוקש mokesch, & flagellum שושש chorheit in lateribus vestris, & in spinis צנח zinnah in oculis vestris. Hoc loco aliis metaphoris vitur. סליון sillon spina, sentis, aculeus: supra 2. cap. populum rebellem cum quo prohibita negocium sit, spinis comparauit Deus: קוצ koz spina, tribulus. Numeri 33. ponitur שחוקים schukim clauis paxilli. Deuter 7. מוקש mokesch laqueus, offendiculum, decipula.*

Cōditio populi Dei.

Pœna hostium Dei.

Colligimus ex his verbis, primùm quæ sit fors populi Dei. Omnes idololatræ varios quærunt prætextus, non solum spernendi populum Dei, sed & grauius lædendi, sunt veluti spina & aculeus quidam: obiciunt eis multa impedimenta, quò minus expedite in via salutis suæ progrediantur. Deinde quid tandem fiat de hostibus populi Dei. Aliquando in hoc seculo delentur, vt desinant vexare populum Dei. Exempla habemus in decem persecutiouibus, quarum authores ferè omnes in hac quoque vita pœnas dederunt. Iniquè enim fert Deus contemptum & crudelitatem impiorum contra suos fideles. Se dicit lædi, si quis suos, quantumuis in hoc mundo contemptos, & ignobiles, verbis vel factis lædat, Matth. 18. Post hoc verò seculum, vlciscitur illam impiorum insolentiam æternis suppliciis, inque nouissimo iudicio apparebit, quinquam fuerint Dei amici, qui hostes. Deus enim titulos illos magnificos & splendidos non moratur, quos sibi hostes Dei vendicant. Spinâs illas & tribulos coniiciet in ignem æternum. Matth. 13. dicit Seruator noster: Sicut colliguntur zizania & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi huius. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, ibi erit ploratus, stridorque dentium. Tunc iusti splendebunt vt sol in regno patris sui.

Causæ interitus Sidoniorum.

Causa excidij Sidoniorum non commemoratur à Propheta, sed quia commercia

cia

cia habuerunt cum Tyriis, non difficile est eas intelligere. Idololatræ fuerunt, superbi, oppressores pauperum, luxuriosi, securi, quibus malis debitas sibi pœnas attraxerunt.

Ad amussim hanc prophetica prædictionem impletam esse, non est quod dubitemus, quanquam illorum temporum historia vel non scripta sit, vel interierit. Omnia enim quæ Deus prædixit, omnibus temporibus impleta sunt, sicut fuerant prædicta.

Hæc vrbs postea fuit restituta, & cum iterum opibus & potentia augetur, crevit simul eius luxus, superbia & impietas. Utque illi qui ex periculosis morbis recreantur, ferè deteriores fiunt, ita illa vrbs pessima euasit, ideo Deus iuxta Zachariæ vaticinium 9. cap. eam per Artaxerxem Ochum Persarum regem inflammavit, de qua re scribit Diodorus Siculus.

Quæ verò de Tyro & Sidone hæctenus dicta sunt, nemo putet nihil ad nos pertinere, transferenda enim hæc esse ad nostra tempora, nostrisque mores, Christus ipse nos docuit: qui harum urbium exemplo peccatum illorum amplificat, qui ipsum diu prædicantem & miracula edentem absque fructu audierant & viderant. Matth. 11. dicit: Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaidâ: quoniã si in vrbe Tyri aut Sidonis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere scelerum suorum pœnitentiã egissent. Attamen dico vobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, quàm vobis. Si grauius illi punientur, quæ pœna nobis erit expectanda si Deo ingrati esse pergamus, qui non modò Christi miracula & conciones habemus, sed insuper eius vaticinia omnia impleta esse vidimus, & illas vrbes, pœnas suæ ingratitude dedisse ex historiis nouimus? Rectè igitur alienis malis ad vitæ nostræ emendationem vtamur.

Applicanda hæc sunt nobis.

HOMILIA CXXV.

*Promissio de liberatione Iudaorum.*

24 Et non erit ultra domui Israel spina pungens, & spina dolorem inferens ex omnibus circuitibus eorum qui spernunt eos, scientque quòd ego Dominus Iehouah:

25 Sic dixit Dominus Iehouah, Quando congregaero domum Israel de populis inter quos dispersi sunt, & sanctificaero me in eis in oculis Gentium, habitabunt super terram suam quam dederò seruo meo Iacob.

26 Et habitabunt super eam confidenter, & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, habitabunt, inquam, confidenter, quum fecero iudicia in omnibus que spernunt eos in circuitibus eorum, & scient quòd ego Iehouah Deus eorum.



ertia pars huius capituli continet vaticinium de redemptione & restitutione populi Dei. Solent enim Prophetæ tristibus læta subiungere, ne assiduis comminationibus fides piorum, quorum aliqui semper impiis permixti sunt, labefactetur. Hodie quoque Ministri Ecclesiæ in prædicatione pœnarum, piorum hominum rationem ha-

bere debent. Prophetia hæc breuis quidem est: sed consolatione plena. *Quando congregauiero domum Israel de populis, inter quos dispersi sunt.* Promittit se Israelitas congregaturum, hoc est, liberaturum ex omnibus Orientis prouinciis, per quas dispersi fuerant, & in patrias sedes reducturum. *Et sanctificauiero me in eis, in oculis gentium.* Antè dixit quòd in Sione se sanctificare velit, hoc est, sanctum & iustum iudicem se declarare, iam dicit quòd se in reductione populi velit sanctificare. Etenim si homines vident Deum impios perdere, & cultores suos asserere, multaque in eos beneficia conferre, sanctificant & collaudant nomen Domini. *Habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob.* Reducentur in terram Iacobi vel Israelis posteritati traditam. *Habitabunt in ea confidenter.* Promittit quòd absque metu periculorum tuti atque secure habitaturi sint in ea. *Aedificabunt domos & plantabunt vineas.* Hæc sunt opera pacis. Si vel belli vel pestis aut famis metus sit, domos, nisi ingès necessitas nos cogat, non ædificamus, vineas nouas non plantamus, sed reiicimus in tranquilla tempora. *Habitabunt inquam confidenter.* Repetit, absque metu in otio victuros, quod ingens Dei est beneficium. *Cùm fecero iudicia in omnibus qui spernunt eos in circuitibus eorum.* Cùm pœnas sumpsero de illis, qui eos vndique vexant, nullus supererit periculorum metus. Ante tempus reuersionis ex captiuitate, pœnas sumpsit per Babylonios, de gentibus infestis Israelitis, de Tyriis, Sidoniis, Ægyptiis, tandem Medi & Persæ iunctis copiis ipsam quoque Babylonem euerterunt. *Et scient quòd ego Iehouah Deus ipforum.* Cùm videbunt meas promissiones de ipsis liberandis, & comminationes, tam de ipsis propter scelera sua, quàm de hostibus ipforum puniendis, impleri, re ipsa intelligent me Deum ipforum esse.

## DE RESTITVTIONE vel liberatione Israelis.

De restitutione Israelis multa leguntur apud Prophetas. Isaias à 40. cap. vsque ad 49. consolatur Iudæos in captiuitatem ducendos, & inter alia argumenta, liberandos inque patriam reducendos vaticinatur. Oseas 2. & 11. Micheas 2. & 7. cap. Sophonias 3. Zacharias 11. & alibi de eadem re agunt. Quæritur nunc vbi, quomodo & quando hæc restitutio præstita sit. Respondeo partim temporaliter iuxta historiam, partim spiritualiter impletam esse. Capta Babylone à Cyro Persa, & Dario Medo, Deus Cyri animum commouit, vt Iudæis ex Babylone in patriam redeundi potestatem faceret. Iosephus scribit Iudæos vaticinium Isaiæ, qui annis 180. antequam Babylon caperetur, à Cyro liberandos prædixerat, ei proposuisse, qui non sine magna admiratione legens, clemètem se illis exhibuerit, libertate atque muneribus eos donarit. Magna itaque Iudæorum multitudo, ducibus Zerobabele & Iesu pontifice (qui Seruatoris nostri typum gesserunt) in patriam reuersi, Templum extruere cœperunt, sed illud ædificium vicinorum hostium improbitate diu impeditum fuit. Postea septimo anno Artaxerxis siue Darij, ascendit Esdras cum magna parte populi. Vicefimo eiusdè anno, ascendès Nehemias regis Babylonij pincerna, muros Hierusalem cœpit instaurare, idque magno periculo. Hostibus enim Iudæorum molestum erat videre, quòd vrbs veluti Phœnix quædam ex cineribus denuò excitaretur: de hac re in libro Esdræ & Nehemiæ (quem Latini interpretes secundum Esdræ vocant) item in Haggæi & Zachariæ concionibus copiosè scribitur. Hæc verò restitutio non plena fuit: magna enim pars Iudæorum mansit in Babylone, reduces autem horrendas clades passi sunt: (id quòd omnes sciunt qui Machabæorum libros euoluerunt) altissimamque illam pacem non habuerunt, cuius sacri Vates subinde meminerunt.

Sciendum

Restitutio  
temporalis  
sub Cyro.

Sciendum itaque, quòd spiritualiter quoque hæc prædictio de restitutione Israelis in Christo impleta fuit, & tandem plenissimè implebitur. Cùm enim nõ Iudæi solùm, sed & totum genus humanum, libertate sua amissa, tristissima seruitute premeretur, cùmque in varias sectas & studia peccatorum esset dissipatum, Iesus Christus ( cuius typus, Zerobabel & Iesus pontifex fuerunt) natus ex Virgine, illud collegit, & ab exilio, quod ab Adamo ceperat, reuocauit, vt sub ipso capite nostro, per fidem in corporis sui Ecclesiæ vnitatè coalesceret. Ipse enim Christus Ioan. 10. cap. dicit: Ego alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, vnus pastor. Mox 11. cap. de Caiapha: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, vaticinatus est, quòd Iesus moriturus esset pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Huc perinet canticum Zachariæ Luc. 1. cap. in quo celebrans Deum propter ingentia beneficia per Messiam populo conferenda, dicit Deum redemisse populũ suum, sicut prædixerat per os Prophetarum fore vt seruemur ab inimicis nostris, vtq; sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi, &c. Petrus Act. 10. cap. pacem nobis à Deo per Christum nunciari dicit. Quotquot in Christum verè credunt, tranquillo sunt & pacato animo, item pacem cum omnibus colunt, neminem lacerant, non tamen ab omnibus periculis immunes sunt, vexantur à propria carne, mundo, diabolo, tyrannis, qui ædificantibus Templum Dei non minus molesti sunt, quàm olim Samaritani Iudæis, nullasque inducias eis concedunt. Qua de re non solùm multæ sunt prædictiones, Ioan. 15. 16. & alibi, sed exempla quotidiana ostendunt, quanto odio ardeant impij veræ religionis eorumque qui eam amplectuntur.

Restitutio  
spiritualis  
inchoata in  
primo Christi  
aduentu.

Quantum igitur in primo Christi aduentu multa impleta sint, tamen nondum absoluta & perfecta est illa Israelis restitutio: sed in secundo demum aduentu, quãdo iudicabit viuos & mortuos, plenissimè omnia præstabit, quæ nobis promittit: quando animas & corpora fidelium secum transferet in cælestem patriam: quando caro nostra, homines impij, & ipsa mors nos desinent vexare. D. Paulus dicit in 1. Corinth. 15. Cùm tradiderit regnum Deo patri, cùm aboleuerit omnem principatum, & omnem potestatem ac virtutem. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos suos sub pedes suos: nouissimus hostis aboletur mors, &c. In Christo verò omnia absolutissimè complenda fore, quæ Prophetæ prædixerunt, etiam ex Petri testimonio Acto. 3. cap. colligitur, Iesum Christum inquit, oportet quidem cælum accipere, vsq; in tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est Deus per os omniũ sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Ipse Seruator noster Lucæ 21. de prodigijs vltimum suum aduentum præcedentibus loquutus, His fieri incipientibus, inquit, suspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

Restitutio  
spiritualis  
absoluta in  
Christi se-  
cundo ad-  
uentu.

Hanc prophetiam & alias similes, alij vltimo tempore, in mille annis sperant implendas. Fuerunt enim olim quidam, quos chiliastas, seu millenarios vocant, qui arbitrabantur Christum post resurrectionem postremam regnaturum cum suis in hisce terris mille cõtinuos annos in summa tranquillitate, impiis omnibus perditis & proffigatis, priusquam regnum illud cœleste inciperet. Addiderunt multa de voluptatibus, deliciis, mundanis honoribus, quæ tamen multos pios doctores, etiam illo tempore improbasse, non est dubitandum. Authorem huius opinionis Eusebius Papiam putat fuisse. Sequuti sunt hanc opinionem multi præclari viri, Irenæus, Iustinus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus Pictauiensis, Lactantius, Methodius Martyr, & alij. Vide Hieron. in 36. cap. huius Prophetæ. Confutauit eos D. Augustinus de Ciuitate Dei libro 20. cap. 7. 8. 9. qui tamen se quoq; aliquando in hoc errore fuisse confitetur. Epiphanius quoque & alij patres hanc

Chiliaste  
sive millena-  
rij.

opinionem refellunt. Quid verò mouit, inquis, millenarios, vt tam absurdam sententiam amplexi sint? Videbant Ecclesiam cruce exerceri, quod prophetis non bene congruere putabant. Vsurpabant loca quædam Scripturæ non rectè intellecta, præcipuè verò locum in Apoc. 20. cap. de mille annis.

Ex his autem colligimus, non statim omnia quæ Patres scribunt, habenda pro oraculis: alioqui subscribendum esset istis Chiliaftis. Patres interdum vt homines errarunt: ideoque nos ad sacras Literas remittunt. Vt verò illi hallucinati sunt sine studio defendendi erroris, ita agniti errores reiiciendi, non pertinaciter defendendi sunt. Temporum iniuriâ hûc errorem quasi morbum hæreditarium hauserunt: ita factum aliis quoque temporibus, proinde vigilandum est, ne in errores incidamus. Facile enim in eiusmodi errores homines incidere, vel ipsum Apostolorum exemplum ostendit, qui ipsi quoque vanam spem de restitutione Israelis habuerunt. Nostro tempore Turci nescio quid simile somniant de Paradiso, eiusque deliciis, quo ad cibum, potionem, & res Venereas. Nostra memoria Monasteriensis Anabaptistæ errorem Millenariorum renouantes, se quoque delictis impiis in hoc mundo regnatos sperarunt: dominandi libidine ausi sunt regnum constituere, dedissentq; maiores turbas, nisi principum armis fuissent oppressi. Sequuti postea sunt Dauidiani, neque hodie defunt alij huius farinae homines, qui nescio quam portentosam regni Israelitici restitutionem somniât. Omitto Iudæorum somnia de aduentu Messia, & regno eius terrenò, in quo sibi carnem suillam promittunt, item de extirpandis Christianis, & nescio quibus vanis gaudiis. Orandus est Dominus, vt miseris illos homines ex portentosis illis opinionibus extricet, nosque in vera fide confirmet, vt cum venerit ad iudicandum viuos & mortuos, cum ipso veram illam & cælestem patriam, terram viventium ingrediamur, in qua perfectè omnia implebuntur quæ tot Vatum oraculis de Israelis restitutione prædicta sunt.




## Concio vigesima secunda

EZECHIELIS.

HOMILIA CXXVI.

*Prophetia contra Pharaonem & Aegyptios, quos propter peccata sua graui pœna afficiendos prædicat.*

CAPVT XXIIX.



1 Nno decimo, duodecima mensis, fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

2 Fili hominis, pone faciem tuam contra Paroh regem Misraim, & præpheta contra eum & contra vniuersam Misraim.

3 Loque-



3 Loquere, & dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce contra te Paroh rex Misraim, cete magna qui cubas in medio fluminum suorum: qui dixit, Meus est fluvius meus, & ego feci mihi.

4 Et ponam hamos in maxillis tuis, & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & ascendere faciam te, de medio fluminum tuorum atque omnes pisces fluminum tuorum, squamis tuis adhærebunt.

5 Et derelinquam te in deserto, te inquam & omnes fluminum tuorum: in superficie agri cades, non recolligeris, nec congregaberis: bestiis terræ & volatilibus cæli dedi te pro esca.

6 Et scient omnes habitatores Misraim, quod ego Iehouah, eò quod fuerunt baculus arundineus domui Israel.

7 Quum apprehenderit te manu, confringeris, & lacerabis eis totum humerum: & cum innixi fuerint, contereris, & stare facies eis totos renes.



Ropheta in hoc 29. capite, & tribus sequentibus, hoc est, per quatuor integra capita, vaticinatur contra Pharoone & Ægyptios, ostendens eos quoque à Nabuchadonofore affligendos & vastandos esse. Causæ eadem ferè commemoratur, propter quas Tyrum euerfam fuisse audiuius. Ideo autem tam prolixè cõtra eos agit, quod freti munitione locorum, opibus, prudẽtia, copiis pedestribus & equestribus, sperarent se non vincendos. Discemus nos à quibus vitiis sibi cauere debeant, quæ coerere, qui imperium volunt habere diuturnum. Alij quoque Prophetæ contra Ægyptum vaticinati sunt: Isaias 19. & 20. capite, Iere. 46. Ad intelligenda Prophetarum vaticinia de Ægyptiis, quædam sunt præmittenda.

Regnum Ægypti vetustissimum & florentissimum fuit. Reges illorum communi appellatione Pharoones vocantur, inter quos primus numeratur Misraim filius Cham, quem alij Oceanum dictum esse volunt, & hoc regnum constituisse. Labentibus annis, à Nabuchadonofore occupatum fuit, postea à Persis, Græcis, tandem à Romanis, cum Augustus imperator Antonium vicisset. Abundauit hominibus, pecoribus, rebus ad cultum corporis victumque pertinentibus, præcipuè frumento propter Nili incrementa. Superstitione omnes ferè gentes superauit, licet Abrahamum, Iacobum, Iosephum & alios patres, Dei notitiam in illa sparsisse non sit dubitandum. Scholas celebres habuerunt, præcipuè Alexandriæ, ad quas multi tanquam ad mercatum bonarum artium venerunt. Vixerunt dissolutè, polluentes se ebrietate, crapula, fœdis libidinibus, sanguine innoxio. Reges Ægyptij Hebræorum genti hospitium præbuerunt tempore diuturnæ famis, eamque multis ornarunt beneficiis, postea cum exasperata esset regum tyrannis contra eos, Deus regem cum exercitibus suis in mari Erythrao oppressit. Posteris temporibus contra Dei legem, Ezechias Ioachim & Zedechias, fœdera cum Ægyptiis pepigerunt, &c. Plura de Ægyptiis ex historicis & geographis peti possunt: quædam etiam postea sequentur.

Regnum  
Ægyptiaci

Quo ad præsens caput, priore eius parte, cõtinetur cõncio xxi. Prophe-tæ, quæ prima est contra Ægyptios, & quinta contra gentes. Hæc concio duas habet partes: prima est de Ægypti desolatione & dispersione, quam primùm allegoricè, deinde simpliciter prædicit, eiuque præcipuas causas recitat: altera est de eius restitutione. Principiò tempus annotatur, quo hæc concio habita sit: nempe anno 10. mense 10, qui Esth. 2. 22. thebeth dicitur, & iuxta Bedam Ianuario nostro respondet. Numerantur autem hi anni à captiuitate Iechoniæ, quæ con-

currit cum primo anno Zedechiæ. Facit hæc temporis consignatio, ad prophetiæ intelligentiam. Habita est hæc concio priusquam Ierusalem caperetur: capta enim scribitur anno vndecimo Zedechiæ regis.

Pharones  
dicuntur o-  
mnes reges  
Aegypt.

Ecce ego contra te Pharo rex Aegypti. Quasi dicat, Tu Rex putas te inuictum, sed ecce repente, & cum minimè expectas, contra vos ego ipse descendam, hoc est, armabo Nabuchadonosorem, qui pœnas de vobis sumat. D. Hieronymus annotat, apud Aegyptios vocabulo Pharoonis demonstrari regiam dignitatem: sicut apud Romanos Cæsares & Augusti reges eorum appellantur, à primo Caio Cæsare, & secundo adoptiuo eius Octauiano, qui postea Augustus est nominatus: & apud Syros, Antiochi: apud Persas Arsacidæ: apud Philistim Abimelech: & post Alexandrum in Aegypto Ptolomæi, usque ad Cleopatram, qua victa apud Actiū Aegyptus Romana facta est prouincia, Hæc ille. *Cete magne qui habitas in medio fluminum suorum.* Suprà de Tyro verba faciens, à mari sumplit metaphoram, maritima enim vrbs erat: nunc translationibus à flumine & piscibus vitur, vt se auditoribus accommodet. Imitandum est doctoribus hoc exemplum. Mun-

Tanim in  
terra draco-  
nem, in ma-  
ri cetum si-  
gnificat.

sterus vertit, *draco magne*, sic Tigurini & alij. תנין *thanim* David Kimhi autor est, in terra esse genus serpentium, in aquis verò pisces magnos, piscibus assimiles. Hieron. Isaiæ 27. capite, cetum interpretatur. Eodem nomine, inquit, Augu. Steuchus vocantur dracones terrestres atque marini: nec enim cete & maximi pisces aliud sunt, quàm dracones & serpentes in terra. Vide Gessnerum in historia aquatiliū folio 230. qui Thunni nomen, quòd Latini à Græci mutuati sunt, ab Hebraico nomine Thanim putat ortum esse. Idem Germanicum vocabulum *vvalfish*, à balæna factum existimat, & ad illam propriè pertinere. Regem Aegypti comparat Propheta ceto magno degenti in fluminibus: quia potentissimus fuit, principes eius minoribus piscibus, propter Nilum qui in multos riuos diducitur, totamque Aegyptū inundat, Seneca enim, stagnante illo, dicit, latent campi, opertæ sunt valles, oppida insularum modo extant, nullum in mediterraneis, nisi per nauigia commercium.

Draco voca-  
tur propter  
potentiam &  
tyrannidem

יְאֹר *ieor* interpretatur riuum ex fluuio aliquo magno, ad aliquem locum deriuatum, piscinam. Per יְאֹרִים *ieorim* intelligit fossas illas plurimas hominum opere factas, per quas Nilus in longinquum ducitur, vt agros irriget. Intelligit autem per Nilum Aegyptum, quod totam quasi stagnum efficiat.

*Fluminum suorum.* Id est, tuorum. Heterosis personæ, tertia enim persona pro secunda ponitur.

Nilus.

*Meus est fluuius meus.* Nempe Nilus, cuius non solum apud geographos, historicos, & poetas: sed etiam sacros scriptores fit mentio. Plinius li. 5. c. 10. Nilus incertis oritur fontibus, secundum quosdam, immenso longitudinis spacio ambulans, demum pluribus in locis & latens & exiens, Africam ab Aethiopia diuidens, medios Aethiopes fecat, longo postea interuallo in Aegyptum mare se euomit. Certis tamen diebus auctu magno per totam spaciatus Aegyptum, fecundus innatat terræ, &c. Verg. Georg. 4. dicit:

Nam, qua Pellæi gens fortunata Canopi  
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum:  
Et circumpictis vehitur sua rura phaselis:  
Et viridem Aegyptum, nigra fecundat arena,  
Et diuersa ruens septem discurrit in ora,  
Vsq̄ue coloratis amnis deuexus ab Indis, &c.

Seruius ad hunc locum annotat, Nilum dictum esse quasi *νέας ἰλδύς*, id est, nouum limum quòd semper nouum limum trahat, qui efficiat fecunditatem. Nam antea, Nilum Latine Melonem dictum. Cicero de natura Deorum lib. 2. Aegyptum Nilus irrigat, & cum tota æstate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitósque

mollitōsque & oblimatos agros ad ferendum relinquit. Ab Herodot. lib.2. Nilus *ἰργανὸς*, hoc est, arator vel agricola: ab Athenæo Chrysothoas, quasi auro fluens: à Nazianzeno *ἰργανὸς* appellatur. Agros quos non adiuuit, steriles & squalidos iacere annotat Seneca, qui annis aliquot in Ægypto militauit. De Nili irrigatione multa, & scitu non indigna congesserunt, Vadianus in Pomponium Melam, Lud. Cælius antiq. Lect. cap.6. lib.27. & Pierius Valer. in suis Hieroglyph.

*Ego feci mihi.* Vadianus in Epitome trium orbis partium, de Nilo scribit: veterum regum curam fuisse, vt fossas vltro citroque ex Nili alueo deductas, terris longissimo spacio immitterent, vt quoties res postularet conuehi vndique nauibus frumentum, Niloque deuehi posset. Eas fossas Augustum post victum Antonium & Ægyptum tunc primum in prouinciæ formam redactam, vt feraciorē habiliorēque annonæ vrbicæ redderet, longa oblimatas vetustate militari opere deterfisse, scribit Suetonius. Propter has fossas quibus Nilus hinc inde deductus est, puto Regē sibi ita placuisse, vt diceret, *Ego feci mihi*, scilicet illum fluuium. Aliàs se non potuit eius authorem nominare, cū ne reges quidem Ægyptij indagare potuerint, vbi oriatur. Alij reddunt, *Ego feci meisum*. Hoc est, mea sapientia & industria feci me potentem Regem. Exprobratur his verbis, huic Regi superbia & arrogantia, qui non cognouerit beneficio Dei, Ægyptum à Nilo fecundari, vt aliis regionibus pluuias dat, ita huic Nili incrementum. Regem Tyri sua, quæ ingentia dona acceperat, non retulisse in vnicum authorem Deum, supra dictum est. Retulerunt quo ad hoc, ingenium satanæ, qui Christum in altissimum montem abductum, ex quo regnum mundi eorūque gloriam ei ostenderat, iubebat ipsum ante se procidere, seque adorare, addens: *Hæc omnia tibi dabo*, cū ne puluisculum in sua potestate haberet. Pœnam nunc subiungit.

*Ponam hamos in maxillis tuis, & ascendere faciam te de medio, de medio fluminū tuorum, &c.* Quemadmodum pisces ex aquis hamo educti in terram excutiuntur: ita te educam, omnēsque pisces fluminū. Per cetum, regem intelligi audiuius, per pisces reliquos, qui in stagnis ludebant: intelligit principes, nobiles, milites & subditos regis, Efficiam, inquit, vt relictis illis locis, quæ difficilē aditū habebant, propter munitiones & fossas, hosti obuiam procedas, & vt multi tibi adhæreant, teque sequantur. Nam si videbunt te in armis esse, statim se coniungent tibi, sperantēque victoriam ab hostibus vincentur, & in captiuitatem abducentur. Si mansissent in suis munitionibus, difficile fuisset eos vincere. Pisces maris capere nemo facillē potest, sed si ex aquis veniant, vt aliquando refluxu maris accidit, nullo negotio capiuntur. Ægyptum scribunt quaque versum inaccessam fuisse: ab vna parte mari, ab altera deserti vastitate obiecta: ad dextram montibus abruptis: ad sinistram paludibus. Cæsar cū Ægyptum vicisset, regni administrationem Cleopatrarum fratrique eius minori permisit veritus eam in prouinciæ formam redigere, ne quandoq; violentiorem præsidem nacta, vt Suetonius dicit, nouarum rerum esset materia.

*Et derelinquam te in deserto, te & omnes pisces fluminum tuorum.* Vt pisces aqua destituti, in locis aridis statim pereunt: ita ex tuis munitionibus extractus peribis cum tuis principibus. *Non colligeris nec congregaberis.* Ceraceorum piscium nullus in cibo vsus est, carnem enim habent insuauem, alij verò colliguntur. Significat his verbis, carituros honore sepulchri. Gyraldus de vario sepeliendi ritu, ex multis authoribus annotat, cū aliarum gentium, tum in primis Ægyptiorum in construendis monumentis ingentem fuisse ambitionem, cuius reges primæ pyramides, obeliscos & labyrinthos struxerint. Multi scribunt Ægyptiorum Regum vetustissima sepulchra, talia fuisse, vt eis nulla alia comparari possint. Ægyptij sacerdotes, quadraginta septem regia monumenta commemorant, quæ miraculosa fuerint: ad Lagi tamen Ptolomæi tempora decem & septem tantum su-

Piscis in se  
co.

Sepultura.

perfuiffe dicuntur. Multi quoque tradunt, hunc eorum fuiffe morem, vt cadauera difsecantes, interanea exemerint eiecerintque, reliquum corpus condimentis & coloramentis curarint, atque domi feruarint. Deus nunc minatur illis, quod feris & volucribus præda futuri ſint, maiorumque ſuorum ſepulchris non inferendi. Horribile fuiſſe veteribus iacere inſepultos, ſcriptores paſſim teſtantur. Heetor apud Homerum Iliad. x. iamiam interficiendus ab Achille, petit, ne ſe feris & auibus dilacerandum relinquat, ſe patri Priamo, matricque Hecubæ ſepeliendum atque humandum reddat. Palinurus apud Vergilium Æneam rogat, vt ſibi terram iniiciat, aut corpus ſuum ſecum per vndas tollat. Credebant niſi ſepulti eſſent, ſe Stygém traicere non poſſe, ſed per vaſtas Orei ſolitudines, ſibi eſſe errandum. In populo Dei magna quoque religio fuit ſepulturæ, non quod inde aliquem ad animam defuncti fructum peruenire arbitrarentur, ſed propter ſpem reſurrectionis. Sacræ literæ inter pœnas numerant, Iere. 7. 22. carere honore ſepulchri: interim prædicit Antichriſtum cadauera ſanctorum inſepulta proiecturum: Apoca. 11. capite.

*Scient omnes habitatores Aegypti, quod ego ſum Deus.* Sibi quodammodo diuinos honores tribuunt, aſcribentes ſibi opes, ſapientiam, item quod inuicti eſſent, ſed reipſa oſtendam, quomodo res eorum habeant.

*Eò quod fuerunt baculus arundineus populo Iſrael.* Alterum quod Ægyptiis obicitur, eſt quod induxerint populum Dei ad peccandum: nixi enim ſunt auxilio illorum, non Dei. Rex Babylonius, vt ſæpe dictum eſt, clementer ſe geſſerat erga victos, conſtituerat Zedechiam regem hac conditione vt fidem ſibi ſeruet: & fortassis hoc feciſſet, niſi ab Ægyptiis ad defectionem fuiſſet ſolicitatus. At quia Ægyptius inito fœdere cum Iudæis, & vicinis gentibus contra Nabuchodonosorem, ſpem eis faciebat, quod recuperare priſtinam libertatem, & hoſtem iunctis viribus facile propulſare poſſent: Zedechias rebellauit. Malè autem hoc Iudæis ceſſiſſe, quod relicto Deo Ægyptiis conſiſi ſint, ſimilitudine idonea declaratur.

Scipio arundineus.

*Cum apprehenderit te manu, confringeris & lacerabis eis totum humerum, & cum innixi fuerint tibi contereris.* Ægyptios ſcipioni arundineo comparat Propheta. Si ſenes vel ægroti nitantur arundini, primum fruſtrantur ſua ſpe: infirmior eſt arundo, quàm vt eos ſuſtinere poſſit. Deinde ſi frangatur, læduntur per eam. Fragmenta enim cum acuta ſint inſinuant ſe manibus, vel humeris, vel lateribus, & vulnerant. Iſaiæ 36. cap. Raſchaces ſolicitans Iudæos ad defectionem, inter alia argumenta hoc quoque proferit: En tu fidis baculo iſti arundineo conſtracto Ægyptio: cui ſi quis innitatur, penetrat in manus eius, eamque perforat: talis eſt rex Ægypti Pharoos, omnibus qui ipſi fidunt. Et rectè quidem dixiſſet, hic barbarus miles, ſi Ezechias eiſque proceres, armis Ægyptiorum duntaxat freti, Senacheribo ſeſe oppoſuiſſent. Matth. 27. milites Chriſti regnum iridentes, dant illi ſceptrum arundineum, quaſi arundineum & inane eſſet, cum Scriptura ei ſceptrum ferreum tribuat, Pſal. 2. *Et ſtare facies eis toros renes,* vel vt Munſterus, *Firmabis omnem lumbum eorum.* Simplex videtur ſenſus eſſe, Coges eos, omnes vires exerere, ne ab hoſte capiantur: illi pendentes ab Ægyptiis, nullo negotio ſe victores ſperabunt: deſerti ab eis, coegit eos neceſſitas pugnare. Sic ægroti in incendiis ſe in pedes erigunt. Rex Ægyptius qui ſuppetias eis promiſerat, non ſolum expectationē Iudæorum feſellit, ſed in extremum periculum eos coniecit.

Bella nõ neceſſaria non mouenda.

Discamus ex hoc loco, bella nõ neceſſaria, ſpe auxiliorum quæ nobis fœderati, aut alij pollicentur, nequaquam eſſe mouenda: deinde ſpem non in opibus, munionibus locorum, armis, amicis, eſſe collocandam: ſed in ſolo Deo. Illæ enim res ſunt veluti arundo, quæ caua eſt, & quouis vento impellitur, & ſi quis ei innittitur, eum non modò non ſuſtentat, ſed etiam magnum dat ei damnum.

num. Multa querelæ de perfidia amicorum, cum apud alios scriptores, tum maxime apud poetas occurrunt. Israelitæ omnia expectabant ab Ægyptiis; sed falsi sunt. Ægyptiis nihil profuit, quod multis naturæ præfidiis septi & communiti essent, nam cum Deo visum est, intereunt.

Quomodo hæc omnia impleta sint deinceps est cognoscendū. Cum Nabuchadonosor acceptas iniurias vindicaturus, maximis copiis urbem Hierosolymis obsideret, ferre suppetias voluit Ægyptius, cui occurrens Nabuchadonosor eum prælio vicit. Ille clade accepta, rediit in Ægyptum, urbemque suas contra vim hostilem muniuit, suosque fœderatos Iudæos in periculis deseruit. Nabuchadonosor captis Hierosolymis in Iudæa partem populi reliquit, quibus Godoliam optimum principem præfecit: quo cæso Iudæi metu Babyloniorum, inuito Ieremia in Ægyptum profugerunt, secum Prophetam abstrahentes. Rex Apries, quem Ieremias Hophram appellat, perfidis hospitium præbuit, Nabuchadonosor ultionem de illis sumpturus, exercitum suum contra Ægyptios duxit, commissisque aliquot præliis, Ægypto est potitus, ipsam vastauit, Regem victum interfecit, templa deorum subuertit, Iudæos qui in Ægyptum profugerant unâ cum Ægyptiis hospitibus ipsorum in Babylonem captiuos abduxit. Hac de re consule Iere. 44. & Iosephum Antiquit. lib. 10. cap. 11.

HOMILIA CXXVII.

*Vastandam esse Ægyptum, & post 40. annos restituendam.*

8 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego adduco aduersum te gladium, & excidam ex te hominem & iumentum:

9 Eritque terra Misraim in desertum & solitudinem: & scient quod ego Iehouah, eo quod dixit, Fluuus meus est, & ego feci.

10 Idcirco ecce ego veniturus sum contra te, & ad flumina tua, daboque terram Misraim in solitudines solitudinis deserti, à turre Seueneh vsque ad terminum Chus.

11 Non transibit per eam pes hominis, neque pes iumentum transibit per eam, nec habitabitur quadraginta annis.

12 Daboque terram Misraim in desolationem in medio terrarum desolatarum, & vrbes eius in medio urbium destructarum, erunt in desolationem quadraginta annis, dispergamque Misraim in gentes, & ventilabo eas in terras.

13 Sic enim dixit Dominus Iehouah, In fine quadraginta annorum, congregabo Misraim de populis inter quos dispersi fuerint.

14 Et reducam captiuitatem Misraim, reducam inquam eos, in terram Pathros, in terram habitationis suæ: eruntque ibi regnum humile.

15 Præ aliis regnis erit humile, nec eleuabit se ultra super Gentes: imminuam enim eas, ne dominantur Gentibus.

16 Et non erit ultra domui Israel in confidentiam, quæ recordari facit iniquitatis, cum respexerint post eos: & scient quod ego Dominus Iehouah.



Hoc primum caput, primam & secundam prophetiam vel concionem Prophetæ, contra Ægyptios complectitur. In prima regi & eius subditis pœnam denunciatur, Ægyptum per Nabuchadonorem vastandam prædicens. Causas eius rei duas præcipuè ostendit: vnã quòd superbi fuerint, alteram quòd Israelitas ad perfidiam, nõ solum erga regem Babylonium, sed & ipsum Deum pellexerint. Antè allegorico sermone vsus est: nunc apertè & simpliciter, quid ipsis euenturum sit prædicat. Solet enim Deus quæ obscurè dixit, vel mox, vel alibi, apertius dicere. Christus quoque obscuras parabolas interpretatus est suis discipulis, quam rationem docendi perpetuò vult retineri in Ecclesia. Toto cœlo errant, qui vociferantur sacras Literas non explicandas esse: sed tantum verbatim recitandas.

Scripturas explicandas esse.

*Ecce ego adducam aduersus te gladium.* Quod antè dixit, se educturum hamo magnos pisces, & paruos, iam explicatur. Adduxit hostes contra ipsos, quibus illi spe victoriæ, deserentes suas munitiones, obuiam procedentes, cladem ingentem acceperunt. Deus potest homines excæcare, vt non videant, quid agendum sit. Superbia elatus aliis quoque opem pollicitus fuerat, iam experiètia didicit, quòd ne suam terram possit defendere.

*Excidam ex te hominem & iumentum.* In præliis occumbunt multi, in obsidionibus fame multi contabescunt: vrbes & castra & sæpe propter promiscuam hominum multitudinem inficiuntur cõtagiosis morbis. Equi occiduntur in præliis, laboribus & fame cõfecti pereunt, reliqua pecora iugulantur à militibus, vt postea pacatis rebus, agri non possint coli.

Ægyptus populosa & pecorosa fuit.

Abundauit autem hæc regio hominibus & pecoribus. Fœminis enim Ægypti eximiam prædicant fertilitatem esse, vt rarum non sit geminos, imò ternos & quaternos nasci. Galenus & Seneca scribunt aquam Nili fœcundas reddere mulieres, id quod thermis aliquot à medicis quoque tribuitur. *Eò quòd dixit, Fluvius meus est, & ego feci.* Iterum facit arrogantium illius verborum mentionem. Ægyptiis videtur nunc hoc tribuere, quod antè Regi: nam & illi non agnoscebant ingens hoc Dei beneficium quòd ex mera gratia fœcundabat arua eorum Nili irrigatione, sed sibi ipsis tribuebant. Etenim aggeres magno labore construxerant, quibus Nilum immodicè exundantem coercerent, sin autem Nilometræ indicassent, eum parcè venire, certatim nullis laboribus parcentes, aperiebant illos, vndamque per canales inuitabant & deriuabant. Deinde causam incrementi efficientem Nili non reiecerunt in diuinam virtutem, quæ princeps causa est, sed tantum in causas naturales. De Nilo Tibullus scribit:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,  
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

Propterea quòd certis anni temporibus exundans, imbris instar agris fertilitatem inducat. Pro hoc ingenti beneficio, Ægyptij quoque non videntur gratias Deo egisse, sed existimasse quòd ipso inuito hæc fierent. Pluuia naturales quidem suas causas habet, tamen nihilominus tempestiua à Deo petenda est, qui rectius, quàm olim Iupiter, ὄμβριος potest appellari.

*Dabo terram Ægypti in solitudinem solitudinis.* Hoc est, prorsus desolatam reddam. *in chorassolitus* vel ficitas. Puto Deum minari, quòd Nili accessu terra destituenda sit, vt sentiãt famem & intelligant se à Deo hanc fertilitatem habere. Sic Iosephi tempore, septem annis Ægyptus fame vexata fuit. *A turri Seuench, vsque ad terminũ Aethiopiæ.* Pro turri 70. habent Magdalo: in Heb. est Migdal: quidã Memphim intelligunt. Syene limes est Meridionalis Ægypti. D. Hierony. turris Syene, inquit, vsque hodie permanet, castrum (fortassis oppidum sic nominat)

Syene,

Romanæ

Romanæ ditioni subditum, vbi sunt Nili cataractæ, & vsque in quem locum de nostro mari nauigabilis est. Per Syenem & Aethiopicum limitem intelligit totam Aegyptum. Nam si vltimis partibus eius non parceretur, quid aliis erit expectandum? Olim, vt Strabo annotat, illa tantum terra Aegypti nomine censebatur, quam Nilus irrigare potuit, à Syene videlicet vsque ad Nili ostia. Quidam per Seuene, intelligunt locum inferioris Aegypti, vbi turris celebris extitit, quam nauigantes in mari obseruarunt. Theodoretus non de solitudine totius Aegypti interpretatur: sed de illa parte quæ à Syene, ad terminos Aethiopum procurrit. Modum vastationis subiicit.

*Non transibit per eam pes hominis.* In maximam vastitatem redigendam esse Aegyptum, hac phrasi ostendit. Lyranus talem loquutionem esse putat, vt cum dicimus, Nemo est in templo, hoc est, pauci.

*Dabo terram Aegypti in desolationem in medio terrarum desolataram.* Hoc est, interprete D. Hieronymo, Palæstinarum, Moabitarum, Idumæorum, aliarumque regionum. Tertio nunc in vastitatem redigendam dicit, vt quæ modò fertilissima erat, inculta & deserta futura sit. Magnam fuisse terræ illius fertilitatem, non solum frugum olerumque, sed etiam vini aliarumque rerum, à multis memoriæ proditum extat. Diony. Alexand. *λιπαρὴς πῆδον καὶ ὄβροτον* eam appellauit: Homerus ante ipsum *Ζείδωρον ἀρουραῖον*. Strabo ex Aristot. autoritate scribit, eam publicum olim orbis horreum dictam esse. Non imbribus (non enim pluere in Aegypto, id est, rarius scribunt) sed solo ferè limo vt supra annotaui, tam est fertilis. Cleomedes lib. i. incrementum ipsius præcipuè tribuit crebris imbribus in Aethiopia. In Genesi legimus, Israelitas cum sterilitate atque inopia laborarent, rei frumentariæ gratia in Aegyptum descendisse, multosque ex omnibus regionibus frumentarios illuc venisse.

Aegyptus  
fertilissima  
regio.

*Et vrbes eius, in medio urbium destructarum erunt in desolationem quadraginta annis.* Aegyptum maximis quondam & pluribus urbibus habitatam fuisse, omnes historiæ testantur, Tempore Amasis regis habuit urbium 20000. quarum præcipuæ fuerunt, Alexadria, Thebæ, Babylon, Memphis, &c. quas omnes horrendo modo vastandas esse prædicit.

Oppida multa  
habuit.

*Dispergamque Aegyptum in gentes, & ventilabo eos in terras.* Qui illo tempore, bello, fame, peste, aliisque morbis & casibus assumpti non sunt dispergentur in alias terras, distrahentur liberi à parentibus, fratres à fratribus, &c. *וַיִּפְּרֹץ* *sarah* spargere, sparsim abiicere, ventilare significat, vt fruges in area ventilantur.

Discimus ex his spectaculis Deum esse iustum vltorem scelerum, ideoque timendum, cauendum item esse ab illis, quæ tam seuerè vlciscitur, studendum sanctæ eius voluntati.

*In fine quadraginta annorum congregabo Aegyptum de populis inter quos dispersi fuerint.* In prima parte huius concionis, prædixit Aegypti desolationem & dispersionem: sequitur iam altera pars, de restitutione Aegyptiorum. Sæpe homines ita disperguntur, vt nunquam ad suas possessiones redeant: vt in irruptionibus Turcicis sæpe factum est: at Deus se reducturum Aegyptios in patriam pollicetur, exactis quadraginta annis. Quæ pars amplissimam consolationem continet. Ineffabilis enim est Dei clementia, quæ vulneratos rursus sanat. Sparsi erant in varias nationes, vt spes rebellionis & fugæ eis adimeretur: at Deus contra ipsorum, aliorumque expectationem, promittit, quòd captiuos & dispersos, non solum collecturus sit: sed etiam reducturus in suam patriam, ex qua propter ingentia peccata pulsi fuerunt ab ipso.

Deus colliget  
Aegyptios.

*Reducam eos in terram Pathros.* Multitudinem captiuorum in Aegyptum

Reducet eos  
in patriam.

reducendam vaticinatur. Pathros regio fuit, vt quidam volunt, inferioris Ægypti, cuius sequenti quoque cap. & Ierem. 44. fit mentio. Videtur pro tota Ægypto poni, nimirum quòd aliis locis fertilior fuerit: vel prædicit tãtam regni illius tenuitatem fore, vt in angusto loco se continere possint: hunc sensum sequitur Theodoretus.

Ægyptus  
pristinam  
dignitatem  
non assequetur.

*In terram habitationis suæ.* Quam antè incoluerūt: *Erunt ibi regnum humile.* Qualis eorum conditio futura sit, postquam fuerint restituti. Regnum eorum fore humile dicit: magnum quidem, sed non sui iuris fuit, nec pristinam potentiam recuperauit. Post Babylonios Cambyfes filius Cyri hoc regno potitus est. Verùm quum sub Dario Notho defecisset à Persis, Ochus Persarum rex illud iterū subegit. Postea Alexander Magnus in suam potestatem redactam, in Nomos plures, hoc est, præfecturas diuisit, quibus Nomarchas præfecit, vt si multarum auctoritate administraretur, minus rebus nouis studerent. Post Alexandri obitum, cum duces eius terras diuiderent, Ptolomæo Lagi filio præcipuo ex eius ducibus, Ægyptus cessit: à quo omnes postea Ægypti reges, Ptolomæi & Lagidæ dicti sunt vsque ad Cleopatram. Hanc postquam vnà cum Antonio Augustus vicisset, Ægyptum in prouinciæ formam redegit. Tandem inclinãte imperio, Saraceni totam occuparunt, qui reges Ægypti Sultanos vocant, vocabulo perinde omnibus (vt Vadianus in sua epitome dicit) communi, atque Pharoorum & Ptolomæorū antè fuit. Pelusium quod vulgò Damiatam vocant, & alia quædam Ægypti loca, Christiani sæpe ceperunt, postea vel certis conditionibus Sultanis reddiderūt vel aliàs amiserunt. Ex his intelligitur, hoc regnum, ad pristinam amplitudinem & maiestatem nunquam surrexisse: nam præfecti, vt multi ex illis assolent, præfertim Romani, exactionibus immodicis eos vexarunt. Planius repetit quòd dixit:

*Præ aliis regnis erit humile, nec eleuabit se ultra super gentes: imminuam enim eos ne dominantur gentibus.* Ægyptij aliis quoque dominati sunt. Plinius scribit eos Æthiopicis & Syris imperitasse. Rex Nechao post cæsum in bello Iosiam, Iudæam in suam potestatem redegit, Ioachaz filiū Iosia captiuum abduxit, & Ioachim eum ei furrogauit.

*Et non erit deinceps domui Israel in confidentiam, sed ad memoriam reuocabit iniquitatem, cum respexerint post eos.* Hoc est, Res Ægyptiorum non tam florentes & foelices erunt, vt postea Israelitæ cupiant se eis coniungere, quorum res tam accisas esse videbunt. Libenter enim nos coniungimus illis, quorum eximia est potentia & opulentia. *Ευτυχία πολύφιλος* foeliciū multi sunt amici, dicunt Græci. Item *τῶν ἐν τυχύντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς*, foeliciū omnes sunt cognati. Vide Erasmi prouerbium, Ad foelicem parietem inflectere.

Foelices amicis abundant.

Status eorum non parum à priore mutatus, Israelitis in memoriam reuocabit, quomodo fidem datam regi Nabuchadonosori sefellerint, freti armis Ægyptiorum, quos ob hoc, quòd sollicitarint eos ad defectionē, iam vident deterius habere, quàm antè, & vix se ipsos posse defendere. Alij ita intelligunt: Israelitæ deinceps non ponent in Ægypto spem & fiduciam suam, quæ reducit in memoriam iniquitatem: hoc est, quæ causã est vt Deus aliorum scelerum ab Israelitis paratorum sit memor, qui ab ipso defectione facta spem suam in Ægyptiis collocarunt.

Solet Deus interdum tota regna, oppida, principes, & priuatos quoque homines, aliquot donis spoliare, ne efferantur, & ne aliis sint authores peccandi. Multi Deo non agunt gratias, pro eximiis quæ ab eo acceperunt donis, donec illis spoliati videant quàm bene antea res ipsorum habuerint. Sæpe querimur de nostra conditione, postea videre incipimus, quàm ingrati fuerimus Deo,  
rebus



rebus nostris in deterius vergentibus. Conferenda semper est nostra conditio, non cum illis qui melius, sed qui peius habent. Gallinis ne auolent, pennæ maiores auelluntur, vel inciduntur: ita Deus nobis quoque, ne efferamur, opes, sanitatem, cognatos adimit, & nobis immittit, quæ nobis plurimum dolent. Sed hæc obiter.

De reductione Ægyptiorum ex captiuitate, Ieremias 46. cap. vaticinatus est. Item Esaias 19. multa habet, quæ ad spiritualem per Christum factâ magis, quàm ad externam illam pertinent. Christus adhuc puer, vt Herodis crudelitati subduceretur in Ægyptum translatus fuit. Postea fidem Christianam multi ibi prædicarunt. Marcum Euangelistam vetusti patres Petro Romæ familiarem fuisse indicant, ibidem Euangelium conscripsisse, quo assumpto in Ægyptum profectum, Alexandrinam Ecclesiam condidisse, vicinâque regiones ad fidem Christianam conuertisse. Ægyptum celebres Ecclesias habuisse, multi martyres sanguine suo propter Christum effuso, testati sunt. Ex Thebaica Ægypti, fuisse Felicem & Regulam, qui Tiguri Euangelium doctrina sua & sanguine primi plantarunt, circa annum 306. à nato Christo, imperantibus Diocletiano & Maximiano, domesticæ historiæ testantur. Ex hac liberatione tam corporali, quàm spiritali, colligitur quàm clemens & misericors sit Dominus. Quales enim fuerint Ægyptij, cum ex prophanis, tum ex sacris scriptoribus apparet. Fuerunt supra quàm dici potest, superstitiosi, coluerunt Serapidem, & infinitos alios deos, etiam quos pudet in sacro cœtu nominare: odio prosequuti sunt Hebræos, quòd vnicum Deum colerent: Deus tamen propter atrocità scelera ad captiuitatem abductos reduxit: lucem Euangelij sui inter eos sicut & inter alias gentes, accendit: quid igitur de Deo nostro, quantumuis peccatores, non speremus: Confugiamus ad tam clemetem & benignum patrem, in omnibus nostris ærumnis. *Et scient quòd ego Dominus Iehouah.* Tertio iam dixit Ægyptios cognituros quòd Deus Israelis, sit verus Deus. Ipsi sit gloria in perpetuum.

De restitu-  
tione Ægyptio-  
rum,

Thebaica le-  
gio.



## Concio vigesimatertia

EZECHIELIS.

HOMILIA CXXVIII.

*I Ægyptum mercedis loco Nabuchadonofori eiusque militibus dandam pro exantlatis tot laboribus, in obsidione & expugnatione Tyri.*

17 Et fuit vicesimo septimo anno, primo mense, prima die mensis, fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

18 Fili hominis, Nebuchadresar rex Babel, seruire fecit exercitum suum seruitutem magnam aduersus Sôr: omne caput decaluatum est, & omnis humerus depilatus.

L.iii.

est: merces autem non fuit ei, & exercitui eius de Sor. pro seruitute quam seruiuit aduersus eam.

19 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego do Nebuchadresar regi Babel terram Misraim, & accipiet multitudinem eius, & spoliabit spolia eius, & prædabitur prædam eius.

20 Propter opus eius quo seruiuit in ea, dedi ei terram Misraim, quia malum fecerunt contra me, dixit Dominus Iehouah.

21 In die illa germinare faciam cornu domui Israel: & tibi dabo apertionem oris, in medio eorum: & scient quòd ego Iehouah.

**I**N secunda huius capituli parte continetur CONCIO secunda contra Ægyptios, & sexta contra gentes, ordine verò XXXI. Breuis quidem est, sed rem maximam continet. Idem enim in hac prædicit Vates, quod in superiore, nisi quòd expressius dicit, à Nabuchadonofore Ægyptum vastandam, causamque illam assignat, vt infiniti sumptus quos fecit in expugnanda Tyro, ei reddantur, & militibus persoluantur stipendia. In fine capituli concionatur de restitutione Israelis. Principiò tempus indicatur, quo hæc concio habitata fuit à Propheta.

Primus mensis.

Et fuit vicesimo septimo anno, primo mense, primo die mensis. Primus mensis Abib dicitur & Nisan: qui vt Beda annotat, propter multiuagum lunæ discursum, nunc in Martium mensẽ, nunc incidit in Aprilem, nunc aliquot dies Maij mensis occupat: sed rectius Aprili deputatur, quia semper in ipso vel incipit, vel desinit, vel totus includitur. Annos verò illos 27. quidam à captiuitate Iechoniæ numerandos putant, Hebræi verò à principio regni Nabuchadonoforis, quãdo iam Tyrus fuit euerfa: Theodoretus à capta Tyro.

Vltima concio Prophetæ.

Vltima hæc est concio Ezechielis, etsi enim aliæ sequuntur, tamen vt temporis notatio ostendit, ante hanc habitæ sunt. Visionem extremo loco positam, 25. anno dicitur habuisse: ponitur autem hoc loco, quia coniungit illas, quæ contra Ægyptios habitæ sunt, licet diuersis habitæ sint temporibus, teste Hieronymo. Quia verò nouissima est oratio, ideo diligentius est perpendenda, eò quòd sit veluti cygnea cantio Prophetæ. *Seruire fecit exercitum suum seruitutem magnam aduersus Tyrum: omne caput decalatum est, & omnis humerus depilatus est.* Dicit regem Nabuchadonoforem exercitum suum in obsidione Tyri valde fatigasse, ita vt capitis & humerorum pili eis defluerint. *Das hinen hut vnd haar syge abgangen.* Deferebant enim ligna & lapides in obsidione, quæ diu durauit, vt continenti eam iungerent, à qua distabat 700. passus vel orgyas. Curtius scribit ab Alexandro quoque eodem modo continenti adiunctum esse: probabile enim est, partim alluione fluctuum, partim ab ipsis incolis vrbis, aggerem Nabuchadonoforis ruptum fuisse. Tradit autem, Tyrios risisse milites quòd sarcinas gestarent, remque impossibilem perficere conarentur.

Babylonij maximos labores perierunt in obsidione Tyri.

Babylonij obediuerunt suo principi.

Milites suis ducibus obediunt.

Colligimus ex hoc loco, quàm obediens Babylonij fuerint suo principi: etsi enim princeps ipsorum dura eis imperaret, tamen obediunt ei. Cogitent hodie subditi, mandatis principum, quantumuis duris, parendum esse, modò verbo Dei non aduersentur. Peccant principes, si suorum opera abutuntur, rectè autem faciunt subditi, si propter Dei mandatum, durissima quæq; perferant. Seruilia bella quibus iugum excutere conati sunt, non leguntur habuisse exitum fœlicem. Præcipuè verò si bellum iustum suscipitur à magistratu, obedientia militum est necessaria: nisi enim milites ducibus belli obediunt, nihil præclari geritur. Romani

Romani seueritate disciplinae militaris, effecerunt ut obsequentes haberent milites: inobedientibus enim, quicumque essent, non parcebant, decimabant interdum totas legiones. Scipio rogatus, quare fretus in Africam nauigare auderet contra hostes Romanis tam infestos & tam potentes, respondit, se trecentos habere armatos viros, quos si iuberet turrim, quae mari imminebat, conscendere, & sese deicere, nullum esse qui hoc non facturum esset. Quin in Euangelio Matth. 8. Centurio dicit ad Christum: Ecce homo sum sub alterius potestate, & habeo sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit, Veni, & venit, & illi, Fac hoc & facit. Valerius Maximus scribit obedientiam hanc militarem, Romanis peperisse regimen tot urbium & regnorum. Cyrus apud Xenoph. lib. 2. de expeditione Cyri dicit, quod oporteat militem magis metuere Imperatorem belli, quam ipsum hostem. Obedientiam vero facilius impetrabunt duces, si illis virtutibus diligenter studeant, quae ab Imperatore belli requiri, vel ipsi gentiles ostendunt. Quia vero magistratui & ducibus paremus, & in illorum gratiam, grauiam quaeque perferimus, quanto magis summo Monarchae & duci nostro Deo parendum est, inque ipsius gratiam suscipiendi sunt grauissimi labores, vita denique profundenda? Deus enim quaecumque ipsius causa amittimus, magno foenore rependit. Est autem Deo simpliciter in omnibus parendum: eius enim potestas non est limitata.

Deo summo duci & principi obedendum.

*Merces autem non fuit ei, neque exercitui eius de Tyro.* Dicit Babylonios pro laboribus suis, & sumptibus quos impenderunt in expugnatione Tyri mercedem sufficientem non reportasse de opibus eius. Credibile enim est Tyrios, cum traherentur obsidio, opes suas nauibus impositas, in insulas vicinas, vel etiam Carthaginem, quae Tyrum semper matrem agnouit, transtulisse, cumque urbem retineri posse desperarent, ut Lyranus annotat, res preciosas in mare proiecisse, ne in hostium manus venirent. Similia enim de multis aliis urbibus prodiderunt historici. Adhaec, etsi amplissimas opes inuenerunt, tamen non responderunt sumptibus, quos Rex in obsidione diuturna, maximos fecerat, & laboribus, quos durissimos milites exantlarant. *Pro seruitute quam seruiuit mihi aduersus eum.* hoc est, pro labore, quem mea causa impendit, in obsidione & expugnatione urbis.

Babylonius rex eiusque milites, non requirunt mercedem pro suis illis laboribus.

*Ecce ego do Nabuchadrasar terram Aegypti.* Victoria non est fortuita: sed Dei donum, nemo putet bellicas res à caeca fortuna sursum deorsumque volui, Deo procurante Vincimus vel vincimur, de quo saepe dictum est. Confert autem saepe numero pessimis certas ob causas splendidas victorias. *Accipiet multitudinem eius,* hoc est, promiscuam plebem, quin nobiles quoque in seruitutem trahet: eorum opera seruili ad varia ministeria utetur, eos distrahet, ut hodie Turcae solent, & ut nos pecora vendimus. Alij per multitudinem opes intelligunt *מון hamon* cuiuslibet rei multitudinem significat & copiam, item strepitum quem multitudo facit. Ponitur etiam pro diuitiis: repetitur haec vox 30. capite, versu 4. *Spoliabit spolia, & depraedabitur praedam.* Spolium Seruius dicit, esse exuuias, & quodcumque hostibus detrahitur. Gellius lib. 13. praedam proprie, corpora ipsa rerum esse dicit, quae capta sunt. Varro praedam à pariendo deriuat, quasi parida, quod manu parta sit. *שחלל* spoliium: *באף* & *בישא* praedam interpretantur, sed vtraque vox, hominum, pecorum, auri, argenti rerumque omnium direptionem comprehendit. Iusta autem Dei sunt iudicia ut qui rapiendo & praedando aliis fuerunt molesti, tandem ipsi quoque praeda fiant: qui opes iniuste collegerunt, eas amittant: qui ut alios fallerent vna breuiore vsi sunt, videant milites hostes pannos metiri. *Erit merces exercitui.* Milites ex manubiis, spoliis, rapinis, locupletati sunt. Aegyptus enim vrbes multas, illasque opulentissimas habuit, quas Deus diripiendas milibus concessit. *Propter opus eius quo seruiuit in ea, dedi ei terram Aegypti.* Quia nulli labori pepercit, ut Tyrum euerteret, Aegyptum ei tradidi.

Deus dedit Babylonis Aegyptum diripiendam.

Spolium & praeda.

Deus etiam  
non renato  
rum opera  
remunerat.

Deus infidelibus quoque mercedem rependit pro aliquibus operibus. Ita Iehu Israelitarum regi rependit, quod impiam Achabi sobolem extinxit, Baalis templum euerit, sacerdotisque Baaliticos iugulauit: dixit enim Dominus ad Iehu: Quoniam diligentissime fecisti quod rectum est in oculis meis, & iuxta omnia quæ erant in corde meo, quia inquam, hæc fecisti domui Achab, en sedebunt tibi filij super solium Israelis, in quartam vsque generationem. Quodque ei promissit re ipsa præstitit: successit enim ei in regno filius eius Ioachaz, huic Ioas pronepos eius, huic Ieroboam abnepos eius, huic Zacharias trinepos eius, qui quartus fuit à Iehu: hunc Sellum occidit, & ad se regnum transtulit. Iehu malus quidem fuit, imitatus enim est ipse quoque exemplum Ieroboami, tamen quia fortissime se gessit in idololatria & impia prosapia Achabi delenda, Deus mercedem temporalem ei rependit. Romanorum quoque ciuiles virtutes cõpensauit mercede excellentissimi imperij. Non autem inde inferendum est, veras illas virtutes fuisse, aut Deum peccata remunerasse. Nabuchadonosoris & militum suorũ opus, ideo Deo placuit, quod per eos orbem pœnis afficere voluit, quoad tamen actiones istæ dimanabant ab impiis animis, & peccata erant, & Deo odiosæ: idem de alijs dici potest. Videmus enim monarchias instar virgæ, qua pueros castigauimus, à Deo fuisse euerfas & in ignem esse coniectas. Hac de re quædam disputantur ab August. de Ciuitate Dei lib. 5. cap. 15. Plenissime autem, quomodo impiorum opera mercedem mereantur, disputauit D. Petrus Martyr Vermilius in suis commẽ. in 1. ad Cor. 2. cap. ad Romanos 7. cap. in lib. 2. Regum cap. 2. & alibi, ad quæ loca diligentem lectorem remitto. Addendum est his, quod cum Dominus tam liberalis sit in remunerandis illis, qui vtcunque suos labores illi impenderunt, quàm munificus erit in illos, qui constanter & vera fide ipsi seruiunt? Nõ autem ideo quod Deus mercedem dat pijs, statuendum esse meritum à multis eruditè est explicatum. Sua dona dicit August. in nobis coronat. Discimus præterea exemplo Dei, qui assiduo labore in euerfione Tyri fatigatis, temporariam mercedem dedit, ne mercedem negemus illis, aut malignè demus, quibus duros labores imponimus. Numeratur inter peccata clamantia, si quis debita mercede mercenarium fraudet, Iacobi 5. &c.

Deus repen  
dit fidelibus  
mercedem.

De restitu  
tione Israe  
lis.

Cornu.

*Quia malum fecerunt contra me.* Munsterus vertit: *Eò quod mihi operati sunt*, refert enim ad Babylonios, alter ad Tyrios. *In illa die germinare faciam cornu domui Israel.* In altera parte, secundi huius sermonis contra Aegyptios, consolationem affert, tum temporis, quando Aegyptus vastabitur, robur & fœlicitatem Israeli restituendam. Per cornu enim, in sacris Literis, potentia, robur, fœlicitas, libertas, gloria & regnum intelligitur. Metaphora ducta à brutis animantibus, quæ cornibus armantur, iisque pugnant. Anna mater Samuelis, dicit in suo cantico. 1. Sam. 2. capite. Exultauit cor meum, exaltatum est cornu meum, dilatatum est os meum. Psal. 75. Omnia cornua impiorum confringam, exaltabuntur verò cornua iusti. Iere. in Thre. 2. capite: Confregit in irâ furore omne cornu Israel. Zacharias pater Ioannis Baptistæ Lucæ 1. c. in suo cantico dicit: Deus erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: loquitur de regno Christi, quod est regnum salutis. Antichristi quoque regnum, in Daniele per paruum cornu significatur.

Si cum his conferas historias, inuenies Dan. 2. Regem Nabuchadonorem anno secundo regni sui, hoc est, monarchiæ, vel Aegyptiacæ vastitatis, vt Hier. exponit, habuisse somnium de successione monarchiarum, quod cum Daniel Regi in mentem reduxisset, & interpretatus esset, Rex egregiam confessionem edidit de Deo Israelis, itaque Danielem eiusque socios summæ rerum præfecit: id quod ad consolationem captiuorum Iudæorum, non parum momenti habuit: dignitas enim atque maiestas illorum virorum, ipsis quoque profuit: atque sic cornu illud exaltatum videtur in ipsa captiuitate.

Quamquam

Quamquam postea multa iterum perferenda fuerunt : magis postea hoc cornu creuit cum libertatem in patriam redeundi à Cyro accepissent. Plenissime autem Deus Israelis cornu in Messia postea partim erexit , partim nouissimo die eriget.

*Et tibi dabo apertionem oris in medio eorum.* Tunc cum Ægyptus occupabitur, omnesque aliæ gentes superabuntur à Nabuchadonofore , libertatem loquendi tibi concedam. Ieremias dissuaserat eis, ne in Ægyptum cæso Godolia descenderent, illi ipsum quoque Ieremiam remittentem, secum rapiunt : qui cum constanter peccata eis exprobraret, per Nabuchadonoforem, contra quem perfidè agerent, & ipsos, & hospites ipsorum, abducendos vaticinaretur , locumque designaret, in quo Nabuchadono. positurus esset tribunal suum : illi mendacij eum arguentes, lapidibus obruerunt , vt veteres Patres annotarunt. Non enim possunt homines, æqua mente reprehenses ferre, & pœnas comminantes. Ezechieli quoque Iudæi, in primis verò pseudoprophetæ molesti fuerunt , accusantes eum mendacij, prohibentes eum futura prædicere. Credendum est Prophetam , non parum minis, & aliis id genus fuisse commotum , neque sine metu futura prædixisset , cū autem omnia ad amissim essent impleta, & re ipsa pseudoprophetæ mendacij conuicti maiore libertate repetere superiora, & futura prædicere potuit, nemine ita vt prius resistente. Euentus docuit quisnam vera vel falsa prædixisset. *Es dorffte ein biderman vvideremb reden.* Hodie quoque pereuntibus impiis, regnum Dei exaltatur, & prædicatio verbi Dei, libertas procedit.



# Concio vigesimaquarta

## EZECHIELIS.

HOMILIA CXXIX.

*I Ægypti, eorumque socios atque fœderatos,  
à Nabuchadonofore perdendos  
vaticinatur.*

CAPVT XXX.

- 1 **F**uit verbum Iehouæ ad me, dicendo:
- 2 Fili hominis, propheta, & dic, Sic dixit Dominus Iehouab,  
vlulate dicentes, Væ diei.
- 3 Quia propè est dies, propè inquam, est dies Domini, dies  
nubis: & tempus Gentium erit.
- 4 Venietque gladius in Misraim, & erit dolor in Chus, quum ceciderint vulne-

rati in Misraim: & tollent multitudinem eius, & destruentur fundamenta eius.

5 Chus, & Put, & Lud, & omne vulgus, & Chub, & filij terræ fœderis, cum eis gladio cadent.

6 Sic dixit Dominus Iehouah, Cadent fulcientes Misraim, & descendet superbia fortitudinis eius: à turri Seneneh gladio cadent in ea, dixit Dominus Iehouah:

7 Et desolabuntur in medio terrarum desolataram, & vrbes eius in medio vrbiū desertarum erunt.

8 Et scient quòd ego Iehouah, quum dederò ignem in Misraim, & attriti fuerint omnes auxiliares eius.

9 In die illa egredientur nuntij à facie meà in nauibus, ad terrendum Chus habitantem confidenter: eritque dolor in eis, sicut in die Misraim: quia ecce venit tempus viuificationis eorum.

Sūma huius orationis.

Partes.

vsus.



N priore parte huius capituli, continetur tertia **CONCIO** contra Ægyptum, quæ contra gentes est septima, & ordine **xxiiii**. Est autem eiusdem argumenti cum superioribus, nempe vastandam esse Ægyptum, vberius tamen, clarius, & per partes, hanc cladem, in hoc sermone explicat, addēs vicinos quoque & fœderatos ipsorum, in quos sperabant, superandos esse. Partes enim habet duas, in priore communiter contra Ægyptios, eorūque socios atque fœderatos agit: in posteriore separatim contra Ægyptios. Non autem existimādum est, hæc quæ Ægypto, aliisque gentibus acciderunt, quæque Propheta de bellis, præliis, obsidionibus, oppugnationibus, expugnationibus, direptionibus & incendiis vrbiū vaticinatur, ad nos nihil pertinere. Hæc enim & alia in nostram vtilitatem scripta esse, Paulus testatur ad Rom. 15. & 2. Timoth. 3. Vult Deus, vt cum audimus vrbes & regiones vastatas esse, causas illius rei inquiramus, nobisque ab eis caueamus, ne eadē nos mala experiri oporteat. Præstat nos corrigere, quæ corrigenda sunt, quàm attrahere alios nostris peccatis, qui magno nostro malo id faciant. Quæ illis acciderunt, hodie quoque, & nobis & aliis facile possunt accidere. Propheta præmissō suo more, exordiolo, per apostrophen sermonem conuertit ad Ægyptios: *Vlulate*. Lamentari ac lugere eos iubens, ostendit quid occupato regno futurum sit, vagantibus Babyloniis hinc inde: vt antea rebus saluis omnia resonabant cantu, & musicis instrumentis, ita nunc vlulatus audientur. *Va diei*. Dicent ò diem miserandam. *ach des ellenden klaglichen tags: das ens gott den tag hatt lassen erlaben*. Maximas miserias ostendit præ foribus esse. *Quia propè est dies, propè est dies Domini*. Sicut Iudæi, vel non venturum diem vindictæ putarunt, vel diu protrahendum, ita Ægyptij quoque vana spe seipsos decipiebant. Bis itaque dicit hunc diem accelerare.

Dies Domini.

Dies Domini in Scripturis, non solum accipitur pro nouissimo die, quo Christus iudicaturus est viuos & mortuos: sed pro quocūque, quo Deus pœnas sumit, tam de multis, quàm de paucis, vel quo venit ad liberandum suos fideles. Sensus est appropinquasse diem, vel tempus vindictæ, quam de illis iusto iudicio sumpturus sit. Hostes enim non venissent, nisi Deus eos adduxisset. *Dies nubis*. Per diem nubilum, intelligit diem lugubrem: tenebræ enim in Scripturis passim significant tristitiam, ærum nas, &c. Gentes quoque per nubila tempora, aduersitates significasse, intelligitur ex hoc versu Ouidij:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Si cælum

Si cælum sit turbidum, expectatur magna tempestas. *Tempus gentium erit*, hoc est, quo multæ nationes venient, aut Ægyptum occupent, atque populètur. Multas enim gentes Nabuchadonosor secum in militiam traxit. Theodoretus per tempus gentium, supplicium gentibus illatum intelligit: non enim Dei populus tantum his malis affectus est. *Veniet gladius in Ægyptum*, hoc est, bellum Ægypto inferetur, à Babyloniis. *Et erit paucior in Æthiopia, cū ceciderit interfectus vel vulneratus in Ægypto.* Æthiopes, qui ad Meridiem attingunt Ægyptios, audientes vicinorum suorum, præcipuè regis, miserabilem stragem, consternabuntur, & solliciti erunt, ne eadem patiantur. Argumentum enim est, nõ solum magnæ leuitatis, sed & deploratæ cæcitatatis, si homines vicinorum cladibus non moueantur, si vices rerum non considerent, præcipuè si sit publica causa. Quid si ardente vicini domo, ipsi indulgeant genio, & lætitia exultet? *Destruentur fundamenta eius.* Vrbes domus munitiones, arces in excelsis rupibus, funditus excidentur. Hæc enim fieri in bellis, ruderæ oppidorum & arcium, hinc inde ostendunt. *Chus & Puth & Luth & omne vulgus & Chub, & filij terræ fœderis cum eis gladio cadent.* Non solum Ægyptios, sed & vicinos, atque fœderatos, vel *συμμάχους* ipsorum, perdendos dicit. Tribuebant multum fœderatis, & fociis suis, sed re ipsa didicerunt quàm noxium sit spem in homines collocare. Fœdera, præsertim cum vicinis, ferire non semper est vituperandum: sed plus tribuere fœderatis quàm Deo, ipsorumque vitii paulatim assuefcere. Chus interpretatur Æthiopes, Puth Libyes, Luth Lydos, per vulgus promiscuum intelligunt illos, qui ex variis populis confluerunt, Chub quidam Arabas, Septuaginta Hispanos: quod ideo facilius admitto, quod Strabo 15. refert Nabuchadonosorem in Hispaniam vsque penetrasse. *Fily terræ fœderis*, hoc est, qui fœdus inierunt cum hac terra, nempe Ægyptio, de hoc magno fœdere iam sæpe dictum est. Lyranus per terram fœderis intelligit Iudæam, quam Deus, inito cum Abrahamo fœdere, posteris ipsius promisit, Gen. 15. Quæ interpretatio huic loco non malè congruit, Iudæi enim cæso Godolia profugerunt in Ægyptum, vt tuti essent cõtra Nabuchadonosorem, qui subacta Ægypto, eos partim cecidit, partim in captiuitatem abduxit, Ier. 43. capite. *Cadent fulcres Ægyptum*, hoc est, Ægyptiorum fœderati (idem enim aliis atque aliis verbis repetunt Prophetæ) vel qui aliàs eis bene volunt, interibunt. Ego malo de Diis tutelariis ipsorum interpretari. Apim & alios coluerunt, qui rebus aduersis eis nihil profuerunt: postea enim se idola destructurum repetet. Habuerunt Christiani, imitati in hoc Gentiles, suos quoque deos tutelares, vel patronos, vt vocant, qui præfuerunt totis prouinciis, singulis ciuitatibus, hominibus, & humani corporis partibus. In domesticis historiis sæpe legitur, Deos tutelares defendisse suas ciuitates, victoriam suis cultoribus & ciuibus, contulisse, & alia id genus. Simulachris nomen ipsorum deorum tutelarium communicatur. De Cambyse scribit Herodotus, quod & ipse Ægyptum ad Æthiopiam vsque vastarit, Apim interfecerit, & omnia eorum idola deleuerit. Ideo scribit Hiero. in 29. cap. quosdam dicere, quod sub illo hæc prophetia fuerit impleta. *Descendet superbia fortitudinis eius.* Corruit superbia, pereuntibus illis, quorum ope se ex quibuscũq; periculis emeruros sperabant. *A turre Senene gladio cadent.* Hanc turrin diximus, in extremis finibus Ægypti sitam esse. Sept. à Magdalo vsque Syenem. Hostes totam Ægyptum peruagatos innuit. Nam in interiorem Ægyptum, non nisi captis aliis partibus, penetrare potuit. *Desolabuntur in medio terrarum desolataram.* Idem eis accidet, quod aliis vr-bibus & terris iam vastatis. Eadem dixit 12. versu cap. 29. *Cum dederò ignem in Ægypto*, hoc est, cùm bellum arserit. Sacræ literæ per ignem sæpe intelligunt afflictiones, quod cùm non obseruent sacrificuli multa loca ad purgatorij defensionem perperam detorquent. *Et scient quod ego Iehouah.* Non est perissologia, repetitur cum fructu. Non antè credimus minis Dei, quàm malum acceperimus. Sicut pue-

Consternati  
Æthiopes.

Dij tutela-  
res.

ri non antè credunt se virgis cædendos, quàm re ipsa id sentiant. *In die illa egredientur nuncij à facie mea in nauibus ad terrendum Aethiopiam confidenter.* Non est sensus quòd Deus missurus sit nuntios, ex quibus intellecturi sint, quò in statu sint res Ægyptiorum, sed quòd missurus sit milites nauibus ad eos, qui eos non minus affligant, quàm Ægyptios. Ad cataractas vsque, iuxta quas Syene existit, Nilus nauigari potest: supra illas indubiè iterum est nauigabilis. Scribunt eum tam placidum esse, vt secundo & aduerso amne commoda sit nauigatio. Alij per mare eos putant in Aethiopiam nauigasse. *Confidenter.* Quidam ad milites referunt, quòd rem confidenter gesturi sint, certam sibi promittentes victoriam, supra enim 4. versu dixit, Erit dolor vel pavor in Chus, vnde apparet eos non omnino securos fuisse, cum audissent Ægyptum armis vexari. *Quia ecce venit,* scilicet dies vindiçtæ vel hostilis exercitus. Idem nobis perpetuò cogitandum est, licet Deus non sumat poenas de tota gente, vel toto oppido, aut singulis hominibus, tamen appropinquat vniuersale iudicium, appropinquat fatalis hora, quamobrem est vigilandum orandumque sedulo, vt Deus nos suo Spiritu instruat & gubernet, ne officio nostro desimus.

## HOMILIA CXXX.

*In secunda parte huius orationis, separatim de Ægyptiis agit, regnum eorum vastandum esse prædicens.*

10 Sic dixit Dominus Iehouah, Et cessare faciam multitudinem Misraim per manum Nebuchadresar regis Babel.

11 Ipse & populus eius cum eo, fortissimi Gentium adducentur ad disperdendum terram: euaginabuntque gladios suos super Misraim, & implebunt terram interfectis.

12 Et ponam flumina in siccitatem, & vendam terram in manu malorum, & dissipabo terram, & plenitudinem eius, per manum alienigenarum: ego Iehouah loquutus sum.

13 Sic dixit Dominus Iehouah, Et perdam simulachra & cessare faciam idola de Noph, & dux de terra Misraim non erit vltra, dabóque timorem in terra Misraim.

14 Et desolabo Pathros, dabóque ignem in Soan, & faciam iudicia in No.

15 Et effundam iram meam super Sin robur Misraim, & succidam multitudinem No.

16 Et dabo ignem in Misraim, dolendo dolebit Sin, & No erit vt scindatur, & ipsi Noph venient angustia interdiu.

17 Iuuenes Auen & Phibeseth gladio cadent, & illæ in captiuitatem ibunt.

18 Porro in Tehaphnehés prohibebit dies lucem suam, dum contriuero ibi veteres Misraim, & cessabit in ea superbia fortitudinis suæ: ipsam nubes operiet, & habitatores villarum eius in captiuitatem ibunt.

19 Faciamque iudicia in Misraim, & scient quòd ego Iehouah.

Pergit





Ergit in descriptione pœnarum, quæ peculiariter sumendæ sint de Ægyptiis. Quod antè dixit, gladium contra eos euaginandum, & ignem eis immittendum, iam clarius exprimit, & præcipuas ciuitates nominat, quæ inflammandæ & euertendæ sint.

*Cessare faciam multitudinem Ægypti.* *ἰσθῆμον* & multitudinem hominum, & strepitum significare, quem multitudo edit, perinde vt ὄχλος apud Græcos, supra annotaui. Ægyptus fertilis ideoque populosa fuit: minatur Deus, se non tantum velle minuere illam multitudinem, sed prorsus tollere. Hominum copia, est bonitatis diuinæ argumentum. Deus Abrahamo promittit sobolem instar stellarum cœli, & arenæ maris: Moses Deuter. i. capite, auctos esse Israelitas instar stellarum dicit, & precatur vt Deus pergat eos auerre. Multi existimant hominum copiam, irati Dei esse argumentum: hinc enim nasci rerum caritatem, at Deo perinde esset multos & paucos alere, si nos nostro officio non deessemus. Luxuria nostra facit, vt necessaria nobis defint.

Multitudo hominū est Dei bene-dictio.

Olim multi in vna domo vixerunt, iam quisque suam domum habere vult, & sumptuose viuere, postea queruntur de hominum copia. Hinc fit, vt Deus peste, bellis, seditionibus, vrbes & regiones exhauriat, nostramque ingratitude vlciscatur. Ita hoc loco dicit, Deinceps non erit illa multitudo, nullus audietur strepitus turbarum.

*Ipsi & populus eius cum eo, fortissimi gentium adducentur ad disperdendam terram.* Alii reddunt, *Tyranni gentium.* Rex cum multis nationibus veniet. Quando magnæ copię regionem amicorum ingrediuntur, non fit absque maleficio, quid si hostilem? Omnia longè latè que vastantur. Quid fit, si sint crudeles & tyranni? Dicit autem adducendos, nimirum à Deo. *Implebunt terram interfectis.* Sanguine & cædibus terram complebunt: iacebunt passim trunca & magnis vulneribus confecta cadauera.

*Ponam flumina in siccitatem.* Vel minatur accessu Nili destituendam Ægyptum, ne temere eum inundare arbitrentur: vel Nili *ἰσθῆμον* (vt Hieron. vocat) magnis laboribus & impensis factos rumpendos, aut etiam aggere complendos esse, vt equites & pedites possint commodius iter facere. Graues in eos qui *χόματα*, hoc est, aggeres Nili rupissent, vel violassent, pœnas olim sancitas fuisse legimus.

*Vendam terram in manu malorum,* hoc est, Tradam eam malis: nemini quidem Deus Ægyptum vendidit, sed hæc phrasis plus significat, quàm si dixisset, Tradam eam malis: illa enim que vendimus, iure transeunt in alienam potestatem. Fuerant hæc domini Ægypti, iam amittent suum ius & dominium, iure belli aliis hæc terra cedit. Leuius autè ferimus, si terras nostras, agros, domos boni viri occupent.

*Dissepabo terram & plenitudinem eius, per manum alienarum.* Peregrini homines terram vastabunt, prædas agent, quicquid in ea est, exhaurient. Id in bellis frequenter accidit, vt omnia bona mobilia milites auferant, ne clauum in pariete relinquunt, ex quo pileum suspendere possis.

*Perdam simulachra & cessare faciam idola de Noph.* *עֲלִילִים* *alilim* idola, à vanitate & stultitia sic dicta. Nihil enim sunt, neque vllam vtilitatem afferre, aut damnum dare nobis possunt. i. Cor. 8. idolū dicit nihil esse. Ægyptios superasse superstitione alias gentes, alibi diximus: minatur itaque Deus, qui idololatriam execratur, destruenda esse ipsorum idola. Peculiariter autè meminit idolorum Noph. Noph alio nomine dicitur Mēphis, & est clarissima vrbs Ægypti, quā

Memphis

M. i.

Cur Israelitæ vitulum conflatilem fecerint.

reges relictis Thebis, teste Diodoro lib. 2. regiam sibi delegerunt: hodie Alcayrum vocant: loco opportuno sita esse scribitur, vbi Nilus in plures partes scinditur, formamque Deltae efficit. In hac vrbe, bos Apis in septo cultus est: vide Plinium lib. 8. capite 46. Strabonem libro vltimo: August. De ciuitate Dei lib. 18. cap. 5. Apud Nazianzenum, Memphis *ἄγρια*, hoc est, insana dicitur propter cultus idololatricos. Israelitæ hoc idololatriæ genus, ab Ægyptiis accepisse videntur, nam vitula aurei effigiem sibi colendam proposuerunt. Ambrosius in epist. ad Rom. scribit, Hieroboam hunc Apim fuisse imitatum cum vaccas institueret, 1. Regum 12. capite. Hodie multis in locis idola à Turcis delentur, iusto Dei iudicio.

Deus terrorem incurrit hominibus

*Dux de terra Aegypti non erit ultra.* Longo tempore nullos habuit reges, postea Macedones, Romani, Sarraceni eis imperarunt, aut siquos habuerunt reges, non stabile neque diuturnum habuerunt regnum. *Dabo timorem in terra Aegypti.* Ægyptii securi erant, freti equitatu, peditatu, locorum munitione, rerum copia, fœderibus, Deus itaque terrorem eis incussit: solet autem Deus illis quos punire decreuit, terrorem incurtere. Minatur Deut. 2. cap. & 11. se Chananæis, qui omnibus formidabiles erant, terrorem incussurum. Iosue 2. capite, Rachaba testatur omnes attonitos & consternatos esse. Imbelles & obscuras gentes Deus aliquando ornat autoritate, vt vel vmbra ipsorum gentes alioqui bellicosæ metuant. Singuli iam fortes sunt, iam animo consternati latebras circumspiciunt. Scripturæ docent, Deum addere & auferre animos, ne itaque de animi nostri fortitudine insolenter gloriemur. Milites quilatati & alacres discesserant, redeunt confecti inedia & laboribus, & lixarum atque calorum conspectu terrentur. De Patros supra diximus.

Thaphnis.

*Dabo ignem in Soan.* Per Soan Hieronym. Taphnim intelligit, quæ alio nomine Tanis dicitur, à quo Taniticum vel Tanicum Nili ostium nomen accepit. Psal. 68. dicitur Deum in Campo Zoan patribus Israelitarum videtibus, stupenda miracula edidisse. Per ignem vindictam intellige, vel simpliciter, vrbem inflammandam esse.

Alexandria

*Faciã iudicia in No.* Iusto iudicio puniam No quæ postea Alexandria dicta fuit, ab Alexandro Magno eius conditore. Hæc vrbs sita est ad ostium Nili, quod Canopicum vocant, & metropolis fuit Ægypti, multa de ea leguntur in epitome Vadiani.

*Effundam iram meam super Sin, robur Ægypti.* Per Sin Hieron. Pelusium intelligit, vrbs est in Pelusiaco Nili ostio, versus Asiam, quam nostri vulgò Damiatam vocant. Opportuno loco positam, munitissimamque fuisse inde colligitur, quòd magna iactura sæpe à Christianis capta, & sæpe amissa est. Deinde Pelusium, ostium Nili, iuxta quod hæc vrbs fuit, Ægyptum ab Arabia separauit, ideòque munitam fuisse, est probabile. Prophetam eam robur Aegypti vocat, quia in Nili claustro posita aditum præbuit prohibuitque ad superiora loca nauigantibus: nos tales vrbes, vocamus clauem regionis alicuius. Alii Syenem esse putant. Est & Sais in Ægypto sub Delta, ingens vrbs & nomos, Amasis patria & regia, quam Minerva condidisse legitur.

*Et succidam multitudinem No.* Homines ibi frequentes habitasse, propter vecturæ commoditatem, certum est, sed Deus partim illam hominum multitudinem interfici, partim aliò transferri curauit.

Pelusium.

*Dabo ignem in Ægyptum.* Siue ignem propriè, siue metaphoricè accipias, pphetia hæc impleta

impleta est. Babylonii, ut ignis, omnia depopulati sunt. *Dolendo dolebit Sin.* Hieronymus, *Quasi parturiens dolebit*, nam & subito opprimentur, cum minime expectabunt, & dicis afficientur suppliciis. Paulus quoque ad Thessa. 5. hac utitur similitudine. Admodum probabile est Pelusium munitibus & loci opportunitate fretum contempnisse Nabuchadonosorem, qui capere hanc urbem non potuisset, nisi Deus eum adduxisset.

*No erit ut scindatur.* Hoc est, muri Alexandriae, quos altos & crassos fuisse, non est dubium, perumpentur. Quam fuerit posteris temporibus munita hæc urbs, ex Cæsaris Comment. de bello Alexandrino petere licet.

*Ipsi Noph angustia interdium.* Memphis subinde premetur. Munsterus, *Contra Noph aduersarii per diem*, scilicet venient. Videtur simplex sensus esse, Hostes non noctu, sed interdium venturos: non enim pugnaturos ex insidiis, Deo ipsis urbes aperiente.

*Iuvenes Auen & Phibeseth gladio cadent.* Per Auen vel On, Hierom. Heliopolim intelligit, quam Thebe quoque dictam scribunt: per Phibeseth, Bubastin. Est autem Bubastis vel Bubastus, Ægypti urbs, in qua Dianæ, quam Bubastin nominant, celeberrimum templum fuisse scribit Herodotus in Euterpe: Straboni & Ptolomæo hæc urbs appellata est Heroum ciuitas. Munsterus in suis annot. Phibeseth, nimirum propter cognationem vocis Pelusium interpretatur.

*Etille in captiuitatem ibunt.* Urbes vel mulieres earum. *Porro in Thebaphebes prohibebit dies*, scilicet lucem suam. Per tenebras intelligit Scriptura magnas afflictiones & extrema pericula, Vulgata versio habet Taphnis hoc loco: cum Soan supra Taphnis esse dixerit, fortassis binominis fuit.

*Cum frangerem ibi vectes Ægypti.* *ut moth* vectem significat vel perticam, item iugum, vel vinculum quo iuga ligantur ad collum iumentorum. Chald. reddit robur Ægypti. Sensus est, quod Deus illos asserturus sit in libertatem quos Ægyptii captiuos habuerunt. Vel simpliciter dicit, omne robur regni infringendum, omniaque hostibus peruia fore. *Ipsam nubes operiet.* Per nubem intelligit idem quod antè per tenebras.

*Habitatores villarum eius in captiuitatem ibunt.* Non solum ex magnis urbibus, sed etiam ex minoribus, & villis, quæ magnarum urbium veluti filiaæ sunt, multi captiui abducentur. Munsterus reddidit, *Filia eius in captiuitatem ibunt.* quod absque tropo potest intelligi: filiaæ enim Ægypti in captiuitatem abductæ sunt. Matronæ & virgines, non minus quam viri offenderunt Deum, iustum itaque fuit, ut pœnas darent.

*Faciámque iudicia in Ægypto.* Hoc est, iustè eam iudicabo: non est quod quisquam me iniustitiæ aut crudelitatis in simulèt. Statim enim clamamus, cur Deus, qui iustus est, finit milites in innocentem ætatem grassari? Hæc nobis accommodemus. Quis si grauem nunc pœnam nobis Deus inferat, dicere auderet, Non sumus digni hac pœna?



# Concio vigesimaquinta

E Z E C H I E L I S.

HOMILIA CXXXII.

*I Interitum regi Ægyptio, & Babylonico victoriam pradicit.*

20 **F**uit præterea vndecimo anno, primo mense, septima die mensis, factum est verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
 21 **F**ili hominis, brachium Paroh regis Misraim confregi, & ecce non fuit alligatum, vt ponantur medicamina, vt apponatur fascia ad obligandum illud, ad roborandum illud vt teneat gladium.

22 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Ecce venio ad Paroh regē Misraim, & conteram brachia eius, ac fortitudinem, & iam confractum est, & cadere faciam gladium de manu eius.

23 Et dispergam Misraim in gentes, & ventilabo eos in terras.

24 Et roborabo brachia Regis Babel, dabóque gladium meum in manu eius, & confringam brachia Paroh, & vociferabitur vociferatione interfecti coram eis.

25 Roborabo, inquam, brachia Regis Babel, & brachia Paroh concident: scientque quòd ego Iehouah, quum dederò gladium meum in manu Regis Babel, & extenderit eum super terram Misraim.

26 Et dispergam Misraim in gentes, ventilabóque eos in terras: & scient quòd ego Iehouah.

**H**ÆC est tertia CONCIO Prophetæ contra Ægyptios, contra gentes octaua, & ordine xxv. in qua duo potissimum ostendit: primùm Ægyptios accepisse magnam cladem, sed maiorem accepturos: deinde Nabuchadonorem viribus à Deo instruendum, vt Ægypto potiatur. Vtitur allegoria à chirurgis sumpta. Si brachium alicui frangatur, adhibet chirurgos, qui illud curent, & nisi id faciat, non solùm brachii vsum amittit, sed aliquãdo ipsam vitam. Principiò, tēporis circumstantia annotatur, quando hæc oratio habita sit, anno ii. mensi.

Tempus.

menſe 1. die 7 menſis, hoc eſt, paulò ante captam Hieroſolymorum urbem: quæ anno captiuitatis Iechoniæ, vel regni Zedechiæ vndecimo, mèſe 4. die 9. menſis, Ier. vltimo & 2. lib. Regum vltimo capite, capta eſſe ſcribitur. Hinc Iudæi colligere debuerunt, non minus Ægyptiis pereundum, vt qui rebellionis præcipua cauſa fuerant, eandem rationem Ægyptii inire debuerunt. Non ſeruat ab hoc & ab aliis quoque Prophetis ordo hiftoriæ, plerunque enim futura prædicunt.

*Brachium Pharoonis regis Ægypti confregi, &c.* Dominus dicit, ſe brachium Pharoonis confregiſſe, ſed non fuiſſe impoſitum emplaſtrum, non obligatum, nõ in fascia geſtatum, vt corroboraretur, & gladium manu ſuſtinere poſſet. Luxato vel fracto brachio, chirurgum accerſimus, qui brachium nobis reſtituat. Eſt medicina Dei donum, quo rectè nos vt oportet: nam qui illud cõtemnunt, sæpe dant pœnas. Significat Propheta his verbis, regem Ægyptium cladem accepiſſe, fractam eſſe potentiam eius, neque adhuc vires collegiſſe (damna enim quæ bello accipimus, non facilè reparantur) deinde accepta clade non cõuerſum eſſe ad Dominum, quod malorum vnicum eſt remediũ, ſed perrexiſſe in ſuis ſceleribus.

Verba Prophetæ ex hiftoriæ collatione planiora erunt. Legimus in libris Regum & Paraleip. Pharoonem Nethao, cùm Nabuchadonoſori priſco vel primo bellum illaturus eſſet, à Iofia rege tranſitum petiſſe per Iudæam, qui cùm armata manu tranſitu eum prohibere vellet, prælio victus occubuit: Ægyptius mox ad Euphratem Nabuchadonoſoris quoque exercitum proſtigauit, captæque Syriæ cum magna gloria in Ægyptum rediit. Elapſo quinquennio Nabuchadonoſor, qui poſtea Magnus dictus eſt, patri in regno ſuccedens, acceptam cladem vlturus, & Syriam recuperaturus, copias ſuas eduxit. Ægyptius elatus victoria ſuperiore, aſcendit cum ingenti exercitu contra Babylonium. Committitur ingens prælium ad Carchamiſi iuxta Euphratem, in quo vincuntur Ægyptii. Babylonius victor, non ſolùm Syriam recuperat: ſed Ægyptio ad Peluſium vſque terram adimit: & ita brachium regis fractum eſt, hoc eſt, vires eius ſunt debilitatæ.

Ipe tamen non egit pœnitentiam, vt priſtinas vires reciperet, ſed ſubditos Babylonii, ingentibus promiſſis, fœdere cum eis inito, ad perfidiam pertraxit. Propheta itaque vaticinatur ei, alterum quoque brachium frangendum eſſe, hoc eſt, regnum eius occupandum eſſe à Babyloniiſ.

*Ecce ego ad Pharoonem regem Ægypti, & confringam brachium eius, forte & contractum.* Quia vulnus non curauit, ego adior eum, *ith reilan inhin*, & robuſtum pariter atque contractum brachium comminuam. Pſal. 37. dicit Propheta: Brachia impiorum confringentur: ſuſtentat autem iuſtos Iehoua. Senſus eſt, Afflixi Ægyptios, ſed extra regni fines, regnum adhuc incolume obtinèt, quia verò malo accepto nondum ſapiunt, funditus eos ſubuertam.

*Cadere faciam gladium de manu eius, & diſpergam Ægyptios in gentes, &c.* Excutiam gladium ex manibus Pharoonis, hoc eſt, Efficiam vt Ægyptii prælio vincantur, & fuga ſalutem quarant: vtque illi qui non trucidantur, hinc inde tanquam ventis diſſipentur. Hanc metaphoram ſuprà quoque non ſemel habuimus. Si cum his conferas hiftoriam, inuenies exactis annis circiter 23, à clade ad Carchemiſi accepta, Nabuchadonoſorem Ægyptios (qui vicinas gentes ad defectionem ſolicitarant, & reliquias Iudæorum poſt Godoliæ interitum hoſpicio exceperant) oppreſſiſſe, totumque regnum vaſtaſſe, de qua re iam aliquoties diximus.

*Roborabo brachia regis Babel.* Secundo loco vaticinatur se vires & animum daturum Nabuchadonosori, ut in bello superior esse possit. Fuit enim, ut supra habuimus, Ægyptus multis naturæ præfidiis & opere hominum ita cōmunita, ut non facile occupari potuerit.

*Vociferabitur vociferatione interfecti coram eo.* Idem dixit de rege Tyri, qui suæ conditionis etiam oblitus, sibi nescio quid tribuebat: cum interfectorem sibi imminere videbit, vociferabitur.

Accepta ali  
qua clade,  
remedium  
est adhiben  
dum.

*Cum extenderit eum super terram Ægypti,* hoc est, cum Ægyptum gladio perdidit. Fortiter percussuri gladium protendimus. Hic est sensus prophetiæ, videamus iam deinceps de usu eius. Discimus primo loco, affligente nos Domino publicè vel priuatim, medicinam malorum quærendam, hoc est, pœnitentiam agendam esse. Inter alios enim afflictionum fines, hic quoque insignis est, quòd Deus lapsos retrahit ad pœnitentiam. Magnam cladem acceperunt Ægyptii, cogitandum itaque erat, Pœnitentiam agemus, ut placeatur nobis Deus, ne regnum quoque amittamus: sed pœnitentiæ nulla erat mentio, ideo profus perierunt. Priusquam Deus Sodomitas perderet, bellum eis per reges Orientales intulit, captosque per Abrahamum liberavit, Genes. 14. capite. Cæterùm cum hac calamitate non efficerentur meliores, tandem eos funditus subuertit. Ioannis 5. capite. cum Christus iacentem ad piscinam qui triginta & octo annis morbo obnoxius fuerat, curasset, eumque postea in templo reperisset, dixit ei: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi accidar. Sæpe enim in hominibus puniuntur peculiaria peccata. Qui morbis aut aliis ærumnis vexantur, non referant in stellarum concursus ac positus, sed Deum percutientem agnoscant, utantur legitimis remediis, imprimis verò pœnitentiam agant, quæ vera est medicina animæ, alioqui maioribus malis afficientur. Plerunque verò in remediis corporis morbis, quàm animi adhibendis sumus diligentiores.

Deus regna  
stabilit & e-  
uerit.

Deinde colligimus ex hoc loco, quòd regna crescunt & rursus concidunt Deo ascribendum esse. Dicit enim se fregisse brachium Pharoonis, & tertio repetit se fracturum brachium eius: addit, se excussurum gladium de manu eius: è diuerso se roboraturum brachium Babylonii, suumque gladium in manum eius traditurum, id quod secundo repetit. Sæpe autem huiusmodi phrasæ occurrunt, ne clades, victorias, & alia huius generis fortuita esse putemus, sed agnoscamus à Deo prudenter gubernari.


# Concio vigesima sexta


## EZECHIELIS.

HOMILIA CXXXII.

*Regis Assyriaci potentiam & gloriam sub allegoria cedri describit.*

CAPVT XXXI.

- 1  **H** T fuit vndecimo anno, tertio mense, prima die mensis, fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:
- 2 **F**ili hominis, dic ad Paroh regem Misraim, & ad multitudinem eius, *Quinam similis es in magnitudine tuâ?*
- 3 **E**cce Assur erat tanquam Cedrus in Lebanon, pulchra ramis, & ramis densis inumbrans, & excelsa altitudine, & inter condensa fuit cacumen eius.
- 4 **A**que crescere fecerunt eum, vorago exaltauit illum: flumina eius ibunt per circuitus plantationis eius, & riuulos suos misit ad vniuersas arbores agri.
- 5 **P**ropterea exaltata est altitudo eius, præ omnibus arboribus agri: & multiplicati sunt rami eius, & prolongati sunt rami eius, propter aquas multas, quam illa mittebat eas.
- 6 **I**n ramis eius nidificauerunt omnia volatilia cæli, & sub ramis eius pepererunt cunctæ bestiae agri, & in umbra illius habitauerunt omnes gentes multæ.
- 7 **P**ulchra itaque facta est magnitudine sua, longitudine ramorum suorum, quod radix eius fuerit iuxta aquas multas.
- 8 **C**edri non absconderunt eam in horto Dei, abietes non fuerunt similes ramis eius, & castaneæ non fuerunt sicuti rami eius: nulla arbor in horto Dei similis ei, in pulchritudine sua.
- 9 **P**ulchram feci eam multitudine ramorum eius: & æmulatæ sunt eam omnes arbores Eden, quæ erant in horto Dei.

 **H**oc capite continetur CONCIO XXVI. contra gentes nona, contra Ægyptios quarta, quæ eiusdem est argumenti cum superioribus, nempe regem cum suis interiturum propter impietatem & scelera. Ideo autem vnam eandemque rem toties reperit & inculcat, vt Pharoo & Ægyptii expergeriant, quibus non probabile videbatur, quod tantam cladem essent accepturi. Iudæis quoque, qui in Babylone, & qui Hierosolymis erant, id ipsum non potuit persuaderi: spem enim suam, contemptis

M.iiii.

Prophetarū monitis, in Aegyptiorū potentia collocabant, & uersa vi be reliquie ad Aegyptios, ut sub eorū p̄sidio laterēt cōtra Nabuchadonosorē, profugiebāt, non cogitantes quanta iniuria maiores ipsorum ab Aegyptiis fuissent affecti, quōdque Deus etiam vetasset, ne reges populum in Aegyptum reducerent. In hac oratione vel propheta proponit Pharaoni exemplum regis Assyriorum, argumentaturque à maiori ad minus: Si Assyriorum rex potentissimus cecidit propter superbiam, quantò magis tu cades, qui quod potentiam & opes attinet, cum eò nequaquam es comparandus? De potentia & interitu Assyrii regis, per totum ferè caput agit, cumque describit sub similitudine procerae arboris. Comparantur alibi quoque in Scripturis regna arboribus. Dan. cap. 4. rex Nabuch. narrat se somnium habuisse de procera arbore quæ excisa sit, quòd somnium Daniel interpretatus est de regno Babylonico, &c. 2. Regum 14. Ioas missa legatione ad Amasiam, qui bellum ei indixerat, se cedro Libani, hunc verò cārduo Libani comparat. Suprà 17. cap. regnum Christi per arborem repræsentatur. Ideo autem regna arborum imagine depinguntur, quòd sicuti arbor densa & procera, a uibus & brutis animalibus hospitium & umbram præbet, homines quoque contra imbres & æstum defendit: ita regna & magistratus defendere suos debeant, & hospicia piis præbere. Arbores fructiferae non solum hominibus, sed etiam brutis animalibus fructus præbent: ita regum & principum est dare operam, ne subditi ipsorum cibo animæ aut corporis destituantur: coercere debent hostes rerum publicarum, pseudopphetas, auaros, tyrannos, &c. Deinde arbores quæ nunc uidentur, mox folia amittunt, aliquando exarescunt: item vi ventorum deiiciuntur, excinduntur, truncantur, fructus quoque earum decutiuntur: ita regna quæ nunc florēt, si succo destituantur, iustitia & pietate, pereunt, aut spoliantur & affliguntur. Quia verò Propheta in hoc capite præcipuè tractat de splendore gloria & potentia regni Assyriaci, non abs re esse videtur, ut quædam cum ad hoc caput, tum ad alia loca Scripturæ planius intelligendum, de hoc regno paulò altius repetamus. Regnum Assyriacum vetustissimum & potentissimum fuit, ideo in Daniele aureo capite repræsentatur. Memoriam proditum est, post diluuium, cum Noe crescente hominum numero, suis liberis terram distribuisset, Nimrodum Chami nepotem in terra Chaldæorum confedisse, cumque iterum propter hominum multitudinem migrandum esset, urbem eius ductu extructam esse, & in ea turrim perpetuum eorum monumentum: illo ædificio Deum offensam, linguas eorum conturbasse, unde nomen inditum fuerit urbi, illos opus imperfectum relinquentes in diuersas regiones profectos esse. Inde quoque egressum esse Assur filium Sem, Niniuem urbem condidisse Assyriæ à se denominatæ metropolim: Nimrodum verò armis imperium constituisse Babylonicum, quod paulatim in immensum creuerit. Numerantur ab historicis 37 reges, usque ad Sardanapalum, qui corruptissimus fuit: perpetuò desidens in gynæceo colum & lanam tractauit muliebri habitu. Indignati itaque Belochus Babyloniæ, & Arbaces Medorum præfecti, tantum virorum tali sceminæ subiectum, facta conspiratione bellum ei inferunt, quo ille audito cum paucis & incompositis in bellum progreditur, victus in regiam se recepit, & extructa pyra, & se, & diuitias in incendium mittit, hoc solo, ut Iustinus dicit, imitatus virum: quanquā non rectè in hoc tentiat. Christiana enim religio negat viri fortis esse seipsum interficere. Hi duo præfecti monarchiam postea inter se partiti sunt, & Belochus quidem Babyloniæ & Assyriorum, Arbaces verò Medorum & Persarum rex constitutus est, cum hæc monarchia Babylonica vel Assyriaca circiter annos mille trecentos durasset.

Describit potentiam regis Assyrii sub figura cedri.

Regna per arbores adumbrantur.

Monarchia Babylonica & Assyriaca

Regum Babylonicum & Assyriaci in duo distinctum.



raffer. Quinquam verò per hos duos præfectos monarchia mutata vel dilacerata eifet, tamen non prorsus deleta fuit, postea enim nomen retinuit, duravitque usque ad Balihafarem, quo demum extincto, Medi & Persæ summum imperium ad se transtulerunt. Sacra historia reges, qui Phul Belocho successerunt, nominat reges Assyriorum, quos tandem Medos quoque vicisse Eusebius in chronicis suis testatur. Hunc regem Manahemus rex Israeliticus pessimo exemplo, maximis muneribus sibi conciliauit, ut suos subditos in officio retineret. Ab hoc enim tempore Assyrii decem tribus Israelis, & postea tribum Iuda assidue vexarunt. Phul Belocho successit filius Phul Assar, cognomèto Tiglath. Hunc Galilæam vastasse, & tribus aliquot abduxisse, testatur libri Regum. Tertius Assyriorum rex Salmanassar Samariam longa obsidione fatigatam cepit, ipsùmque regem Oseã, populum abduxit, regnùmque decem tribuum deleuit. Huic successit Senacheribus rex impius qui in obsidione Hierosolymorum exercitu amisso Niniue profugit, & in templo à filiis Adramelech & Sarezer extinctus est. Assaradon tertius filius ipsius, patri successit, cui duo fratres parricidæ insidiati sunt. Hanc occasionem non negligendam ratus Ben Merodach Babylonix præfectus, Assaradonè bello vicit, iterùmque Assyriorum regnum Babylonis adiunxit, ideòque Babyloniorum primus rex dictus fuit, interim ob Assyriaci regni celebritatem, Assyriorum quoque regis nomen retinuit. Huic successerunt noti ex sacris Literis, Ben Merodach, Nabuchadonosor primus, Nabuchadonosor Magnus, Euilmerodach, Balthassar, non alienus à moribus Sardanapali, sub quo monarchia tandem ad Medos & Persas fuit translata. His præmissis, verba Prophetæ facilè intelligemus.

Reges Assyriorum.

Babylonicè regnum restitutum.

Primùm præmittitur tempus quo hæc concio fuit habita, nempe eodem tempore quo superior: deinde ostenditur contra quos habita sit: contra Regem & multitudinem eius, hoc est, subditos eius, qui populus numerosus fuerunt. Pharonem confert cum rege Assyriorum. Qualis autem & quantus hic fuerit, per allegoriam copiosè explicat: postea de miserabili eius interitu loquitur, inserta generali sententia: tandem hoc exemplum Pharooni accommodat, &c.

*Cuinam similis es in magnitudine tua?* Cui comparandus es, quo ad magnificentiam, potètiã & opes: an regi Assyriorum? ac si dicat, Nequaquam: fuit enim multis modis te excellentior: non is es quem te adultores tui esse dicunt, aut quem te esse putas. Si verò Assyrius te longè potentior non potuit consistere in die vindictæ, quanto minus tu, qui illo longè es imbecillior? Similiter nos discamus argumentari, si regna propter hæc & hæc scelera eversa sunt, quid oppida expectarent, quid singuli homines?

*Ecce Assur velut cedrus in Libano, pulchra fronde & ramo umbroso.* Assur dicit similem fuisse cedro in monte Libano magnæ & proceræ, quæ densitate ramorum umbram faciat, & inter cuius frondes cacumen emineat. Significat his verbis regem Assyrium regnum consequutum esse amplissimum, gloria & potentia celeberrimum: sub se habuisse multos reges & principes, duces item & milites, quibus omnibus præfuerit.

*Aqua crescere fecerunt eum, abyssus exaltauit illum.* Quædam arbores amant fluuios, ut salices, populi. In aridis verò regionibus, aliæ quoque arbores positæ iuxta fluuios, sæliciter nascuntur succum enim radicibus perinde attrahunt, ut animalia oris hiatu. Hæc arbor non aquis, sed abyssis, hoc est, aquis abundantissimis irrigata dicitur. Significatur Deum ex immensa sua misericordia, tot victoriis, opibus, aliisque rebus hanc monarchiam ornasse: Deus enim constituit imperia.

*Flumina eius ibunt per circuitus plantationis eius, &c.* Fluvii ex abyſſo ſcaturientes per circuitum plantationis cedri ferebantur : hoc eſt , affluebat omnium rerum copia.

*Et riuos ſuos miſit ad vniuerſas arbores campi.* Ex hac abyſſo ad alias quoque arbores aqua peruenerunt, hoc eſt, Deus in ſubditos quoque Regis ingentia bona contulit, & vicinos populos. *Propterea exaltata eſt.* Ex abyſſo non ſolum hæc arbor excella, ſed aliæ quoque humorem attraxerunt. Dei beneficio Rex eiufque principes omnibus rebus abundarunt: id quod iſtis arrogantia & ſuperbia occaſio fuit.

*In ramis eius nidificarunt omnia volatilia cæli.* Sub illa arbore tuti & pacificè degerunt ſummi & infimi: barbaras quoque gentes Deus illis ſubiecit. In hoc Deus regna conſtituit, vt plantetur vera religio, defendantur boni, coercean- tur mali. *Pulchra itaque facta eſt &c.* Iterum repetit quanta potentia & gloria Deus hanc monarchiam ornarit. *Cedri non aſconderunt eam in horto Dei,* hoc eſt, tanta fuit hæc cedrus, vt nulli in Paradifo cederet, hoc eſt, non fuit in toto terrarum orbe regnum aliquod Aſſyriaco præſtantius. *Abietes non fuerunt ſimiles ramis eius.* Confert eam cum aliis arboribus, earumque partibus, quas illa longè amplitudine, denſitate, mole ſuperauerit. *Aemulate ſunt eam omnes arbores Eden, quæ erant in horto Dei.* Amplificat huius arboris, hoc eſt, regni Aſſyriaci excellentiam. Hæc cedrus tam fuit egregia, vt in Paradifo conſtitæ illi inuiderent. Inuidere ſolemus illis qui nos excellunt variis dotibus. Oſtendit hoc regnum, propter robur & potentiam, quam à Deo habuit, omnibus fuiſe admirationi.

Singulæ nationes, quin ſinguli homines, hæc ad ſuam vtilitatem tranſferre debent, atque cogitare, quæ bona quo ad res externas, corpus & animum à Deo acceperint, pro illis ei non ſolum verbis, ſed & rei ipſa gratitudinem ſua declarare, ne eos ſpouet ſuis illis donis. Non ſolum reges plantis conferuntur, ſed & priuati homines. Pſal. 37. impius lauro vel cedro luxurianti comparatur: in Euangelio pii fructiferis, impii ſterilibus arboribus. Dare operam debemus, vt fructus pœnitentia dignos proferamus, ne arbor excindatur.

Partes arborum.

Copiam verborum Hebraicorum, qua Propheta in deſcriptione cedri vtitur, exprimere Latini vix poſſunt. Ego illarum vocum, quæ hoc loco poſitæ ſunt, ſignificationes, propter iuniores annotabo ne eis diu ſint inquirendæ. Partes arboris præcipuæ ſunt radix, ſtirps, rami. שׂרשׁ *ſchoreſch* radix, ρίζα, non ſolum de arboribus intelligitur, ſed etiam herbis, &c. קומה & קומה *komah cum vaſ* eſt altitudo, ſtatura item גבה *gabab* altitudo, elatio, ſtatura: hæ quoque dictiones aliis tribuuntur rebus. Græcis ἐπιθωρία τῶν δένδρων proceritatem arborum ſignificat. Truncum vel ſtirpem magnum & altum fuiſſe ſignificat. ῥεμνον & ῥεμνον robur, ἑλεχος καὶ κερμὶς truncus ex arbore, ſtirps vel ſtipes, caudex. Ramorum non vnum genus exprimitur. זמרת *zamarath* cacumen, ramus qui ex trunco reſectus, in altum vltra omnes frondes eminent. κορυφή apud Græcos vertex, hoc eſt, ſumma capitæ pars, tranſfertur ad arborum cacumina, aliarumque rerum extremitates, Germa: *ein tolder*. Forſterus accipit pro denſitate arboris, ſiue in ſummitate, ſiue in ramis & propaginibus. אפוח *afoth* intricatum, complicatum, de frondibus & funibus accipitur: ramus arboris denſus אפא *araf* ramus à denſitate frondium, vel ipſa denſitas. סרעפא *sareaph* ramus, in plurali, סרעפוח *sareapoth* dictio composita, ex אפא *apha* & סרעפא *saiph*, quorum vtrunque ramum ſignificat, inſerta litera res perplexitatem ramorum ſignificat. שׂרשׁ *chorach* ramus à cædendo per fabrum, Forſterus dictum putat סרעפוח *seapoth* protentio, prominentia, progreſſio cuiuſque rei, hoc loco pro ramo accipitur. דליות *dallioth* rami in arbore altiorem. Has voces, omnes per ramum expri-

exprimere Latinè cogimur propter inopiam verborum. Apud Septuaginta interpretes duæ sunt voces, quibus interpretantur Hebræa: παραφύας furculus, quasi adnatum, quòd rami quasi noua suboles adnascantur vel accedant: & κλάδος ramus, à qua voce venit κλάδισκος, furculus, κλών etiam est furculus, vel, rami summitas, ἀκρέμων est ramus maior vt dicit Gaza: Latini flagella vocant extremitates ramorum, quæ gemmas protrudunt, *zvvitk*.

## HOMILIA CXXXIII.

*¶ Quomodo rex Assyriorum interierit, & rex  
Ægyptius interiturus sit ostendit.*

10 Propterea sic dixit Dominus Iehouab, Quandoquidem eleuatus es statura, & dedit summitatem suam inter condensa, & eleuatum est cor eius in celsitudine sua.

11 Tradidi eum in manum fortissimi gentium, faciendo faciet ei: propter impietatem eius, eieci eum.

12 Et succident eum alieni, fortes gentium, & dimittent eum: super montes & in cunctis vallibus corruent rami eius, & confringentur rami eius in vniuersis torrentibus terræ: descendenteque ab umbra eius omnes populi terræ, & relinquent eum.

13 Super ruinam eius habitabunt omnia volatilia cæli, & super ramos eius, erunt omnes bestie agri.

14 Quamobrem non eleuabuntur statura sua omnes arbores aquarum nec dabunt sublimitatem suam inter condensa, neque stabunt vlni eorum in sublimitate sua, omnes potatores aquarum: quia omnes traditi sunt morti, terræ inferiori in medio filiorum hominum, cum descendentibus in sepulchrum.

**D**Eus per Prophetam suum in hoc capite regem Ægyptium puniendum ostendit, exemplo regis Assyriorum: hunc enim qui multo potentior fuit, interiisse, igitur Ægyptium qui multo sit inferior, certissimè interiturum. Quanta verò regis Assyriaci gloria & potentia fuerit, per allegoriam arboris, heri explicatum est: sequitur iam quomodo hæc arbor excisa sit, hoc est, quomodo rex Assyriorum funditus perierit, & principes (qui per ramos significantur) dissipati sint, vel ab eo defecerint. Ita autem temperat suam orationem, vt partim de Assyrio loquatur, qui iam perierat: partim de Ægyptio, qui mox periturus erat. Possunt enim verba hæc pro præteritis vel futuris accipi, vsitata temporum heterosi. Cogitandū interim non solum Regibus, sed priuatis quoque hominibus si insolescant, interitum similem prædici.

*Quandoquidem eleuatus es statura, & dedit summitatem suam inter condensa, & eleuatum est cor eius in celsitudine sua. Tradidi eum, &c.* Quia rex Assyrius excelluit potentia, opibus, victoriis, se super alios ramos extulit, cordeque elatiore factus est, Deus itaque alienæ potestati eum tradidit. Superbiæ vene- Superbia:

num, quod diabolus primis nostris parentibus in Paradiso afflauit, pertinacissimè hominum mentibus adhærescit. Etenim propter dona quæ habemus, veluti opes, honores, generis splendorem, formam, doctrinam statim insolescimus, multò maiora illa esse nobis persuadentes, quàm reuera sint. Quamquam verò quidam huic vitio magis sint obnoxii quàm alii, tamen omnes natura sumus superbi, id quod videre est in pueris. Vili sæpe habitu, ingens superbia tegitur. Est autem hoc vitium veluti aliorum multorum metropolis: quam ob causam Scriptura multis dictis & exemplis nos ab eo reuocat. Cum autem priuati homines propter certas dotes superbiant, non mirum si reges, quos tot adulatorès circumstant, propter potentiam & dignitatem suam animis efferantur. Rex ille Assyrius non agnouit propriam imbecillitatem, neque considerauit Deum conferre & transferre imperia, quæ causa fuit, vt tandem regnum pariter & vitam amitteret.

*Tradidit eum in manum fortissimi gentium.* Munsterus vertit, *Tradam eum in manum fortissimæ gentis.* Sardanapalum Babyloniorum & Assyriorum regem potentissimum à duobus principibus suis, Phul Belocho Babyloniorum, & Arbace Medorum præfecto in maximas angustias redactum, & se & suos, qui in regia erant, incendio perdidisse, heri diximus. Senacherib quoque rex miserè periit. Assaradon item Assyriorum rex, Merodach Baladan à Babylonio domitus fuit. Postea Aegypti regem Nabuchadonosor interfecit. *Faciendo faciet ei.* Hac phrasi ostendit quòd celeriter, & pro animi sui voluntate eum perditurus sit.

*Propter impietatem eius reieci eum.* Superbia cum impietate coniuncta est. Superbi enim Deum non agnoscunt omnium bonorum vnicum largitorem: sed propriæ sapientiæ & virtuti tribuunt, quæ Deo tribuenda erant. Munsterus aliter distinguit, ita enim interpretatus est: *Quæ (gens) faciendo faciet ei iuxta impietatem suam, me eiiciente eum.* Sensus in idem cum superiore recidit.

*Et succident eum alieni.* Quidam per præteritum hæc verba verterunt, est enim mutatio temporum frequens in Scripturis. *Succiderunt eum alieni fortes gentium,* per appositionem. Munsterus reddit, *Grasatores, scilicet qui sunt inter gentes,* alii *Tyranni reliquerunt eum.* Munsterus, *atque strauerunt mox reliquerunt eum.* Repetitur enim hoc verbum. Perstat in allegoria, Gentes bellicosæ, dicit, illam arborem excident, hoc est, regem trucidabunt. Ostendit hac similitudine, regna & reges facile euerti à Deo. Arbores enim quantumuis magnæ & altæ, si plures crebris securibus insistent, deiiciuntur. Postquam exciderint, dimittent eam: non vt regem decet, defunctum trahant.

*Super montes & in cunctis vallibus corruent rami eius.* Cadente cedro, fracti sunt rami, vel luxuriantes illi rami bipennibus detruncati sunt. Hoc est, principes, satrapæ, atque reges, subditi Assyrio, passim trucidati sunt.

*Super ruinam eius, habitabunt omnia volatilia cæli, &c.* Regis cadauer non inferetur in sepulchra maiorum, sed coruis, vulturibus, aliisque carniuoris alitibus præda erit: rami, hoc est, principes & duces à bestiis lacerabuntur. Idem suprâ 29. capite, Aegyptiis comminatus est. In præliis sæpe cadauera insepulta relinquuntur. Horribile autem est si quis cogitet cadauer suum post mortem honore sepulchri cariturum. Etsi enim pii sciant membra discerpta, sibi à Deo restituenda esse, & ad salutem nihil conferre sepulturam quantumuis magnificam: tamen mallent sua corpora non lacerari.

*Quapropter*

Quapropter non exaltent se propter staturam suam cunctæ arbores aquarum, &c. Omnes homines, quos Deus excellentibus donis ornauit, admoniti tristibus horum regum exemplis humiles sint, & se non efferant. Generalis est γνώμη per allegoriam enunciata, quæ ter repetitur, ne viri magni insolescant. Per aquarum arbores, intelligit homines fœlices, arbores enim iuxta ripas confitæ vehementius crescunt, apud Suidam prouerbij loco citatur illud, ὄλολυζέτω πίνυς ὅτι πένω πικρὴ κέδρος, eiulet pinus quod cecidit cedrus, hoc est, fortibus pereuntibus, infirmiores erudiantur & sapiant. Neque stabunt vel stent super illa vltimi eorum in sublimitate sua, omnes potatores aquarum. Bifariam potest hic locus intelligi. Primum, arbores quæ aquis irrigantur, non præferant se vltimis, ornis, quercubus, aut quibuscunque aliis arboribus, (species enim vna arboris, pro omnibus ponitur,) hoc est, homines potentes & fœlices, ne contemnant alios quantumuis inferiores. Vel, homines præstantes opibus, dignitatibus, viribus, non putent se perpetuò in illis permanuros, hæc enim omnia eos deserent, vel ipsi deserent illa. Quia omnes traditi sunt morti, terræ inferiori in medio filiorum hominum cum descendantibus in sepulchrum. Reges quantumuis potentes, mortales sunt, tandèmq; non secùs quàm vulgares homines moriuntur. Mors regibus aliisque potentibus viris non parcat, Claudianus dicit:

Regibus quoque moriendū est.

Sub tua purpurei veniunt vestigia reges  
 Deposito luxu, turba cum paupere mixti:  
 Omnia mors æquat.

Mors nullis precibus flectitur, nulla pecunia corrumpitur. Iosue & David mortem vocant viam vniuersæ carnis. Crebra de morte cogitatio, & modestiam & alias virtutes in nobis quodammodo excitat. Siracides in fine 7. capitis dicit, In omnibus sermonibus tuis, (hoc est, rebus omnibus, secundum Hebræorum phrasim) memento extremorum tuorum, & in seculum non peccabis. De aliorum morte, veluti vxoris, liberorum, amicorum cogitantes, modestia in nobis accenditur, quanto magis si nos hinc, & multò citius quàm putemus auferendos consideremus, præsertim si perpédamus, quàm amara sit mors: quòd membra maximis doloribus suis actionibus priuet, quòdque statim animabus ad iudicium particulare pertractis, ratio reddenda sit. Hæc si sæpe cogitarent homines, non ita aspirarent ad dignitates, ad sacerdotia, non ita indulgerèt prauis affectibus. Optabunt olim multi pontifices, reges, proceres rerumpublicarum, vt vel nunquam nati, vel abiectissimæ fortis homines fuissent.

Cogitatio de morte utilis.

HOMILIA CXXXIIII.

*¶* Prophetæ ostendit omnes commotos esse miserabili interitu regis Assyrii: & hanc historiam Ægyptio regi applicat.

15 Sic dixit Dominus Iehouah, Eo die quo descendit ad infernum, lugere feci & operire feci propter eum voraginem sacco, prohibuique flumina eius, & prohibita sunt aquæ multæ, & tenebrescere feci propter eum Lebanon, & omnes arbores agri illius fatigatæ sunt.

16 A fragore ruinæ eius commouit Gentes, dum descendere feci eum ad infer-

Nj.

num cum descenditibus in sepulchrum, & consolationem acceperunt in terra inferioribus omnes arbores Eden electæ, & bonum Libanon, omnes bibentes aquas.

17 Etiam ipsi cum eo descenderunt ad infernum, ad interfectos gladio, & brachium eius, & qui sedebant in umbra eius, in medio Gentium.

18 Cuius similis factus es, sic in gloria & magnitudine inter arbores Eden? deiciaris cum lignis Eden in terram inferiorem, in medio incircumcisorum dormies cum interfectis gladio. Is est Paróh, & uniuersa multitudo eius, dixit Dominus Iehouah.



Ad meliorem horum verborum intelligentiam, scopus totius capituli repetendus est. Probat exemplo regis Assyriorum, Pharonem cum Aegyptiis interiturum. Longè potentior Rex cum suis propter superbiam periit: igitur qui potentia inferior existit, eandem ob causam multò magis peribit. Potentiam & vires, item interitum regis Assyriorum cedri allegoria proposuit. Siue de Sardanapalo, siue Senacheribo, vel filio ipsius verba Prophetæ intelligas, parum interest: notum enim erat quomodo interiissent. Sequitur omnes gentes illius Regis miserabili interitu percussas, casumque hunc horribilem fuisse: prosequitur allegoriam suam. *Eo die quo descendit ad infernum, lugere feci.* Die quo periit luctum publicum indixi. Per partes explicat quis luxerit. *Operire feci propter eum abyssum.* Lugentes sacco operiebantur: tribuit igitur abyssus per prosopopœiam, quòd more lugentium veluti sacco opertus fuerit. Suprà dixit abyssum exaltasse cedrum: iam eius causa in luctu ipsam fuisse dicit, ut nos, quando illi moriuntur, quos dileximus, quosque eueximus. Flumina quoque quæ ex abyssus ad alias arbores deriuabantur, quasi attonita, cursum suum cohibuerunt. Theodoretus per abyssum suprà & hoc loco, subiectas illi gentes intelligit. *Tenebre feci propter eum Libanum.* Tenebras induxi Libano, in quo hæc arbor posita fuit, hoc est, tristis fuit Libanus. Significat Assyrios luxisse casum Regis, pullatos fuisse. *Omnes arbores agri fatigatae sunt.* Fortiter hunc versum ita reddit: *Et nigrescere feci super Libanum, & omnia ligna agri super eum obscurari,* id est, mœrere. *Hy illeph* propriè significare dicit obscurari, abscondi, inuolui. Cùm ad animum transfertur, perturbari, terrore consternari. *A fragore ruinæ eius commouit gentes, &c.* Horribilis ille & repentinus casus huius Regis, non solum gentes imperio ipsius subiectas: sed alias quoque commouit. Ideo mentionem facit fragoris ruinæ, quòd excelsæ cedro eum comparauit. Lapsu grauiore ruunt, qui in altum sublatis, insolescunt. *Dum descendere feci eum ad infernum cum descenditibus in sepulchrum,* hoc est, cùm deieci eum in sepulchrum, cum aliis quibuslibet, vel potius in infernum: suprà enim dixit, à feris & volucribus dilaniandos & deuorandos esse, non inferendos sepulchris.

*Et consolationem acceperunt in terra inferiore omnes arbores Eden electæ, & bonum Libanon omnes bibentes aquam.* Simplex hic sensus esse videtur, principes & nobiles (quos pulchris & bonis arboribus confert) lætatos esse, quòd more ipsorum interiisset, & ad inferos descendisset. Gaudent enim impij, si socios pœnarum habeant. Hæc melius intelligi possunt, ex cap. 14. Isaia, qui de regis Babylonij interitu, Balthassaris nimirum, vaticinans describit quibus sarcasmi excipiendus sit ab inferni incolis. Lege locum. *Etiam ipsi cum eo descenderunt ad infernum, &c.* Non solum Rex ad tartara præcipitatus fuit, sed & impij eius consiliarij, milites, principes, item socij, qui veluti brachium ipsius fuerunt, item illi quos ipse protexit. Principes non solum suos habent subditos, sed etiam foederatos, item alios quorum sunt protectores. Hi si ingeniis, ut plerumque fit, impiorum Regum se accom-

modent

modent, inque peccatis suis sine fide moriantur, cum illis æternum pereunt. *Cuiusnam similis factus es, sic in gloria, &c.* Iam per apostrophen sermonem conuertit ad Pharaonem regem dicens: Quam excellentem & potentem te putas esse inter arbores delicatas? quasi dicat, Minimè es Assyriorum regi comparandus, quod vires & gloriam attinet: qui cum ceciderit, tu quoque cades, & vnà cum aliis arboribus, hoc est, viris magnis in interiora sepulchri, vel in infernum deturbaberis. Per incircumcisos intelligit homines prophanos & vacuos vera pietate, alienos à fœdere & à populo Dei, damnatos: vt sit sensus, regem & corpore & anima periturum. Atque hic erit exitus Pharoonis & Aegyptiorum. Quidam hanc tantum particulam ad Pharoonem, præcedentia verba ad Assyrium vel Babylonium referunt, sed ad sensum parum interest. Si ille qui te illustrior & potentior fuit, hoc patietur: tu idem expectato supplicium, eadem præditus impietate. Ex hoc loco Prophetæ intelligamus, primum quòd sit infernus, vel locus impiis puniendis destinatus, deinde quòd infra nos sit: tertio quis in eum deturbetur, his addemus, quales pœnæ in illo impiis infligantur. Paucis autem hæc capita perstringemus, cum ab aliis copiosè de eis scriptum esse non ignorem.

## D E I N F E R I S.

Esse inferos, non solum Prophetæ, Apostoli atque Christus ipse testantur: sed Quod sit infernus. faniore etiam inter gentes, vt videre est apud Lactant. Diuinarum instit. lib. 7. cap. 7. & 21. docuerunt sedes piorum ab impiis discretas esse: & illos quidem quietas & delectabiles incolere regiones, hos verò luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis. Epicurei, impurum hominum genus, putarunt omnia quæ de inferis dicuntur figmenta esse, & illas inferorum pœnas quæ ferantur, in hac vita interpretati sunt. Hodie quoque athei homines, illa quæ de inferis proferuntur, pro inanibus fabulis explodunt, qui suo malo tandem sentient, vera esse quæ nunc non credunt.

Appellationes variæ inferorum in sacris Literis continentur, quas omnes recensere non puto operæ precium. In his verbis Prophetæ, tres continentur. Nomina inferni. Prima est שְׁאוֹל *scheol*, quòd non solum locum damnatorum, sed & fossam atque sepulchrum, vel statum mortuorum, passim in Scripturis significat. Altera est אֵרֶץ תַּחְתִּית *tachthith* terra inferior. Tertia בֹּר *bor* quod pro inferno accipitur, & aliàs foueam, fossam, lacum vel puteum significat. אֵדְמוֹם quoque apud Græcos, vocabulum generale est ad locum tormentorum & quietis.

Vbi locus ille sit, non disertè exprimitur. Scriptura dicit impios ad inferna descendere, vnde colligimus infernum (vnde & nomen accepit) infra nos esse. Vbi sit Numeri 16. Chore, Dathan & Abiron, viui in infernum descendisse, non ascendisse dicuntur. Dauid dicit Psal. 55. Descendunt viuentes in infernum. Hoc loco Prophetæ infernum, terram inferiorem vocat, & reges in eam descendere. Tertullianus, Hieronymus, & alij, infernum in què damnati perpetuò cruciandi coniiciuntur, collocant infra terram. Infernum vbi que esse, vt quidam nostra ætate statuere videntur, sacris Literis non est consentaneum, quæ distinguunt inter loca gaudij & pœnarum. An verò in centro, id est, in medio terræ sit, quod Thomas affirmat, aut alibi non est curiosè disputandum. Deus enim qui in sacris Literis parcè, & quasi obiter de loco inferni meminit, hoc ipso nos admonet, vt modica ista notitia contenti, non plura anxie inquiramus. Si nobis fuisset vtile, plura de inferno dicere, Deus nobis patefecisset. Quin potius ita res nostras instituamus, ne nostro malo discendum sit, vbi & qualis sit infernus.

Quis in infernum deturbetur.

Quis ad inferos, hoc est, ad locum tormentorum præcipitandus sit, ex Scrip-  
N. ij.

pturis non est difficile videre. Paratus est, ipso Christo teste, diabolo & eius angelis, siue ministris. Hoc loco non tantum vulgares homines, sed & reges maximi, nobiles, milites qui eorum impietatem sequuti sunt, ad inferos deturbati dicuntur. Ita. in calce. 30. cap. Tophet (ita vocat infernum, à valle, quæ alio nomine Gehinnon dicitur) etiam pro rege præparatum esse. Sap. 6. potentes potenter à Deo cruciandi dicuntur. Ediuerso si diligentes sint in suo munere, Rex regum gloria maxima eos ornabit. Antichristum cum suis defensoribus in stagnum ardens puluere & pice deturbandum. D. Ioannes in sua Apocalypsi disertè testatur. Christus in genere dicit omnes quotquot non credunt, damnari: hoc per species ab Apollis multis locis explicatur. Animæ impiorum cum primùm migrant à corpore, rapiuntur ad tartara. Quomodo autem corpora etiam in ignibus durare possint, multis exemplis physicis D. August. in lib. suo de Ciuitate Dei ostendit. Die ultimo redibunt animæ ad sua corpora, vt integer homo, vel pœnas luat, vel præmiis afficiatur.

De tormen-  
tis  
tormentis.

Quales verò pœnæ sint, quibus impij in inferno cruciabuntur, variis similitudinibus in sacris Literis adubratur. Infernus enim vocatur ignis æternus, & ignis inextinguibilis, Matth. 18. & cap. 3. mors æterna, item tenebræ exteriores: adumbratur per ploratum & stridorem dentium, per vermem qui non moritur. Si quis in carcerem includatur, ex quo tamen sperat se liberandum, aut in exilium mittatur, quanta est afflictio? Quantum sit tormentum, si quis Deum sibi iratum esse sentiat, ex horribilibus eorum qui sibi manus inferunt exemplis scimus: diues purpuratus in Euangelio testatur se maximos cruciatus perferre. Nulla autem est redemptio ex tantis malis speranda. Quod enim quidam, præpostera quadam misericordia, & dæmones & homines tandem ex cruciatibus liberandos promiserunt, sacris Literis manifestè repugnat.

Harum rerum consideratio nos consolari debet rebus aduersis: & intra officij nostri metas nos continere, ne fracti impiorum successibus, aut quæ nobis inferuntur malis, cum ipsis colludamus, & à Deo deficiamus, sed constanter ad vltimum vsque spiritum in fidei veritate, vitæque puritate persistamus.



## Concio vigesima septima

EZECHIELIS.

HOMILIA CXXXV.

*I* Prophetam iubetur plangere interitum Pharaonis.

CAPVT XXXII.

1



T fuit duodecimo anno, duodecimo mense, primo die mensis, fuit verbum lehouæ ad me, dicendo:

2

Fili hominis, leua lametum super Paroh Regem Misraim, & dic ad eum, Catulo leonis Gentium similis factus es, tu quoque fuisti tanquam cetus in maribus, & educebās flumina



flumina tua, & turbabas cæteras aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina eorum.

3 Sic dixit Dominus Iehouah, Expandam super te rete meum, in cætu populorum multorum, & extrahent te sagena mea.

4 Et relinquam te in terra, super faciem agri proiiciam te & habitare faciã super te omnia volatilia cæli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ.

5 Dabóque carnem tuam super montes: & complebo valles celsitudine tua.

6 Et irrigabo terram natationis tuæ sanguine tuo vsque ad montes, & torrentes replebuntur ex te.

7 Et operiam, quum extinxero te, cælos: & obtenebrescere faciam stellas eorum, Solem nube tegam, & Luna non lucere faciet lumen suum.

8 Omnia alia luminaria lucis in cælo obtenebrescere faciam propter te, dabóque tenebras super terram tuam, dixit Dominus Iehouah.

9 Et irasci faciam cor populorum multorum, quum adduxero contritionem tuam in Gentes, & super terras quas non nosti.

10 Et obstupescere faciam propter te populos multos, & reges horrescent propter te horrore, quum coruscare fecero gladium meum ante facies eorum, & exterrerebuntur ad singula momenta quisque in animo suo, in die ruinæ tuæ.



Hoc caput duos sermones complectitur contra Pharoonem & Ægyptios, eiusdem argumenti cum superioribus, sub alia tamen verborum forma. Quod autem eandem rem non tam propter Ægyptios, ad quos indubiè hæ prophetiæ peruenerunt (Gentiles enim videntur Prophetas Israelis pluris fecisse, quàm ipsi Iudæi, vt ex historia Ieremiæ liquet) quàm propter Iudæos, qui spem suam in illis ponebât, iam antè diximus, toties inculcet & repetat.

Prima parte capituli continetur quinta CONCIO contra Aegyptios, quæ contra gentes decima & ordine XXVII. existit. Principiò ostendit quo tempore dicta sit, nempe anno duodecimo, mensis duodecimi primo die. Numerâdi sunt hi anni à captiuitate Iechoniæ, vel ab initio regni Zedechiæ. Eodem anno sequens quoque concio habita est, non longè post euerfam urbem Hierosolymorum, quæ res excitare & Aegyptios & Iudæos debuit, ne illi se inuictos crederent, & ne hi spem suam in illis collocarent.

Cogitandum erat, Euerfa est Hierosolymorum vrbs, quemadmodum & quando prædictum fuit à Prophetis, igitur Aegyptus quoque, vt illi prædixerunt, vastabitur, ex eodem enim spiritu vtrunque vaticinium profectum est. Sed cæci & amentes, non agebant pœnitentiam. Hodie quoque ex euentu illarum rerum, quas, vt de veteribus nihil dicam, Christus & Apostoli prædixerunt, colligendum est, illa quæ de nouissimo iudicio, resurrectione mortuorum, interitu Antichristi & impiorum, de piorum æterna salute, prædicta sunt, adhuc restant implenda, omnino suum euentum habituræ esse.

*Leua lamentum super Pharoonem.* Prophetam 27. capite Tyrum, 28. capite regem Tyriorum lamentari iussit, hoc loco regem Pharoonem, nimirum ad exprimendum certissimum interitum: nam (vt supra annotaui) non nisi acceptis malis plangimus, rebus adhuc integris semper meliora nobis in futurum promittentes.

Quomodo autem ipsum, nunc Regis, mox totius populi casum iubet lugere, cum iustum fuerit hoc Dei iudicium? multis enim bellum intulerant, & pessime se gesserant, lætari potius debuisse videtur. Deus ostendere voluit, eis tristitia impendere. Sancti aliquando interitum hostium Dei lætitia, interdum lachrymis prosequuti sunt. Lætati sunt non ex pravis affectibus, sed propter Dei gloriam, qui interitu impiorum, veritatem suam declarat, & iustitiam. Sæpe etiam luxerunt, vt Samuel Saulem, Paulus suam gentem, &c. *Catulo leonis Gentium similis factus es.* Regem leoni comparat versanti inter gentes, hoc est, Quod leo est inter alia animalia, hoc tu es inter gentes, vel sensus est, meo iudicio, eum similem esse leoni gentium, hoc est, principi ethnico, qui non minus sit impius & crudelis, quàm illi qui in populo Dei & vera fide non sunt educati. Suprà, leonis catulis filios Iosifæ comparauit. Psal. 10. de impio dicitur, Insidiatur in latibulo, vt leo in cubili suo: insidiatur vt rapiat pauperem, rapit pauperem cum trahit eum in rete suum. Leones nondum adulti, audaces, & cum esuriunt, ferocissimi sunt. D. Petrus in 1. Epist. 5. cap. diabolum rugienti leoni comparauit. *Tu quoque tanquam cetus in maribus.* Ceto iam eum comparat, sicut suprà quoque 29. capite. Nam terræ & mari dominabatur, longè latèque. *Educebas flumina tua, & turbabas aquas pedibus tuis.* Tigurina versio habet: *Qui lasciuisti in fluminibus tuis.* Munsterus: *Qui insolens fuisti.* נגנ *nagach* enim & נגנ *niggach* est cornu ferire, vt boues cornupetæ solent. A cornutis animalibus petitur metaphora, quæ copia pabuli insolentiora ferocioraque redduntur. hoc loco significat impetum piscium. Ceti insequuntur minores pisces, eosque ita ad littus propellunt vt fluctus excitent, & sæpe in littore aquis refluentibus, relinquuntur, & ipsi præda fiant: in aquis ludunt, aquas conturbant. Rex Aegyptius quasi cornibus vicinas gentes ventilauit, vtque piscis vorax reliquos pisces extra aquas propellit: ita ille ex regnis suis reges propulit, aquasque turbauit, vt nemo tutus cum eo viuere potuerit: bellis non necessariis omnia turbauit & miscuit: hæc superbia & tyrannis, fuit causa interitus regis. Hodie quoque illis, qui inter homines idem sunt quod leones inter bestias, & ceti, vel qui nobis noti sunt, lucij inter pisces, item illis qui aquas sapientiæ cœlestis, cœno traditionum humanarum, quique pacem publicam conturbant, vt nemo securus inter eos habitare possit, illis inquam omnibus, licet priuati sint, homines, Deus irascitur, & in sua retia tandem eos impellit. Leo ab Oppiano lib. 1. Halieut. inter cete numeratur, ex quo Aelianus & Suidas repetiere. Multis belluis marinis pedes tribuuntur. Hæc verò verba, de bestia terrestri rectius intelliguntur, quod de aqua pedibus turbata dicitur, ad Pharoonem est referendum *Expandam super te rete meum, in coetu populorum multorum* רשתת *resheth* rete, Forsterus à רשתת *iarasch* hæreditando vel possidendo deducit, quod pisces eo retineantur, & possideantur. חרם *charam* anathema significat, & retis genus exitiale piscibus. Translatio antiqua vertit sarena, à חרם *charam* quod est sine commiseratione tollere: nullo certè misericordiæ affectu tangimur, si pisces occidimus. Adducturum se minatur multos piscatores, qui in rete illam belluam marinam impulsuri sint. Quam grauis sit pœna, si in regionem aliquam adducantur innumerabiles copiar, aliquoties iam diximus piscatores, à quibus similitudo hæc ducitur, nihil pretermittunt, vt pisces capiant, ostendit igitur Nabuchadonosorem diligenter curaturum, vt Aegyptum sibi subiciat, suique iuris faciat.

*Super faciem agri proiciam te: & sedere faciam super te omnes aues cœli.* Prædicat Regem cum exercitu superandum esse prælio, & relinquendum alitibus & bestiis carniuoris, de quo suprà quoque dixit. Pisces quantumuis immanes, si extrahantur in terram, nullo negotio occiduntur, vel alioqui intereunt. Prouerbio dicitur, piscis nequam est nisi recens. Omnibus præfidiis minatur destituendum esse. D. Ioannes in Apocalyp. 19. cap. scribit, sumpto supplicio de meretrice Babylonica, Angelum

Angelum clamasse magna voce, dixissetque aibus, Venite & congregamini ad cœnam magni Dei, ut edatis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & carnes sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum ac seruatorum, &c.

*Dabòque carnem tuam super montes.* Multos hostium metu se in montes conculisse, inque cauernis latuisse, probabile est: at hostes montes quantumuis altos ascendentes occiderunt. *Et complebo valles celsitudine tua.* Munsterus interpretatur, *Tumore cadauerum.* Forsterus, *Implebo valles eleuatione tua*, id est, statura tua excelsa. *ramah* significat eleuationem. Sensus est, Magnis acervis cadauerum exercitus tui, valles implebo. Alij ad tumorem animi regis referunt, ut sit sensus, Omnia cadaueribus exercitus tui implebo, propter quem nimirum tibi placuisti, propter quem superbiuisti.

*Et irrigabo terram natationis tuæ sanguine tuo, usque ad montes.* Hoc est, Ægyptum, quam inundat & irrigat Nilus, in qua videris quodammodo natare, vel quæ tibi natat, hoc est, fecundam reddit Ægyptum, sanguine implebo. Loca illa quæ Sole Cancrû ingrediente, ut Plinius testatur, Nilus irrigat, hoc est, campos patentes, ita sanguine rigabo, ut montes ascendant. Est autem talis hyperbole, qualis illa 2. Regum 21. de Manasse, Sanguinem innocentem fudit Manasse plurimum, donec Hierosolyma ab angulo in angulum impleuit. *Et torrentes replebuntur ex te.* Hoc est, sanguine copiarum tuarum, aquæ in fossis quibus Nilum longissimo spatio terræ immittebant, inficientur sanguine.

*Et operiam cum extinxero te, calos.* Extincto rege, magnam fore per totam Ægyptum consternationem, prædicit. Similis locus extat Isa. 13. cap. de excidio Babylonis. Stellæ cælorum & sidera eorum non splendebunt lumine suo. Ioelis 2. cap. de exercitu Assyriorum aduentante, prædicens: Coram eo contremiscet terra, inquit, commouebuntur cæli, Sol & Luna obtenebrabuntur, & stellæ contrahent splendorem suum, &c. In maximis terroribus, & extremo periculo constitutos, visus deficit: nocte obscuriorem esse diem opinantur. Seneca quoque dicit, mœrorem visum hebetare. Subito metu consternati, nesciunt quò se vertant. Nos quoque ab omnibus deserti, Germanica lingua dicimus, nullam stellam nobis lucere, hoc est, nos inopes esse consilij, incertos esse quid agamus, quò nos vertamus: Tenebræ in Scripturis, afflictiones & luctum significant: in tenebris sedere, est in luctu versari. Mich. 7. cap. Etsi in tenebris sedeam, Dominus mihi lux est. Pij in mediis afflictionibus se erigunt spe Diuini auxilij, non desperant, scientes quòd Deus inter affligendum paterno in fideles est affectu præditus, neque ut eos perdat, afflictiones eis immittit, &c.

Lux & tenebræ quid significant.

*Et irasci faciam cor populorum multorum, &c.* Munsterus rectius videtur vertisse: *Commouebo cor, &c.* *וַיַּאֲזִיב* non solum significat commouere ad iram & indignationem, sed alios quoque tristes affectus. Est enim simplex sensus huius loci. Multi populi cum audierint contritionem, hoc est, cladem, tæque viderint in gentes dispergi, obstupescunt & metu commouebuntur. Lugebunt ex iis quæ tibi acciderunt, coniciunt quæ sibi mala impendeant. Si intelligas, ad iram eos commouebo, erit sensus: indignabuntur regni Babylonio, quòd tot gentes euertat, tot homines in captiuitatem abducat, tot regiones populetur ac vastet. Pristinæ item recordati tyrannidis, se crudeles erga te præbebunt.

*Et obstupescere faciam, &c.* Non solum populi, sed Reges quoque obstupescunt cum viderint gladium huc illuc volare, & quasi in oculis suis vibrari. Non enim statuere poterunt, an amicorum vel hostium loco, confecto bello Ægyptiaco, eos habiturus sit. Quid sibi fieri possit secum expendent, quæque sit rerum humanarum inconstantia.

*Et exterrebuntur ad singula momenta.* Arrecti erunt omnium animi ad ex-

peccationem euentus belli. Omnibus horis & momentis metuent & reges & populi, ne in se tota belli moles vertatur: ita enim fit temporibus dubiis & difficilibus. Non autem satis est dubium pendere, sollicitéque exitum expectare, sed in his turbis, toto pectore ad Deum conuersi ipsum orare debemus, ne secúndum peccata nostra nobiscum agat, sed per Filium suum nobis sit propitijs.

HOMILIA CXXXVI.

*J Egyptum à rege Babylonis vastandam esse prædicit.*

11 Quia dixit Dominus Iehouah, Gladius regis Babel veniet tibi.

12 Gladijs fortium cadere faciam multitudinem tuam: fortes Gentium omnes ipsi, & vastabunt superbiam Misraim, disperdeturque vniuersa multitudo eius.

13 Perdam omnia iumenta eius, vt desinant esse iuxta aquas multas, neque turbabit eas pes hominis ultra, & vngula iumentorum non turbabunt eas.

14 Tunc immergi faciam aquas eorum, & flumina eorum velut oleum deducam, dixit Dominus Iehouah.

15 Quum dederò terram Misraim in desolationem & desolata fuerit terra à plenitudine sua, quando percutiam omnes habitantes in ea: & scient quòd ego Iehouah.

16 Planctus est, & plangent eam, filia inquam Gentium plangent eam: super Misraim, & super omnem multitudinem eius plangent, dixit Dominus Iehouah.

**P**rophetæ regibus, vrbibus & populis non solum pœnas prædicunt, sed etiam causas earum commemorant, cuius rei in Propheta nostro multa habuimus exempla. In hoc capite, iussu Domini lamentatur Propheta miserabilem casum regis Pharoonis: simulque causas illius aspergit: nempe eius superbiam, tyrannidem & iniustitiam. Sapiens pronunciat, iustitia regna conseruari: perduntur itaque iniustitia. Hæc omnes magistratus & priuati quoque homines considerare debent. Deus enim in regibus, & etiam humilis fortunæ hominibus iniustitiam & violentiam detestatur. Pœnas multis verbis recenset: vltimum fuit quod dixit, se terrorem incussurum populis & regibus, gladio huc & illuc volitante: vt autem sciamus quis iste sit gladius, iam manifestius loquitur. *Gladius regis Babel ad te.* supple, veniet, nimirum vt te excindat.

*Gladius fortium cadere faciam multitudinem tuam.* Rex Babylonius secum adducet fortissimos milites. גיבורים *gibborim* significat heroes, gigantes, potentes. Isâ. 49. Deus suum populum promissione confirmandus, quòd ei affuturus sit contra suos hostes, Nūquid auferetur, inquit, ab heroe præda? Ier. 20. Propheta se ipsum erigens cum in carcerem coniceretur, Iehouah, inquit, est mecū tanquā heros præualidus, &c. quæ verba cōsolationis plena ad singulos fideles pertinet. Per multitudinē, intellige vel exercitum numerosum, quē Pharoonē contra hostes eduxisse, vel promiscuam multitudinē, cui iram victoris non pepercisse admodū est credibile. Pleraq; suprà habuimus, ideò sum breuior. *Qui oēs fortes sint ex gētib;.* Mun. vertit, grassatores: suprà quoq; 28. hæc vox ponitur. Vulgata versio habet, inexpugnabiles, Adducam

Adducam bellicosissimos ex omnibus gentibus. Vnicus dux rei militaris peritus & fortis, exercitum quantumvis ignauium & timidum sua oratione non raro excitat ad virtutem. Hinc egregium illud Chabriæ Atheniensium imperatoris dictum, quod & Philippum regem vultu passe fertur, formidabiliorem esse ceruorum exercitum leone duce, quam leonum duce ceruo. Si nunc plures sint fortes duces, quin si omnes milites, armis, viribus & animorum vigore polleant, quid non efficerent? *Vastabunt superbiam Aegypti. Munsterus reddit, Magnificentiam.*

*Perdam omnia iumenta eius, ut desinant esse iuxta aquas multas. Aegyptum diximus habuisse multas fossas, quibus aquæ inductæ sunt in agros, prata & pascuæ: ex pratis illis irriguis pecora hostis abduxit, ut nulla in illis amplius errarent. Neque turbabit eas pes hominis ultra. Homines & pecora ex Aegypto auferentur, ut pedibus suis aquas deinceps non sint conturbaturæ. Tunc immergi faciam aquas eorum. Munsterus vertit, Profundas faciam. Fortiter, Deprimam. Altas & profundas faciam, id est, tranquillas, sedatas & limpidas. Sunt enim aquæ profundæ limpidae. Aegyptij Nilum, illis quoque in locis, ubi ripa altior est, operosis machinationibus maximisque conatibus educunt, ut possint irrigare agros, hortos, prata sua: sed iam pleno alueo fluet: nemo enim supererit, qui fossas novas deducat ex Nilo, & oblimatas detergat.*

*Flumina eorum veluti oleum deducam.* Hoc est, limpidissima erunt, parique claritate cum oleo: quia neque homines neque pecora fossas transibunt, ut aquæ turbidæ reddantur, neque huc atque illuc eas deriuabunt, ideo leniter & placidè fluent.

*Cum dederò terram Aegypti in desolationem, &c.* Hæc fient cum cæsis hominibus & pecoribus, bona mobilia auferentur, & Aegyptus in vastum desertum redigeretur.

*Planctus est & plangent eum filia gentium.* Hæc ponuntur vice epilogi: ac si dicat, Hactenus audistis nœniam, quam per omnia oppida canet: vel hæc est lamētatio qua lamentabilē casum Aegypti deplorabunt filia gentiū, hoc est, mulieres in diuersis gentibus. Etenim mulieres audientes de miserando excidio vrbium, sibi à lachrymis temperare non potuerunt. Moris quoque fuit, ut res memoratu dignæ carminibus comprehensæ vulgò decantarentur. Vel aliarum gentium vrbes, pristinam felicitatem Aegypti eiusque Regis considerantes & subitam commutationem factam lamentabuntur. Quid verò hæc audire nostra interest? Plurimum. Etenim quæ Deus ante multa secula detestatus est, hodie quoque detestatur. Eisdem ob causas hodie quoque regna & populos euertit, ob quas florentissimum Aegyptiorum regnum olim perdidit. Quamobrem alienis malis sapere discamus, ne tandem eadem nos magno nostro malo experiri oporteat.



# Concio vigesima octava

## E Z E C H I E L I S.

HOMILIA CXXXVII.

### *Comminatur temporalem & aternam pœnam Ægyptijs.*

17 Et fuit duodecimo anno, decima quinta die mensis, fuit verbum lehouæ ad me, dicendo:

18 Fili hominis, plange super multitudinem Misraim, & deice ipsam, ipsam inquam & villas gentium nostrarum ad terram inferiorum, cum descendantibus in sepulchrum.

19 Quoniam iucundior es: descende, & dormi cum incircuncisis.

20 In medio interfectorum gladio cadent: gladio data est, trahite eam, & omnes populos eius.

21 Loquentur ei fortes potentium de medio inferni, cum auxiliatoribus eius, qui descenderunt & dormierunt cum incircuncisis interfectis gladio.

Repetitio-  
nū vtilitas.



Ecunda parte huius capituli cōtinetur sexta & vltima CONCIO vel prophetia contra Ægyptum, quæ ordine xxviii. contra gentes vndecima, & eiusdem est argumenti cum superioribus, nempe perituram Ægyptum. Ex eo autem quod vnam eandemque rem toties repetit, discimus quàm misericors sit Dominus, qui toties homines admonet de futuris malis, vt si qui boni malis permixti sunt, vel in medijs pœnis ad Dominum conuertantur. Deinde discunt ministri Verbi, magistratus, & alij, vt non contenti sint semel dixisse quod oportet, etsi absque fructu id fieri putent: homines enim cū sint somniculosi subinde eos expergefacerere oportet. Principiò tempus quo ei hæc prophetia reuelata sit, ostendit, nempe duodecimo mense, die 15. mensis, nimirum duodecimi, quem ob id quidam à Propheta non expressum esse volunt, quòd occasionem dare voluerit lectori, hoc vaticinium connectēdi cum superiore. Iubet Prophetam querelam suscipere hoc est, lamentabilem interitum illis minari, & primùm quidem quod corpus, deinde quod animam attinet eos interituros esse.

Deice ipsam, & filias gentium robustarum ad terram inferiorē. Dei opus est ad inferos ducere, & ab inferis reducere. Hoc tribuitur Prophetæ, & est sensus, denuncia eis deiiciendos esse ad inferos, atque sic Propheta clauis inferni habuit. Ad Apostolos dicitur Ioan. 20. Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Deus solus peccata remittit, sed Apostoli dicuntur remittere, quia prædicatione verbi pœnitentiam agentibus remissionem peccatorum promiserunt: retinere, quia prædicatione verbi pœnitentiam non agentibus damnationem comminati sunt. Hæ sunt illæ clauis, quas Christus non soli Petro, sed alijs quoque Apostolis Matth. decimosexto cap. quin

Quomodo  
ministri Ec-  
clesiæ pecca-  
ta remittāt.

quin toti Ecclesiæ, Matth. 18. tradidit. Et ratas habet suorum minas & promissiones, ex verbo Dei factas. Papa sibi arrogat potestatem animas demergendi in bathrum, & reuocandi: sed quia cōtra Dei verbum, impiis bona promittit, piis dira minatur, non curandæ sunt vel minæ vel promissiones ipsius. Per filias rursus oppida & vicos intelligit.

*Quònam iucundiores? quàmnam dignitate aut maiestate alios antecellis.* Sensus est, Fuerunt ante te non minus potentes & opulenti, qui miserè interierunt: cur te effers supra reliquos, sperando te perpetuò tuam dignitatem retenturum? *Du blibpst noch vvol by anderen.* Idem hodie cogitent hostes Euangelij: putatisne vos, ô infelices, Euangelium deleturos, quod tot potentes monarchæ frustra conati sunt? Speratisne vos sceneratores, opes vestras, quas dolis & fraudibus collegistis diurnas fore, cùm omnium aliorum malè dispersæ sunt? Speratisne vos ebrij, quod impunè laturo sitis ebrietatem, cùm alij omnes graues pœnas dependerint? Idem iudicandum de aliis scelerum formis. Reges qui bella non necessaria mouent, cogitent idem aliis infelicitè cecidisse. Alij hæc verba ita reddunt: *Ab eo quo speciosior tibi videris descende*, hoc est, ex illa dignitate & fastigio, in quo constitutus es deturbaberis, vtcunque pulchra es, tamen tibi descendendum est ad tartara. Prior expositio videtur simplicior: quanquam ad sensum parum interest.

*Descende & dormi vel iace cum incircuncisis.* Prophetico more imperando quid futurum sit prædicit: nēpe ex gradu suo deturbandos & ad præputiatos colligendos esse, hoc est, ad homines impios & sceleratos. De hac dictione aliàs. *In medio intersectorum gladio cadent*, hoc est, non minus interibunt quàm alij: non sunt, vt ipsi sibi videntur, *ἀτεγροί*. *Gladio data est.* Aegypti multitudo iam internecioni est tradita. vetus translatio habet, *Gladius datus est*, nimirū regi Babylonio vt eam debeat. Sensus eodem recidit. *Trahite eam, & omnes populos eius.* Aegyptum, hoc est, impiam eius multitudinē in penetralia inferni trahite. Ostendit hæc quæ prædixit, certissimè eis atque mox euentura esse. Non itaque semper tutum est exemplum multitudinis sequi, quo tamen multi ad suorum scelerum errorumque defensionem vtuntur.

*Loquentur ei fortes potentiam de medio inferni.* Prosopopœia est prophetica: nā tyrannos qui olim fuerunt potentia illustres, & nunc apud inferos degunt, facit alloquentes Pharoonem ad se venientem, eiusque fœderatos atque socios, qui vnà occubuerunt, ceu excipiant eos sarcasms, iridentes eos, quòd cùm putarint se perpetuò in terris victuros, iam etiam ad Plutonem nō sine cæde & vulnere descendant. Suprà attulimus locum Isa. 14. ca. de rege Babylonio, pompa descendente ad inferos. Quòd autem potentes principes, & reges, in tartara deducuntur, indicio nobis est, quòd Deus nō solùm plebis, sed præcipuè principum scelera odio habeat, & maximis pœnis prosequatur. Quod obseruandum est contra illos adultores, qui ad magnorum virorum scelera conuiuēt, quæ in pauperculis grauiter taxant. Obseruabimus & hoc, quòd & Rex & eius auxiliarij ad tartara deiiciuntur. Etenim & qui mala patrant, quique nefarios ipsorum conatus iuuant, dant pœnas. Et si verò illi suorum scelerum principes pœnas persoluant, tamen hi propterea non erunt à pœnis immunes.

## HOMILIA CXXXVIII.

*¶ Adducit exempla eorum, qui animo & corpore interierunt.*

22 Ibi Assur & vniuersus cætus eius, in circuitibus eius erūt sepulchra eius: omnes ipsi interfecti gladio.

23 Cuius sepulchra iam posita sunt in lateribus sepulchri, estque cætus eius per circuitus sepulchri eius: omnes ipsi interfecti ceciderunt gladio, qui dederunt formidinem in terra viuentium.

24 Ibi Elam & vniuersa multitudo eius per circuitus sepulchri illius: omnes hi interfecti ceciderunt gladio, qui descenderunt incircuncisi ad terram inferiorum: qui dederunt terrorem suum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam suam cum descendentibus in sepulchrum.

25 In medio interfectorum posuerunt cubile ei cum vniuerso populo eius, per circuitus eius sepulchra eius, omnes ij incircuncisi, interfecti gladio, quia datus est terror eorum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam suam cum descendentibus in sepulchrum, in medio interfectorum positus est.

26 Ibi Mesech, Thubal, & omnis multitudo eius, in circuitibus eius sepulchra illius: omnes ij incircuncisi, interfecti gladio, quia dederunt formidinem suam in terra viuentium.

27 Et non dormient cum fortibus, qui ceciderunt de incircuncisis, qui descenderunt ad infernum cum armis bellicis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis: sed erunt iniquitates eorum super ossa ipsorum: qui terror fortium illorum fuit in terra viuentium.

28 Tu verò in medio incircuncisorum contereris, & dormies cum interfectis gladio.

29 Ibi Edom & reges eius, & omnes duces eius, qui positi sunt in fortitudine sua cum interfectis gladio: ipsi cum incircuncisis dormient, & cum descendentibus in sepulchrum.

30 Ibi principes Aquilonis omnes, & vniuersi Sidonij, qui descenderunt cum interfectis, in terrore suo à fortitudine sua pudore affecti sunt, & dormierunt incircuncisi cum interfectis gladio, & portauerunt pudorem suum cum descendentibus in sepulchrum.

31 Illos videbit Paroh, & consolationem accipiet super vniuersa multitudo sua: interfecti gladio erunt Paroh, & vniuersus exercitus eius, dixit Dominus Iehouab.

32 Quia dedi terrorem meum in terra viuentium: & dormiet in medio incircuncisorum cum interfectis gladio, Paroh & vniuersa multitudo eius, dixit Dominus Iehouab.



In ultimo hoc vaticinio contra Ægyptios Propheta pœnam qua afficiendi sint, disertè exprimit. Et primùm quidem, opibus, potentia, estimatione, vita spoliandos ostendit, deinde animas quoque ipsorum æternùm perituras esse. Vnde colligimus, illos perperam sentire, qui negant impios, qui in hac vita puniuntur, in altero seculo denuò plecti. Adducunt locum ex i. cap. Nahum, Deum non punire bis in idipsum. Cuius loci hic est genuinus sensus: Deum Ninive euersurum per Chaldæos, ac tam fore vastationem vehementem, vt non necesse sit eam denuò affligere. Disputatur de illis qui in diluuiò & Sodomis corpore perierunt, an anima quoque perierint. Simplex illo-

Nahum locus ex i. ca. explicatur.



rum est sententia qui dicunt omnes quotquot in medijs illis pœnis pœnitentiam egerunt, æternam salutem esse consecutos, qui minus, animæ insuper iacturâ fecisse. Certè Deus non vno loco: illis qui leuiiores pœnas contemnunt, grauiiores comminatur: illis verò qui afflictû respiscunt, se propitium fore promittit. Hoc loco audimus reges & gentes bellicosas, quæ in hoc seculo à Deo punitæ sunt, in altero quoq; quia absque fide & pœnitentia decesserunt, seculo puniri. In omnibus impijs, ærumnarum huius vitæ præludijs, inchoantur æterna supplicia. Prius dixit Propheta, Pharaonem cum suis excipiendum esse ab illis qui sunt apud inferos: iam qui ibi sint per species explicat, nêpe Assyrii, Persæ, Cappadoces, Iberi, Idumæi, Sidonii &c. Audiamus Prophetæ verba. *Ibi est Assur & omnis congregatio eius, & per circuitû eius erûnt sepulchra eius.* In medio inferni est Assyrius inter præputiatos, cû omni populorum eius multitudine, & circa ipsum sepulchra Ægypti: vt sit sensus, Quemadmodum Assyrii perierunt, ita Ægyptii perdentur. De Assyrijs superiore capite dictum est. Pœnas eorum dicit D. Hiero. sepulchra dici. Constat enim non eodem loco Ægyptios esse tumulatos, quo Assyrij. Loquitur de corporibus impiorum ac si sepeliantur in inferno cû nemo ibi sepeliatur, fortè vt ostendat animas non inde redituras, donec ad iudicandum Christus venerit.

*Omnes ipsi interfecti gladio.* Assyrij interfecti sunt gladio: Ægyptij interficientur, similem igitur habebunt vitæ exitum.

*Cuius sepulchra posita sunt in lateribus sepulchri.* Assyriorum sepulturam in lateribus laci dicit esse, hoc est, in medio foueæ, id est, in vltimis recessibus: idem est, quod in circuitu.

*Estque cœtus eius, per circuitus sepulchri eius.* Ægypti cœtus est circa sepulchrum Assyrij: explicat præcedentem versum. *Dederunt formidinem in terra viuentium.* Terrorem atque formidinem incusserûnt terræ Israeliticæ, quam ideo volunt terram viuentium dici, quòd Israelitæ Deû viuentem colerent, qui vitam ex seipso habet, eamque alijs largitur, reliqui dij reuera dij non sunt: deinde quòd veri Israelitæ cum Deo æternam victuri essent. Alijs mox gentibus etiã exprobrat, quòd terrori fuerint terræ viuentium, hoc est, armis vexarint Israelitas, præcipuè veræ religionis odio, quod maximum esse peccatum, cû multis ostendi possit, sufficiat nobis quod Christus ipse Matth. 25. dicit, Amen dico vobis, quod non fecistis vni de minimis his nec mihi fecistis, &c.

*In medio posuerunt cubile ei.* Cubilia apud inferos finguntur, & dormire apud inferos dicuntur impij, non quòd animæ eorum, sequestreatæ à corpore quiescant sed vt ostendat ibi perpetuò mansuros.

*Ibi Elam.* Per Elam Persas intelligunt: de quibus idem dicit, quod antè de Assyrijs, nisi quòd addit, eos portasse ignominiam suam, hoc est, affectos esse ignominia. Multi qui olim omnibus fuerunt formidabiles, contra quos nemo vel hircere ausus est dum viuerent, nunc pessimè audiunt: liberè nunc omnes in eorum scelera inuehuntur, vt Neronis, Diocletiani, & aliorum tyrannorum: nemo est qui non potius illorum sortem eligeret, quibus illi terrori fuerunt, quàm ipsorum. Ignominia & confusio est cum damnatis.

*Ibi Mesech, Tubal & omnis, &c.* Mesech, vt annotat D. Hieronymus, Cappadoces: Tubal, alij Iberos, alij Italos interpretantur: hos ostendit descendisse ad terram inferiorum, scilicet locorum, vel terram nouissimam. Hieron. interpretatur profundum inferni. Non quòd omnes, quotquot ex illis gentibus fuerunt, æternum perierunt (Deum enim inter omnes gentes suos quoque electos habuisse, non est dubitandum) sed quòd multi ex eis æterno exitio fuerint destinati.

*Et non iacebunt cum heroibus, qui ceciderunt de incircumcisis, qui descenderunt in infernum vel foueam cum armis suis.* Non tam bona erit eorum conditio atque heroum, qui vel naturali morte decedunt, vel in prælijs à parte victorum occumbunt, illi

Assyrij.

Terra viuentium.

Cappadoces Iberi.

enim honorificè sepeliuntur, induuntur armis, ad capita ipsorum ponuntur gladij. Gyraldus in libello suo de sepulchris & vario sepeliendi ritu, se vidisse & arma & ocreas in vetustis monumentis repertas, scribit. *Erunt iniquitates eorum super ossa eorum.* Cadavera ipsorum vorabuntur à bestiis, ossa hinc inde spargentur, idq; iusto iudicio Dei, punientis eorum crudelitatem, & alia scelera.

*Et tu in medio incircumcisorum contereris.* Tu Pharo cum aliis præputiatis dabis pœnas.

Idumæi.

*Ibi Edom & reges eius.* Idumæi qui multos reges & principes habuisse, atque summo odio gentis Iudææ laborasse leguntur, dederunt pœnas, etenim cum suo robore descenderūt in infernum, hoc est, Et si viribus magnis præditi essent: tamen extincti, & ad tartara præcipitati sunt. *Ibi principes Aquilonis omnes.* Babylonios quoque ibi esse ostendit.

Babylonij & Sidonij.

*In terrore suo à fortitudine sua, pudore affecti sunt.* Dum aliis terrorem incutiunt, suarum virium eos puduit, nihil enim effecerunt suis viribus & copiis.

*Consolationem accipiet.* Rex Pharo gaudebit si alios quoq; præsertim potentiores, pœnas dare videat, miseros enim consolatur hoc, si habeant socios miseriarum suarum. *Dedi terrorem meum in terra viventium.* Sensus est, Vixi sum eo ad terrendum Iudæos. Pharo fuit formido Dei, per hunc aliis formidinem incussit.

Omnibus moriendum.

Ex his verbis duo elicimus. Primùm hanc esse sortem & conditionem nostram, ut nobis omnibus moriendum sit, & citius plerunque, quàm ipsi putemus. Quotidie experimur mortis necessitatem, neque prudentia, neque robore, neque opibus, neque astutia auerti posse. Migrarunt ex hoc seculo, quotquot ante nos fuerunt, tam boni quàm mali. De patriarchis legitur, quòd diu vixerint, tandem subiicitur: mortuos, vel ad patres suos collectos esse. Hæc via est vniuersæ carnis, quam velint nolint etiam dormientes ambulant. Gentes illas quantumuis feroces & bellicosas per mortem sublatas audimus. Sæpe viros robustos, intra paucas horas, aliquando subitò, videmus extinguì.

Anima non interit.

Deinde colligimus, hominem non profus interire, ut Epicuræi olim senserunt, qui animarum immortalitatem negabant, quorum hodie quoque non pauci reperiuntur: sed meliorem eorum partem, animam scilicet, superesse. Homo constat corpore & animo. Corpora tam bonorum quàm malorum sepeliuntur,

Corpus resoluitur in sua elementa.

vel alioqui in sua elementa resoluntur. Quod verò animas attinet, piorum animæ mox recipiuntur in locum quietis. Plerique ex vetustis patribus animas

Animæ piorum saluantur.

piorum ante Christi in hunc mundum aduentum, collectas esse dicunt in locum quietis, qui sinus Abrahæ dicitur, in quo caruerint conspectu Dei, post ascensionem verò Christi, ex illo loco in Paradisum fuisse translatos, vel in cœlos ubi Dei conspectu fruuntur. Quanquam non desint ex veteribus & recentioribus,

Animæ impiorum dantur.

qui dicant animas vsque ad nouissimum diem dormire, quem errorem Scripturæ inscitia peperit. Animæ verò impiorum cum à corporibus separantur, statim deferuntur in locum supplicij, qui à Propheta terra vltima dicitur. Duo illa receptacula animarum, nempe purgatorium & limbus puerorum, de quibus pontificij multa disputant, nescit sacra Scriptura. Animas verò non dormire, sed statim in alterutrum locum venire, cum exemplum latronis in cruce, tum alia Scripturæ sacre manifesta loca declarant. Animæ verò tam bonorum quàm malorum

Animæ ad corpora redibunt.

vltimo die resuscitatis corporibus iterum copulantur, ut vel æternùm cum Deo in cœlis sint, vel cum impiis & diabolis apud inferos. Harum rerum diligens & assidua consideratio, erigere nos debet si offendamur prosperis impiorum successibus: audis enim vices esse rerum. Gentes illæ victoriosæ, & hominum iudicio fœlices ad inferos deturbantur: veri autem Israelitæ, quos illæ opprefferunt, æternis gaudiis fruuntur. Studendum veræ religioni & pietati, ne tandem iisdem cum impiis pœnis inuoluamur.

Duo præcipuè de illis commemorantur, quos hoc loco ad tartara deturbatos dicit: primùm quòd fuerint præputiati, hoc est, alieni à populo Dei: per signum enim intelligit rem signatam. Alioqui enim constat non omnes, qui externè circumcisi fuerunt, internè quoque fuisse circumcisos, & è contra. Idem de Baptismo quoque dici potest. Homines alieni à fœdere Dei arcentur à regno eius. Deinde obiicit eis quòd terræ viuētium terrorem incusserint, hoc est Dei populum vexarint. Atrox est peccatum, hodie autem admodum frequens, si quis cultoribus Dei, propter veræ religionis professionem bellum inferat, eos fortunis spoliaret, in exilium pellat, aut aliis modis vexet: si verò quis contra conscientiam lucri causa id faciat, peccat grauius. Cauendum itaque nobis est cùm ab his, tum ab aliis peccatis, ne in tartara ad impios illos populos deturbemur. Præcipuè verò principes & Ecclesiastæ, quibus populi cura commissa est, suum munus diligenter facere debent. Hæc enim à Deo nobis omnibus proponuntur in hunc finem, vt aliorum malis admoniti cautiore reddamur. Quòd si contempserimus aliorum exempla & minas ex verbo Dei petitas, tandem re ipsa intelligemus, quàm malè nobis cõsuluerimus.



# QVARTA PARS LI

BRI E ZECHIELIS.

## Concio vigesima nona

HOMILIA CXXXIX.

*¶ Parabola speculatoris officium Prophetæ describit.*

CAPVT XXXIII.

1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
 2 **F**ili hominis, loquere ad filios populi, & dic ad eos, *Quum*  
*induxero super terram gladium, & tulerint populus terræ*  
*virum vnum de nouissimis suis, & posuerint eum sibi specula-*  
 torem:

3 *Et ille viderit gladium venientem super terram, claxeritque buccina, & præ-*  
 monuerit populum:

4 *Quicumque audierit sonitum buccinæ, & non obseruauerit, veneritque gladius,*  
 & tulerit eum, sanguis eius in caput eius erit.

O.ij.

5 Sonitum buccinae audivit, & non se observavit: sanguis eius in ipso erit: qui autem observaverit se, animam suam cruit.

6 Speculator verò si viderit gladium venientem, & non clamaverit buccina, & populus non custodierit se, veneritque gladius, & tulerit ex eis animam suam: ipse propter iniquitatem captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris eius requiram.

7 Tu autem fili hominis, speculatorem dedit domui Israel, & audies de ore meo verbum, & pramonebis eos ex me.

8 Quam dixerò impio, Impie, moriendo morieris: & non fueris loquutus, ut se custodiat impius à via sua: ipse impius propter iniquitatem suam morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

9 Quòd si tu admonueris impium de via sua, ut avertatur ab ea, & non fuerit avertus à via sua: ipse propter iniquitatem suam morietur, & tu animam tuam liberasti.

**P**ostquam exteris gentibus, iudicium Dei denunciauit: redit iam deinceps iterum ad gentē Iudæorum. Habet autem noua hæc pars huius libri; quæ per septē capita protenditur, multa præclara, de quibus suis locis audiemus. Præsenti capite cōtinetur **C O N C I O X X I X.** Prophetæ. Quo ad initium eius, similitudine speculatoris officium propheticum depingitur. Præmittitur *πρόβουλος* siue prima pars similitudinis: postea subiūgitur *ἀποδοῦναι*, hoc est, altera pars. Similem concionem supra 3. cap. habuimus. Ideo autem eandem rem videtur repetere, quòd plurimum referat, proceres populi, qui excubitoribus comparantur, suum officium facere. Prima pars huius parabolæ est aperta. Si belli temporibus aliquis in speculam ponatur, ut hostis aduentum tuba significet, & is hoste irruente dederit signum, excusabitur à culpa, sin verò non dederit signum, in culpa erit.

*Populi tui.* Theodoretus annotauit, Deum propter scelera Iudæorum offensum, non amplius domestico nomine uti: non enim suum populum, sed Prophetæ vocare, &c. *Virum vnum de nouissimis eius.* Hoc est, de medio corū: vel de mediis finibus, hoc est, de regione sua. Lyranus dicit, quosdā exponere de inferiore populo, vel de excellentioribus, nouissimū enim dici in ascendendo & descendendo. Qualiscunquē aliquis sit, nisi homines admoniti ab eo, sibi caueant, damno afficiuntur. *Cum induxero super terram gladium.* hoc est, Si bellum ad puniendum scelera incolarum regionis alicuius inferre decrevero: per gladium alia quoque pericula intellige. Obserua autem quòd Deus hæc immittat, & non casu accidant.

*Sanguis eius in caput eius erit.* Si speculator signum dederit, ille verò qui illum instituit, contempserit, sanguis eius erit in capite, suo, hoc est, ipse causa erit suæ mortis, non poterit id speculatori imputare: qui verò signum obseruarit liberabitur. Utile est ut periculosos temporibus constituentur speculatores & vigiles. Hi diligenter aduigilare debent, ne exercitus vel homines sibi crediti, damnum accipiant. Si in officio suo negligentes sint, & populus aliquis magno damno afficiatur propter eorum somnolentiam vel perfidiam, grauibus pœnis afficiuntur. Quamquam autem constituendi sunt vigiles, nihilominus tamen eorum cura & sollicitudo nihil prodest, nisi Dominus pro populo aliquo vigilauerit. Neque satis est vigiles commissum sibi munus exequi, nisi homines obseruēt signa. Magis necessarium munus episcoporum (nō loquor de illis quos vulgò episcopos vocamus. sed de veris & fidis Ecclesiarum ministris) præsertim deploratis illis temporibus.

Sequitur

Vigilum officium.

Sequitur iam redditio similitudinis. *Speculatorem dedi te domui Israel.* Deus Ezechielem atque alios vigiles & speculatores dedit domui Israel. Hodie quoque Israeli, hoc est, Ecclesiae suae dat Ministros. Ad Ephel. 4. capite. Et idem dedit, alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores ac doctores, ad instaurationem sanctorum, &c. Et si autem hodie homines Ministros deligant, & ad ministerium Ecclesiae eos ordinent: tamen illa electio si sit legitima, diuina potest & debet dici. Quia verò Deus illos constituere dicitur, orandus est, ut bonos & fidos suo populo praeficiat.

*Audies de ore meo verbum.* Quodnam sit Prophetæ officium ostendit: nempe ut impios ab impietate sua reuocet, certissimumque eis exitium praedicat, nisi poenitentiam egerint.

*Premonebis eos ex me.* Verbis Dei, ventura mala praedicanda sunt. Comminantur quidam dirissima quaeque hominibus, at non ex verbo Dei, sed hominum placitis, suoque cerebro, ideòque terri culamentis inanibus eos territant.

*Quum dixerò impio, &c.* Ostendit fructum diligentiae, & damnum negligentiae episcopi. Si contra impium mortis sententiam feram, dicit Dominus, tu verò illis non indicaris ut poenitentiam agant, ille quidem peribit, sed à te interitus illius causas exigam. Si verò tu omnia impio indicaris quae volo, & ille te contempto permaneat in sceleribus, ille iustas dabit poenas, tu verò te ipsum à poenis liberabis.

Obseruanda sunt hoc loco haec membra. I. Si impius in viis suis malis pergat, hoc est, poenitentiam non agat, siue admonitus sit à Propheta, siue minus, dabit iustas poenas. Non audisse speculatorem, non tollit peccatum.

II. Si impius à viis suis malis deflexerit in vias bonas, hoc est, si poenitentiam agat, peccatorum remissionem consequetur. III. Si Propheta frustra impios ad poenitentiam adhortentur, nihilominus tamen Prophetae excusationem merentur. IIII. Si Prophetae impios non hortentur ad poenitentiam, neque eos reprehendant, iusto quidem iudicio percunt impij, tamen eorum mors Prophetis imputatur.

Discunt itaque Prophetae ne timore periculorum, aut aliis causis se impediti patiantur, quo minus officium sibi iniunctum strenuè exequantur. Non valet illa vsitata excusatio, Laterem lauo, surdis cano fabulam: sed tempestiuè & intempestiuè instandum est, reprehendendi sunt peccantes. 2. ad Timoth. 4. capite, talentum cuique creditum non est defodiendum, Matth. 25. capite. Proceres quoque Reipublicae patres familias & iudi moderatores, haec ad se transferre debent.

Viri politici saepe queruntur, flagitiis non posse obsisti, Religionem veram non posse plantari, se illorum opera destitui quorum magna sit auctoritas, paucos esse qui veram doctrinam intelligant aut quibus cordi sit. Si operi manum admouerent, Deus alios eis adiungeret, eorumque conatibus benediceret. Sed finge eos nihil promouere, tamen si illi nihil dissimulent, iustitiamque perpetuò defendant, suo officio functi sunt. Idem de parentibus & patribus familias dici debet, qui pacatiore erunt animo, quomodocunque postea res cadant, si ipsi officium suum in increpandis & castigandis liberis & domesticis suis, non neglexerint.

Homines quoque qui ab ecclesiasticis propter impietatem & scelera reprehenduntur, non indigno animo id ferant: sed cogitent primum hoc esse officium speculatorum, ut maturè indicent pericula, & nisi indicent, Deo poenas daturus esse: deinde hoc in bonum cedere illis qui reprehenduntur. Nec est quod dicant, se à iuuenibus non velle reprehendi, nam si in specula constituentur iuuenes,

non minus pericula indicare debent, quàm fenes. Videmus etiam quanta sit hominum oscitantia, qui cum indignè ferant, si speculatores sint negligentes in officio, episcopos tamen, qui suum officium diligenter faciunt, nequaquam ferre possint, vellent eos ad scelera conuiuere.

## HOMILIA CXL.

*Promissione misericordiae Dei desperabundos erigit: utque iusto, si à recta via deflexerit non profutura sint priores iustitia: ita impio, si in viam redierit, priora scelera non obfutura: Deumque in omnibus suis iudicij iustum esse ostendit.*

10 Tu autem Fili hominis, dic ad domum Israel, Sic dixistis dicendo, Scelera nostra & peccata nostra sunt super nos, & propter ipsa tabescimus, & quomodo viuemus

11 Dic ad eos, Viuo ego, dixit Dominus Iehouah, Si volo mortem impij: sed ut auertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimini igitur à vijs vestris malis, & ut quid moriemini domus Israel?

12 Tu autem Fili hominis dic ad filios populi tui: Iustitia iusti non eruet eum die quo prauaricatus fuerit: & impietas impij non faciet ut corruat in eam, die quo conuersus fuerit ab impietate sua: & iustus non poterit viuere propter eam, die quo peccauerit.

13 Quum ergo dixerero iusto, Viuendo viuet: & confusus iustitiae suae fecerit iniquitatem: omnes iustitiae eius non memorabuntur, sed propter iniquitatē suā quam fecit morietur.

14 Rursum quum dixerero impio, Moriendo morieris: & auersus fuerit à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam.

15 Nempe pignus restituerit impius, quod rapuit reddiderit, in mandatis vitae ambulauerit, ne faciat iniquitatem: iudicium & iustitiam fecit: viuendo viuet & non morietur.

16 Omnia peccata eius quae peccauit, non commemorabuntur ei: iudicium & iustitiam fecit, viuendo viuet.

17 Et dixerunt filij populi tui, Non est æqua via Domini: quam potius via eorum non sit æqua.

18 Quū auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatē, morietur propter illa.

19 Et quum auersus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, propter ipsa viuet.

20 Et dixistis, Nō est æqua via Domini: unumquemque iuxta viam suam iudicabo vos, domus Israel.

Quanquam



Vanquam sacrae Scripturae plenae sunt dulcissimis consolationibus, tamen alij loci aliis consolationes memorabiliores continent. Utque alia sidera aliis sunt splendidiora, ita vnus liber, vnum caput, vnus locus Scripturae, altero est insignior atque illustrior. Inter insignes illos & praecellosos locos hic quoque merito numeratur, in quo primum populi querela continetur de peccatorum grauitate, deinde promissio amplissima de remissione peccatorum subiungitur. Haec verò verba, non solum audienda, verum etiam pectoribus nostris insculpenda sunt. Officium Prophetæ esse dixit, monere peccantes de ventura ira, hoc est, eos ad poenitentiam vocare. *Scelera nostra & peccata nostra sunt super nos, & propter ipsa tabescimus, quomodo viuemus?* Queruntur se mole peccatorum ita oppressos esse, vt sperare non possint Deum sibi fore propitium: se ideo ab eo puniri, vt percant. Infideles peccatorum suorum magnitudinem agnoscentes cum Chaiino dicunt, Maior est iniquitas mea, quam vt veniam consequar: desperatio verò hæc, causa est obstinationis in peccatis: desperantes enim se consequuturos veniam peccatorum, cumulant peccata peccatis: nolunt se frustra macerare & huius vitæ commoda amittere. Sic pueros quoque cum sciunt se virgis caedendos, sæpe experimur peccata peccatis addere. Pij verò magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum considerantes, sæpe quidem à desperatione parum absunt, putantes fieri non posse, vt poenitentia salutem consequantur: attamen se rursus erigunt consolationibus diuinis, non pergunt in sceleribus, in quæ lapsi sunt ex humana imbecillitate. David Psal. 38. queritur de grauitate peccatorum suorum, dicens, Iniquitates meæ transierunt caput meum: sicut onus graue grauiore fuerunt me: (iniquitas per plumbum, quod suapte natura ponderosum est, alibi significatur.) tamen mox se erigit atque consolatur.

Querela populi de peccatorum iuorum grauitate.

Primus ad salutem gradus est nostræ corruptionis agnitio, quod concepti sumus in peccatis, quod cogitationibus, concupiscentiis, verbis & factis malis Deum offenderimus: mox verò cogitatione bonitatis & potestatiæ Dei rursus erigere nos debemus.

Secundo loco ponit pulcherrimum dictum de admirabili Dei clementia erga poenitentes, quod ad vniuersam Ecclesiam omnium temporum pertinet, non ad illos tantum quibus tunc Propheta concionabatur. Merito hoc loco Theodoretus exclamat, Quis pro dignitate admirari poterit Domini bonitatem? qui neglectus ab iis, quos beneficiis affecit, sibi admodum ingratis, tamen ingrattissimi animi crimine execrandos omni prouidentia profequitur, vt eorum conspiciat mutationem. Idcirco subiicit paternam & beneuolentiæ plenam admonitionem. *Viuo ego, si volo mortem impij, &c.* Nomine vitæ & mortis, hoc loco non hanc significari dicit Hieronymus, qua omnes communium cum bestiis lege naturæ, vel viuimus vel morte dissoluimur. Quid igitur significatur? mortis nomine, malum, & vitæ nomine, bonum, Hebraica phrasi. Omnibus enim tam piis quam impiis moriendum est, ad Heb. 9. capite. Hæc sententia bimembris est: primum membrum ostendit Deum non velle mortem impij, se ea non delectari: alterum, Deum velle vt impius à via mala recedat, & viuat. Deus errantibus veniam, peccatoribus remissionem, hostibus reconciliationem promittit, suamque hanc promissionem iureiurando confirmat: dicit enim, *Viuo ego si volo, &c.* Duplex est hæc iurandi formula, quæ alibi quoque in hoc & in alijs Prophetis Deo tribuitur. Apud Iere. 46. hæc iureiurandi formula confirmat Babylonium regem venturum, &c. Sensus est, Quam verum est me viuere, tam verum est quod dico: dein de non habear posthac pro Deo, nisi res ita habet, vt dico. Alios quoque legimus per Dei vitam iurasse. I. Regum 17. Helias dicit, Viuit Iehoua, si erit ros & pluuia annis aliquot, hoc est, vt viuit, ita verum est quod dico. I. Sam. 19. & ait Saul, Viuit

Promissio de remissione peccatorum.

Deus iurat.

Iehoua, non morietur. 2. Sam. 2. capite. Viuit Iehoua, nisi loquutus fuiffes, populus subductus efferet. Forsterus in suo Lexico (vt hoc obiter annotem) obseruauit, Hebræos in iureiurando, isto participio, *חַי* *chai* duplici forma vti. Nam si Deus ipse iurat, vel si per Deum iuratur, eos vti forma *חַי* *chai* subcripta patat: sin verò per alium iuratur, quàm per Deum, tum scribere *חַי* *chai* cum zere, vt Gen. 42. Viuit Pharoo, si hinc exieritis, id est, per vitam Pharoonis non exhibitis. 1. Sam. 17. Viuit anima tua rex, si noui. 2. Sam. 11. Per vitam tuam, & vitam animæ tuæ, non faciam rem istam. Hanc differentiam perpetuam esse colligit ex locis in quibus vtraque formula coniungitur. 1. Sam. 20. & 25. & 2. Sam. 15. &c. Deus iurauit per seipsum. Vita autem Dei est essentia & natura ipsius. Ideo autem iusiurandum adiicit, vt promissionem stabilit, & trepidantes erigat. Ad Heb. 6. cap. Deus pollicitus Abrahamæ, cum non posset per quenquam maiorem iurare, iurauit per seipsum, dicens, Nisi (in Græco est *ἢ μὴν*, idem est quod *ὅδ' ὄντως*, profectò, reuera, benedicens benedicam te, quod mox explicat: est enim aposiopesis Hebræa in formulis iurandi vsitata, nisi id fecero, scilicet hoc & illud mihi eueniat.) benedictus benedixerò tibi, & multiplicans multiplicauerò te. Atque ita cum patienter expectasset, consecutus est promissum. Nam homines quidem per eum iurant, qui sit maior, atque iisdem omnis controuersia finis est iusiurandum in confirmationem. Qua in re Deus cum eximie vellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vti per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset, vt mentiretur Deus (prima illa res est promissio Dei, altera iusiurandum) validam consolationem haberemus, qui huc confugimus, vt potiamur proposita spe.

*Jurandum per Deum.*

Obiter obserua, per Deum iurandum esse. Sancti dicentes, Viuit anima tua, non per creaturas iurarunt, sed hæc phrasis habet formam bene precandi, Ita viuas & saluus sis, vt verum est quod dico: vel quàm certum est te viuere, tam certum est quod dico. Aliquando formas imprecationum adhibemus, Dispeream si ita sit, &c. Quia verò Deus iureiurando de sua voluntate testatus est, ne dubitemus de ea. Si vir grauis iureiurando sua promissa stabilit, non dubitamus de eius fide, cur igitur de Dei voluntate dubitarem? Pulchrè Tertull. scribit de pœnitentia: ò ter beatos, quorum causa Deus iurat, præmio inuitans salutem: ò miserimos qui Deo ne iuranti quidem credunt. Nazianzenus etiam præclare dicit, Deum nulla re perinde gaudere, atque hominis resipiscentia & salute.

Alterum membrum huius sententiæ est: *Sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Per viam impij, intelliguntur errores, studia, dicta & facta. Cupit Dominus vt impius relicta impietate viuat, hoc est, bene agat & bene habeat.

*Similia testimonio.*

Hanc dulcissimam consolationem infigamus animis, cogitantes quàm ardentè Deus nostram salutem desideret. Idem suprà 18. cap. dixit. Similes sententiæ extant apud alios quoque Prophetas, & præcipuè in Psalmis, quæ ad hanc sententiam de remissione accõmodanda sunt, vt animos nostros contra desperationem muniamus. Psal. 103. dicit Propheta, Deum à nobis peccata tanto interuallo dimouere, quantum cœlum & terra, & Occasus ab Ortus distet. Isà. 1. ca. pœnitentiam agentibus promittit remissionem peccatorum his verbis, Si peccata vestra fuerint vt coccus, sicut nix alba erunt: si fuerint rubicunda instar purpuræ, sicut lana erunt. Eodem pertinent promissiones quæ Iere. 31. & 33. Micheæ. 7. capite leguntur. Per integrum caput 15. Lucæ ostendit. Seruator noster, quòd Deus peccatores resipiscentes benignissimè excipere paratus sit. 2. Petr. 3. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiã reuerti. Rom. 3. Iustitia Dei in omnes & super omnes qui credunt. Rom. 5. Christus discipulos suos apud Marcum amandat his verbis: Ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & Baptisatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabi-



condemnatur. Exemplis penè infinitis hæc Dei clementia nobis proponitur. Adamum qui de fecerat à Deo, totamq; posteritatem perdiderat, fugientem vocat Deus, salutemque ei promittit. Manassi idololatræ & Prophetarum sanguine, totam urbem implenti, misericordiam tribuit. In nouo Testamento multa illorum exempla occurrunt, qui peccatorum suorum veniam consequuti sunt, Matthæi, Zachæi, Mariæ Magdalenæ, latronis crucifixi, Petri, Thomæ, & aliorum, inter quæ hoc maximè insigne est, quòd Petrus Acto. 2. ca. illis qui innocentem Filium Dei crucifixerunt, & Barrabam sceleratum nebulonem illi pratulerunt, remissionem peccatorum in Christi nomine denuntiat: non iubet eos ad restim confugere, quia præclusæ illis sint fores gratiæ diuinæ.

Exempla de  
misericor-  
dia Dei.

Non autem putandum est, quædam duntaxat peccata nobis remitti, sed omnia. i. Ioan. 1. cap. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Non quòd Deus peccata nõ ferò detestetur, sed quia Filius ipsius sua morte peccata expiauit. Neque verò tam auidi sumus ad accipiendam veniam, quin diuina clementia paratior sit ad largiendum.

Omnia pec-  
cata remit-  
tuntur.

Propter  
Christi me-  
ritum.

*Conuertimini, conuertimini à viis vestris malis.* Subiicit adhortationem ad pœnitentiam. Audientes quàm clemens & misericors sit Deus, non desperemus propter peccata nostra, sed illis relictis ad ipsum reuertamur. Conduplicatio illa Hebraica, ingenuam conuersionem declarat. Quemadmodum illi peccant qui adulterium cõmittunt, furantur, mentiuntur: ita illi quoque qui præcipienti vt in viã redeamus, non auscultant. Huiusmodi adhortationes multæ passim extant in prophetis & apostolicis scriptis. Vt illi qui turgent propriæ iustitiæ fiducia, non agunt pœnitentiam: ita illi quoque qui magnitudine suorum peccatorum turbati, animos suos non conuertunt ad immensam Dei clementiam. Non autem colligendum est, ex his & aliis adhortationibus, humanarum esse virtutum, errores deprehendere & deponere, flagitia auerfari: sed bonitati Dei totum hoc est tribuendum. Adeo enim sumus deprauati, vt delectemur malis: nec recedamus ab eis, nisi Deus nobis oculos aperiat, & soluat vincula quibus confictos nos tenet satan.

Apostro-  
phe ad Is-  
raelitas.

*Et quare moriemini domus Israel?* Qui non conuertuntur ad Deum, & in hoc & futuro seculo infœlices sunt. Pessimè igitur hominibus consuluerunt Nouatiani, qui lapsos non inuitarunt ad pœnitentiam, sed veniam eis negarunt. Nos auream hanc sententiam infigamus animis, vt & nos & alios rebus afflictis erigere possimus: Deoq; optimo maximo gratias agamus, pro maxima illa clementia & bonitate qua nos indignissimos errorum scelerumque vinculis liberat, & ad regnũ suum cœleste vocat.

*Tu autem fili hominis, dic ad filios populi tui, &c.* Sequentia verba ad explicationem superiorum pertinet: promissit vitam pœnitentibus, iam adiicit hanc conditionẽ, Si ad finem vsque perseuerauerint. Eadem ferè habuimus 18. capite. Quod verò restitutiones attinet, D. Hieronym. in hoc caput rectè annotat: Si diligenter inspicias quæ in superioribus continentur, intelligis similia quidem esse, sed non eadem, dum in plerisque discordant. Et hoc in omnibus Scripturis sanctis obseruare debemus, vbi videtur aliqua similitudo esse sententiæ, non in omnibus eadem dici, sed subtrahi pleraque vel addi, & singulorum inter se verborum discrepan- tium habere rationem.

Repetitio-  
nes.

*Iustitia iusti non eruet eum, &c.* Iustus si deficiat à iustitia, fructum illorum non percipiet, quæ antea rectè fecit. *Impietas impij non faciet vt corruat.* Impio resipiscen- ti, non imputabuntur priora peccata: nec supplicio sceleratis destinato subiicietur. *Iustus non poterit viuere.* Repetit quod iam dixit: *Cum ego dixero iusto, Viuendo viuet, &c.* Planius nunc explicat, quod dixit, Deus iustis bona promittit, sed si illi freti suis operibus, impiè faciunt, nullam vtilitatem præteritorum operum perci-

piens. Exemplum habemus in Dema quem Paulus defecisse queritur. Hoc etiam de tota aliqua Ecclesia verum esse, Paulus ad Galatas ostendit, quos nisi redeant in viam, frustra tot labores causa Euangelij pertulisse dicit. Verè iusti perseverant, etsi sæpius cadant. Loquitur de illis qui cum gaudio suscipiunt sermonem, sed propter persecutionem & voluptates suas recedunt. Lucæ octavo capite.

*Rursum cum dixerò impio, Morietis.* Deus impiis mala comminatur, sed si illi à malo recedentes, quod iustum est fecerint non damnabuntur. Quid sit iudicium & iustitiam facere (sub quibus alia quoque huc pertinentia intelligenda sunt) per species aliquot explicat. *Si pignus restituerit impius*, sensus est, Si clementia erga proximum suum usus fuerit. Lex Dei præcipit pauperi pignus ante occasum Solis restituere. *Quod rapuit reddiderit.* Rapinæ sunt restituendæ suis possessoribus. Lucæ 19. cap. Zachæus dicit: Si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum

*In mandatis vitæ ambulauerit.* Aludat ad hoc, Qui fecerit ea viuet in eis. Non solum ab illis cauendum est quæ Deus vetat, sed & studendum illis quæ à nobis postulat.

*Omnia peccata eius quæ fecit non commemorabuntur.* Nullum peccatum ei imputabitur. Hic locus refellit purgatorium: & illorum opinionem qui asserunt, quædam tantum peccata nobis remitti, pro aliis nobis esse satisfaciendum. Exemplum huius sententiæ memorabile est latro in cruce, cui Christus non exprobrat vitam præteritam, sed gratiam ei suam promittit.

Ex hoc loco colligis bonis bona promittenda esse verbis Dei, malis mala comminanda: plurimumque referre, quomodo quis vitæ suæ rationes instituat: male sentiunt qui dicunt nihil referre quid facias, si sis ex numero electorum tibi omnia in bonum cessura: de tantis enim mysteriis, non tam prophanè est loquendum. Malè item illi quoque sentiunt, qui vitæ emendationem differunt in senectutem, vel sub vitæ finem.

Iudicia Dei  
iusta, hominum  
peruersa sunt.

*Non est æqua via Domini.* Ostensa sua bonitate & clementia, ingrati populi crimen redarguit, querebantur de iudiciis Dei, quod non essent iusta. Iustitia est æqualitas. Tyranni non sunt æquales æqualibus, sed ex suo arbitrio omnia administrant. Hanc inæqualitatem *αἰσχροπολιτείαν* vocant, quæ in Deum non cadit, qui æqualis est æqualibus: odio habet peccatum in omnibus, ac rursus propitius est omnibus agentibus pœnitentiam.

*Cum potius via eorum non sit æqua.* Hominum iudicia sunt corruptissima, ex priuatis affectibus aliquos complectuntur, cæteris, seu paribus seu melioribus neglectis. Sæpe vnus punitur, alter ne accusatur quidem. Iterum repetit superiora, iustum deficientem à iustitia puniri, peccatorem ad Iustitiam reuertentem, salutem consequi.

*Vnumquemque secundum viam suam iudicabo.* Idem est quod ad Rom. 2. habetur, Reddet vnicuique secundum opera sua, & Matt. 16. Futurum est vt filius hominis veniat in gloria Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum facta sua. Significat primum omnibus dictorum factorumque suorum rationem esse reddendam: deinde in iudicio Dei non fore personarum acceptio- nem: homines cuiuscunque fuerint sexus aut conditionis, prout eorum opera fuerint, iudicandos esse. Hunc locum adducere solent, qui operibus se vitam æternam adepturos confidunt. Quid verò de operibus sentiendum sit, consule Petrum Martyrem Vermilium in Comment. in Epist. ad Romanos 2. capite & alibi.

# Concio trigesima

## EZECHIELIS.

HOMILIA CXLI.

*¶ Contra illos inuehitur qui remanserant superstites in Iudæa, prædicens eis quòd eiiciendi sint è terra propter eorum impoenitentiam.*

21 **H**Uic præterea duodecimo anno, mense decimo, die quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me euasor de Ierusalaim, dicendo, Percussa est ciuitas.

22 Et manus Iehouæ fuit ad me vespere antequam veniret ad me manè, aperuit, inquam, os meum, & non filii amplius.

23 Fuit item verbum Iehouæ ad me, dicendo,

24 Fili hominis, habitatores solitudinum isti in terra Israel dicunt dicendo, Unus erat Abraham, & possedit terram: nos autem multi, nobis tradita est terra in possessionem.

25 Idcirco dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, cum sanguine comedetis, & oculos vestros attolletis ad idola vestra, & sanguinem effundetis, & terram hanc possideretis?

26 Steristis in gladiis vestris, fecistis abominationem, & quisque uxorem proximi sui pollulistis, & terram hanc possideretis?

**I**N posteriore parte capitis 33. continetur CONCIO XXX. Ezechielis, quæ iterum in duas partes potest distribui. In quarum prima Propheta denunciât reliquias, quæ vastatâ vrbe permissu Babyloniorum in Iudæa remanserant, quòd propter peccata, patriis sedibus eiiciendæ sint: in altera reprehendit captiuorum in Babylone hypocrisin in audiendis propheticis concionibus. Illi in Iudæa se permanûros, hi, ex Babylone se breui redituros sperabant: vtrosque spes sua fefellit. Principiò tempus & occasio huius concionis indicatur.

Fuit præterea duodecimo anno, &c. Vrbs capta fuit anno 11. regni Zedechiæ, mense quarto, die 9. mensis, vt habetur vltimo cap. posterioris libri Regum, & Iere. 52. Tempus huius prophetiæ.

Igitur post integrum annum, & menses ferè sex, nuncium demum peruenit in Babylonem, de capta & exusta vrbe a que templo. Probabile est, eos ex vulgi rumoribus ante hoc tempus de clade Iudæorum multa audisse, at nihil certi sperabant interim se meliora audituros. Qui euaserunt, in vicinis se locis continuissè est verisimile, qui captiui abdueti sunt, alicubi substituisse certas ob causas, alioqui vt ex historia Esdræ colligitur, potuissent intra breue temporis spacium in Babylonem peruenire. Sunt qui legendum putant vndecimo anno, inter quos etiam est Theodoretus, sed non libenter confugio ad huiusmodi solutiones. Quis fuerit ille nuncius, non exprimitur, fortè ciuis fuit Hierosolymitanus, aut alioqui vir grauis, cuius sermonibus fidem habere potuerunt. *Percussa est ciuitas*, hoc est, expugnata & euerfa est Hierusalem. Omnia paucis his verbis complectitur, quæ in expugnatione ciuitatum solent accidere. Vtar Quintiliani verbis: Si aperias hæc quæ vno verbo inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor & ex diuersis clamoribus vnus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium foeminarumque ploratus, malè vsque in illum diem seruati fato senes. Tum illa sacrorum prophanorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque discursus, & ante suum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater: & sicubi maius lucrum est, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia complectatur euerfio, minus est tamen totum dicere, quàm omnia. Hæc Fabius.

Expugnatio vrbis.

*Et manus Iehouæ fuit ad me vesperi antequam veniret euasor, aperuitque os meum, &c.* Pridie quàm veniret nuncius cladis, Deus suo Spiritu afflauit Vatem (per manum enim vim propheticam intelligit) & parrhesiam ei dedit, vt nuncij narrationem anteuertens, fortiter, liberè, apertè, & palàm, superiores suos sermones confirmaret atque diceret, Omnibus illis quæ hæctenus pro fabulis habuistis, iam euentus respondit, futurumque est, vt omnia ordine cognoscatis ex transfugis & captiuis, atque re ipsa intelligatis prophetas illos fuisse mendaces, quos vos in deliciis habuistis. Non autem est dubitandum, quin hunc nuncium de singulis diligenter sciscitati sint, vt nos quoque solemus, si quis ex castris vel mercatu aliquo redeat *Et non filii amplius*. Non quidem victus improbitate aduersariorum veritatem dissimulauit, seruando se melioribus temporibus: quàm enim liberè loquutus sit, cum alia vaticinia, tum illud quod 16. cap. continetur, non obscure testatur: Vbi pater tuus Amorrhæus est, inquit, mater tua Hithæa: Sodomitas longè meliores illis esse dicit. Postquam verò ex Dei Spiritu ipsum omnia prædixisse apparuit, maiore libertate deinceps vsus est, sibi que obstrepentes compescuit, non quòd gauderet malis, quæ populo euenerant, eis que insultaret, (maluisset res aliter cecidissent: aliter enim affectum fuisse credendum est erga suum populum, quàm Ionam erga Niniuitas) sed vt eos ad pœnitentiam extimularet. Videmus illa impleri, quæ Deus in calce 24. & 29. capituli Vati promisit de libertate dicendi: recurre ad illa loca.

## DE LIBERTATE LOQUENDI.

Parrhesia quid.

Quibus necessaria.

Postulat hic locus vt paucula quædam de *παρρησία* annotemus. Parrhesia est libertas loquendi: cum necessitate postulante id quod in corde habemus, liberè proferimus, nihil celamus, nihil dissimulamus: contraria est assentationi, plurimumque differt à scurrilitate, dicacitate maledicetia atque cõtumelia. Parrhesia cum ab aliis, tum præcipuè à Ministris Ecclesiæ Dei requiritur. Nisi enim liberè errores & vitia reprehendant, opera eorum parum Ecclesiis proderit. Non enim satis est in genere vitia reprehendere. Etenim quod omnibus dicitur, nemini dicitur,

dicitur, sed oportet propius accedere. Caro nostra semper varios prætextus quærit, quibus sua vitia excuset: & quò quis maior est, tanto sibi maiorem peccandi licentiam sumit.

Ministri itaque liberè in omnibus vitia reprehendere, ficum ficum, ligonem ligonem, vt est in proverbio, appellare debent. Isaias, Ieremias, Ezechiel, Oteas, Micheas & alii, principes, sacerdotes, populum, magna animi fortitudine & libertate, aliquando etiam nominatim cortipuerunt, eorùmque idololatriam & scelera in lucem protraxerunt, vti ex scriptis eorum, quæ adhuc extant, manifestè colligitur. Quàm liberè Nathan Dauidi, Helias Achabo sua peccata exprobrant?

In nouo Testamento ipsius Christi habemus exemplum, qui palàm in scribas, seniores Iudæorum, eorùmque sectas inuectus est: Iohannes Baptista non in genere tantùm contra incestum concionatus est, sed Herodè in faciem dixit: Non licet tibi habere vxorem fratris tui, Matth: decimo quarto capite: propter alia quoque facinora eum reprehendit. Lucæ capite tertio Stephanus, Duri ceruice, inquit, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita vos quoque. Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? &c.

Pauli & Petri *παρρησία* qua erga delinquentes vsi sunt tam amicos quàm inimicos, ex actis Apostolorum tertio capite & aliis, eorùmque epistolis, est nota. Secundæ ad Corinth. sexto capite, Os nostrum, inquit, apertum est erga vos, hoc est, nihil vos celo, sed vt amicis & dilectis, quæ in corde habeo vobis loquor, & liberè quidem, nihil dissimulans. Primæ ad Timotheum quinto capite præcipit peccantes argui coram omnibus.

D. Ambrosius magna libertate in Theodosium, qui promiscua cæde in Theffalonicenses sæuierat, inuectus est, & à templo suo eum repulit. D. Chrysostomus Arcadii coniugem Eudoxiam, quæ aduersus ipsum atque ad eò veram doctrinam, synodum indixerat, comparauit Herodiadi, inchoans concionem: Iam iterum insanit Herodias, denuò saltat, denuò caput Ioannis in disco concupiscit accipere.

Agapetus papa, à rege Theodato ad imperatorem Iustinianum legatus missus Constantinopolim, vt eum illi placaret, ab eo tentatus est vt Eutychem dogma approbaret minis asperrimis additis: Agapetus liberè respondit: Ego ad Iustinianum Christianissimum imperatorem venire me putavi, sed Diocletianum inueni, ac tam cõstanter egit, vt princeps ad fidem Christianam accesserit, &c.

Hodie videmus lupos in pastores transformatos, liberè quicquid in buccam venerit effutire in cœtibus ecclesiasticis: cur non modestè, liberè tamen, veri pastores, quæ ad salutem Ecclesiæ pertinent proloquerentur? Multi ab eis modestiam cum veritatis iactura coniunctam postulant, quibus minimè est auscultandum. Interim cauendum quoque est, ne quid asperius dicamus, & ne libertas nostra in scurrilitatem abeat. Est enim modus in rebus. Plurimum etiam refert, vt in rebus necessariis, secundum Dei verbum hæc fiat, & in hunc finem, vt homines à malis auocentur.

Quomodo  
vtendum  
paritètia.

Magnum habet sancta *παρρησία* vsus in Ecclesia, vt in Republica, œconomia, & vita communi: Deus bone, quantum viri magna autoritate præditi, docti & eloquentes possent, si tot erroribus & sceleribus se hodie liberè opponerent? Vnde sit illa dicendi libertas, ex hoc Prophetæ loco colligitur nam Deum sibi os aperuisse dicit.

Vtilitas ei.

Quomodo  
cõparetur.

Quia enim homines sciunt quòd libertas illa odia pariat, mallent tacere, sed Deus accedentibus piorum precibus, eos confirmat suo Spiritu, vt liberè loquantur. Psal. 116. Credidi idcirco loquutus sum, id repetitur, 2. Corinth. 4. Paulus ad Ephes. 6. cap. petit Ecclesiæ preces; vt detur ei sermo in apertione oris sui cum libertate, vt notum faciat mysterium Euangelii & liberè loquatur sicut eum loqui oportet, hoc est, vt dextrè, intrepidè & constanter neglectis aduersariorum vinculis & minis, Christi causam agat. Petât singuli hoc donum Dei, confirment se promissionibus eius, discant illa quæ postulantur à Ministris, item caueant sibi à sceleribus. Qua enim fronte, ebrius, adulter, auarus, ebrietatem, adulterium, auaritiã liberè reprehendet? Viri potentes in Republica potentia aut sapientiæ opinione inflati liberè aliquando loquuntur: at pii Ministri veritate freti. Qui de rebus certis & sibi cognitis loquitur, non loquitur hæsitanter. Vt in Republica libertatem dicendi amittunt qui se corrumpi patiuntur muneribus, ita in Ecclesia quoque qui ad altiora aspirant, item qui liberos suos promotos cupiunt. Isaias propheta illos qui peccata hominum dissimulant, canes mutos vocat. Quantum verò hoc sit peccatum, quanta populi perniciës, similitudine vigilis superiore capite est expositum. Tamen si verò ingenua scelerum errorumque reprehensio, odium & sæpe capitales inimicitias pariat, tamen pii Ministri non moueri his debent, quòd minus faciant officium sibi à Deo præscriptum. Erit dies quo magno redimerent, non ad hominũ placitum tacuissent, sed dicendi admonendique libertate fuissent vsi. Vt vt homines eis insidientur, non tamen eos lædere possunt nisi Deus velit. Sæpe factum est vt *παρρησία* illa, verbi ministris hostes conciliarit. Quàm fortiter Chrysostronus restiterit Gainæ qui Arrianus fuit, hominis potentis & ferocis conatibus, Theodoretus in Eccles. histor. testatur. Cùm is barbaricam crudelitatem exercebat per totam Thraciam, Chrysostrono periculosa legationis onus impositum fuit, qui hominis immanitate, quam omnes expauescebant, nihil deteritus, ad eum profectus est. Gainas admiratus episcopi fortitudinem, nullum omnino periculum pro pietate recusantis, humanissimè eum excepit: tantum valuit etiam apud barbarum illum Christianæ fortitudinis admiratio.

Consolari hoc quoque nos debet, quòd euentus tandem ostendit, quis hostis, quis amicus fuerit Reipublicæ vel Ecclesiæ. Reipsa conuicti fuerunt Ezechielis aduersarij. Redibit omnibus illis, quos nunc mundus propter veritatis ingenuam professionem explodit, suus tandem honos. Nouissimo die, quando arcana omnia reuelabuntur, toti mundo reuelabitur quis rectè aut perperam senserit, dixerit, scripserit.

*Habitatores solitudinum isti &c.* Ierem. 40. capite legitur & in posteriore libro Regum, Nabufardanem pauperibus aliquot liberum fecisse, vt in semiustis domibus habitarent, agros & vineas colerent, quibus præfectus fuit Godolias, qui in Mizpath habitauit. Coniunxerunt se illis populi reliquiis, illi qui in siluas & speluncas se metu hostium abdiderant & ad vicinas gentes profugerant. Quales verò illi fuerint, nempe confidentes & securi, verba ipsorum ostendunt.

*Dicunt dicendo, Vnus erat Abraham, &c.* Argumentantur à minore ad maius. Vnus fuit Abrahamus & ex Dei promissione hanc terram pro posteritate acceptam possedit, ergo nos qui plures sumus, eiusque semen, facilius eam obtinere poterimus. Cur Deus nos ex ea pelleret?

Pro hoc beneficio, quòd principes hospitium eis concedebant, grati eis esse debuerunt, & in primis Deo, qui hùc animum principibus indiderat, eúmque orare, ne propter peccata, terra excuteretur: sed retinent ingenium, quid meriti sint non expedientes, stabiles sedes sibi promittunt, ac si Deus ipsorum debitor esset. Audet proferre exemplum Abrahami, ac si tam essent sancti atque ipse: vel quòd viribus præstantiores, & plures numero, facilius hanc terram retinere posse confiderent. Quod argumentum fuit deploratæ malitiæ: ut si quis diuturno morbo vexatus & fractus, nondum seipsum agnoscat: aut propter ingentia scelera carnifici traditus, nondum videat se meritis pœnas luere.

Deus itaque ostendit per Prophetam, eos hac terra propter peccata sua multiplicia, in quibus impudenter pergebant, eiiciendos esse. Recenset autem quatuor genera peccatorum, sub quibus alia quoque comprehendit, quæ contra primam & secundam Decalogi tabulam committebant.

Primum dicit, *comeditis cum vel super sanguine*. Deus ante latam legem, & in lege, vetuit ne caro cum sanguine, ne lacerata à feris aut suffocata comederentur: quam legem sæpe repetit & comminationibus gravissimis sancit. Leuit. 17. 19. Deut. 12. Pecudes suspendere debuerunt, ut sanguis efflueret, Causæ huius cæremoniæ tres fuerunt præcipuæ: vna quòd sanguis in sacrificiis referebat Christi sanguinem fundendum in cruce: altera ne temerè ruerent ad cædes, sed à sanguine abstinere assuescerent: tertia ne sanguine vel raptò vellent viuere. Hæ cæremoniæ seruari debebant vsque ad Christi aduentum, neque hoc erat difficile. Quia verò illi eas non seruabant, prodebant mentem suam impiam. Acto. 15. in synodali epistola præcipiunt Apostoli gentibus, ut à sanguine & suffocato abstineant, non quòd hæc cæremonia perpetuò durare deberet, sed ut Iudæi à gentibus minus abhorrerent: diu permāsit hoc in ecclesia Christi. Sic apud nos multi initio prædicati Euangelii certis diebus à carnibus abstinerunt, ne alios offenderent, donec & ipsi in vera religione instituerentur.

Edere carnem cū sanguine.

*Leuatis oculos vestros ad idola vestra*. Secundum peccatum est idololatria. Tamen si eorum simulachra quæ in Templo, priuatis ædibus, & publicis viis posita fuerant, euerfa essent, tamen in cordibus suis illa adhuc retinebant, opemque ab eis petebant & expectabant, hoc est, ab illis in quorum gratiam posita fuerant. Pii ad Deum oculos conuertunt, ab ipso consilium & opem expectantes. Psal. 123. Ad te leuo oculos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum ad manum herorum suorum, &c. In periculis circumspicimus omnia, hinc oculos leuare, aliquando opem expectare, plerunque simpliciter respicere significat. Et si verò homines in animi penetralibus idola habeant, nihilominus è conspectu eorum alia quæ ex materia varia constant, sunt remouenda.

Idololatria.

*Effunditis sanguinem*. Tertium peccatum fuit, quòd sanguinem humanum scilicet innoxium effuderunt. Ismaelem cum sociis, Godoliam & alios innocentes occidisse, Iere. 41. legitur. De cædis grauitate variisque speciebus alibi dictum est in hoc Propheta.

*Stetistis super vel cum gladio vestro*. Quartum peccatum est quòd fuerint appetentes vindictæ.

*חרב* charaf gladium & castrum significat: transfertur ad alia quoque quæ scindunt & findunt. Hier. interpretatur paratos fuisse ad occidendum homines. Læsi vel verbis vel factis, statim de vindicta cogitabant, omnia in arma vertentes.

Vindictæ cupiditas.

Nos dicimus *erist bald imn harnest.*

Iræ non est indulgendum, neque mouenda sunt certamina non necessaria. Vel significat maiorem fiduciam posuisse in suis armis & robore, quam in Deo: item, res iniustas vi & armis defendisse. *Fecistis abominationem.* Quintum est quòd abominationem fecerint. Quidam interpretantur de obsecnariore Venere. Suprà 16. capite, describens iustum, dicit eum non habere rem cum vxore laborante mensibus suis, postea per antithesin describens iniustum, loco illius videtur ponere, quòd abominationem faciat. Verùm non hoc solum, sed alia quoque, vt incestæ libidines, magia, & quæ huius sunt generis, dicuntur *βδέλυγμα* coram Deo. Sexto loco dicit, *singuli uxorem proximi sui polluistis*, hoc est, Crebra apud vos sunt adulteria, coniugii honos non feruatur. Idem Iere. quoque 7. capite, eis obiecit; & alibi noster Propheta *Et terram possidebitis.* Hoc secundò repetit, quasi dicat: Minimè, nam propter hæc scelera Chananæos expuli: vobisque comminatus sum, me vos quoque, si idem faciatis, expulsum esse, Leuit. capite decimo octauo. Fixas sedes sibi promittebant, sed historia testatur, eos metu Regis ex ea in Ægyptum sua sponte profugisse: tanta est diuinorum & humanorum cõsiliorum diuersitas.

His verò sceleribus Deus hodie quoque feridò irascitur, interim nihil illis est vulgariis. Quot sunt qui sanguine & sudore pauperum vescuntur, qui vris & aliis malis artibus homines expilant, & tantum non medullas eorum exugunt? Quot sunt qui idola mordicus defendunt: qui sanguinem innocentem effundunt: qui fiduciam in armis ponentes, bella non necessaria mouent: qui in adulteriis & stupris volutantur? quid igitur aliud expectarent, quàm exilium & excidium? Quanta verò est cæcitas quòd tot & tantis flagitiis obnoxij, tamen patria æterna se potituros sperant? Quisque in se descendat, pœnitentiam agat: magistratus verò, quem Deus gladio armavit, compeecat publica scelera, ne tandem horribilibus malis oppressi, frustra nostram negligentiam deploremus.

## HOMILIA CXLII.

*¶ Per partes explicat, qua pœna reliquia populi in Judæa afficienda sint, quæ æterna possessionis spem sibi pollebantur.*

27 *Sic dices ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Viuo ego, nisi qui in solitudinibus sunt gladio ceciderint, & eum qui in superficie agri, bestia tradiderim, vt deuoret eum: & qui in præsijs & in speluncis sunt, peste morientur.*

28 *Et dabo terram in solitudinem & desertum, cessabitque superbia fortitudinis eius, & desolabuntur montes Israel, ita vt non sit qui transeat illuc.*

29 *Et scient quòd ego Iehouah, quum dederò terram in solitudinem & desertum, propter vniuersas abominationes eorum quas fecerunt.*

Propheta





Propheta noster priorem partem suæ orationis contra illos direxit, qui expugnata Hierosolymorum vrbe, omnique Iudæorum regione vastata, in ruinosis & desertis vrbibus atque villis habitabant. Illi enim se omnibus malis perfunctos existimantes, freti multitudine, stabiles & perpetuas sedes sibi in patria promittebant, licet illis flagitiis immergi essent, propter quæ ex hac terra eiiciendos sæpe prædixerat. Deus itaque securitatem illam per Prophetam nostrum redarguit & omnino terra sua exturbandos comminatur. Quia verò, illi innocentes videri volebant, non in genere tantùm peccatorum magnitudinem eis exprobrauit: sed per sex species declarauit, eos grauius peccasse, & adhuc peccare. Iam deinceps subiungit de pœnis, quibus à Deo afficiendi sunt: non contentus generatim dixisse, Pœnas dabit, sed vt antea scelerum, ita nunc pœnarum quoque formas vel species recenset. Nos quia eadem alibi habuimus in hoc Propheta, breuitati studebimus.

*Vino ego, nisi qui in solitudinibus sunt, gladio ceciderint.* Pars illorum qui in locis desolatis degunt, gladio cadet. *Et illum qui super agrum est, bestia tradiderim, vt deuoret eum.* Qui in patentibus campis, se tutos fore sperabunt: nos dicimus, *of der wvite ist quot tadigen*, à truculentis bestiis lacerabuntur, puta leonibus, vrsis, lupis &c.

*Qui in præsedis & speluncis sunt, peste morientur.* Quos hostes vel non reperire, vel non accedere poterunt, pestis extinguit, sub peste etiam famem intelligit.

Hæc sunt quatuor præcipua flagella, quibus nos Deus coercet. Nam Flagella Dei vt patres suas habent virgas, ita cælestis noster pater suas quoque virgas & sua flagella habet, quæ contra contumaces expedit. Non enim temerè gladius, pestis, fames, bestia, grassantur, de quo alibi prolixius.

Quomodo verò, quando, vbi, hæc prædictio impleta sit, non expressè legitur in Historia sacra: nisi quòd traditur reliquias belli, metu Babylonii regis, in Ægyptum profugisse, ibi impletam fuisse hanc prædictionem non est dubitandum. Idem enim Ier. 42. 43. 44. capite, primùm in Iudæa, deinde in ipsa Ægypto vaticinatus est.

Verba igitur nostri Prophætæ, ita accipienda sunt: Qui nunc in Iudæa, in solitariis locis, ruri aut in speluncis degitis, in Ægyptum profugientes à bestiis, gladio & peste absumemini: non enim in Iudæa, nisi forsitan paucis, hæc acciderunt. Vel potius hic sensus est, Vos omnes, paucis exceptis (quod Ieremias addit) qui Babylonii in Ægyptum irruentibus, confugietis in solitudines, loca munita, speluncas & campos, à gladio, peste, bestiis peribitis in Ægypto, inque illis locis, ad quæ tanquam asylum vos recipietis.

Quia verò terra Iudæorum carebit incolis, prorsus vasta & inculta erit. Iam quidem vasta erat, sed vastior ac magis desolata reddita fuit.

*Cessabit superbia fortitudinis eius.* Insolescebant propter terram munitam, hominum multitudinem, & corporum robur, sed hæc omnia Deus sustulit. Nobis quoque superbiendi & gloriandi materiam sæpenumero aufert.

*Desolabuntur montes Israel, vt non sit qui transeat.* Israelitica regio montosa fuit: montes autem partim vitiferos, partim pascuos habuit. Viæ tritæ fuerunt per illos montes: sed tantam fore vastitatem dicit, vt nullæ viæ apparituræ sint, omnia sentibus & vepribus obsita fore. Ieremias in Threnis capite primo dicit: Viæ Zion lugent, eò quòd non sint qui ad solennitatem

veniant. Viæ Zionem versus, quæ antea trita & frequentes erant, post captiuitatem tristes & squalidæ fuerunt propter viatorum insolentiam. Iudæi se perpetuò illis in locis fore sperabant, & breui futurum vt abducti reducerentur: hanc ipsorum spem Propheta ostendit vanissimam esse, terram in maximam solitudinem vertendam prædicens. Quis autem fructus inde orietur, si Iudæorum reliquiis perditis, in squallidum desertum redigeretur?

*Et scient quòd ego Iehoua.* Tam impii quam pii suo malo experientur, me Deum esse, qui has pœnas non solùm ipsis comminatus sim, sed etiam intulerim. Impii re ipsa sentiunt se à Deo puniri, quem contempserunt. Iulianus apostata impiam animã exhalans, dicebat, Vicisti tandè Galilæe. Ante hunc Maximinus inter sæuos cruciatus confiteretur se Deũ offendisse crudelitate sua contra Christianos, abolètque tyrannica edicta contra eos promulgata. Vide calcem lib. i. de vita Constantini ab Eusebio descripti. Pii quoque sentiunt Deum iustè peccatis irasci, & ab eis sibi cauent. Inter causas publicarum & priuatarum afflictionum præcipua est, quòd Deus nos his quasi stimulis ad resipiscentiam inuitat.

Colligemus ex his omnibus, quid nobis quoque tandem euenturum sit, nisi resipiscamus. Et si enim nunc non videas, quomodo hæc vel illa possint nobis priuatim vel publicè accidere, tamen Deo non difficile est, variis viis rebelles punire. Audiuimus reliquias Iudæorum in terra relictas excisa vrbe, existimasse se omnibus malis perfunctis, perrexisse in sceleribus, ideòque terra eiectas esse. Nos ergo morbis, fame, aliis malis liberati, non simus securi, pristina scelera non reperamus, sed pœnitentiam agamus, ne in his terris Deus nos puniat, vel iisdem vel grauioribus flagellis, & tandem è terra viuentium exturbet.

## HOMILIA CXLIII.

*¶ Captiuos in Babylone reprehendit, qui simulabant se libenter audire propheticas conciones, quas interim ridebant, pœnamque eis minatur.*

30 Et tu fili hominis, filii populi tui qui obloquuntur tibi iuxta parietes illos, & in ostiis domorum: loquiturque alter cum altero, quisque cum fratre suo, dicendo, Venite quæso, & audite quòdnam sit verbum quod egreditur à Iehouah.

31 Et veniunt ad te secundum ingressum populi, & sedent coram te populus meus, & audiunt verba tua, quæ tamen non faciunt: quia subsannationes ore suo faciunt, post auaritiam suam cor eorum ambulat.

32 Et ecce tu es illis veluti canticum amorum pulchræ vocis, & bene scientis canere: nam audient verba tua, sed non facient ea.

33 Quis autem euenerit illud (ecce venit) scient quòd Propheta fuit in medio eorũ.



VAE Propheta iam antè dixit, ad illos præcipuè referenda sunt, qui in Iudæa degebant: iam deinceps in altera huius concionis parte de illis agit, qui captiui in Babylonem abducti erant, hypocrisis eorum reprehendit, pœnamque eis denunciat. Nos vt inferiore cum fructu hanc partem cognoscamus, primùm verba

ipsa

ipsa Prophetæ elucidabimus, deinde quæ in eis obseruanda sint, annotabimus: postremò videbimus quàm hæc accommodata sint nostris temporibus. Disce- mus autem non satis esse audire Prophetarum oracula, nisi iis quæ dicuntur; obtemperemus.

*Filii populi tui loquuntur in te.* Loqui in aliquem, significat vituperare aliquem, detrahere alicui: Iudæi coram tibi blandiuntur, inquit, clam verò te conuiciis lacerant. *Iuxta parietes vel muros.* Nequis à tergo auscultet. *Et in ostiis domorum,* vbi congregantur homines, & inter se colloquuntur. Alii simpliciter interpretantur, *Colloquuntur tecum,* hoc est, simulant se tuos amicos esse & familiariter tecum loqui.

*Venite quæso, & audite quodnam sit verbum quod egreditur à Domino.* Hortantur se mutuò ad audiendum verbum Dei in domo Prophetæ, vel in publico cœtu, non seriò sed ludentes. Prophetæ vñitata hac præfatiuncula excitabant ad attentionem suos auditores: Audite verbum Domini, quod Deus per nos dicit: hoc illi imitabantur: Audiamus, dicebāt per ludibrium, verbum quod prodit à Domino, interim ei repugnabant. *Et venerunt ad te, secundum ingressum populi, & sedent coram te populus meus.* Non aliter confluebant atque seriò audituri conciones propheticas, aderant confertim, vt populus Dei verus, qui discere vult suum officium, occupabant omnia subsellia, aut sub diuò conferti aderant. Siquis obiiciat, Babylonios id non permissuros fuisse, potest dici, eos cœtus clandestinos habuisse. *Et audiunt verba tua & non faciunt ea.* Audiebant quidem Prophetam, sed non obsequebantur ei: causam illius rei subiicit: *Quia subsannationes ore suo faciunt, post avaritiam suam cor eorum ambulat.* Versio Tigurina habet, *Conciones edunt ore suo.* Lutherus vertit *si uer dend dich anpffiffen,* libilabunt te, hoc est, irridebunt te, cantilenas contra te componēt. Alii, *Verba amoris ipsi faciunt,* vt sit sensus, Verbis suis videntur significare quòd tui sermones eis sint accepti, sed aliud habent in corde: deinde, tantum cogitant de opibus per fas & nefas cumulandis: adsunt in concionibus frequentes, animis interim peregrinantur, rationes secum ineunt, quomodo alios suis possessionibus deturbare possint. Avaritiæ aliisque sceleribus deditos, exiguo cum fructu sacris interesse cōcionibus: semen verbi frustra spargi in cordibus ipsorum, ex cap. 8. Lucæ & vsu quotidiano intelligitur. *Et tu eris illis veluti canticum amorum pulchræ vocis, & bene scientis canere.* אגפּים *agafim* amatores insanos significat, auctore Munstero in suo lexico, secūdam Hebræos, irrisiones, quidam ex eis cantica interpretantur, nam אגפּ אגפּ אגפּ *agaf & cum vas* אגפּ אגפּ אגפּ *agaf* musicum instrumentum significare nobis incognitum. Quidam suspicantur instrumentum esse quod vulgò vocamus *ein gigen.* Alii fistulam intelligunt. D. Hieronymus & alii organum vertunt, quod fistulis constat. Quanquam organa sint omnis generis instrumenta musica. Psal. 150. Laudate eum in chordis & organo. Gen. 4. Iob 30. Septuag. reddunt *καὶ γίνῃ αὐτοῖς ὡς φωνὴ ψαλτηρίου ἢ δὲ φωνὴν ἑυαρμόσου,* hoc est, Eris illis tanquam vox psalterii dulcifoni & concinni. sensus est, Eris illis carmen amatorium, pulchrè vel suauiter fonans, elegantique melodia. Non aliter audiunt tuas conciones, quam siquis musicum aliquem vocalem audiat canentem carmen aliquod amatorium vel aliud, aut ludentem instrumento musico: delectatione quidem afficitur illis carminibus, sed cum primùm cessarit, nulla est vtilitas. Ita illi audiunt quidem te, sed absque fructu, nihil eorum obseruant vel intelligunt, quæ ipsis proponuntur. Alii quoque etiam si interdum concionatoris eloquentia moueantur, eumque magna cum delectatione audiant: tamen mentem suam non mutant. Targum habet: *Tu eris illis sicut canticum organorū, alii, eris illis canticum subsan*

natorum, aut herborum lusus. Rident & ridebunt verba tua in cordibus suis, et si præ se ferre videantur, tuos sermones eis gratos esse. *Nam audient verba tua, sed non facient.* Ex tuis sermonibus nullus ad eos redit fructus, sibi semper similes sunt. *Cum autem venerit illud ( ecce venit ) scient quod Propheta fuit in medio eorum.* Cum euenerint mala quæ prædixisti, experientia discent te Prophetam fuisse; non loquutum esse ex affectibus, sed diuina reuelatione. Inferit per parenthesis, illa quæ minatus est, certò euentura esse.

Observatio  
nes.

Videamus nunc quæ ex hoc loco præcipuè obseruanda veniant. Primum colligimus omnibus seculis fuisse hypocritas, qui simularint studium verbi Dei, cum longè aliud agerent: qui præ se tulerunt amorem erga Dei seruos, quos odio habuerunt. Illi de quibus hoc loco agitur, tot malis nondum domiri, Prophetæ simplicitatem riserunt. Idem eodem tempore Ieremias & alii Prophetæ aliis temporibus experti sunt. Quid ipsi Christo & Apostolis acciderit vulgò notum est: cur igitur meliorem conditionem in hac mundi corruptione expectaremus?

Deinde discimus, Deum omnes tam bonorum quàm malorum cogitatus, dicta, facta, ad vnguem cognita habere. Quid Iudæi remotis arbitris de Ezechiele, eiusque concionibus loquantur, quid sentiãt, ostendit. In superiore parte, quid illi qui procul in Iudæa degebant, dixerint, quid fecerint, Prophetæ suo patefecit. Nemo igitur putet, suas cogitationes, sua consilia Deum latere.

Ad hæc videmus Deum hypocrisis & ingratitude illam pœnis afficere. Nam in ipsum Deum contumeliosi sunt, qui verbum per seruos eius prædicatum aspernantur. Ut parentes ferre non possunt si filii admonitiones eorum bono animo profectas contemnant, interim simulent se bene erga ipsos esse affectos: ita Deus nostram ingratitude illam ferre nequaquam potest.

Discimus præterea quomodo audiendæ sint sacræ conciones: non audiendæ sunt vt instrumenta musica, quibus aures tantum delectatione afficiuntur, nemo melior redditur: sed fides ex illis discenda est & confirmanda, & vita nostra rectè instituenda: hoc est facere vel custodire verbum Dei. Vt non satis est medicum in morbis corporum consulere: nisi consiliis eius obtemperemus: ita non satis est audire medicos animi, nisi ad eorum præscriptum agamus. Hac de re loquitur Seruator noster Matth. 7. Lucæ II. cap. Qui alium finem in audiendis concionibus sibi proponunt, quàm fidei confirmationem & vitæ emendationem, absque fructu ad eas accedunt.

Applicatio  
ad nostra  
tempora.

Quàm pulchrè hæc pars nostris temporibus congruat, videre non est difficile. Etenim cum eodem genere hominum nobis est negocium. Non quidem desunt qui verbum Dei magna cum voluptate audiunt, & secundum eius regulam quoad possunt, vitam suam informant. Quæritur verò, quæso, illorum est numerus, qui libenter quidem conciones audiunt, sed interim de vita emendanda nihil aut parum admodum sunt solliciti? Item illorum, qui simulant se libenter quidem verbum Domini audire, cum interim sua quærant: nempe auram popularem, opes, honores, qui si vel consequi se hæc posse desperant, vel iam consequuti sunt, detrahunt Ministris; & in apertos plerunque hostes mutantur? Quid de illis dicemus, qui non vt Iudæi ad audiendas conciones sacras frequenter accedunt, sed rarius & omnino non accederent, nisi pro atheis haberentur: deinde non clam in angulis, sed aperte atque palàm, & doctrinam pietatis & ministros eius traducunt?

Ad hæc illa quæ alioqui probarent, si calculus ministrorum verbi accedat,

dat, improbant? Horum numerus tametsi quotidie crescat: tamen Ministri in suo officio pergere debent, & vel in testimonium illis concionari: sentiant enim & ipsi aliquando Prophetas fuisse inter ipsos.



# Concio trigesima prima

EZECHIELIS.

HOMILIA CXLIII.

\* *Pastores, hoc est, gubernatores populi Israelitici reprehendit, quòd neglecto grege, qua sua sunt quarant.*

CAPVT XXXI.

1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo,  
 2 **F**ili hominis propheta contra pastores Israel, propheta inquam & dic ad illos, nempe pastores, Sic dixit Dominus Iehouah, Væ pastoribus Israel, qui pauerunt semer ipsos: an non gregem pascunt pastores?  
 3 **A**dipem comedistis, & lana induistis vos: crassum iugulastis, & tamen oves non pauistis.

**H**occapite continetur CONCIO XXXI. quam Propheta contra pastores, hoc est, proceres populi dirigit, qui præcipua causa fuerunt, quòd l. populus pessimè vixit & ingentem funestamque illam cladem accepit. Etenim si illi suo officio non defuissent, populus quoque non tam fuisset corruptus. Ita enim comparatum esse videmus, vt qualis sit magistratus, tales ferè sint eorum subditi: id quod in vitis Cæsarium obseruare licet. Oves sequuntur quocunque pastores eas vocarint vel duxerint. Quando hæc oratio habita sit à Propheta non exprimitur: quidam putant habitam esse ante euerfam urbem, cum populus regis & principum tyrannide opprimeretur, & mendaciis pseudoprophetarum & sacerdotum deciperetur. D. Hieronymus admonet sequentes sermones, qui indicationem temporis non habent, dictos esse inter annum duodecimum & 25. transmigrationis siue captiuitatis Iechoniæ, & qui cum eo capti fuerant. Siue autem antè siue post dicta fuerit, maximè directa est contra proceres politicos & ecclesiasticos, interim ad vniuersum quoque populum pertinet. Hæc autem habet membra, vel has partes. I. taxat Deus pastores quòd commissum sibi gregem non pascant, sed potius seipsos. II. Pœnam eis minatur. III. Consolatur gregem, dicendo, quòd ipse oves colligere velit, & eripere illis malis pa-

Quotèpore dictus sit.

Partes huius sermonis.

storibus, eas docere, defendere, curare. III. Reprehendit etiã ouium quarundam ex grege malitiam. V. Promittit iterum gregi suo, vnicum & fidum pastorem Christum, de cuius regno vaticinatur. Ex hoc capite discrimen videbimus bonorum & malorum pastorum, item quæ præmia & quæ supplicia eos maneant: deinde prophetarum munus esse, vt minis terreant sceleratos, & pœnitentes rursus erigant consolatione verbi Dei. Perpetua vtitur allegoria desumpta à re pastoritia, quæ in veteri & nouo Testamento toties occurrit, vt loca adducere superuacaneum videatur.

Vfus.

Sermo est allegoricus.

Primam huius capituli partem, quæ principum populi reprehensionem continet, nunc audiamus.

*Va pastoribus Israel, qui pauperunt semetipsos.* Per pastores intelligit regem, principes, magistratus, item sacerdotes, Leuitas, prophetas. Apud Homerum quoque reges ποιμένες λαών dicuntur. Hac autem metaphora ostenditur quàm necessariae sint hæ functiones in populo Dei, deinde quàm laboriosæ. Per oues vel gregem populum intelligit, quia ovis tam stolidum est animal, vt si à stabulo aberrauerit, in dumetis & locis auis prius frigore pereat, aut lacere- tur à lupis, quàm ad caulam reuertatur, nisi à pastore quærat & reducatur. De socordia & stoliditate huius animantis, prouerbum apud Græcos circum fertur, οὐβάτης ἡ δὸς ouium more, & alterum illud, οὐβάτου βίον ζῆν. Populus nisi coerceatur legibus & pœnis à principibus, sequitur suos affectus, fertur in præcipitia: deinde vt grex, facillè suos magistratos sequitur. Tota ecclesia Dei, in qua etiam proceres continentur, comparatur ouibus, propter vitæ innocentiam, est enim ovis animal, vt ille dicit, sine fraude doloque: propter patientiam & mansuetudinem, quæ virtutes Christianis cum primis sunt necessariae. Rex & principes in populo Israelis ad hoc à Deo erant constituti, vt studerent publicis commodis, coererent pauperum oppressores, at illi omnia ad priuatam vtilitatem & comoda referebant. Non contenti suis tributis, vectigalibus & redditibus, vndeunque corradendi opes occasionem petebant. Idem faciebant prophetæ, Leuitæ & sacerdotes, non contenti amplissimis suis stipendiis, sacrificiorum partibus, primitiis, decimis, noua quotidie excogitabant pecuniæ aucupia. De vtriusque illius ordinis rapacitate, multa passim occurrunt in scripturis prophetis.

Pastorū officium est ouium salutem quæ- re.

*An non gregem pascunt pastores?* Hac interrogatione impudentiam illorum arguit. Dicite vos an non pastoris munus sit, oues pascere, non seipsum? Naturæ ordinem peruertebant: pastores enim pascere debent gregem, non grex pastorem, at illi ab ouibus suis pascebantur.

*Adipem comedistis & lana induistis vos.* Iterum aliis verbis auaritiam eis exprobrat. Lac, vel pinguedinem quæ ex lacte ducitur, comederunt: & ex lana vestes confecerunt. i. Cor. 9. cap. dicit Apostolus, Quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? Proinde non hoc reprehendit, quòd ex grege vtilitatem perciperent, sed quòd potissimum spectabant, non vt gloriam Dei & salutem Reip. promouerent, sed vt opulenti fierent, & haberent vnde helluantur, ouibus interim fame & siti pereuntibus. Quæ sua sunt quærebant, vt Paulus de pseudoapostolis dicit, non quæ aliorum, hoc enim est seipsum pascere.

*Crasum iugulastis.* Oues pingues, hoc est, diuites & opulentos ciues iugularunt sub specie iuris, vt eorum diuitiis fruerentur, sic Naboth Regum. 21. ab Achabo oppressus fuit. Animas eorum falsa doctrina pseudoprophetæ perdidit.

*Oues non pauiistis.* Rex & eius consilarii, sacerdotes non redigebant in ordinem, populum non defendebant contra homines violentos. Sacerdotes quoque

quoque & Leuitæ non pascabant gregem suum vera doctrina, vel vitæ exemplo. Verbum Dei non sincerè tractabant, sed humanas traditiones loco verbi Dei docebant. Breuiter, nihil de ouium salute & incolumitate fuerunt solliciti, sed tantùm vt ipsi suas res conficerent. Quicquid grex illis debebat imperiosè ab eo exigentes, nihil illi vicissim dabant.

Si cum illis conferamus principes & episcopos nostri seculi, quàm appositè hæc de ipsis quoque dici possunt? Non de omnibus loquor scio enim non deesse principes & episcopos pios & amantes sui gregis, quot verò sunt, qui, non vt bonos pastores facere ille dicebat, oues tendent, sed deglubunt, quique nouas quotidie expilandi suos subditos artes excogitant? Episcopi pontificii nostris temporibus, nihil minus sunt quàm pastores animarum: non possent lupi vehementius grassari in gregem Dominicum, quàm ipsi in eum grassantur.

Pastores nostri tēporis.

Quorus quisque est ex ipsis qui verbum Dei doceat? aut alios qui illud docere hoc est, qui pascere gregem volunt, non diris supplicis afficiat? Non contenti amplissimis suis stipendiis, noua quotidie pecuniæ aucupia inueniunt, omnia in Ecclesia auro vendunt, nihil tutum est ab eorum rapinis. Apud inferiores quoque ordines vulgare est, vt seipfos pascant, non oues, vt comedant adipem & lana vestiantur. Plebeij homines plerunque clericos vitæ puritate & sacræ Scripturæ notitia longè vincunt: & ipsos pastores melius pascere, hoc est, docere possent, quàm ipsi pastores suum gregem. De hoc nihil dicam quòd episcopi miserè excarnificant gregem Domini motis crudelissimis persecutionibus, suisque inquisitionibus. Sed quid de exteris dicimus, cum non desint Euangelii ministri, qui tantùm magnis præbendis inhiant, & parum gregis sibi commissi cura tanguntur: Multi tam dissolutè viuunt, vt ab ipsa plebe admonendi sint sui officii, ne doctrina eorum malè audiat, cum ipsi potius pastores gregem errantem in viam reuocare deberent.

Hinc colligunt fidi pastores non adulandum esse proceribus Reipublicæ, neque conuiuendum esse ad ipsorum scelera: sed liberè reprehendenda esse: Et si verò multi vociferentur eos Chamo similes esse, qui patris Noe verenda detexerit: nihilominus tamen dicant apertè quibus in rebus illis peccent, vt si ipsi nolunt in viam salutis reuerti, saltem alii non pereant cum ipsis. Cauendum interim ne in reprehendis magistratuum vitis, modum excedant, & quando volunt abesse ab illa suspitione, quòd ad voluntatem eorum loquantur, ne interim plebi assententur.

Reprehensio pastorū malorum necessaria.

HOMILIA CXLV.

*¶ Prophet a ostendit quàm negligentes fuerint pastores in suo officio, & quid inde sequuntur sit.*

4 *Infirmas non consolidastis, & ægrotam non sanauistis, & con fractam non obligastis, & abiectam non reduxistis, & perditam non quæsiuistis: sed dure dominati estis eis, & tyrannicè.*

5 *Et dispersæ sunt, quòd sint absque pastore, & fuerunt in deuorationem omni*

bestiæ agri, dispersæ sunt inquam.

6 Errauerunt oves meæ in cunctis montibus, & in omni colle excelso, & in omni superficie terræ dispersæ sunt oves meæ, nec fuit qui quæreret, neque qui requireret.

Sigillatim  
recenset ne-  
gligentiam  
pastorum.



Propheta corripuens malos pastores, vna eadēque opera, officium conditionēque bonorum pastorum exprimit. Quod in genere dixit, *Oves non pascistis*, mox per partes explicat. Est enim quintuplex pascendi ratio, iuxta totidem ouium discrimina. Vt autem plurimum interest pastores exactè scire quæ sit ratio ouium: ita subditorum quoque & auditorum, quibus se attemperare Ministri Ecclesiæ debent, ingenium nouisse oportet. Domi tuæ & in scholis vides quosdam pueros duci verbis, quosdam verberibus, quosdam ingenio miti, & placido quosdam verò aspero esse, idem videmus in adultis: non similiter omnes sunt affecti. Peritia itaque requiritur & exercitatio, vt rectè grex pascatur. Paulus dicit se omnia factum esse omnibus, vt quàm plurimos lucrifaceret.

*Infirmas non consolidastis.* Oves variis morbis, præcipuè verò febribus sunt obnoxix Morborum quædam signa præcedentia, Virgilius quoque Geor. lib. 3. recenset, nempe torporem, *αὐροπέζια*, id est, fastidium ciborum, lassitudinem, grauitatem corporis & secessum: hæc si boni pastores animaduertant, phlebotomia & aliis remediis vtuntur. Pastores animarum si morborum signa in suis ouiculis obseruent, remedia adhibere debent, idque tempestiuè, secundum illud:

Principiis obsta, serò medicina paratur

Cùm mala per longas inualuere moras.

Si oves suas fame vel siti premi, si ex agnitione suorum peccatorum animis consternari, si metu mortis & inferni eas torqueri sentiant, ex verbo Dei remedia in promptu habere debent. I. Thessal. 5. Subleuate infirmos, patientes estote erga omnes. Rom. 14. Infirmos suscipite. 2. Timoth. 2. Illi verò infirmis nullum adhibuerunt remedium. II. *Ægrotam non sanastis.* Pastores illi perniciosis erroribus infectos & publicis sceleribus obnoxios, non curarunt. Quidam per infirmam illam intelligunt, cui membrum aliquod: per ægrotam, cui totum corpus dolet. III. *Confractam vel vulneratam non obligastis.* Oves à canibus & lupis læsas vel à spinis, item quibus ossa luxata sunt, vel pes fractus, obligare debent: illi verò nulla ouium cura tangebantur, quin ipsi eas fauciabant, & vulnera dilacerabant. IIII. *Abiectam non reduxistis.* Errantes à pascuis, & à vera via declinantes reducunt pastores: illi à salutis uia exorbitantes, non reduxerunt. Isaias 53. capite, Nos omnes, inquit, tanquam ouis errauimus, quisque viam suam sectatus est. Tam corrupta est nostra natura vitio originis, vt omnes in peccata proni simus: sed quidam magis in hoc, alii in aliud. Hebræum verbum significat impellere: in foueam vel præcipitium impulsa extrahitur. Oves quæ minis, promissis, exemplis prauis, falsis miraculis, affectibus suis impulsæ corruerunt in errores & scelera, reuocandæ sunt.

V. *Perditam non quæsiuistis.* Oves in vastis solitudinibus oberrantes, reducendæ sunt ad gregem. Matth. 18. legitur de pastore qui relictis nonaginta nouem ouibus, abiit quæsitum vnicam perditam, inuentam in humeros sustulit, & ad gregem reportauit. Sic Nathan Dauidem qui adulterio & cæde iniusta se caula excluderat, comprehensum reduxit, alii alios. Apostoli gentes in Ecclesiam pertraxerunt.

Notandum



Notandum est quòd illi possunt esse oues Christi, & ad vitã præordinari qui in erroribus sunt: proinde non statim de cuiusq; salute est desperandum. Dixi de ministris Ecclesiarum, sed hæc ad politicos quoque magistratus pertinent, quorum munus quoque est debiles confirmare, ægras sanare, vulneratis mederi, errantes reducere, amissas quærere. Id verò fit si illos qui propensi sunt ad flagitia, pœnis, cum quibus ipsi, tum quibus alij afficiuntur, reuocent in viam, famelicis consulant oppressis annonæ pestibus, errores eradiceant sublatis falsis doctores. Multi ex illis quos magistratus cogit audire conciones, paulatim religionem discunt.

*Durè dominati estis eis ac tyrannicè.* Quanta tyrannide rex Iudæorum cum suis, contra suos subditos grassatus sit, in Prophetis legitur: doctores quoque crudeles fuerunt. Quam tyrannicè hodie episcopi grassentur in gregem sibi concreditum, cælum & terra testatur: ad idololatriam inuitos adigunt, in sceleribus homines fouent, bonos pastores infinitis malis opprimunt. Longum esset referre de anathematismis, de Phalaricis suppliciis quæ sumunt de Christianis. Principes natura placidos, contra Euangelicos calumniis & mendaciis instigant. Lupi, leones, vrsi, tigrides, non ita in oues grassari possent, atque illi in gregem Dominicum. Quam verò Deo displiceant illi mali serui qui conseruos suos percutiunt, Matth. 24. legitur. 1. Pet. 5. præcipitur Episcopis ne dominantur in clero, id est, in hæreditate & sorte Domini. Paulus taxat, 2. Corinth. 11. peruersam patientiam fidelium quòd duro pseudoprophetarum imperio parerent.

*Dispersa sunt, quia sunt absque pastore.* Quid ex negligentia & truculentia pastorum sequutum sit, ostendit. Grex dissipatus & dispersus fuit, id quod tertio repetitur. Omnia inter Iudæos erant dissolutissima, leges, iudicia, religio conciderant, quisque suis affectibus ducebatur, varias salutis rationes comminiscabantur, in montibus & collibus idola venerabantur nemine prohibente, ex hoc sequutum est, vt ipsi quoque pastores in varias regiones postea dissipati fuerint.

Matth. 9. cap. de Christo Seruatore nostro scribit Euangelista, quòd cum vidisset turbas, misericordiæ affectu tactum esse erga illas, quòd essent destituti ac dispersi, velut oues non habentes pastorem. Moyse Numeri 27. cap. precatus à Deo vt bonum successorem populo daret, hac quoque similitudine usus est.

*Et fuerunt in deuorationem omni bestia agri.* Ouiculas suas quas à violentia leonum, luporum, porcorum, aliarumque bestiarum defendere debuerunt, ipsis laniandas obiciebant, quin ipsi bestiis illis truculentiores erant. Nonne hodie Papa & Episcopi principum iras accendunt, & passim bella concitant contra ouiculas, in quibus bellis etiam insēpulti à feris lacerantur? nonne sua culpa diabolo instar rugientis leonis passim oberranti, miseris oues relinquunt?

*Errauerunt oues meæ in cunctis montibus, &c.* Iudæi passim contra Dei verbum, noua altaria erigentes, neque à regibus, neque à sacerdotibus prohibebantur, ita subinde crescebat idololatria. Quid hodie fit? Singulæ regiones oppida, pagi, domus, quin singuli homines, suos habent patronos, intercessores, deaestros, quibus extruunt templa, sacella, altaria, monasteria: offerunt eis cereos, vestes, cibaria, spem suam in eis ponunt, peregrinationes ad eos instituunt: quotus quisque episcoporum sibi vel verbo hanc idololatriam displicere significat? nonne maior eorum pars, homines ad hæc vi adigunt? hoc enim facit ad eorum quæstum. Vnde tot sectæ & schismata in Ecclesia, nisi ex pastorum negligentia?

*Nec fuit qui quæreret neque qui requireret. Multi quidem fuerunt, sunt & erunt, qui inuadunt sacerdotia, pauci verò qui serio de obeundo suo munere cogitent: multi ouillas gerunt vestes, egregios habent titulos, sed parum illis respondent. Quotusquisque est vel inter nos Euangelicos, qui boni pastoris partes impleat, & Dominicum gregem sibi à Deo commissum ab impietate & scelerebus reuocet?*

HOMILIA CXLVI.

*¶ Dominus per Prophetam negligentibus & perfidis pastoribus dirum supplicium minatur.*

7 Propterea, ò pastores, audite verbum Iehouæ:

8 *Viuo ego, dixit Dominus Iehouah, si non eo quòd fuit grex meus in direptionem & fuerunt oues meæ in deuorationem omni bestiaæ agri, quòd essent absque pastore, nec quæsiuerunt pastores mei oues meas, sed pauerunt pastores semetipsos, & oues meas non pauerunt.*

9 Propterea inquam, ò pastores, audite verbum Iehouæ.

10 *Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego venturus sum ad pastores illos, & requiram oues meas de manu eorum, & cessare faciam eos, ne pascant oues meas, neque pascent vltra pastores semetipsos: & eruam oues meas de ore eorum, nec erunt eis in escam.*

Pœna malorum pastorum.



Bsoluta pastorum accusatione: iam in secunda hac parte, minatur Deus malis illis pastoribus pœnam. Et quanquam hæc præcipue contra Iudæorum proceres dicta sint: tamen ad omnes alios pertinent: neque solùm ad Imperatores, Reges, Principes, Pontifices, Cardinales, Episcopos, sed alios quoque inferioris ordinis in politica & Ecclesia. Atque ò vtinam hæc verba quasi cœlestis tubæ clangor perpetuò omnium pastorum aures circumsonarent, & cessantibus quidem desidiã excuterent, alacribus verò animum adderent. Nos ad horum verborum interpretationem adgredimur.

*Propterea, ò pastores. Quia tu Rex & vos sacerdotes, ista & ista fecistis, nempe vestris commodis securitatique consulentes, non fuistis de grege solliciti, sed duriter ei dominati estis, id quod iam repetet, hæc & hæc vobis euenient. Audite verbum Domini. Non solùm corporis sed animi quoque auribus: quid prodest Dominum loqui, nisi aures accommodemus: tamen verò illi non crediderint Prophetam afflatu Spiritus Domini loqui, sed ex affectibus, tamen res ipsa postea ostendit, cuius impulsu loquutus sit.*

*Viuo ego, si non. Aposiopesis est in iureiurando vsitata. Sensus est, Non habear verax, nisi pœnas de vobis sumpturus sim: vel, de manu vestra id requiram, nempe:*

I. *Quòd grex meus fuit in direptionem.* Vos qui defendere gregem debuistis, eum diripuistis: aliis quoque cum opprimentibus, pro virili non obstitistis.

II. *Fuerunt omnes oues meæ in deuorationem omni bestiaæ agri.* Leonibus & lupis, hoc est, tyrannis, pseudoprophetis, diabolo, populum obiecistis: vestra culpa hostes

hostes grassati sunt in eum, & feris laniandum reliquerunt. Quod dicit, *Omni bestia*, non videtur carere emphasi, aliquo modo excusari potuissent, si vrsos, leones, & alias truculentas bestias metu periculi non depulissent à grege, sed illas quoque non depulerunt, quas absque vitæ periculo potuissent depellere, veluti lupos, canes, &c. Excusant multi suam ignauiam periculorum magnitudine, qui tamen absque periculo interdum & nullo negotio propagare gloriam Dei possent, & consulere commodis populi, tamen id non faciunt: nolunt vel rusticum offendere: *Absque pastore*. Multos habebant pastores nomine, sed non re. Hinc colligis quid sequatur, si populus bonis pastoribus destitutus fuerit.

III. *Nec quasi fuerunt pastores mei oves meas*. Suos pastores vocat, quia gloriabantur nomine Domini.

IIII. *Pauperunt se ipsos, & non oves meas*. Hæc omnia paulò antè habuimus, nunc repetuntur, ut videamus quantopere Deo displiceat, si principes & concionatores officio suo non fungantur.

*Propterea inquam o pastores audite verbum I. houæ*. Iam absoluit quod cœperat dicere. Non autem contentus in genere dixisse, Vos grauitè puniam, rem per species declarat.

I. *Ecce ego venturus sum ad pastores illos*. Illi freti sua potentia, nihil sibi metuebant, nemo vel hiscere contra ipsos audebat, Ego, dicit Dominus, contra ipsos in arenam descendam. Si Rex aliquis, priuato alicui homini, vel oppido pœnas minaretur, quis non metueret? Longæ enim sunt regum manus. Cur itaque maximi Regis minis toties repetitis non mouemur?

II. *Requiram oves meas de manu ipsorum*. Rationem reposcam ab eis de singulis ouibus, quæ ipsorum culpa perierunt. Si princeps dicat suis ministris, Rationem reddetis mihi de singulis meis subditis, quis non commoueretur? quanta igitur est pastorum stupiditas, quòd Dei verbis tam parum afficiuntur?

IIII. *Cessare faciam eos ne pascant oves, neque pascent ultra pastores semetipsos*. Eiiciam eos tam regno quàm docendi cathedra. Efficiam ne gregem amplius pascant, imò ne se ipsos amplius pascant, suam cuticulam curando, sub prætextu sui muneris. Grauis autem est ista pœna, si quis ab officio suo deponatur: hoc enim si fiat, statim ab omnibus contemnitur. Etiam bene de Repub. & Ecclesia meriti, cum iniuste exauthorantur, in nullo amplius sunt pretio: id verò dolorem affert ingentem hominibus. Prouerbio dicitur, Vbi non sis qui fueris, non est cur velis viuere.

Communem hunc affectum Euripides in Hecuba expressit, quam ita loquentem inducit, ut dicat se pudore impediri, quo minus aspiciat Polymnestorem. Pudere enim in tam miserabili rerum statu ab eò conspici, qui aliquando multis fortunæ ornamentis florentem viderit. Potest hodie quoque Deus liberæ Respub. quæ sua libertate in ordinandis magistratibus & Ecclesiarum ministris abutuntur illa spoliare, maximos quoque reges nullo negotio potest compescere.

IIII. *Eruiam oves meas de ore eorum, nec erunt eis in escam*. Ut pastores ouiculam ex rictu lupi extrahunt, ita ego quoque oves meas ex pastorum, quin potius impostorum & luporum cruentis faucibus extraham. Obseruandum autem est, quòd Dominus gregem suum, & oves suas voeat, idque sæpe. Hunc gregem Christus sibi non auro & argèto, sed sanguine suo comparauit. Magistratus & Concionatores ministri sunt, non Domini gregis. Expendant hoc secum, & non grassentur in gregem alienum. Multi sunt hodie, qui sibi commissos in nullo numero habent: qui ideo eos natos putant, ut eis tyrannicè dominantur. Ratiō nobis reddenda erit, cum in hora fatali, tum in nouissimo iudicio, iustissimo iudici, in quo ut ad Galat. 3. capite dicitur, Non est seruus nec liber, non est mascu-

lus nec fœmina. Facit etiam ad consolationem populi, quod Deus pro suis eos agnoscit, ut vexentur à malis pastoribus.

Similes comminationes alibi quoque leguntur, Jerem. decimoquarto, & in primis 23. capite. consule locum. E diuerso amplissima præmia fidei pastoribus promittuntur. 1 Pet. quinto capite, præscribens ipsis officium, mox subiicit: Et cum apparuerit ille pastorum princeps, reportabitur immarcescibilem gloriæ coronam.

Si cum his verbis conferas historiam (id quod in prædictionibus faciendū esse sæpe admonuimus) exactè omnia impleta esse perspicies, de quo alibi diximus, piget enim eandem rem toties repetere. Hodie quoque Deus à malis pastoribus pœnas sumere non cessat. Diligens verò harum rerum consideratio, excitare omnes pastores debet, ut quantum ingenio & labore efficere possunt, puram Evangelij doctrinam propagent, & diaboli regnum destruant: non metu periculorum, quæ ex hominibus eis impendent, officium suum negligant sed potius cogitent quid Deus eis comminetur, nisi suum munus strenuè obeant. Multi si hæc diligentius in animis suis voluerent, non aspirarent ad magistratum, nō tam ambitiosè munus docendi appetent. Nos Deum toto pectore oremus, ut pastoribus & gregi suam gratiam largiatur, ut quod rectum est faciant.

## HOMILIA CXLVII.

*¶ Promissio de restitutione Israelis tam carnalis, quam spiritualis: per Christum salutem pollicetur.*

11 *Quia sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego ipse requiram oves meas, & queram eas.*

12 *Quemadmodum inquit pastor gregem suum die qua est in medio ouium suarum dispersarum, sic requiram oves meas, & eruam eas ex omnibus locis, in quæ dispersæ fuerant in die nubis & caliginis.*

13 *Et educam eas è populis, congregaboque eas è terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel in riuibus & in cunctis habitationibus terræ.*

14 *In pascuis bonis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erit caula earum: Ibi accubabunt in caula bona, & pascua pingua pascentur in montibus Israel.*

15 *Ego pascam oves meas, & ego accubare eas faciam, dixit Dominus Iehouah.*

16 *Perditam requiram, & abiectam reducam, & contractam obligabo, & ægrotam consolidabo: pinguem verò & fortem disperdam, & pascam illas in iudicio.*

Sequitur



Equitur tertia pars huius capituli, in qua Deus promittit quod ipse oves suas querere, educere ex captivitate, in patriam reducere, easque pascere velit. Hoc vaticinium partim de Israelitis, partim de omnibus aliis gentibus est intelligendum.

Quod Israelitas attinet, saepe dictum est primum decem, deinde duas tribus, in peregrinas terras abductas & dispersas fuisse, illarum restitutionem nunc promittit, quae quidem secundum litteram a temporibus Cyri, (quem Isaias pastorem vocat) usque ad tempora Christi facta fuit: deinde spiritualiter impleta est haec restitutio in Christo. Ipse Christus magnus ille pastor, (de quo postea sequetur) cum vidisset populum errantem tanquam gregem pastore destitutum, ipse eum docuit, aliosque constituit qui docerent primum Iudaeos, deinde gentes. Etenim evoluta tempore constituto, non solum propter Israelitas: sed & propter gentes totius mundi Salvator in hunc mundum advenit. Quod Marth. 15. dicit, Non sum missus nisi ad oves perditas Israel, ad ordinem pertinet quo perfici cursum regni Dei oportuit, qui sua habet tempora: vocationis gentium tempus nondum advenerat. Apostolos quoque primum ad oves perditas domus Israel, deinde ad gentes misit Mat. 10. Act. 13. cap. D. Petrus in 1. Epist. cap. 2. Eratis inquit, velut oves errantes sed conversi istis nunc ad pastorem & curatorem animarum vestrarum. Hodie quoque Deus oves suas palantes, ab innumeris superstitionibus revocat, eas ex faucibus antichristi eripit, easque pascit, idque faciet usque ad diem novissimum, quo demum ovium & haedorum facta segregatione, quae promissa sunt de restitutione Israelis, absolutissime implebuntur. Similem ferè promissionem habemus Jeremiae 3. capite.

De restitu-  
tione Israe-  
lis.

Ecce ego ipse requiram oves meas, & quaram eas. וַיִּרְדֹּף דַּרְאֲשׁוֹ דַּרְאֲשׁוֹ significat querere, inquirere, perquirere, idque magna cura, diligentia & sollicitudine. בָּקַר *bakar* manè inquirere, seu inspicere significat. Similitudinem subiicit: Quemadmodum pastor oves suas quas dispersas esse videt, praesertim post magnam aliquam tempestatem, colligit, longius disiectas ad gregem reportat: sic Deus oves suas, hoc est, Israelitas bellorum procellis in varias regiones dispersos, collegit atque reduxit.

1 Inquirā &  
colligā oves  
sparsas.

Haec similitudo dulcissimam consolationem continet. Nam Deus non solum posteros Israelis collegit, sed hodie quoque Ecclesiam variis procellis disiectam, congregat. Saepe actum videtur de Ecclesia, praesertim in magnis tenebris, quae lupis & furibus securitatem praebent, in persecutione ovibus hinc inde diffugientibus, tamen Deus iterum eam colligit. Cum Christus caperetur & cruci suffigeretur: actum videbatur de Ecclesia, Apostolis metu Iudaeorum diffugientibus, secundum illud Prophetarum, Percutiam pastorem, & dispergentur oves eius, sed mox collecti sunt, accesserunt alij qui ante ne hircere quidem ausi fuerant.

2 Reducam  
ex captivita-  
te.

Quod si propter peccata populi vno in loco vera doctrina opprimatur, mox aliis in locis emergit & propagatur, cuius rei miranda & multa exempla nostra aetate vidimus. Cum res afflictissima sunt, Deus subito nobis consulit, si ardenter eum precemur. Sic sapiens ille Philo ad C. Caligulam legatus missus, comites suos metu percussos propter saevitiam Imperatoris, consolatus est. Bono, inquiens, animo ob id esse debemus, quod re ipsa Deus iam nobis aderit, postquam nobis Caius irascitur, Iosephus Antiquitatum lib. decimo octavo, cap. 15. Deus vitiosam domum demolitur, ut novam aedificet, hoc est, ut Ecclesiam suam instauret.

Educam eas è populis. Repetit promissionem de restitutione eorum, vix enim eis persuaderi poterat, quod reducendi essent.

Nos quoque hodie educit ex Babylone, hoc est, regno diaboli, Antichristi, & præsentis huius sæculi. *Inducam eos in terram suam.* In terram Chanaan, quæ typus fuit cælestis patriæ. *Pascam eos in montibus Israel.* secundum litteram, Occupabitis terram, montes, valles vel riuos, & agros. Iuxta riuos ædificantur pagi & domus, propter aquarum commoditatem.

3 Reducam  
in terram  
suam.  
4 Pascam  
eos.

*In pascuis bonis pascam eas.* Rei rusticæ scriptoribus non quælibet pascua, & riuus quilibet probantur. Per pascua intelligit Euangelij doctrinam, qua oves pascuntur ad vitam æternam: alij varia dona Spiritus intelligunt: repetit hoc, ut eos magis confirmet.

*In montibus excelsis Israel erit caula earum.* Caula est Ecclesia, vel societas electorum, quam ideo in monte collocatam dicit, quia Christo qui monti comparatur in Prophetis, innituntur, metesque suas in cælos attollunt. De monte Sion Psalmo 67. Esaia 2. Michea 4.

*Ibi cubabunt in caula bona.* Tuti erunt à bestiis, abigeis, nimio frigore & calore. Securitatem significat, quam per fidem in Christum acquirimus, ad Rom. 5. cap. Quoad hanc carnem gestamus, multa aduersa nobis accidunt, postquam liberati fuerimus carnis ergastulo, plenè liberabimur, neque antè plena tranquillitas nobis est expectanda.

5 Accubare  
eos faciam.

*Ego pascam oves meas.* Non substituit vicarium talem, qualem se Romanus pontifex fingit esse, sed ipse per suos fidos ministros gregem pascit.

*Ego accubare eas faciam.* Matth. 11. Ego requiem vobis præstabo. extra Christum nulla est pax & tranquillitas.

*Ouem perditam requiram,* &c. Exempla habemus in meretricibus & publicanis, in latrone, in Petro qui infirmus erat, Thoma, & aliis. *Pinguem verò & fortem disperdam.* Ouem petulantem, quæ alios crebrò impetit, compescam. Sunt quidam inter fideles, qui propter dona, quæ à Domino acceperunt, veluti, robur, opes, potentiam, ferociunt: illos cruce domat Deus, ut seiplos cognoscant, & aliorum quoque malis afficiantur. Reliqua boni pastoris officia supra habuimus. Consolatione verò hoc plenum est, quòd summus ille pastor, Seruator noster, oves mœstas consolatur, vulneratas obligat, ægrotis medetur, errantes reducit, & non statim eas abiicit. Ier. 42. de Seruatore prædixit, Arundinè comminutam non confringet, & linum fumigans non extinguet. compatitur infirmitati nostræ. Heb. 2. cap. Quot passim in euangelica historia extant *φιλαυθροτίας* Christi præclara exempla? Hæc diligenter ab illis cogitanda sunt, qui metuunt ne à Deo propter fidei suæ imbecillitatem deserantur.

*Et pascam illas in iudicio,* prout res & conditio earum exigit. Prudentia enim à pastore requiritur. Paulus se Corinth. primùm lacte, postea solidiore cibo dicit aluisse, 1. Corinth. 3. Magnum est inter oves discrimen, quare conuenit ut pastor se illis accommodet, & pro earum ratione pabulum parat, scabiosas ab aliis separet, faucias obliget, &c. Oecolampadius ad hunc locum dicit, Eodem spiritu, sed diuersa manifestatione spiritus, nunc laxat habenas timidis, nunc astringit confidentibus, solatur, terret, vulnerat, obligat, obiurgat, blanditur, constanti & æquali animo omnia, prout salutis nostræ ingenium quoquo tempore desiderat. Quomodo hæc prophetia impleta sit ab initio dixi. Quod bonum illum & diligentem pastorem facturum dicit, Christum fecisse Euangelistæ passim testantur, & inferius apertius declarabitur.

*Sermonem iam conuertit ad oues, hoc est,  
ad populum in quo etiam quadam  
vitia taxat.*

17 Vos autem oues meae, sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego iudico inter pecudem & pecudem, inter arietes & hircos.

18 An parum vobis est, quod pascua bona pascimini, nisi etiam residuum pascuorum vestrorum conculcatis pedibus vestris? & profundas aquas bibatis, nisi etiam residuas pedibus vestris conculcatis?

19 Et oues meae conculcationem pedum vestrorum pascuntur, & conculcationem pedum vestrorum bibunt.

20 Propterea sic dixit Dominus Iehouah ad eos, Ecce ego, ego iudicabo inter pecudem pinguem & pecudem macilentam.

21 Eo quod latere & humero pepulistis, & cornibus vestris corrupetistis omnes infirmas, donec dispergeretis eas foras.

22 Seruabo pecudes meas, & non erunt ultra in rapinam, & iudicabo inter pecudem & pecudem.

**P**ostquam taxauit pastores propter socordiam & perfidiam, suppliciumque eis denunciavit: iam in quarta huius capituli parte, ad oues conuersus, quarundam ex eis malitiam reprehendit, simulque pœnas eis denunciat. Gaudet enim plebs, si audiat procerum vitia taxari, interim non cogitat se quoque multis vitiis laborare. Non solum pastores, inquit Propheta, officium suum negligunt, sed vos quoque: reprehendit luxum, auaritiam, fœuitiam eorum, interim oblique populi proceres iterum taxans. Hæc ad nos trãseramus, qui cum vnum pastorem agnoscamus, tamen multis vitiis sumus obnoxij: pastorumque socordia nos excusari putamus, si multa nefarie faciamus.

*Vos autem oues meae. Ecce ego iudico inter ouem & ouem, inter arietes & hircos.* Inter pecudes Dominici gregis iudicium fore dicit: Vt pastores, ita oues etiam iudico. Quoad vocabula sacre Literæ distinguunt pecudes in duo genera, in צון זון animalia parua, vt est genus ouillum & caprinum: & בקר *bakar* animalia maiora, vt sunt boues, asini, vituli. Aries est vir ouium, veruex quoque est mas sed castratus. Agnus est inter oues qui nondum adoleuit. Hircus est vir caprarum. Caper est quoque mas caprarum, sed castratus. Hædus est inter capras qui inter oues agnus. Qui de diuersis nominibus generis ouilli & caprigeni apud Hebræos plura legere volunt, consulant Gesneri librum De animalibus quadrupedibus. Iudicandi verbum variè vsurpatur in Scripturis: significat punire vel asserere aliquem, aliquid ab aliquo discernere, diiudicatis causis dissidia componere, pacemque constituere. Gen. 16. Sara ad Abrahamum dicit, Iudicet Deus inter me & te. 1. Sam. 24. Dauid dicit ad Saulem, Iudicet Deus inter me & te, & vlciscatur me Dominus & te, &c. Prouocat ad iudicium Dei, & Diuinam vltionem ei denunciat. Oues non sunt vnus generis, quædam infirmæ sunt, quædam robustæ, dixit igitur, se oues pascere in iudicio, nunc se iudicare inter oues, hoc est, quamlibet pro sua conditione tractare, vna mollius, alteram durius: in communibus quoque cla-

dibus quasdam seruat, reliquis pereuntibus, discernit quoque morbidas à sanis, ne gregem totum sua contagione inficiant. 1. Corin. 10. Fidelis est Deus, qui non finet nos tentari supra id quod possumus, &c. Deinde quædam sunt mansuetæ, quædam petulantes & audaces, quas Deus iudicat, hoc est punit, variisque malis exercet, ne alias lædant, sed seipsas cognoscant. Sunt etiam hædi qui inter oves pascunt, eisque accensentur, hoc est, piis permixti sunt hypocritæ, quos nos ab ouibus non discernimus, sed Deus illos ab his separabit. Aliquando in hoc seculo detegit eorum hypocrisim, ne oves lædant, sed quam apertissime in extremo iudicio id faciet: tunc enim patebit quantum hædi ab agnis distent. Ipse Seruator noster dicit, Matth. 25. Cum autem venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Hæc discretio aliis quoque similitudinibus indicatur, Matth. 3. per separationem tritici à paleis. 13. ca. per similitudinē zizaniorū, deinde sagenæ in mare missæ. Pertinet hæc similitudines ad admonitionem fidelium, ne potius hædos referant, quam oves, alioqui cum aliis hædis in futuro iudicio ad mactationem segregabuntur: deinde ad consolationem, ut à ferocibus hominibus multis ærumnis affecti, sciant olim se ab illorum iniuriis liberandos, ideoque in hac vita omnia æquam mente ferant. Ad hæc maxima sunt certamina de religione, quisque suam veram esse dicit, Christus clarissimo suo aduentu iudicabit & pronuntiabit, quis recte vel perperam fenserit, & componet omnes controuersias.

*An parum est vobis quod pasua bona depascitis, &c.* Hominum hoc est ingenium, ut si peccatum suum negare non possint, tamen extenuent. Quid, dicebant Iudæi, contra Dei legem commisimus: subiicit igitur, eos fecisse instar ouium illarum, quæ saturæ pabulum & fontes pedibus conculcant. Ditiores ex plebe luxuriose viuebant, utque suam luxuriam alere possent, vnde cunq; corradebant ingentem pecuniam, multis interea fame contabescensibus, & augefcente numero pauperum: omnium rerum quæ ad victum pertinebant pretia augebant. Hodie quoque opulenti helluantur, opprimuntur pauperes variis artibus, corrumpuntur mæces, frumento admiscuntur paleæ, vino aqua, multi cibo atque potu intemperanter vtuntur, & quasi pedibus cõculcant, tot puerperis, pauperibus, senibus, interim fame atque siti laborantibus. Profundas aquas, limpidas & puras vocat: profundæ enim aquæ limpidæ sunt & puræ. Septuaginta reddiderunt *καδυσμῆδος ὕδωρ* quod aqua stans, hoc est tranquilla, pura sit. Hæc de spirituali quoque cibo & potu exponi possunt. Sacerdotes legem & Prophetas habebant, ex quibus debuerunt simpliciter homines docere agnitionem suorum peccatorum, & venturi Messia, per quem homines à peccatis liberantur: illi verò tantum de sacrificiis offerendis, & seruandis traditionibus, concionati sunt. Christus quoque sui temporis pastoribus exprobrat, quod claudant regnum cœlorum ante homines, quod ipsi non intrent, nec aduenientes sinant intrare. Matth. 23. Lucæ 11. cap. Erant, ut prouerbio iactatur, canis in præsepi. Nostri temporibus illorum quam plurimi sunt, qui cum sacrum codicem habeant, veluti penarium quoddam, tamen cibum non proferunt famelicis, fontes limpidos perturbant: cœno suarum traditionum: non docent Christum vnicum nostram esse iustitiam, sed satisfactiones suas, indulgentias, merita monachorum, quæ numerata pecunia nobis communicentur, & alia id generis subinde inculcant: Filium Dei conculcant, ut ad Hebræos 10. capite habetur: secundum affectus suos (qui in Scripturis per pedes significantur) Dei verbum interpretantur: pro salutaribus aquis, suam saluam hominibus obtrudunt. Boni alioqui pastores, etiam pasua proculcant, quando secundum affectus suos Scripturas sacras exponunt.

Taxat luxuriam & auititiam.



*Ecce ego, ego inquam iudicabo inter pecus pingue & pecus macilentum. Eò quòd à latere & ab humeris impellit, &c.* Fert sententiam contra oues improbas. Per pecus vel ouem pinguem, illos intelligit qui diuitiis & potentia inter alios excellent. Hi superbi, insolentes & crudeles sunt, vacui charitate, nolunt condonare proximis, sed seipfos vlciſci, opprimunt pauperes iniuste. His pœnam minatur, hanc causam assignans, eò quòd imbecilliorum latera & humeros impetant: vel quòd lateribus, humeris & cornibus suis, eas propellant. *Donec dispergatis eas foras.* Oues præsertim saturæ & robustæ, feroculæ sunt in alias, easque protrudunt, sæpe ex caula, ex grege, ex pascuis propellunt: ita potentes & diuites alios ferre nolunt, sed soli volunt pascua obtinere, alios suis opibus spoliatos in exilium agunt. Si proceribus hunc locum accomodes, res est manifestior. Nullum ferre poterant qui ipsis in omnibus non assentiretur. Tempore Christi edictum proponebatur, vt synagoga eiicerentur, quotquot Christum vel audirent, vel hospitio exciperent. Hodie pontifices, etiam principes excommunicant, nisi se ipsis subiiciant: interim non solum oues, hoc est, Christiani volunt haberi, & membra Ecclesiæ, sed fundamentum, columnæ, successores Apostolorum, vicarij Christi. Oues, tantum non in desperationem coniciunt sua crudelitate. Oues hoc est, pij omnia faciunt pacis causâ, quæcunque possunt bona conscientia, sed hædi non sinunt eos quiescere, venantur occasiones certandi cum ipsis.

*Et seruabo oues meas, vt non sint vltra in direptionem.* Promittit quòd infirmas oues à ferocioribus illis ouibus, quin hircis aut potius lupis liberaturus sit, ne deinceps prædæ sint expositæ: mox modum ostendit quomodo seruandi sint, nempe per Christum verum pastorem. Solatur autem hoc nos, quòd Deus suscipit ouiculas suam vocem audientes, etsi à pastoribus ex Ecclesia exturbentur: quòdque ex illis qui verè recepti sunt nemo perit. *Atque iudicabo inter pecus & pecus.* Repetit quòd dixit, ad rei confirmationem iniuria. Affectos non negligam, sed ab iis qui læserunt sumam pœnas. Hæc impleta sunt in Christo Seruatore nostro, qui legem à traditionibus repurgauit, verumque eius vsum ostendit, nostris quoque temporibus cuius licet ex fontibus Scripturæ sanctæ petere cibum & potum animarum. In nouissimo die & reuelatione iusti iudicij, omnia patebunt.

HOMILIA CXLIX.

*Vaticinatur de Christo, eiusque officio.*

23 *Et suscitabo super eas pastorem vnum & pascet eas, seruum meum David, ipse pascet eas, ipseque erit eis in pastorem.*

24 *Ego autem Iehoua ero eis in Deum, & seruus meus David princeps in medio eorum: ego Iehouah loquutus sum.*



Vltima pars huius capituli continet insignem promissionem de Christo, & regno ipsius. Vt autem alia prophetia de Christo diligenter cognoscenda sunt, ad confirmationem fidei nostræ, ita hæc quoque quæ valde est memorabilis. Antea quoque dixit, se collecturum oues suas dispersas, nimirum per Christum, sed nunc planius loquitur. Mirum Anabaptistas libros veteris Testamenti reicere, cum palam constet quam vile sit videre, quomodo illis quæ ante tot secula prædicta sunt à Prophetis de rebus Christi euentus ad vnguem responderit. Quòd autem hic locus de Messia intelligendus sit, fatentur ipsi Iudæi, idem testatur sancti vetustique Pa-

tres. Quin Christus ipse affirmat se hunc bonum esse pastorem, de quo paulò post. Singula verba suum habent pondus.

Christus  
pastor.

*Et suscitabo super eos pastorem unum.* Promittit se missurum ouibus suis pastorem unum, Christum scilicet, filium Dauidis, quem mox Dauidem patris nomine appellat. Alij quoque Prophetæ Christum pastorem appellant. Dauid Psalmo 23. Dominus pastor meus est, non egebo. Psalmo 95. qui totus de Christo loquitur: Venite adoremus & procidamus corâ Domino, qui fecit nos, quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuorum eius, & oues gregis eius. Psalmo 100. Agnoscite quòd ipse est Dominus Deus, ipse fecit nos, & non nos ipsi, vt simus populus eius, & oues pascuorum eius. Isaia 40. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregauit agnos & in sinu suo leuabit, fœtus ipse portabit. Iere. 31. Qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum. Redemit enim Dominus Iacob, & de manu potentioris liberauit eum. Zach. 13. Gladie suscitare super pastorem meum, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem & dispergentur oues, Matth. 26. &c. Christus ipse Ioan. 10. docet se illum verum pastorem esse, dicens *ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός*, id est, ego sum ille ipse pastor bonus, quasi dicat, Prophetæ multa vaticinati sunt de pastore bono, qui oues suas ex omnibus periculis liberaturus sit: Ego sum is pastor. Sunt alij multi pastores, sed mercenarij sunt, ego animam meam offero pro meis ouibus. Lucæ 15. ostendit se pastorem illum esse, qui ouiculam perditam inquit, &c. Ad Hebr. 13. c. Christus *ποιμὴν μέγας* vocatur. D. Petrus vocat eum in Epist. 5. cap. *ἀρχιποιμήνα*. Nomen verò pastoris Christo tribuitur propter curam & sollicitudinem, qua erga imbecille humanum genus afficitur. Quid enim boni pastores in gratiam sui gregis faciant, nemo est qui nesciat. Et si verò pastoris nomen, verè & propriè Christo competat, totum enim gregem hostia corporis sui redemit, tamen Ministris suis per quos gregem pascit, non inuitus id etiam communicat. Sic ipse solus est filius Dei; ex gratia autem per fidem nos quoque filij Dei appellamur. *Et pascet eas.*

Vnicus pa-  
stor.

Pascere  
quid.

Pascendi verbo, omne officium pastoris complectitur, quod in his potissimum consistit, vt in bona & salubria pascua oues ducat: vt errantes reducat, lupos arceat, morbo affectis medeatur. Christus oues suas verbo suo & carne sua, in vitâ æternam pascit, palantes reuocat, tyrannis & lupis obstitit, medetur corporis & animi morbis, de quo supra plura. Quod secūdò dicit, Hic pascet eas, & erit eis in pastorem: ostendit Ecclesiam Christi vnicum habere caput, summum pastorem & principem Christum, nec opus ei esse vicario, licet vtatur Ministrorum opera. *Scilicet seruum meum Dauid.* Christus seruus dicitur hoc loco, & postea 37. capite, item Isa. 42. capite, sic enim loquitur Deus per Prophetam, Ecce seruus meus cui innitar, electus meus in quo placata est anima mea. Postea 52. capite, Ecce prudenter ager seruus meus, exaltabitur & eleuabitur: seruum vocat eò quòd assumpsit humanam naturam atque Deo & nobis inseruiuit. Matth. 20. cap. ipsemet dicit: Filius hominis non venit vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret, vt que daret animam suam, redemptionem pro multis. Ioã. 13. cap. instar serui pedes discipulorum suorum lauit. ad Philip. 2. dicit Apostolus, Christum seipsum inaniuisse, formam serui sumpta, humilem præbuisse semetipsum, factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis. Non seruus est qua Deus, omnium enim est Dominus. Ideo autem factus est seruus, vt nos in libertatem filiorum Dei assereret.

Christus ser-  
uus voca-  
tur.

Christus vo-  
catur Da-  
uid.

Ioan. 8. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Dauidè vocat, non qua Deus, sed qua ex femine Dauidis natus est secundum carnem, Matth. 1. Rom. 1. Isaias quoque Christum Dauidem vocat 37. capite, vbi Deus Ezechia per Prophetam dicit, Protegam ciuitatem hanc (contra Senacheribum) propter me & Dauidem seruum meum (quæ verba reperuntur secundo Regum 19. capite,) hoc est, propter promissionem Dauidi factam de conseruatione posteritatis ipsius: vel simpliciter

pliciter propter Christum. Papistæ interpretantur hæc verba, quòd propter merita Davidis quæ Deus respexerit eiusque preces vrbi parsum sit: ideòque confugiendum esse ad diuos in periculis. Quæ opinio non indiget longa cõfutatione. 2. Regum 8. Dominus noluit disperdere Iehudam, idque propter David seruum suum, sicut dixerat ei quòd daturus ei esset lucernam de filiis suis cunctis diebus. Sensus est, Deum pepercisse illis propter promissionem ex gratia Davidi factam cum quoad ipsum, tum quoad eius posteros, pollicitus ei erat lucernam de liberis, quod pulchrè de Christo intelligitur, qui est lux mundi. Iere. 30. promissa captiuis libertate ex Babylone, mox delabitur ad redemptionem per Christum factam, & dicit, Seruient Domino Deo suo, & David regi suo, quem excitabo eis, quæ verba ostendunt eum non loqui de Davide filio Isai, quem Deus eis non excitauit, sed nouissimo tandem die, vnà cum aliis eum resuscitaturus est. Osee 3. c. Reuertentur filij Israel & inquirent Dominum Deum suum & David regem suum, & c. Si quis vrgeat literam, & ipsum Dauidem regem, quoad personam & propriam substantiam in pastorem & principem populo Dei excitandum dicat, non minus ineptus erit, quàm Iudæi, qui Heliam rediturum dicebant ante Messie aduentum, quia expressè habeatur Mala. 4. cap. Ecce ego mitto vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Iehouæ magnus & terribilis. Ideòque Christum non suscipiebant vt Messiam à Deo missum, quòd Helias nõdum venisset. Christus enim hunc Heliam interpretatur Ioannem Baptistam qui venit in spiritu & virtute Helie, Matth. 11. & 17. cap. Rectè itaque Scripturæ sunt interpretandæ, non virgenda est litera contra sensum aliorum locorum Scripturæ. Augustin. lib. 18. de Ciuitate Dei. 34. cap. dicit, Ezechiel more prophetico per David Christum significat, quia carnem de femine David assumpsit: propter quam formam serui, qua factus est homo, etiam seruus Dei dicitur, idem Dei filius. Vide lib. de 8. quæst. ad Dulcit. quæst. 5.

*Ipsè pascet eas, ipseque erit eis in pastorem.* Repetit quod iam dixit, vt ostendat indefatigabilem diligentiam pastoris illius, in officio suo obeundo: deinde, vt significet non esse oscitanter prætereundum, quod dixit, Pascet. Reficit enim & consolatur nos etiam in mortis vestibulo, si cogitemus Christum esse pastorem nostrum, nos nouisse, nos amare & curare, vitam suam pro nobis in mortem obtulisse, adesse nobis contra luporum violentiam. *Ego autem Dominus ero eis in Deum.* Vult Deus noster esse, Christus enim nos patri conciliauit: id quod voce cœlitus ipse testatur, Matth. 3. 17. capite. Ioan. 20. Christus cum à mortuis resurrexisset, dixit ad Mariam Magdalenam, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum. Ad Coloss. 1. cap. In Christo complacitum est Patri vniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis.

*Et seruus meus David princeps in medio eorum.* Christus verus Deus & homo Seruator noster, inter homines versatus est. Ioan. 1. ca. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Etsi verò corpore suo vero, verè in cœlum ascendit: tamen nos non deseruit, misit enim discipulis suis, & nobis hodie quoq; mittit Spiritum suum. Matth. 18. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vltimo capite, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem seculi. Spiritu suo etiam in cordibus nostris habitat. Quia verò nobiscum est, non indiget vicario, quanquam omnes pij magistratus & Ecclesiarum Ministri, Christi vicarij possint dici, quia eorum opera vtitur in ædificanda Ecclesia. Si pontifex Romanus deposita tyrannide gregem sedulò curaret & pasceret vera doctrina & sancta vita, posset ipse quoque, hac ratione vicarius Christi dici. Consolatio autem ingens hinc nascitur, si cogitemus Christum in medio piorum versari atque curam eorum gerere. Cum Arca in medio Iordanis confisteret, quæ

Christus est  
in medio  
luorum.

Christus est princeps. Christi typus erat, omnia erant in tuto. Christum principem vocat: non quòd talis sit quales sunt principes huius mundi: longè enim alia est ratio regni ipsius. Paulus ad Coloss. I. dicit, Omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatū tenens, &c. Heb. I. Per Filium secula condidit: qui cū sit splendor gloriæ, &c.

Promissio hæc repetita. Ego Iehouah loquutus sum. Hoc epiphonemate veram esse ostendit hanc promissionem. Cælum & terra transibit, &c. Hæc promissio infra 37. cap. repetitur. Erunt mihi populus & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum: & mox: Et seruus Dauid meus princeps eorum erit in perpetuum. Tametsi verò expressè his in locis Dauidis mentio fiat, Iudæi tamen eos de Messia intelligunt. Isaias 40. cap. dicit, Pascet gregem suum vt pastor

Christus est pastor ille.

& brachio suo congregabit agnos, & in gremio suo feret, fœtas autem suauiter ducet. Christum singularem illum pastorem esse, Christus ipse dicit, vt paulò antè audiuius, Ioan. 10. cap. Ego sum pastor ille bonus. Pastor bonus animam suam dat pro ouibus. Et fiet vnum ouile vnus pastor, hoc est, Ecclesiam ex Iudæis & gentibus colligam. Vide ipsum locum qui hunc mirificè illustrat. Venit autem Christus in hunc mundum, cū corruptissima omnia essent inter Iudæos, cū pastores sua quærerent, & grex valde esset dissipatus. Quanto autem feruore & studio, pastoris munus peregerit, testantur Euangelistæ. Vide Matth. 4. 9. & 14. cap. postquam sigillatim quædam loca, in quibus Christus Seruator noster docuit, atque miranda edidit, Euangelista commemorauit, omnia velut in summam redigens dicit: Circuibat Iesus ciuitates omnes ac vicos, docens in synagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo. Incredibile studium Christi in pascendis ouibus ex illo colligitur, quòd omnes quotquot ad eum venerunt, docuit, quòdque eos curauit: deinde quòd sponte eos sequutus est emenso longo itinere, neque vllis calumniis aut minis se deterreri passus est, quòd minus oues pasceret: tandem mortuus est pro ouibus suis, vt lupi faucibus cruentis eas extraheret. Hodie quoque è dextris Dei Patris, oues suas tuetur & defendit, & Ministros suos mittit, qui eas à lupis custodiant, &c. Pontifex Romanus venditat se pro summo pastore: sed reuera est pastor ille de quo Zacharias vaticinatus est 11. cap. qui derelicta non visitat, dispersa non colligit, contrita non sanat, interim comedit carnes pinguium, & vngulas fortium dissoluit, &c.

Stultus pastor.

## HOMILIA CI.

*Vaticinatur de beneficiis Messia, mala à nobis depellit, bona confert.*

25 Et feriam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias malas de terra, habitabuntque in terra confidenter, & dormient in siluis.

26 Et ponam eas & quæ sunt in circuitu collis mei benedictionem, & descendere faciam pluuiam tempore suo, pluuiæ benedictionis erunt.

27 Et dabit arbor agri fructum suum: & terra dabit fructum suum, eruntque super terram suam confidenter: & scient quòd ego Iehouah, quum contriuero vincula iugi eorum, & eruero eos de manu operantium in eis.

28 Et non erunt vltra in prædam Gentibus, & bestia terre non deuorabunt eos, habitabuntque

*habitabuntque confidenter, nec erit qui exerceat.*

29 *Et suscitabo eis plantam in nomen, nec erunt ultra consumpti fame in terra, nec portabunt ultra ignominiam Gentium.*

30 *Et scient Gentes quod ego Iehouah Deus eorum sum cum eis, & ipsi sunt populus meus, domus Israel, dixit Dominus Iehouah.*

31 *Vos autem oves meae, oves pascuae meae, homines estis: ego Deus vester, dixit Dominus Iehouah.*

**P**ostquam Deus per Prophetam pastoribus, & quibusdam quoque ex grege, comminatus est poenam, suo aliorumque Prophetarum more promissionem de Christo subiunxit. In qua nunc pergit, & quae bona nobis per Christum obtingant, exponit, nempe pax & securitas, liberatio ab hostibus, gloria sempiterna. Haec in hac vita partim secundum literam, partim spiritualiter implentur, in futura vero vita perfectissime implebuntur. Hoc vero probe tenere multum interest. Ipsi enim Apostoli id non considerantes, regni Dei longe aliam fore conditionem sibi persuaserant, quam reuera fuit. Hodie quoque caeci Iudaei qui huius aliarumque similitum prophetiarum τὸ πρῶτον vigent, negant Iesum esse Messiam, quod omnia illa nondum facta sint, de quibus Prophetae praedixerunt. Sed cum nihil nisi carnalia sapiant, non mirum eos regnum Messiae non recte intelligere, & alium nescio qualem frustra expectare.

*Feriam cum eis foedus pacis.* Docet illis qui se Christi regno adiungunt, omnia fore salutaria. Deus cum primis nostris foedus sanxit in Paradiso, quod postea ab eo aliquoties repetitum & confirmatum est, quam apertissime vero per Christum Dominum nostrum, qui foedus hoc suo sanguine sancivit, nobisque Patrem suum coelestem reconciliauit. Peccatum enim, propter quod Deus cum genere humano diffidebat, sua morte sustulit, pacemque nobis reddidit, ad Coloss. 1. Spiritum adhuc sanctum nobis infundit, qui certos nos reddat de hac pace: & per praedicationem verbi sui, hanc pacem proclamat. Multum autem haec pax differt a pace huius mundi, Io. 14. ad Philipp. 4. Est enim pax interna, hoc est, conscientiae tranquillitas. Alioqui dum in hoc mundo viuimus, pacem non habebimus, qualem mundus sibi imaginatur. De hac pace & conscientiae securitate, Paulus ad Romanos 5. dicit, Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Pij non timent diabolum ipsos accusantem propter peccata, sed firmiter credunt sibi remissa esse. Martyres quoque regni Christi, quos testes esse vult aeternae gloriae, tanta fortitudine ornat, ut de eo quod ipsius nomine perferunt, ex toto corde exultent. Quantum sit beneficium huius pacis, ex illis intelligimus qui adhuc tumultuantur in animis suis, conscientiae stimulis agitati. Deinde Christus ex Gentibus & Iudaeis, qui inimicitias mutuas exercebant inter se, unum fecit populum, sublato interstitio, de quo ad Ephes. secundo capite. Adhuc suo Spiritu fideles instruit, ut cum omnibus quantum in se est pacem seruent, neque bellum moueant nisi necessarium; Deo enim non placent iniusta bella.

*Et cessare faciam bestias malas de terra.* Bestias malas quae gregem infestant, se sublaturum promittit. Deus iratus bestias malas hominibus immittit. Probabile est Iudaeam plenam fuisse bestiis malis, cum non incoheretur ab hominibus tempore exilij Babylonici, quas Deus postea sustulerit. Sunt aliae nocentiores bestiae, lupi & vulpes, hoc est, falsi doctores & tyranni, quos Deus de sententia deducit ne amplius sint bestiae, vel morte consumptos tollit: dat enim

aliquando suis fidelibus bonos doctores & principes. Imprimis autem diabolum, quem D. Petrus leoni comparat, Deus per Filium suum compefcuit: etfi verò tētet electos, tamen non vincet eos.

*Habitabuntque in deserto confidenter, dormient in siluis*, Liberi omni metu & animi perturbatione, à cunctis hostibus tam spiritualibus quàm carnalibus. Oves gaudent errare per deferta, & silvas, sed propter abigeos & bestias, tutò non possunt, hæc pericula submouebit bonus pastor: securitatem suis ouibus conferet, vt tuti sint à satana. Fideles à Christo redempti sunt, nihil ergo iuris in eos habet satan, mors, peccatum. Ioannis decimosexto cap. Confidite ego vici mundum. Rom. 8. cap.

*Ponam eas per circuitum collis mei benedictionem.* Ponere aliquem in benedictionem, significat abundè eum locupletare. Apud Prophetas regnum vel Ecclesia Christi, per collem vel montem Domini significatur. Templum enim Hierosolymitanum, quod typus fuit Ecclesiæ, atque adeò Christi Seruatoris, extructum fuit super montem Sion. Deinde propter robur & stabilitatem, innixa enim petra Christo, firma consistit contra omnes mundi procellas, monti confertur. Oves quæ sunt in hoc monte, hoc est, omnes quotquot sunt membra Ecclesiæ, atque adeò Christi, vberissima Spiritus sancti dona accipient. Ephes. 1. cap. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus Christo. Legimus Apostolos atque alios, visibiliter accepisse donum Spiritus sancti. Quàm abundanter Deus hodie quoque suis membris, hoc est, verè fidelibus Spiritum suum largiatur, hinc est manifestum, quòd ciues, rustici, pueri, puellæ, melius de vera religione possunt loqui, quàm ante annos non ita multos, illi qui pro doctissimis Theologis habiti sunt. Quàm fortiter & animosè multi crudelissima tormenta pertulerunt propter veræ religionis confessionem, roborante eos Spiritu sancto, & hodiè quoque perferunt.

*Descendere faciam pluuiam tempore suo, pluuiæ benedictionis erunt.* Licet pluuiæ naturales suas causas habeat, de quibus Physici disputant, tamen Deus prima est eius causa.

Pluuias non temere decidere, etiam Gentiles agnouisse hinc constat, quòd Iouem ὀμβριον ἐύενον coluerunt. Deus mittit pluuias benedictionis, hoc est, pluuias quæ efficiunt vt herbæ, gramina, frutices, plantæ, lætius proueniant. Pluuiæ doctrinæ symbolum. Promittit igitur cælestem doctrinam esse prædicandam. Isa. 55. cap. dicit, Quemadmodum descendit pluuiæ & nix de cælo, & illuc non reuertitur, sed inebriat terram, & facit illam gignere atque germinare, & dat semen seminanti atque panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed facit quod volo, & prosperum reddit illud, propter quod nisi ipsum. Isa. 5. capite vineæ minatur quòd non compluenda sit. Imbres longè fœcundiores sunt aliis aquis, magisque nutriunt. Hesiodus fœcundum cælum dixit, eò quòd imbres de cælo decedentes omnia fœcundent. Hinc Menander dicit, ἐεὶ μὲν ὀμβρον γαῖα. D. Petrus in secundæ Epistolæ. 2. cap. pseudoapostolos comparat fontibus aqua carentibus, & nebulis quæ à procella feruntur. Iudas Thaddæus, nubibus aquam non habentibus, quæ à ventis circumagantur. Veri igitur Apostoli & doctores nubibus conferri possunt, quæ pluunt imbrem cælestis doctrinæ super homines. Deus efficit vt homines non frustra audiant veram doctrinam, benedicit Ministrorum laboribus. 1. Corinthiorum 3. cap. Falsa doctrina est pluuiæ maledictionis, nocet enim hominibus non secùs quàm intempestiua pluuiæ vel grandis frugibus.

*Et dabit arbor agri fructum suum.* Vt imbres arborea & omnia nascencia terræ fœcun-

rae fecundant: ita vera & caelestis doctrina, homines reddit fideles & bonorum operum feraces. Iudaei & gentes instar arborum steriliū infœcūdi ad fidem accedentes, dulces fructus præbuerunt.

*Scient quod ego Iehoua cum contriuero vincula iugi eorum.* Iugum symbolum est seruitutis. Deus Iudæos ex Babylonica captiuitate vindicauit. Christus ex seruitute peccatorum & satanæ nos liberauit, iugum legis ex humeris nostris sustulit, vt nos damnare amplius non possit, etsi eam plenè non præstemus.

*Et eruo eos de manu operantium in eis.* Quæ faciunt opus cum vel in ipsis. De manu eorum qui opera eorum vsi sunt, tanquam opera seruorum. Ex diaboli & peccati dura seruitute, Deus nos per Filium suum transtulit, non itaque de eius erga nos bonitate debemus dubitare. Cum Filium pro nobis tradiderit, quid non est traditurus? *אפס אפס אפס* ad seruitiē in aliquem exercere significat, tanquam in seruum.

*Non erunt ultra præda gentibus.* Pij spoliantur suis opibus ab impiis. Hodie si quis carnibus diebus à papa prohibitis vescatur, mulctatur magna pecunia, quaruntur variæ occasiones, vt bona piorum confiscentur & proscribantur: sed veniet tempus quo non amplius prædæ erunt.

*Bestiæ terræ non deuorabunt eos.* Etiam pij homines à bestiis vel vorantur, vel occiduntur. Ecclesiasticæ historiæ testantur, in decem illis persecutionibus, multos martyres bestiis obiectos fuisse, & ab eis discerptos. Hodie Antichristus abiicit cadauera sanctorum insepulta, vt fiant præda feris & alitibus, sed dabit Deus his quoque finem. Per bestias possumus etiam intelligere homines truculentos & feroces, qui ad Christum conuersi, ferociam abiiciunt. Talis fuit Paulus, nostro quoque tempore fuerunt multi milites, qui postea abhorruerunt à sanguine humano: de his vaticinatur Isaias II. capite, Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus quoque & leunculus & pecus pingue, simul pascentur, & puer paruus reget eos, &c. Atque ita illi à quibus maximum periculum piis fuit, mutatis moribus in amicos eorum vertuntur. Dæmones adhæc qui per bestias significantur Christus deuicit.

*Habitabuntque confidenter.* Secundum interiorem hominem, hoc est intelligendum. Pij sciunt se sub alis & protectione Altissimi esse, filiis Dei omnia in bonum cedere, vt Paulus testatur, ideo securi etiam in afflictionibus exultant. Christus dicit, In mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego vici mundum, in me pacem habebitis, Ioan. 16. *Nec erit qui exterreat.* Multa in hoc seculo piis quoque terrorem afferunt, vt si videant bellicos apparatus hostium suorum, si tempestates immineant, incendia oboriantur, si vincula eis iniiciantur: omnes homines natura horrent mortem. Grassante peste si vel vlcus aliquod enascatur in corpore mortis horribilis imago nobis ob oculos versatur: plerumque vanus est metus quo turbamur, veniet autem tempus quo liberi erimus ab omni malorum metu.

*Suscitabo eis plantam in nomen,* hoc est, germen vel furculum omnium sermone celebratum, plantam gloriosam & nobilissimam. De hoc alij quoque Prophetæ vaticinati sunt. Isaias vndecimo capite dicit, Egredietur furculus de stirpe Isai, & germen de radicibus eius fructificabit. Et 53. capite, Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra torrida. Jerem. vigesimotertio capite, Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo germen iustum David, regnabitque Rex & prosperè aget, faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc nomen eius quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra. Christi celebris fama diffusa est per vniuersum orbem: fidelibus quoque ab ipso cognominatis, nomen toto orbe celebre & æter-

num peperit. Hæc autem vera est nobilitas, si quis sit verus Christianus, & per fidem filius Dei.

*Et non erunt amplius consumpti fame in terra.* Pij in hoc mundo fame premuntur spoliati opibus suis, aut in vincula coniecti: fame quoque verbi Dei interdum laborant, trucidantur eorum concionatores, Libri sacri excutiuntur è manibus, sed veniet tempus quo saturabuntur cœlestibus alimentis. In præsentem quoque vitam, Deus cultoribus suis affatim aliquando de rebus necessariis prospicit.

Probrum gentium.

*Nec portabunt ultra ignominiam gentium.* In hac vita piis sæpe ab impiis via ad honores præcluditur, eleuatur ipsorum autoritas, multa falsa crimina sparguntur de ipsis, rerum nouarum studiosi, faces bellorum, rebelles, hæretici, fanatici, Huguenoti, Guensij appellantur. Veteres quoque Christiani, vt est apud Tertullianum, malefici, factiosi, sacrilegi, infanticidæ, vulgò vocabantur. Quin Christus ipse Samaritanus, Beelzebub, seductor, seditiosus appellatus fuit. Contra huiusmodi acerba conuitia solari nos debet quòd Seruator noster dicit Marthei quinto capite, Beati estis cum probra eiecerint in vos, & insectati fuerint, & dixerint, omne malum verbum aduersus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis. Sic enim persecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Accidit etiam non rarò in hac vita, vt qui conuitia in Christianos iecerunt, ad meliorem mentem conuersi, honorem & existimationem eorum defendant. Hæc promissionis pars potissimum ad aternam vitam pertinet, quando pij extra periculorum aleam constituti erunt.

Deus est forderatus nobis.

*Et scient quòd ego Iehoua, &c.* Gentes quæ dixerunt Deum Christianos non curare, sentient quòd ego sim Deus eorum: videbunt enim me ipsis adesse, eosque protegere. In grauibus persecutionibus, Deus suam erga Christianos beneuolentiam & misericordiam sæpe declarauit, asserendo ipsos, & perdendo impios tyrannos. Deinde videbunt etiam quòd ipsi, scilicet domus Israel, sint meus populus.

Filij Israel carnales & spirituales.

Domus Israel per metonymiam significat eius filios. Filij Israel appellantur in Scripturis primùm qui ab eo orti sunt: illi vel fideles sunt vel infideles: deinde filij Israelis vocantur omnes credentes in semen Iacobo promissum, hoc est, in Iesum Christum, qui & ipsi semen sunt Abrahami, ad Romanos secundo, nono & Gala. 3. capitibus. Non igitur illorum tantùm Deus esse vult Iehoua, qui ex stirpe Israelis descendunt, sed & omnium qui spem suam in Christum ponunt Israelis exemplo. Vltimo die palàm erit qui sint filij Dei, qui filij diaboli.

*Vos autem oues mea, homines estis, &c.* Clausula hæc explicat allegoriam de ouibus, & Prophetã loqui de ouibus, hoc est, filiis Abrahamæ secundum fidem, non solum cum Israelitis secundum carnem.

*Ego Deus vester.* Ego ero Deus vester qui omni vos beneuolentia completar. Hanc prophetiam ex parte impletam illo tempore quo Deus captiuos Iudæos in patriam reduxit, non eo inficias, rectius autem in Christo impletam dicimus. Theodoretus dicit, Christianos illis qui omnia de illis accipiunt temporibus, res ipsa confutat, Iudæos verò vsitato more desipere, nihil noui arbitramur.

CONCIO



# Concio trigesima secunda

EZECHIELIS.

HOMILIA CLI.

*Concionatur aduersus montem Seir, hoc est,  
Idumæos, interitum eiusque causas  
ipsis prædicens.*

CAPVT XXXV.

- 1 **H**T fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
2 Fili hominis, pone faciem tuam ad montem Seir, & propheta  
3 aduersus eum.  
Et dic ei, Sic dixit Dominus Iehouah, En ego ad te mons Seir,  
& extendam manum meam contra te, ponamque te in deso-  
lationem & solitudinem.  
4 Vrbes tuas in desolationem ponam, & tu in desolationem eris: sciesque quod ego  
Iehouah.  
5 Eò quod fuerint tibi inimicitia perpetua, & effuderis sanguinem filiorum  
Israel acie gladij tempore quo propter iniquitatem eorum venit finis.

**H**oc capite continetur CONCIO XXXII. in qua Propheta  
concionatur aduersus montem Seir, hoc est, contra regnum filio-  
rum Esau vel Edom, qui à Græcis voce non nihil deflexa Idumæi  
appellatur. De nomine, origine, sedibus, ducibus, regibus, moribus,  
religione & rebus gestis huius gentis, supra vigesimoquinto. cap.  
quædam attulimus. Hoc tantum nunc repetam, quod sicut Edom fratrem suum  
Iacob odio habuit: sic Edomitæ, qui ab Edom descendunt, Israelitas à Iacobo  
vel Istaële originem ducentes, odio habuerunt. Accessit religionis diuersitas,  
quæ odium hoc exacuit. Etsi autem circa hoc tempus quo Ezechiel hanc cõcio-  
nem habuit, fœdere adstricti essent Israelitis: tamen cum viderent eos ab hosti-  
bus bello infestari, non præstabant eis promissum auxilium, non miserabantur  
sortem eorū, profugos non excipiebant hospicio: sed iungebant se hostibus, obli-  
tationis, viciniae & fœderis vinculis. Itaque Ierem. 49. cap. noster Propheta 25.  
cap. quid illis euenturum esset prædixerunt.

Quod autem hoc loco repetitur vaticinium contra Idumæos, ideo fieri existi-  
mo, quod Propheta superiore capite vaticinatus est de asserendis ouibus, ne ampli-  
us sint direptioni: iam igitur subiungitur de perdendis hostibus populi Dei:  
Idumæi enim typum gerunt hostium populi Dei, vel Ecclesiæ, præsertim illorum

*Contra quos  
dicta sit.*

*Quando?*

*Cõtinuatio  
cũ superio-  
ribus.*

qui tametsi sanguine & fœdere ei iuncti sint, tamen eos implacabili odio persequuntur: aliquando clam, aliquando palam, ruptis omnibus vinculis mala eis inferunt. Asserente Deo suos, perdit impios: quod præcipuè fiet quando ἀπ' ἀπομιμῶν oues ab hædis separabit.

Vfus.

Discemus ex hac oratione, quantum Deus detestetur crudelitatem in Ecclesia: deinde discemus patientiam, ut afflictiones æquo animo ferentes, hostium nostrorum successibus non frangamur, erunt enim vices, liberabuntur pij, impij verò debitas pœnas dabunt iusto scelerum vindici, verteturque gaudium eorum in tristitiam, iamque destinati sunt exitio sempiterno. Hæc concio duas potissimum partes habet, in prima denunciat pœnam Idumæis, atque ad eò omnibus impijs, in altera causas illius assignat, ut quòd afflixerint alioqui afflictos: quòd terram Iudæorum in suam potestatem redigere conati sint, &c.

Partes.

Mons Seir.

*Pone faciem tuam ad montem Seir, & propheta contra eum.* Deus Prophetam iubet conuertere sermonem ad Idumæos, qui in Arabia montibus Seir, & ad rubrum mare suas sedes habuerunt. Esau vocatus fuit Seir, hoc est, pilosus, hirsutus, hirsutum eum fuisse Scriptura manifestè testatur. Rebecca pelles hædorum circumdabat manibus & collo Iacobi, ut pater loco fratris ei benediceret, Gen. 27. Ab Esau montem Seir in Idumæa nomen accepisse tradunt, eò quòd accola eius fuerit: sed hoc nomen antea habuisse supra ostendimus. David Kimhi, nomen montis exponit, quòd eum capræ frequentent: שַׁיִר *schair* enim hircum substantiuè, שַׁיִרָה *schairah* capram, item Satyrum significat, adiectiuè hirsutū. De monte Seir, in quo Edomitæ habitauerunt, Gen. 32. Deut. 2. cap. habetur.

*En ego ad te mons Seir.* Per metonymiam intellige accolam montis. Quasi dicat, Hactenus omnibus inimicis molesti fuistis, omnes contempstis, ego igitur vos adoriar. Gens cui Deus bellum infert, non potest pœnas subterfugere. Gigantes aliquando vincuntur ab homuncionibus, quis verò Deum vinceret? Si impleta sit peccatorum mensura, nō est quòd quisquam speret, se pœnas euasurum. Quid verò Prophetæ dicendum fuit? *Extendam manum tuam contra te.* Habitus percussit, iræ vehementiam ostendit. Minatur eis extremam solitudinem.

Vrbes Idumæorum.

*Vrbes tuas desolationem ponam.* Idumæi vrbes celebres tenuerunt, Theman, Dedan, Bosra, quarum in sacris Literis fit mētio. Ab alijs scriptoribus vrbes Idumææ plures numerantur, ex mediterraneis Maresa, Rhinocorura maritima, Raphia à littore paulò remotior: rursus ad mare vergens Gaza, & vicina ei Anthedon: itē Ascalon & Azotus, aliæque iuxta positæ, quarū aliquas Iudææ, alij aliquas Phœnicæ tribuunt, sæpe enim mutantur limites. Vide plura in Vadiani Epitome triū orbis partium. Vrbes quas tum temporis obtinebant, vastandas prædicit Prophetæ. *Et tu in desolationem eris.* Idumæam in perpetuam solitudinem redigendam cōcionatur. Non solum oppida, quorū plura tenuisse iam diximus: sed & pagi, arces, prata, horti, palmeta (palmis abundasse Verg. quoque testatur in Georg.) vastabuntur. *Scies quòd ego Iehouah.* Sæpe antea nolimus Deum agnoscere, quàm pœnas nobis infligat. Causam supplicij subiicit, *Eò quòd fuerint tibi inimicitia perpetua.* Obiicit Idumæis quòd memores iniuriarum, hostili animo in Israelitas fuerint. Paulus ad Ephes. 4. cap. dicit, Irascimini & non peccetis: Sol ne occidat super iram vestrā, neque detis locum calumniatori. Est quædam iusta ira, nempe quæ à bona radice orta, ad bonum finem tendit: rursus est etiam iniusta. Prohibet itaque, ne irascamur, quòd quia difficile est, ad secundum remediū confugiendū, ne iræ indulgeamus: sed in gratiam redeamus cū proximis nostris. Nā ex ira diuturna fit odium. Quid enim aliud est odium, quàm ira inueterata? Causam assignat, ne calumniatori locum demus, hoc est, diabolo, qui excitans in nobis flammam iræ & odij, nos ad vindictam stimulat: vel calumniatoris, qui probro nos adficiendi vndique occasionem venatur. Atrociter peccarunt Idumæi, qui quasi hæreditate quadam

quadam retinuerunt odium aduersus Israelitas. Peccant hodie quoque grauiffimè, qui odia & inimicitias quasi per manus suis liberis tradunt. Qui se pronos sciunt ad iram & odium, sibiipfis potius irasci debent, quàm aliis, & se quantum possunt, cohibere, cum non ignorent, iram viri bonum non operari, vt D. Iacob dicit. De ira moderanda philosophi quoque multa præclara scripserunt.

*Et effuderis sanguinem filiorum Israel, acie gladij tempore calamitatis eorum, tempore quo propter iniquitatem eorum venit finis.* Munsterus ita reddit, *Et traxeris filios Israel super gladiū, in tempore calamitatis eorū, & in tempore quo finem accepit iniquitas* Tigurina versio, *Et terruisti eos gladio, eo tempore quo calamitosi essent, & in tempore quo finem habuit iniquitas.* Septu. καὶ ἐνεκάδιστος τῶ δίκω ἰσραὴλ δολφ ἐν χειρὶ ἐχθρῶν μαχαίρης, ἐν καιρῷ ἀδικίας ἐπ' ἐχθρῶν: hoc est, & assedisti vel struxisti insidias domui Israel, per manū hostiū gladij, tempore iniquitatis postremo: vt insidias arguat, quas occulte cōtra Iudæos moliti sunt. Vetus editio, *Et concluderis filios Israel in manū gladii, in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ,* hoc est, Vias eorū obstruebas, vt fugiendi facultatem nō haberent. Verbum Heb. נגַר *nagar* significat fluere, in *Hiphil*, facio diffuere, dispergere significat. Ad verbū est: *Et effudisti vel dispersisti, vel fluere fecisti filios Israel in manu gladij.* id est, sanguinē filiorū Israel, gladio aut per gladiū effudisti. Psal. 63. ver. 11. Fundere facient eū per manus gladij, aut aciebus vel extremitatib. gladij, alij vertūt, difraherent eū, alij, deiicient eos in acie gladij: alij, occidēt eū gladio. Ier. 18. fac eos dispergere per manus gladij. Si נגַר *nagar* propriè, vt quidā volūt, de aquis dicitur, emphasim habet, eò quòd aquæ instar gladio sanguinem effuderis. Psal. 79. queruntur Sancti: Sanguinem Sanctorum effuderunt tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Velsensus est, dispersisti filios Israel gladio in multas gentes. Sic enim Micheæ 1. cap. Diffundere faciam in vallem lapides eius. Alij simpliciter intelligunt, strinxisti gladium contra filios Israel. Ad sensum parum interest, Hodie quoque Deus illis irascitur, qui gladium stringunt contra Israelitas Spiritu, & aquæ instar sanguinem eorum effundūt. *In tempore calamitatis eorum.* Sæpe cum aliās hostibus se iunxerunt contra Israelitas, tum illo tempore quando ( vt paulò antè dixi ) minimè debebant, nempe in bello quo Nabuchadonosor urbem eorum euertit. *In tempore iniquitatis finis.* Quidam intelligunt iniquitatis extremæ i. punitionis Iudæorum pro suis iniquitatibus. Quum finita & consummata esset iniquitas, id est, cum sumeret vltionem de eis, peccata eorum puniendo: cum sceleribus eorum modum vellet statuere. Si Idumæi neque cognati, neque fœderati, neque vicini eorum fuissent, tamen quia homines erant, propter rerum vices, casus eorum miserari debuerunt. Illi ab aliis afflictum grauius affixerunt. Afflicti subleuandi & erigendi sunt, non nouis iniuriis affiendi. Grauissimè peccant qui tempore belli ad se confugientes, hosti tradunt: qui famis occasione pauperibus quod reliquum habent auferunt: qui negant debita pupillis, petuntque quod sibi non debetur: qui illa quæ ex incendiis magno labore erepta sunt, suffurantur, &c. Si non insultandum est illis qui propter atrocita sua peccata dant pœnas, quique nos læserunt, sed cum flentibus, secundum illam Apostoli promissionem, flendum, quanto minus illis qui propter veræ Religionis confessionem iniuriis afficiuntur, præsertim si ad nostram fidem & beneuolentiam confugiant?

## HOMILIA CLII.

\* *Recenset pœnas quas Deus Idumæis illaturus sit, eò quòd Iudæos afflixerint.*

6 Propterea viuo ego, dixit Dominus Iehouah, quod sanguini præparabote, & san-

R. iij.

guis persequetur te : nisi sanguinem odio habueris, sanguis persequetur te:

7 Et dabo montem Seir in desolationem & solitudinem, & succidam de eo trans-  
euntem & reuertentem.

8 Et implebo montes eius occisis ipsius in collibus tuis, & vallibus tuis, & omni-  
bus torrentibus tuis, interfecti gladio corruent in eis.

9 In solitudines perpetuas tradam te, & vrbes tuæ non reuertentur : & scietis  
quod ego Iehouah.



Vando pij perpendunt se varias & ingentes ærumnas sustinere in  
hac vita, è diuerso impios opibus, gloria & voluptatibus videt excel-  
lere, non parum perturbatur. Interdum dubitare incipiunt an curæ  
sint Deo, seruiendumq; scenæ, vt prouerbio dicitur, esse putat. Deus  
itaq; trepidat, vt alibi in sacris Literis, ita hoc loco per Prophetam  
erigit atque cõfirmat. Superiore enim capite de liberatione piorum, & fœlicitate  
eis euentura: in hoc, de interitu impiorum differit. Et si enim secundum literam  
de Idumæis fiat sermo, tamen illi typus sunt impiorum, præsertim carnalium illo-  
rum, qui opes & gloriam quærunt: cùmque se pro Christianis venditent, vera  
tamen Christi membra crudelius persequuntur, quàm professi Christiani nomi-  
nis hostes. Quis autem tandem futurus sit exitus, audiemus ex verbis Prophetæ.  
*Propterea uiuo ego. Quia contra fœdera sanguinem Iudæorum fudisti, & aliis ma-  
gnis sceleribus contaminata es. Vt Deus promissiones, ita etiam minas suas iure-  
iurando cõfirmat. Sanguini preparabo te. Ad verbum est, In sanguinem te faciam, hoc  
est, Tradam te neci: efficiam vt tuus quoq; sanguis fundatur. Et sanguis persequetur  
te. Hoc est, ultio sanguinis effusi te sequetur: vel homines sanguinarij, qui pacem  
detestantur, quique gaudent si campi natant sanguine, tibi à tergo instabunt, si-  
mientes à te iustas pœnas. Germanica quoque phrasi, per sanguinem homines in-  
telligimus, das unschuldig bluo, das edelbluo. Theodoretus, quem sequutus est Ly-  
ranus: ita interpretatur: Sanguini te tradam, hoc est, filiis Israel tuis consanguineis  
quos debellasti: Iudas enim vicisse Idumæos legitur, i. Machab. 5. c. Vehementius  
autem illis doluit, quòd ab his domiti sunt. Quod iam dixit, iterum repetit, ne ex-  
cidisse, videatur: ferè enim homines minas putant non serias esse.*

*Si non, cùm oderis sanguinem, sanguis te sequatur.* Si non, est iurisiurandi forma ec-  
liptica, quæ perfici ad hunc modum potest: Si non propter odium quod contra  
tuos consanguineos suscepisti, crudeles pœnas à te repetiturus sum, non habear  
verax, aut aliquid simile. Per sanguinem in priore membro intelligit consanguineos  
& cognatos, in posteriore, hostes. Edomitæ & Iudæi, quasi fratres patruales  
erant, ex duobus enim fratribus progenerati fuerant. Edomitæ igitur iure cogna-  
tionis, Israelitas amare atque defendere debebant. Natura enim docet amandos  
esse cognatos, & cum ipsis mox redeundum esse in gratiam, si quædam incidant,  
quæ mutuam beneuolentiam labefactare possint. Animalia quoque bruta eiuf-  
dem generis, videmus à se mutuò iuari. Cambyfes rex Persarum impius, qui fra-  
trem interfecit, & sororem in vxorem duxit, catulum leonem & ferocem canem  
inter se commisisse legitur, cùmque leo viribus superior esset, alter canis ruptis  
vinculis, fratri cani opem tulit contra leonem, eumque vicerunt. Iucundum fuit  
hoc spectaculum Regi, Regina verò lachrymas excussit. Regi id indignè ferenti,  
Regina soror causas rogata, respondit: fratrem suum tantam fidem non esse ex-  
pertum à fratre. Rex his auditis, eam è conspectu suo abductam, statim necari ius-  
sit. Ipse non multò post equum ascensurus, gladio è vagina decedente, vulneratus  
interiit, suæque crudelitatis & incestæ libidinis pœnas. dedit. Stobæus sermo. 82.

hone-

Sanguis quid  
significet.

φιλὰδελ-  
φία.

honestissimum esse fraternum amorē & animi affectum erga cognatos, pulchris sententiis & apophthegmatis ostendit. Idumæi suos cognatos, qui quasi caro & sanguis ipsorum erant, odio prosequabantur, ideo se ab hostibus premendos esse audiunt. Alij hunc sensum reddunt, Sanguis quem odio habuisti, te persequetur: odio prosequutus es, studiosēque cauisti hostes cruentos, sed te insequuntur. Per sanguinem non cognatos intelligentes, sed hostes crudeles, ut in superiore membro. *Dabo montem Seir in desolationem & solitudinem.* Mons ille cultissimus, in solitudinem redigetur. Duas ponit voces eandem rem significantes, propter vehementiam. Modum desolationis subiungit: *Succadam de eo transeuntem & reuertentē.* Per montes sunt viæ frequentes. In quibusdam sunt viæ, per quas pecora ducuntur in pascua. Etiam montes qui asperrimi videntur, pascui sunt. Deus minatur se homines & iumenta perditurum, ut nullum vestigium appareat in his montibus ad ostendendam maximam vastitatem. Quomodo incolæ delendi sint, ostendit: *Implebo montes eius occisis.* Montes, colles, valles, riuos, cadaueribus implebo. Ostendit ingentem cladem eis inferendam, in altis montibus, locis auis & speluncis, ad supplicium conquirendos vel alioqui perituros esse. *In solitudines perpetuas tradam te, & vrbes tuæ non reuertentur.* In perpetuam vastitatem redigendos minatur: hoc est, terram illam longo tempore ( *אין עולם* enim non semper æternitatem, sed longum tempus significat ) desolatam fore: postea enim habitatam fuisse, & Sarracenos inde emeruisse, alibi diximus. Possumus tamen dicere, vrbes non amplius in prioribus locis extructas esse, incolas item mutatos. Ammonitis & Ægyptiis promisit suprà reductionem, illorum igitur conditionem peiorem fore ostendit. In his verbis, quod sæpe monui, obseruandæ sunt hæ phrasæ, in sanguinem redigam te, dabo montem in squalorem, eliminabo viatores, implebo omnia cadaueribus, redigam te in perpetuam vastitatem: ostendunt enim Deum harum rerum esse causam efficientem. De pœna Edomitarum Isa. 34. etiam legitur, additur pœnam fore æternam.

Quæ verò de Edomitis dicuntur, nostris quoque temporibus accommodanda Applicatio: sunt. Colligimus enim ex his verbis Prophetæ, quid illis tandem euenturum sit, qui cum velint dici Christiani & Catholici, bella non necessaria concitant: sanguinisque effusione delectantur, Deus efficiet ut gladio cadant, & sanguine saturentur. Par pari eis reddet. Psal. 68. Dissipa gētes quæ bella volunt. Psal. 5. Sanguinariū & dolosum abominatur Dominus. In Euang. Matt. 7. Qua mensura, &c. Et si verò ad tempus fœlices videantur, tamen iam destinati sunt internecioni. Qui non propter causas ciuiles bella mouent, sed ut Euangelium excindant, qui aliàs, & plerunque sub iuris specie, grassantur in veritatis amātes, grauiores luent pœnas. Caueamus itaque nobis ab iniustis cædibus, odio, inuidia, ira, redeamus cum cognatis nostris & aliis in concordiam, deque omnibus bene mereri non desinamus.

## HOMILIA CLIII.

*Iterum exprobrat Idumæis peccata, & pœnam  
eis denunciat.*

10 Propterea quod dixisti, *Duæ istæ gentes, & hæ terræ, meæ erunt, & possidebimus eas, quum Iehouah ibi esset.*

11 Idcirco viuo ego, dixit Dominus Iehouah, *faciam secundum iram tuam, & secundum zelum tuum, quem fecisti propter odia tua in eos: & notus ero in eis quum iudi-*

cauero te.

12 Et scies quòd ego Iehouah audiui omnia probra tua quæ dixisti contra montes Israel, dicendo, Desolati sunt, nobis traditi sunt ad deuorandum.

13 Et magnificastis aduersum me ore vestro, & multiplicastis aduersum me verba vestra: ego audiui:

14 Sic dixit Dominus Iehouah, Sic letabitur vniuersa terra ob desolationē quam faciam tibi:

15 Sicut letatus es super hæreditatem domus Israel, propterea quòd desolata est, sic faciam tibi: desolatus erit mons Seir, & omnis Edom vniuersus: & scient quòd ego Iehouah.

**D**

Er integrum hoc 35. caput, Propheta in Idumæos inuehitur. Et primum quidem de sceleribus ipsorum, quibus Deum ad iram prouocarunt, deinde de pœna qua affiendi sint, tractat. Hæc verò ad alios hostes Dei, quin ad omnes quotquot his quæ Idumæis obiiciuntur flagitiis, si non omnibus, saltem aliquibus, sunt obnoxij, transferenda sunt. Pergit impietatem Idumæorum patefacere.

*Duæ istæ gentes, & duæ hæc terra meæ erunt, & possidebimus eam.* Aliud crimen eis obiicit, nempe inexplebilem auaritiam, & dominandi libidinem. Terram Deus eis concesserat fertilem, quæ rerum quas natura desiderat, abundantiam & copiam eis suppeditaret, hæc non contenti, sperant se occasione belli Babylonici regnum Iuda & regnum Israel occupaturos. *Possidebimus eam* dicunt, quòd vnà fuerit terra promissa, quæ postea in duas partes fuit scissa. Vt eam occuparēt iungebant se Babylois, multos interficiebant Iudæos, hortabantur hostes, vt ad internecionem omnes delerent. Hodie hoc exemplum imitatur non solum principes & populi, sed priuati quoque homines, qui sua sorte non contenti, rebus alienis inhiant. Plerunque enim fœdera sunt inter finitimos, quæ sanctè seruanda sunt. Nunquam tamen defuerunt principes qui leues ob causas inuaserunt aliena, quæ suo imperio adiicerēt. Populi quoque multi, suos fines proferre voluerunt, quos potius ditionis paruæ rectè gubernandæ curam suscipere decuisset. Priuati quoque aliis sæpe molesti sunt. Isa. 5. Væ illis qui domum domui, agrum agro copulant, nimirum cum damno proximi sui. Cogitandum est aliis quoque necessarios esse agros, domos, facultates, vt se & suos alere possint. In domibus quoque extruendis, sepibus conficiendis, demetendis frugibus, & aliis id genus rebus, vicinis nostris nullam debemus molestiam exhibere. *Sed Dominus ibi:* Dixistis vos has terras possessuros, quasi Deus non dominetur rebus humanis, & terras atque regna det quibus vult: ipse adest, videt omnia, item præsidet huic populo, domicilium & sedem suam in eo habet: etsi eum adfligat, tamen non prorsus eum deseruit. Consolari nos hodie quoque debet, si audiamus Idumæos terras Evangelicorum inter se partiri, quòd scimus pro nobis excubare Deum nobis fœderatum. Theod. hunc sensum illorum verborum affert, Licet Dominus sit in Hierus. tamen nos duas regiones obtinebimus, quæ impiis verbis Senacherib similia sunt, qui dicebat: Nunquid liberabit Dominus Hierusalem de manu mea? & tamen Deus propter ius cognationis noluit vt Israelitæ quos ex Ægypto eduxerat, eis bellum inferrent, Deut. 2. cap. *Faciam secundū iram tuam, & secundum zelum tuū, quem fecisti propter odia tua in eos.* Ex pertinaci odio & inuidia crudeliter tractastis Iudæos: similiter ergavos agam, hoc est, grauissimè in vos animaduertam. Confirmat hoc iureiurando. Deus enim humano more loquitur: odium & inuidia non in eum cadunt: Irati modum excedunt, omnia in arma vertunt significat igitur atrocem fore pœnam.

Hodie

Hodie quoque hostes populi sui ita tractabit, vt ipsi fideles tractant: quo quid potest horribilius dici: Quid enim hæretici illi inquisitores non faciunt, quid non audent, quæ tormenta non excogitant? Manet vos Siculis tyrannis crudeliores, horribile Dei iudicium. *Notus ero eis cum iudicauero te.* Finem, vel potius effectum pœnæ subiungit. Sumam pœnam de ipsis, iustumque iudicium contra ipsos exercebo, vt meus populus discat, qualis sim. Hodie quoque exitio impiorum, crefcit in nobis Dei notitia.

*Et scies quod ego Dominus audiui omnia probra.* Cùm pœnas à vobis exegero, intelligetis me contumelias & conuitia quibus consecrati estis populum meum, exaudiuisse. Etenim si inter Iudæos erant, qui putarent Deum non videre quæ agerent, Ezech. nono cap. quid mirum si Idumæi non crediderunt Deum curare Iudæos? Dicit se *Omnia* audisse, non quædam duntaxat. Hodie quoque horrenda conuitia quibus pij etiam defuncti proscinduntur, audit omnia, & mala quæ eis publicè & priuatim inferuntur, videt omnia.

Quæ dicuntur & aguntur, Deus videt.

*Desolati sunt, nobis traditi sunt ad deuorandum.* Per mimesim dicebant montes vastatos esse, & ipsis traditos in cibum, hoc est, se velle eos occupare, vt victum inde conquirant: vel militari ferocia dicunt, nullo negotio, vel ipsos montes, vel arces & oppida in montibus occupanda. *Es vverd kum ein morgenbrotli sin.*

*Et magnificastis aduersum me os vestrum.* Hæc phrasis alibi quoque habetur. Psalmo 38. versu 17. Aduersus vel super me magnificent, scilicet, os suum, id est, magnifica & superba loquuntur, insultant mihi, eodem sensu Psal. 35. versu 21. dixit, Dilatarunt aduersum me os suum, versu 26. Pudore afficiantur & erubescant pariter, læti malo meo: induantur pudore & erubescencia, magnificentes se aduersum me, hoc est, contumeliosi & fastuosi. Exprobrat eis quod se arroganter iactarint & conuitiis ipsum insectati sint. Impij si victorias consequantur, vel pios opprimi audiant, iactant suas vires, sibi arrogant, quæ Diuinæ virtuti accepta referre debebant, magnificè de se loquuntur, suisque rebus. Quod contumelia populum Dei affecerunt, in ipsum quidem Deum redundauit: nam in se recipit, quæ fiunt fidelibus suis, siue bona sint siue mala Zach. 12. Acto. 9. Matt. 25. cap. sed his non contenti, ipsum quoque Deum contumelia affecerunt, dicentes, Deum Israelis non potuisse opem ferre suis: cultus ab eo præscriptos esse vanos. Homines non seipsos, sed Deum magnæque eius opera celebrare debent, exemplo Dauidis Psal. 145. Magnus Dominus & laudabilis valde, & magnitudinis eius non est inuestigatio, &c. Apocalypsi 11. cap. viginti quatuor seniores Christum celebrant, &c.

Dilatare os contra aliquem.

*Et multiplicastis contra me verba vestra.* Non exciderunt eis quædam impia verba, sed diabolica superbia, subinde multas in Deum blasphemias voces iactarunt. Daniel propheta 11. cap. de Antichristo dicit, Extollet se, superque omnem deum magnificabit se, & loquetur contra Deum deorum mirabilia. In 2. ad Thessal. 2. cap. vaticinatur Apostolus, Christum non antè iudicaturum mundum quàm fuerit reiectus filius perditionis, sese opponens & efferens aduersus quicquid dicitur Deus, aut numen, &c. In Apocalypsi 13. cap. Datur bestię os loquens grandia & blasphemias. Antichristus diabolica superbia se omnibus præfert quibus nomen Elohim communicatur, Regibus, Principibus & ipsis Angelis: honorèque diuinos ad se transfert. D. Petrus in 2. cap. 2. de pseudoapostolis dicit, eos *ἰσχυροῦ καὶ μεταύπτης φθέρει δαυ.* Iudas in sua epistola idem repetens, dicit: *τὸ σῆμα αὐτῆς λαλεῖ ἰσχυροῦ κα.*

Quis enim nescit ampullas illas & sesquipedalia verba, de dignitate & potestate papæ, sese in pontificiis legibus & canonistis passim offerentia, quæ pudet & piget toties ab aliis inculcata repetere? An non illis quoque Deus iure potest dicere, Magna fecistis contra me ore vestro, & multiplicastis contra me verba

vestra?

Deus omnia  
videt.

*Ego autem audiui.* Idumæi putabant Deum nescire, vel non curare dicta & facta ipsorum. Repetit igitur se audiuisse impias eorum voces. Deus non aliis referentibus scit cogitatus, verba, facta nostra, sed ipsemet omnia intuetur, omnia audit, qua de re in celebribus sententiis Solomonis quædam extant, nondum hebetatus est acies oculorum eius. Ex hoc fonte teterrima scelera scaturiunt, si homines cogitant, Deum nihil earum rerum quas agunt, audire, videre, &c.

*Sic lætabitur vniuersa terra, &c.* Munsterus reddit: *Cum exultatione vniuersa terra, ego redigam te in desolationem.* Sensus est: vniuersa terra, scilicet Iudæorum, vel vniuersus terrarum orbis, tuo interitu gaudebit: rectè factum esse omnes dicent, pari relatum.

Tigurina translatio ita habet: *Cum vniuersa terra gaudet, te vastam reddam: vt sit sensus, Cum apud alias gentes omnia tranquilla erunt & pacata, de te pœnas sumam.* Non rarò accidit vt qui aliis laborantibus securi fuerunt, communique causæ defuerunt, tandem etiam malis opprimantur.

*Sicut lætatus es super hereditatē domus Israel, propterea quòd desolata est, sic faciam tibi.* Ostendit nunc hoc iustum esse iudicium. Etenim super terræ, quæ Israelitarum hæreditaria fuit, vastatione lætati sunt. Proinde ipsorum quoque regionem gladio & incendiis vastauit, effecitque vt alij eorum malis lætarentur.

*In solitudinem redigeris mons Seir.* Conuerso per Apostrophem sermone ad montem Seir, ipsum vastandum repetit.

*Et omnis Edom, omnis inquam ea.* Hoc addit, quia suas sedes non tantum in montibus, sed etiam in ora maritima habuerunt. Hostes sæpe vrbibus aut arcibus munitioribus parcunt: sed tui illi hostes, omnia diruent atque vastabunt. Longè itaque aliter res ceciderunt, quàm ipsi putarant: alias terras occupare statuerant, & suam retinere non poterant.

Hæc prædictio partim impleta est sub Nabuchadonofore, qui deuictis alijs gentibus, tandem Idumæos quoque domuit. Deinde Machabæorum temporibus, siue dicamus fuisse Idumæorum reliquias, siue à regione nomen accepisse. i. Mach. 5. & apud Ioseph. lib. 12. c. 11. Impletur hodie quoque: nam Idumæis, hoc est, hostibus Ecclesiæ Dei, non omnia succedunt ex votis, clades magnas accipiunt, vt de paucorum tragico exitu nihil dicam. Nouissimo die perfectum erit excidiū Idumæorum, nam vt æternas inimicitias cōtra Israelem gesserunt, ita supplicium æternum eis inferetur.

Vfus huius  
loci.

Hæc faciunt ad doctrinam & consolationem nostram. Discimus enim fugienda & deponenda esse illa scelera, ob quæ Deus seuerè in Idumæos animaduertit. Commemorantur autem in hoc capite quinque vel sex,

- I. Pertinax odium.
- II. Perfidia & crudelitas.
- III. Dominandi insatiabilis libido.
- IIII. Blasphemia contra Deum & homines.
- V. Iactantia.

VI. Gaudium de aliorum malis. Sub his comprehendit alia quoque scelera, vt sunt idololatria, ebrietas, foedæ libidines, &c. Deinde consolatio hinc elicienda est: magnis malis pressi, cogitemus Deum omnia videre, suo tempore paria impiis relaturum, suosque fideles clementer asserturum. Perfecta autem liberatio non in hac, sed futura vita est expectanda.

CONCIO



# Concio trigefimatertia

EZECHIELIS.

HOMILIA CLV.

*¶ Promittit Ifraelitis liberationem à tyrannide  
Judæorum aliarumque  
gentium.*

CAPVT. XXXVI.

1 **H** tu fili hominis, vaticinare super montes Ifrael, & dic, Mō-  
tes Ifrael audite verbum Iehouæ,  
2 Sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd dixit inimicus ille su-  
per vos, Euge, etiã excelsa perpetua in hæreditatem fuerūt  
vobis.

3 Propterea vaticinare, & dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd, eò quòd in-  
quam desolauerunt, & absorbuerunt vos vndique, vt essetis hæreditas reliquis genti-  
bus, & ascendistis super labium linguæ, & oblocutionem populi.

4 Propterea montes Ifrael audite verbum Iehouæ, Sic dixit Dominus Iehoua  
montibus, & collibus, torrentibus & vallibus, & desertis desolatis, & vrbibus  
derelictis quæ fuerunt in direptionem & sub annationem residuis gentibus, quæ erant  
vndique.

5 Propterea inquam, sic dixit Dominus Iehouah, Nisi igne zeli mei loquutus  
sum contra residuas Gentium, & contra Edom vniuersam quæ posuerunt terram meam  
sibi in hæreditatem cum lætitia totius cordis, & cum contemptu animi, vt eicerent eam  
in direptionem.

6 Idcirco vaticinare super humum Ifrael, & dic montibus & collibus, torrentibus  
& vallibus, Sic dixit Dominus Iehouah: Ecce in Zelo meo & furore meo loquutus  
sum, eò quòd ignominiam Gentium portastis:

7 Idcirco sic dixit Dominus Iehouah, Ego leuavi manum meam, nisi gentes quæ  
vobis vndique sunt, ignominiam suam portauerint.

**H**OC caput completitur XXXIII. CONCIONEM, in qua Deus  
per Prophetam iterum populo suo promittit, quòd ex Babylone  
& gentibus in quas sparsi fuerant, reducendi, montes & valles oc-  
cupaturi, multisque à Deo beneficiis ornandi sint. Obiter causas

Argumentū  
totius ora-  
tionis vel  
prophetiæ.

S.i.

quoque admiscet, ob quas sedibus suis pulsi sint, nempe quòd terram sceleribus suis contaminarint, quorum duo potissimum nominat, idololatriam & iniustas cædes. Utque suo quidem merito terra sua pulsi sint: ita nullis suis meritis, sed ex mera Dei bonitate restituendos esse: nam ne in captiuitate quidem à sceleribus sibi cauèbant. Promittit eis, quòd ingentibus bonis eos cumulare velit, fœdus cum illis renouare, aquis gratiæ eos purgare à peccatis, nouum cor eis indere, nouumque spiritum, ut libenter ambulèt in præceptis eius. Còmodè autem hæc concio superiori subiungitur. Tristitia enim monti Seir prædixit, iam montibus Israël læta pollicetur: iubetque Israelitas bono animo esse, quòd quæ ab hostibus dicta sunt, ea vana sint ac falsa: vaticinatur, montes illos non diutius desolatos fore. Neccessaria fuit hæc còsolatio Iudæis, ne in desperationem ruerent. Nam cum captiuitas fuerit diuturna & aspera, nò potuissent in vera fide persistere, nisi Deus eos sua voce erexisset. Si paulò diuturniore morbo vexamur, impatienter ferimus, licet abundemus consolationibus: quid igitur mirum, si illorum patientia, tristi & diuturna captiuitate, labore, inopia rerum omnium, nisi Deus eos consolatus esset, tandem fuisset expugnata? Hanc prophetiam partim secundum literam, regis Cyri temporibus, quo vrbes instauratæ sunt, partim primi aduentus Christi impletam, partim in secundo eius aduentu implendam esse, quo omnia restituenda D. Petrus act. 3. testatur, in progressu audiemus. Hæc quia Iudæi nolunt perpendere, non minus hallucinantur, quàm Christiani illi, qui nescio quem Antichristum expectantes, illum qui se diu in templo Dei ostentauit, nolunt cognoscere. Partes huius prophetiæ hæc possunt assignari. I. Iudæos indignè tractatos esse à vicinis gentibus, in primis ab Idumæis. II. Deum statuisse iniurias illas suo populo illatas vlcisci. III. Promittit terram repurgandam & populum reducendum. IIII. Causas ostendit, ob quas Deus populum suum terra sua expulerit. V. Ex mera gratia restituendum prædicit, & afficiendum magnis bonis. VI. De officiis ab exilio reducti populi concionatur, nempe, ut pœniteat eos scelerum præteritorum, utque sanctificent Deum: simul etiam repetit, quomodo sint restituendi. Vsum habet multiplicem hæc prophetia, hinc enim discemus propter peccata, & in primis propter cædes iniustas & idololatriam, non solum priuatos puniri, sed & regna & gentes euerti. Deinde Deum ex misericordia homines regenerare, liberare ex captiuitate Satanæ, oppressis opem ferre. Officiũ item redemptorũ hoc esse, ut sanctificet Deũ, & in eius præceptis ambulent. Summa hodiernæ lectionis hæc est, quòd Deus populum suum grauitè ab Idumæis & aliis vicinis gentibus afflictum, liberaturus, & pœnas de illis sumpturus sit. Primũ enim ostendit quàm crudeliter populus Dei tractatus sit ab hostibus suis: deinde quòd Deus statuerit modum imponere crudelitati ipsorum, quæ duo verbis Prophetæ prius explicatis, ad nostram vtilitatem transferemus. *Vaticinare super montes Israel, & dic &c.* Super, ad montes, vel de montibus. Per prosopopœiam iubet Prophetam montes affari, quasi intelligant quæ dicuntur, quia mōtibz suprā etiam vastitatem prædixit, iam restitutionem eis iubet prædicere: vel antithesis est ad montem Seir. Theodoretus dicit: Potuisset summatim toti terræ Israel bona polliceri, verum sigillatim montium & vallium, collium & vrbium, aliorumque omnium meminit, ut eos qui animum propter solitudinem desponderunt, consoletur. Per Montes intelligit terrā Iuda, quæ abundat montibus, atque ad eòd accolas qui in illis montibus fuerant, quibus Deus significare præcepit, se decreuisse pœnas sumere de hostilibus gentibus, & ipsos reducere. *Eò quòd dixit inimicus ille super vos, Euge, &c.* Inimic⁹ ille crudelis, scilicet Idumæus gaudius est & exultauit de clade vestra. *Etiā excelsa seculi fuerūt in hereditatem nobis.*

Prophetia hæc fuit necessaria.

Partes huius prophetiæ vel capitulorum.

Vsus huius capituli.

Summa primæ partis.

Excelsa mū

*nobis.* Per excelsa seculi, intelligit montes hoc est, terram Iudæorum, quæ multis seculis celeberrima fuit, nō tam propter fertilitatem, quàm propter urbem Hierosolymorum in medio Iudææ sitam, item propter Templum, Prophetas, reges, & in primis propter Mefsiam, qui ex illis nasci debuit. Idumæi dicebāt, Terra hæc cunctis aliis sublimior & celebrior, nobis cessit in hæreditatem, quod emphasim videtur habere, ac si dicant, Perpetuò eam possidebimus, nunquam sinemus veteres colonos in eam redire. *Desolauerunt & deuorauerunt vos vndique.* Crudelitatem hostium taxat qua vti sunt contra populum Dei, omnia diruerunt, & deuorarunt populum, non quòd fuerint Anthropophagi, sed sæuitiam eorum hac phrasi Germanis quoque vsitata significat. Procedit tamen eò rabies hostium interdum, vt corda corporibus hostium exempta, dentibus lacerent, & pinguedine ocreas perungant. Psal. 53. de impiis dicitur: Comederunt populum meum ac si comederent panem &c.

*Ascendistis super labium linguæ,* hoc est, Fabula estis: nos dicimus, *ut gander vult in mul umbhin.* Et in eloquutionem populi. Vbique gentiū diffama: ut vos, cōtumeliosè de vobis loquuti sunt. *Sic dixit Dominus Iehoua, montibus, & vallibus.* Totam terram velut per partes proponit: dixit terræ incolis, in montibus, vallibus, planicie, ad ripas, & per allegoriam dixit summis & infimis hominibus, se vltorem fore. *Quæ fuerunt in direptionem & subsannationem.* Vicinæ gentes certatim accurrebant, vt prædas agerent: item præsentis atque absentes, sanis impetebant. Iam dicit se cogitare de vlciscēdis suis Israelitis. *Si non in igne zeli mei loquutus sum contra residuas gentium.* *ut dixit in lo,* Si non, hoc est, Nolite posthac credere mihi, nisi ex ira vehementi loquutus sum, hoc est, aliquid mecum statui, tum contra reliquas gentes, tum contra gentem Idumæam. Significat se in hostes illos suos, seuerè animaduerturum, vt solent irati, de quo sæpe. Reliquias gentium vocat, quas Nabuchadonosor in bello quod cū eis gesserat, reliquerat. *Quæ posuerunt terram meam sibi in hæreditatem.* Quòd terram suam vocat, habet emphasim, in hac enim cultus fuit, hanc occupandam dedit suo populo, & ademptam eis restituit. Hanc animo inuaserunt Idumæi, suam esse dicentes. Hieronym. putat eos aliquanto tempore eam tenuisse. *Cum lætitia totius cordis & cum contemptu animi, vt eiicerent eam in direptionem.* Munsterus vertit, *Quòd exposita sit præda ad verbū, Propter abiectionem eius in direptionem,* hoc est, Contemptim de eis loquuti sunt, eò quòd prædæ omnium terra ipsorum esset exposita, vel vt eam prædæ exponerent. Ex his verbis duo præcipuè annotanda sunt. Primum quæ sit conditio Israelis, hoc est, populi Dei: alterum quòd Deus populi sui iniurias impunitas atque inultas non permittat. Populum hunc Dei multis iniuriis affectum fuisse audimus: vicinæ & aliæ gentes, multos ex eo crudeliter interfecerunt, spoliarunt eum, infidiati sunt terræ eius, lætati sunt eius malis, irriserunt & contempserunt eum. Idem Ecclesiæ Dei euenturum, Christus & Apostoli disertè prædixerunt, eamque hæc mala expertam esse Ecclesiasticæ historiæ testantur. Tertull. in Apologtico suo scribit gentes si quæ calamitas publica accidisset, culpam mox cōtulisse in Christianos, clamassè que, ad leones, ad leones, &c.

Terra Dei

Conditio Israelis vel Ecclesiæ.

Ecclesia Deo curæ est.

Quid hodie fiat quis non videt, quis non audit? nec est sperandum aliam faciem fore Ecclesiæ, nam ad finem vsque durabit certamen fideliū Christi cum Antichristo. Deinde habemus in hoc magnam consolationem, quòd Deus afficitur sui populi malis, quòd eum consolatur, & iureiurando confirmat se irasci hostibus ipsorum, & pœnas eis illaturum. Et si enim populum suum vtile & necesse sit cruce exerceri, nō tamen excusantur impii, quorum opera ad hanc rem Deus abutitur. Probra & alia mala quibus pii afficiuntur, in ipsum Deum redundant, qui etiam illos quos grauissimè castigat filiorum

loco habet, & suo tempore liberabit. Exempla horribilia interitus hostium verbi Dei omnes ferè historix suppeditant. Proinde patienter feramus probra & contumelias, & Deo vindictam committamus. Interim pii principes & magistratus, suo quoque officio non desint.

*Idcirco vaticinare, &c.* Repetit clarius atque expressius Deum dixisse, quòd ex ira & zelo loquutus sit, se ita ulturum probra atque contemptum, quo & ipsum, & populum suum affecerint, ut ipsæ quoque contumelia afficiantur. Negabant enim Deum Israelis omnipotentem, cum suos seruare non potuerit, clementem, cum suum populum perdidit, iustum, cum hostibus populi sui non aduersatus sit: populum negabant Dei populum esse, ad quem pertinerent promissiones &c.

Ferè autem fit, ut illis qui aliis probra inferant, probra vicissim inferantur. Certè ultimo die omnes quotquot fideles ignominia affecerunt, afficiuntur aeterna ignominia. *Leuavi manum meam, si non,* hoc est, Iuravi. Iuraturi manum tollunt, ut ostendant se Deum testem aduocare, qui conscius sit rerum quæ aguntur. Plerumque iuraturi tres digitos erigunt, duos deprimunt, ut significent à Deo qui trinus est in personis, rectè iurantibus locum in cælis paratum, & rursus peierantes detrudi ad inferos.

## HOMILIA CLV.

### T Terram reparandam prædicit, & captiuos restituendos.

8 Vos autem montes Israel ramos vestros dabit, & fructum vestrum afferetis populo meo Israel: quoniam appropinquauerunt ut veniant.

9 Quia ecce ego venio ad vos, & conuertar ad vos: & conuertar ad vos: & conuertar ad vos: & conuertar ad vos.

10 Et multiplicabo super vos homines, totam domum Israel, totam: & inhabitabuntur vrbes, & deserta edificabuntur.

11 Et multiplicabo super vos homines, & iumenta, & multiplicabuntur, crescentque: & habitare faciam vos secundum iniquitates vestras, & beneficia nouissimis vestris magis quam prioribus vestris: scietis que quòd ego Iehouah.

12 Et ambulare faciam super vos homines, populum meum Israel, & possidebunt te, & eris eis in hæreditatem, nec addes ultra orbare eos.

13 Sic dixit Dominus Iehouah, Eò quòd dicunt vobis, Terra deuoratrix hominum es, & orbatrix gentium tuarum fuisti:

14 Propterea homines non deuorabis amplius, & gentes tuas non orbabis ultra, dixit Dominus Iehouah.

15 Nec audire faciam in te amplius ignominiam gentium, & probra populorum nõ portabis ultra, neque gentes tuas cadere facies amplius, dixit Dominus Iehouah.



Eus Opt. Maximus mox ab initio huius capituli, iussit Prophetam montes, colles & valles, hoc est, supremi & infimi ordinis homines alloqui, eisque prædicere quòd ab hostibus eorum, à quibus multa indigna passi sint, pœnas repetere decreuerit. Etsi enim

Iudæi

Iudæi meriti essent pœnas, & graues quidem, tamen vicini eorum tam indignis modis nequaquam eos tractare, sed modestiæ memores esse debuerunt. Ipsi Babylonii peccarunt pœnas de ipsis fumendo: immoderatè enim vsi sunt victoria, eamque in suos deos contulerunt, Danielis 5. cap. Sequitur nunc solatio vel promissio, quòd terra Israelis reparanda, & tota benedicenda, quòdque incolæ ab exilio reducendi sint. Propheta partim ipsam terram, partim incolas eius alloquitur. Hæc verò iuxta historiam sub Zerobabele, Efdra & Nchemia impleta sunt, quædam tamen temporibus Mesiæ melius congruunt. *Et vos montes Israel dabitur ramum vestrum.* Terra Israelis sterilis erat propter Dei maledictionem, deinde fructiferæ arbores palsim cæsæ erant ab exercitibus: promittit igitur Deus per Prophetam, montes producturos ramos suos, hoc est, arbores ramosas vel frondosas nascituras in montibus, quæ suis temporibus producturæ sint suos fructus. *Nam appropinquant ut veniant.* Israelitas percepturos dicit illos fructus, iam enim tempus instare reductionis eorum. In omnibus ærumnis consolemur nos breuitate nostri in his terris exilii, mox aderit tempus, quo restituemur terræ viuentium, ex qua parentū nostrorum culpa eiekti sumus. D. Petrus ep. 1. cap. 1. consolatur Christianos in Neroniana persequutione, inter alia argumenta, breuitate temporis, quòd non ita multò post liberandi sint. Ipse Seruator noster postquam loquutus est de signis præcedentibus nouissimum iudicium, subiicit: His autem fieri incipientibus, suspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra &c. Lucæ 21. Quidam hunc locum aliter interpretantur: nempe quòd propius aliquãto ad Deum accesserint, atque signa dederint futuræ resipiscentiæ.

*Quia ecce ego ad vos, & conuertar ad vos, & colemini & seremini.* Montibus dicit, Deum ad ipsos rediturum: hætenus enim steriles fuerunt, quod auersi ab eis Dei argumentum erat: nunc se iterum eos respecturum dicit, vt solent qui cum aliquo in gratiam redeunt, quique aliorum casus miserantur. Collige hinc montium & agrorum sterilitatem non casu fieri: sed quando Deus hominibus irascitur. Frustra plantatur & feritur, nisi Deus incrementum dederit, 1. Corinth. 3. *Multiplicabo super vos homines, totam domum Israel, totam.* In montibus, vallibus & planicie, tota domus Israel magno numero deget. Hæc secundum literam non sunt impleta: etsi enim quidam ex decem tribubus, patriæ desiderio accensi eã repetierint: plures tamen in aliis regionibus permanserunt: temporibus verò Mesiæ spiritualiter reducti sunt, prædicatione Euangelii in terram viuentium, hoc est æternam patriam, cuius terra Chanaã typus fuit. *Inhabitabunt vrbes & deserta edificabuntur.* חרבה charabah exiccatio. Leu. 26. Ciuitates vestræ erunt siccitas: suprâ 5. cap. dixit, Dabo te in siccitatē. cap. 29. Terra Ægypti erit in vastitatem & siccitatem. Munsterus vertit ruinas, versu 4. ruinas desolatas. Zerobabel cum suis templum, Nehemias mœnia, populus domos suas extruxerunt. Aliis quoque in locis alii oppida & castella instaurarunt.

*Et multiplicabo super vos homines & iumenta, & multiplicabuntur, crescentque.* Benedictioni Dei ascribendum est si hominum numerus crescat. Id enim vt alibi quoque, inter promissiones hoc loco ponitur. Vehementer errant qui magnam hominum frequentiam putant maledictionem esse, eò quòd fames inde oriatur. Perinde enim est Deo, paucos & multos alere. Si temperanter viueremus, si coerceremus propolas & monopolas, si concordesset in familiis, abundaremus rebus necessariis, quibus nostro vitio destituimur. Est & hoc Dei benedictio si pecora bene habeant & augeantur: maledictio magna est si intereant, vt fit oriente peste. Cæterùm nemo putet illa casu interire:

Hominum  
multitudo  
est benedi-  
ctio Domi-  
ni.

Deus enim propter homines ea vel conseruat, vel perdit. Ne passerulus absque Dei prouidentia in terram decidit. *Habitare faciam vos secundum antiquitates vestras.* Sicut fuistis ab initio, quando Moyse duce trans Iordanem, duæ & semis tribus acceperunt possessionem: & sub Iesu filio Naue aliæ nouem & semis tribus terram Iudæam possederunt.

*Et melius faciam vobis, quàm à principio.* Plura in vos beneficia conferam: felicioreſque eritis postquam reducti fueritis, quàm vnquam antea. Hæc, vt annotat D. Hieronymus, Iudæi expectant in mille annorum regno, quando ciuitatem Hierusalem asserunt extruendam, & templum quod in fine huius voluminis describitur, & rerum omnium felicitatem: quorum nonnulli arbitrantur sub Zerobabel hæc fuisse completa. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur: *Et habitare vos faciam, sicut à principio: bonis que donabo maioribus, quàm habuistis ab initio?* Sub Zerobabel enim, Esdra & Nehemia pauci de populo sunt reducti: & ipsi obedientes Medis ac Persis, & deinceps Macedonibus & Ægyptiis atque Romanis, vsque ad Titum & Vespasianum diuersarum gentium regibus seruiuerunt, & vsque hodie seruiunt: vt stare omnino non possit hoc quod in extrema dicitur prophetia: *Et opprobrium populorum nequaquam portabis, & gentem tuam non amittes amplius.* Mox subiungit, Chiliaſtarum sententiam à Iudæorum deliriis non multum discrepare. Quoniam verò hæc quæ reducto populo promittuntur, ei non contigerint, (quis enim nescit quanta difficultate, quantis laboribus templum extruxerint, quæ sub Machabæis pertulerint?) spiritualiter accipienda sunt. Populus enim Israelis spiritualibus benedictionibus affluxit. Quædam verò spiritualiter interpretanda ipse Christus & apostoli docuerunt. Etenim quæ de Helia prædicta sunt à Malachia, Christus de Ioanne Baptista interpretatur.

*Ambulate faciam super vos homines.* Sensus est, ó montes, populum meum ab exilio reducam, vt in vobis habitet: mox per heterosin in singulari numero dicit:

*Possidebunt te, nec addes ultra orbare eos,* hoc est, Deinceps populus meus iure hæreditario te incolens, non amplius peste, fame, bestiis, gladio, absumetur, sed stabiles sedes habebit: posterius membrum sequenti versu explicat.

*Eò quòd dicunt vobis, Deuoratrix hominum es, &c.* Hostes dicebant hanc terram infœlicem esse, eò quòd incolæ eius, crebris hostium incursionibus, aliis que casibus in ea absumerentur. Speculatores emissi. Num. 13. cap. etiam dicebant, hominum deuoratricem esse. Hæc deinceps non amplius de hac terra dicenda fore prædicit: post hac enim nullis cladibus fore obnoxiam. Ad hæc vaticinatur, in hac terra non audiendum ultra probrum gentium. Gentes hæctenus Israelitis graua conuitia, fecerant: quæ instar spiculorum sunt: Deinceps verò conticescent, inquit. *Quis nõ videt hæc post captiuitatem Babylonicam non contigisse?* Crudeliter enim vexati sunt Iudæi, multis que contumeliis atque iniuriis affecti, vt locuples testis est historia. Romani capta vrbe Pompeio duce, in ipsius templi penetralibus multos occiderunt. Hodie quoque dispersi fabula sunt per totum terrarum orbem: igitur ad veram restitutionem quæ fiet nouissimo die, hæc quoque referenda sunt, quando spiritualis Israel, hoc est, tota Ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta omnibus malis liberabitur. Patienter itaque feramus, si hodie quoque hostes nobis illudant.

**I** Ostendit Israelitas in captiuitatem tractos esse  
propter multiplicia peccata sua : &  
propter clementiam diuinam  
reducendos pro-  
mittit.

16 Et fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:

17 Fili hominis, domus Israel habitantes super terram suam, polluerunt eam moribus suis, & operibus suis: tanquam immunditia menstruatæ fuerunt mores eorum coram me.

18 Et effudi iram meam super eos propter sanguinem quem effuderunt super terram, & quia idolis suis polluerunt eam:

19 Et dispersi eos in gentes, & ventilati sunt in terras: iuxta mores eorū, & iuxta opera eorum iudicavi eos.

20 Et ingressi ad gentes, ad quas venerunt, & polluerunt nomen sanctum meum, dum diceretur eis, Populus Iehouæ sunt, & terra eius egressi sunt.

21 Et peperi nomini sancto meo, quod polluerunt domus Israel in gētibus ad quas egressi sunt.

22 Idcirco dic domui Israel, Sic dixit Dominus Iehouah, Non propter vos facio, domus Israel, sed propter nomē sanctū meū quod polluistis in gētibus, ad quas venistis.

23 Et sanctificabo nomen meum magnum pollutum in gentibus, quod polluistis in medio earum: & scient gentes quod ego Iehouah, ait Dominus Iehouah, quum sanctificatus fuero in vobis in oculis vestris.



Aufas nunc recenset, ob quas Deus populum suum contumeliis affici, & in captiuitatem trahi permiserit. Ideo autem eas commemorat, vt Deū vindicet à suspitione morositatis & crudelitatis. Solet enim homines de iudiciis ipsius queritari, quasi nō recta sint. Proponuntur autē nobis hoc loco paucis quidē verbis tāquā in speculo, causæ publicarū & priuatarū calamitatū, nēpe ingentia peccata hominū Primū in genere dicit: *Domus Israel habitātes super terrā suā, polluerūt eā viis suis atque operibus suis.* Per domū Israel intelligit incolas vtriusque regni, nēpe regni Iuda & regni Ierusalē, qui terrā suā, cū eam adhuc incolerent, variis sceleribus contaminarūt Deūque grauitè offenderunt. Per vias intelligit rationē & institutum vitæ, mores, studia, breuiter quicquid agimus: explicat autē ipse quid per viam intelligat, mox enim subiicit, *Atque operibus suis. Tāquam immunditia menstruatæ fuit via eorum coram me.* Fœda similitudine explicat, qualia eorum opera fuerint iudicio Dei, id quod non de manifestis solū sceleribus accipiendum est: sed etiam de operibus splendidis coram mundo, nempe de variis Dei cultibus contra verbum Dei susceptis, mox enim ipse Propheta subiicit, terram idolis pollutam fuisse. Hodie quoque multi suis bonis, vt vocant, intentionibus, item sua iustitia

putāt se Deo probari, cū sint ei abominationi, vt pannus fœminæ laborātis suis mensibus, à quo omnes abhorrent.

*Effudi iram meam super eos propter sanguinem quem effuderunt super terram.* Nunc in specie duo magna scelera recenset, propter quæ Deus Israellem afflixerit, nempe homicidium & idololatriam, quorum primum ex inopia charitatis, alterum ex inopia fidei ortum suum habet. Ideo autem hæc nominatim ponit, ne tergiuersari possint. Natura enim tam cæci sumus, vt peccasse nolimus videri, nisi *ἐν αὐτοφώρῳ* deprehendamus: quin etiam deprehensi, varias excusationes afferimus &c.

Hæc duo scelera tam hodie sunt vulgaria, vt ferè virtutum loco habeantur. Audiamus paucula de vtroque, & primum quidem de homicidio, de cuius atrocitate & pœnis cū alibi dixerimus, nunc tantū de speciebus eius paucula quædam annotabimus. Homicidium aliud dicunt esse internum, vt est ira, odium: D. Ioannes dixit homicidam esse qui fratrem suum odio habet &c. aliud externum, quod non vnus est generis: quædam enim cædes iustæ

Varia generahomicidii

- I sunt, quædam excusationem merentur, quædam sunt nefariæ. Magistratus potest & debet occidere facinorosos, propter conseruandam publicam pacem & disciplinam. Bella quoque iusta potest gerere ad conseruationem Reipublicæ, neque peccant subditi si suo magistratui suam operam ad hanc rem
- II locent: cauendum tamen à bellis non necessariis & mercenariis. Est deinde cædis species quam fortuitam vocant, cū aliquis præter suam voluntatem alium occidit. Fortuita quidem est quoad homines, non quoad Deum, cuius prouidentia omnia reguntur. Quod hanc speciem cædis attinet, multum refert, vt qui alterum occidit, dederit operam rei licitæ, & adhibuerit omnem diligentiam ne cædes fieret. Res variis casibus potest illustrari. Deuter. decimonono exemplum affertur de mercenario cædente ligna, qui excusso ferro alterum occidit. Medicus vult porrigere ægroto medicinam, & porrigit venenum. Ars medendi licita quidem est, sed illa negligentia cædem grauat. Venator sagitta interficere vult feram, auceps, auem, & hominem interficit: grauatur cædes, etsi ille viuat ex venatione & aucupio. Si in nebula arcu sagittam emittat, magis grauatur cædes. Si quis ludens sagittam in altum mittat, & decidat in caput alicuius pueri cūque occidat, vt factum esse quodam in loco memini, cædes hæc licet non sit destinata, tamen grauatur, quia quod ille fecit, non fuit necessarium. Sic qui ludens globo alterum ferit: qui lapidem de monte deuoluens, aliquem interficit. Sequentia verò illicita sunt, vt si quæ philtris iuuenem aliquem sibi conciliare velit, & eum occidat. Si ebrius alium mero calens occidat, sibi restitutus putet se feram occidisse, &c.
- III Sunt infiniti casus qui ad hanc cædis speciem pertinent. Est alia quoque species, cū vim vi propulsantes, alium occidimus. In huiusmodi casu porrigit magistratus nobis gladium. Cauendum tamen ne ira impulsus occidamus proximum, quando alioqui nos defendere & liberare possumus. Sunt
- IIII item iniustæ & nefariæ cædes, quæ etiam variant: vna enim altera est grauior. Hæc aliquando ex ira & odio, aliquando ex auaritia vel aliis causis ortum habent. Instrumenta quoque quibus fiunt sunt varia, aliquando cominus, aliquando eminus feriendo, homines extinguntur. Homines per se ipsos aliquando, aliquando per alios cædes procurant. Siquis parentes, fratres, liberos suos interficiat: in publica via alteri insidietur, grauius peccat, quàm si alium, item si iratus, ebrius hoc faciat, &c.

Est & illa cædis species horrenda, cū quis seipsum occidit. De his nunc dictum est satis:



Duo hæc regna, bella non necessaria, & persecutionem contra Prophetas, & alios pios mouerant, cædes multas impunè fecerant, ideo à Deo punita sunt. Quid nobis per Germaniam expectandum sit qui bellis non necessariis nos sæpe immiscemus pecuniæ causa, ex hoc loco collige.

Alterum scelus est idololatria, hoc est, idolorum seruitus. Venerabantur idola vel ab aliis vel à seipſis posita, id quod Deus disertè vetuit. Hodie exercetur passim horrenda idololatria: pauci tamen sunt, qui non sibi videantur illa Deum demereri, tātum abest, vt pœnas se putent attrahere. Homicidium est contra posteriorem, idololatria contra primam tabulam: sub his verò duobus alia peccata comprehendit, propter quæ omnia ira Dei venit super homines. Dixit in genere, se iram suam super eos effudisse, hoc est, variis & multiplicibus æumnis eos subitò oppressisse: iam explicat in specie. Est pulchra in his verbis allusio. vt illi effuderunt sanguinem, ita Deus effudit furorem suū: vtrinque copia notatur.

*Et dispersi eos in gentes, & dispersi sunt in regiones.* Quarum idola venerati, & quarum mores atque studia imitati fuerant. Ita autem dispersi sunt, vt cum paleæ ventilabro & vanno ventilantur. Hæc metaph. sæpe occurrit. Leuit. 16. comminatur Deus populo suo quòd dispersurus sit eos in gentes. Iere. 15. Ventilabo eos ventilabro. 51. cap. Mittā ventilatores in Babylonem & ventilabunt eam.

*Iuxta viam eorum iudicauit eos.* Non est, inquit Deus, quòd me crudelitatis insimulent, attraxerunt sibi hæc mala: vt se mentem fecerunt, ita mesuerunt, nempe messem malorum. Confutantur his verbis illi qui cum Evangelio indignè viuunt, omnes reprehensiones securè contemnunt, dicentes, Deus parcat suo nomini. Et si enim eos castiget, tamen potest sui nominis gloriam vindicare.

*Polluerunt nomen sanctum meum, dum diceretur eis: Populus Iehouæ sunt & de terra eius, egressi sunt.* Hostes per irrisionem dicebant, Ecce illi qui gloriantur se Dei peculiarem populum esse, ex terra quam singulari beneficio sibi à Deo traditam dixerunt, expulsi sunt: si Deus Israelis esset omnipotens non permisisset eos ex patria captiuos in exilium abduci. Hinc colligitur quid sit polluere nomen Dei, nempe occasionem dare malè sentiendi de proprietatibus Dei, veluti de omnipotentia, iustitia, veritate, bonitate eius &c.

Israelitæ enim occasionem dederant captiuitati aliisque calamitatibus, legis transgressione sceleribusque suis, quibus Deum ad vindictam quodammodo impulerant, vnde blasphemix Ethnicorum sequutæ sunt. Nathan. 2. Sam. 12. capite, exprobrat Dauidi quòd inimicos Iehouæ blasphemando blasphemare fecerit. Vel quòd dicerent, Hiccine est rex ille secundum cor Dei? Vel quòd Amonitæ superiores pugna, Deo Israelis insultarint. Nostris quoque temporibus, cum Christiani suorum scelerum pœnas luunt, Turci Christianam doctrinam execrantur, & Deo insultant, quasi non valeat eos defendere.

Papistæ quoque cum Euangelicos præliis vincunt, aut eos vident suæ professioni parum respondere, statim vociferantur suam doctrinam meliorem esse, illa quam nos profitemur.

Non quidem ex vita & moribus metienda erat doctrina: qualescunque enim sint Evangelici, Euangelium sana est doctrina: imperiti tamen id faciūt. Proinde grauissimè peccant qui eos impediunt vitæ suæ impuritate, quo minus locum cedant veritati.

Idololatria.

Polluere nomen Dei quid.

Polluere no-  
men Dei, est  
infamare &  
ignominia  
aliqua nota  
re.

*Et peperi nomini sancto meo, quod polluerunt domus Israel in gentibus ad quas egressi sunt,* hoc est, Consulam gloriæ atque honori nominis mei, tactus misericordia mei nominis, vos tandem liberabo, ne gentes dicant me tam infirmum esse, qui vos non possim in pristinum locum restituere. Si secundum merita vestra agere decreuissem, malè vobiscum ageretur, nam nomen meum inter gentes polluistis. Cæterum non modo illa ratione, de qua paulò antè, sed quòd ne ipsa quidem captiuitate resipiscentes, atrocioribus gentium blasphemis causam occasionemque dederunt. Subiungit quare Israelitas in patriam redicturus sit: nempe propter suam clementiam & misericordiam, non propter merita ipsorum. Quales enim fuerunt in sua terra, tales quoque fuerunt in exilio.

Quare  
Deus suo  
populo opem  
ferat.

*Non propter vos facio domus Israel: sed propter nomen sanctum meum.* Quòd vos liberaturus sum à potestate hostium vestrorum, id non fiet propter vestra merita, sed propter nomen meum, hoc est, propter me, vt vindicetur gloria mea. Sunt etiam aliæ rationes, propter quas Deus populo suo opem fert. Aliquando hoc facit propter fidem inuocantium se: dicit enim Psal. 50. Inuoca me in die afflictionis, & eruam te, & honorificabis me. Sic Noa in diluuiò, & Loth in Sodomis, propter fidem seruati sunt. Aliquando respicit ærumnas, clamores & gemitus suorum, Psal. 12. Propter miseriam afflictorum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Aliquando propter hostium malitiam, suos liberat. Sic vbi Chananæi & Ægyptii mensuram suam impleuissent, illos deleuit, & populum suum liberauit. Nonnunquam suum populum dignum qui vexetur, propter nomen suum seruat, ne illud probris hostium suorum obnoxium fiat: tale est quod Propheta hoc loco dicit, & quod Psaltes cecinit de populo suo educto per mare rubrum: Seruauit eos propter nomen suum: vt notam redderet potentiam suam, Psal. 106. *Quod polluistis in gentibus ad quas venistis.* Eos bifariam polluisse nomen Dei, paulò antè diximus. Primum cum sedibus patriis pellerentur, factum est vt Babylonii & alii dixerint, Sunt ne illi populus Dei, & eiciuntur patria sua? Illi ne quos Deus ab aliis gentibus circumcissione seiunxit, ab impuris victi sunt? Deinde per experientiam cognita eorum improbitate, contra Deum conuitia congesserunt: Sunt ne isti populus Dei, qui turpius viuunt quàm nos? Hinc fiebat vt in doctrinam & Deum ipsorum probra iacerent. Si pædagogus aliquis celebris, discipulos malè institutos habeat, ipse pædagogus afficitur ignominia. Videte, dicunt, quàm bene institutos discipulos, egregius ille pædagogus habeat, &c. discipulus talis, est dedecus sui magistri.

Quomodo  
nomen Dei  
polluatur.

*In gentibus.* Sequenti versu repetit, eos polluisse nomen Domini, in medio gentium. Cùm suorum scelerum iustas pœnas darent, non egerunt pœnitentiam, sed plerique in sceleribus quibus assueuerunt, perstiterunt, id quod deploratæ malitiæ est argumentum. Homines enim si Deus calamitates eis immittat, semper in se descendendo, de causis cogitare debent, ob quas hæc fiant, & pœnitentiam agere. Id quia Pharoo, Saul & alii neglexerunt, animo & corpore perierunt. Ex eò quòd Deus populum suum è captiuitate Babylonica propter nomen suum, vel propter seipsum liberauit, non propter eorum merita, colligimus à minore ad maius, liberationem è captiuitate satanæ & peccatorum, item reductionem in patriam cælestem, multò magis gratiæ diuinæ, non nostris operibus & meritis esse ascribendum. Ne temporaria quidè bona mereamur, quomodo igitur æterna mereremur? Quæso, ad regulam verbi diuini expende cogitationes, concupiscentias, dicta, facta tua? an te meliorem esse Israelitis audebis profiteri? Ingratissimi sunt Deo, qui vitæ æternæ donum  
suis

fuis aliorúmque meritis, non solius Christi merito ascribunt. *Sanctificabo nomen meum magnum.* Nomen Domini comprehendit omnia illa quibus ingenium & natura eius significatur: vt est veritas, iustitia, misericordia eius &c. Nomen Dei quod. Sanctificare est laudare & celebrare. Nomen Dei per se sanctum est, nec sanctius effici potest, quàm sua natura existit. Deus sanctificare suum nomen dicitur, cum opera præclara edit, propter quæ homines nomen eius celebrant. Nam cum homines punit, iustus, cum eis ignoscit, misericors, cum præstat quod promisit, verax prædicatur. Homines dicuntur nomen Dei sanctificare, cum ea dicunt & faciunt, ob quæ alii Deum sanctificant. Cum petimus in oratione Dominica, vt nomen Dei sanctificetur, hoc postulamus, vt quia nomē Dei non ab omnibus cognoscitur quale est, sed à multis contumelia afficitur, nobis & aliis gratiam suam largiatur, vt cuncti nomen rectè cognoscant, collaudent & glorificent. Vt autem nomen Dei variis modis violatur: ita variis modis sanctificatur: vera fide, verisque cultibus, inuocatione, gratiarum actione, patientia, piis sermonibus, bonis operibus. Apostoli omnibus ætatibus & ordinibus hominum præcipiunt, vt suum officium faciant, quò Deus glorificetur. 1. Pet. 2. 1. Timoth. 6. Christus ipse Matth. 5. inquit, Sic luceat lux vestra, &c.

Gentilibus ex liberatione Israelitici populi promptum fuit colligere, Dominum opem posse suo populo ferre, eiusque virtutem & potentiam laudarent & celebrarunt.

*Pollutum in gentibus.* Ab ipsis gentilibus, & Israelitis qui per eas dispersi erant, pollutum fuit nomen Dei: *Quòd polluistis in medio earum.* Præcipua causa erant, vt etiam à gentibus magis magisque pollueretur. Non solùm in Iudæa sed inter gentes, quas lucrifacere debebant dictis & factis suis, Dei nomen poluebant. Sanctificare nomen Dei.

*Scient gentes quòd ego Iehoua, cum sanctificatus fuero in vobis in oculis vestris.* Hoc est, cum vindicauero nomen meum ab omni pollutione, reddideroque illustre, exercendo potentiam & misericordiam meam, & gentes & vos videbitis quis sim. Impii iustitiam Dei contra se ipsos, & clementiam erga pios nõ agnoscunt, nisi singularibus exemplis excitentur. Hinc est, quod sancti in psalmis orant, vt Deus iustitiam & potentiam suam, asserendis suis, per dendisque impiis, notam faciat atque illustret. Non quòd impiorum interitu lætentur: sed quòd diuini nominis gloria, hac ratione vindicetur.

## HOMILIA CLVII.

*I*terum prædicat Israelitas à Deo restituendos, magnisque beneficiis afficiendos esse.

24 Tollamque eos de gentibus, congregabòque vos de vniuersis terris, & venire faciam vos in terram vestram.

25 Et spargam super vos aquam mundam, & mundabimini: ab omnibus iniquamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.

26 Daboque vobis cor nouum, & Spiritum nouum dabo in medio vestri: & auferam cor lapideum e carne vestra, daboque vobis cor carneum.

27 Et Spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamque vt in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & faciatis illa.

28 Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris: eritisque mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

29 Seruabo vos quoque ab vniuersis inquinamentis vestris: & vocabo frumentum, multiplicaboque illud, neque dabo vobis famem.

30 Multiplicabo insuper fructum arborum, & fructum agrorum: ne accipiatis vltra probrum famis in gentibus.

31 Et recordabimini viarum vestrarum malarum, operumque vestrorum quae non sunt bona: & excidemini vos in conspectu vestro propter iniquitates vestras, & propter abominationes vestras.

32 Non propter vos ego facio, dixit Dominus Iehouah, notum sit vobis: pudeat ergo vos, & erubescite de iniquitatibus vestris, domus Israel.

**D**Eus per Prophetam suum, iterum de reductione populi sui ex captiuitate, concionatur, deque beneficiis quibus eos in animo & corpore velit afficere. Quae propheta (vt alia quoque de iisdem rebus contexta) partim corporaliter temporibus Cyri, partim spiritualiter per Christum, est impleta, implebiturque cum hinc excesserimus, praecipue vero & perfectissime a resurrectione mortuorum & nouissimo iudicio per omnia secula. Proinde hoc vaticinium non solum ad captiuos Israelitas: sed ad omnes populos & ad singulos Christianos pertinet. Ex hoc enim colligimus, quae & quanta bona Deus in Messia nobis contulerit, de quibus nunquam satis dici potest. Non igitur mirum Prophetas de iisdem rebus toties vaticinari. Verba ordine explicabimus. *Tollam vos de gentibus &c.* Haec saepe promisit, & ad confirmationem fidelium nunc repetit. Hoc in omnes eos conuenit qui redierunt, dicit Theodoretus, quicumque enim redire voluerunt, reditum consequuti sunt: ea vero quae sequuntur, non item in omnes, sed in eos tantum, qui Euangelico praenotio fidem instituerunt habere. *Et spargam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Alludit ad lustrationes legis. Frequens enim est mentio in lege purificationis, expiationis, & sanctificationis, quae a sacerdotibus per aspersionem sanguinis & aquae fiebat. Consule hac de re Leuit. 16. & Numer. 19. cap. vbi agitur de aqua vaccae rufae cineribus temperata. Lustrationes illae per se non abluebant sordes animae, sed symbola erant gratiae diuinae, per quam purgamur a peccatis. Deus ex sua gratia filium suum misit, ex cuius latere, peracto iam sacrificio in ara crucis, sanguis & aqua profluxit. Aquae salutiferae Christus mentionem facit, Ioan. 4. in dialogismo cum muliere Samaritide, & Ioan. 7. Baptismus est visibile signum, quo Deus testatur, quod ipse nos a peccatorum sordibus Spiritu suo abluat, ad Titum 3. vocatur lauacrum regenerationis, &c.

Ritus purgationis.

*Ab omnibus inquinamentis vestris.* Non aliquot tantum sordes, sed omnes per aquam gratiae Spiritus sui propter Christum auferat. Quidam dicunt Christum veterum tantum delicta, alii originale tantum, alii aliqua tantum peccata expiisse. Quibus & hic locus & qui extat 1. Ioan. 1. capite opponendus est, Sanguis Iesu Christi Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, Rom. 5. 1.

Pet. 3.

Pet. 3. &c. *Et ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* Putabant se cursitando ad idola expiari à peccatis, cum potius polluerentur: Deus autem promittit ab illis quoque sordibus repurgandos esse.

*Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum.* Prophetæ sæpe exprobrant Iudæis, quòd sint populus duræ ceruicis, hoc est, rebellis & contumax, qui verbum Dei ne audire quidem velit, nedum ei obtemperare. Promittit igitur nunc eis cor & spiritum nouum: vt non pro vetere more viuât, sed nouam viuendi rationem instituant, vtque aliter affecti sint quàm hætenus. Explicat verbis mox sequentibus, quod iam dixit. *Auferam cor lapideum è carne vestra, dabòque vobis cor carneum.* Per cor lapideum, intelligit durum, contumax, indocile, quod respuit salutare admonitiones: per cor carneum, molle, sequax, docile, quod admittit bona consilia. Scripturæ omnibus hominibus ab Adamo prognatis tribuunt corda saxea, nisi à Deo emolliantur. Scripturæ loca hac de re vulgò nota sunt. Quid igitur multi de viribus hominis ad bonum, garrunt? Iræ filij sumus nostra natura, Deum ignoramus, non metuimus, non curamus, imò mortui sumus, &c.

Cor lapideum

*Spiritum meum dabo in medo vestri, efficiamque vi in præceptis meis ambuletis.* Per Spiritum suum fidem in nobis accendit, ex qua studemus legi ipsius. Vitio nostræ naturæ in vetitum nitimur, auersantes legem Dei, sed ille Spiritus Dei efficit, vt sponte faciamus quod à nobis requiritur, & subinde ad perfectionem aspiremus. Lex enim non potest perfectè à nobis præstari, in hac mortali carne.

*Sedebitis in terra.* Sedere habitare significat, etiam vernaculo nostro sermone: videtur tamen indicare hoc verbo quòd tranquillè & pacatè victuri sint, id quod alibi expressè eis promittit.

*Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Fœderis Diuini quod cum Abrahamo sãnxit, vel potius renouauit, hæc duo sunt capita: primum, Eto vobis in Deum, quod magnam in se habet consolationem. Alterum caput est, vt nos simus populus ipsius, ab ipso pendeamus, faciamus quæ ipse mandauit, omitteremus quæ vetuit. *Seruabo vos ab vniuersis inquinamentis vestris.* Promittit quòd ab omnibus contaminationibus eos seruaturus sit. Mat. 1. Angelus Iosepho dicit, Vocabis nomen eius Iesum, is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Notandum autem, quòd ab omnibus peccatis nos liberaturum repetit, id quod tentationibus cacodæmonis doctrinisque dæmoniorum est opponendum. *Vocabo frumentum, multiplicabòque illud.* A spiritualibus descendit ad externa. Quanquam frequens est apud Prophetas, corporalibus includere spiritualia: & per temporaria, spiritualia & æterna significare. Quid verò sit aduocare frumentum, per verbum quod sequitur, explicat, Multiplicabo: vel verbo, inquit, efficiam, vt frumenti maxima copia abundetis. Ostendit hac phrasi, quàm facillè sit Deo fertilitatem vel sterilitatem agris inducere. Alludit enim ad iussa herorum, ad quorum nutum serui statim adsunt. *Neque dabo vobis famem.* In magna illa frumèti copia, non affligemini fame: fame quoque spirituali, de qua Amos 8. cap. vos liberabo. His cohæret etiam sequens versus: *Multiplicabo in super fructum arborum, & fructum agrorum.* Non fruges tantum, sed fructus arborum, & omnia terræ nascèntia, meo beneficio magna copia proueniēt. Hæc enim nō temerè oriri aut interire, etiam gentiles crediderūt. *Ne accipiatis ultra probrū famis in gentibus.* Hæc est, ne deinceps apud gentes, propter rerum ad victum necessariorum penuriam, malè audiatis. Gentiles enim vndecunque venabantur causas, probris adficiendi populum Dei; panis penuria laborantibus dicebant: Hicne est populus ille Dei? quare Deus vestet, vobis non dat necessaria? Hodie quoque hostes Euangelij si videant fame premi Euangelicos, insultrāt eis. *Friss̄ ierx̄ ab dim hups̄ then glauben.* Si malignè proueniāt fruges, si grando segetē proterat, statim culpā in Euangelium conferunt.

Fœderis diuini conditiones.

Probrum famis.

Non defunt qui etiam nucum iuglandium malignū prouentū imputent Euan-  
gelicis, eò quòd diuorū in templis lychnos extinxerint. Nemini quidem verten-  
dum est vitio, si fame, morbis & aliis malis prematur, referunt tamē impij patris  
sui ingenium. *Excidio digni reputabimini in conspectu vestro &c.* Diligens considera-  
tio ingentium beneficiorum Dei, quæ in vos ex mera bonitate contulit, accen-  
det in vobis veram pœnitentiã: vt cogitanres quibus rebus patrē tam clementem  
offenderitis, vos dignos esse exitio ipsimet cōfessuri sitis. Certū enim est homini-  
bus qui expendunt magnitudinē beneficiorū, quæ Deus per Christū nobis con-  
tulit, plurimū dolere, quòd ipsum offenderint, sibi ipsis displicere, & deinceps  
sibi à peccatis cauere, propter quæ Filius Dei tā dira pertulit. Non igitur est quòd  
clament Papistæ doctrina de beneficijs Christi, homines ad bona opera remissio  
res fieri, & ad peccandū incitari. Ipsi Papistæ potiùs homines ad peccandum pro-  
uocāt, doctrinis humanis de satisfactionibus. Quot enim sunt qui liberius peccāt,  
quia sperant se suorū aliorūq; meritis & satisfactionibus ex purgatorij tormen-  
tis liberandos esse? *Non propter vos ego facio &c.* Iterum repetit salutem nostram  
gratiæ diuinæ, non humanis viribus, aut meritis, tribuendam esse. Non digni su-  
mus hac vita, nedum vita æterna & cœlesti. *Pudeat vos & erubescite, de iniquitati-  
bus vestris.* Hoc epiphonemate omnes ad pœnitentiam hortatur. Liberatos ex  
magnis malis, priuatim & publicè gratitudinem suam declarare decet. Quædam  
quæ Deus hoc loco Israeli promittit, frustra in hac vita expectabuntur, nam in fu-  
tura demum vita vero Israeli dabuntur. Quousque hic vixerimus, corda nostra  
ad peccandum prona erunt, metu insidiarum, belli, famis, morborum, mortis tur-  
babimur: his malis omnibus in futuro tandem sæculo liberati, id quod in nobis  
desiderium æternæ vitæ debet excitare, in Christo omnibus cœlestibus bo-  
nis æternū perfruemur.

## HOMILIA CLVIII.

*¶ Prædicat vrbes instaurandas, vinea & agros co-  
lendos, atque populum multi-  
plicandum.*

33 Sic dixit Dominus Iehouah, Die qua mundabo vos ab omnibus iniquitatibus ve-  
stris, habitare faciam vrbes, & edificabuntur desolatae.

34 Et terra illa desolata, erit culta, vice eius quod fuit in desolationem in oculis om-  
nis transeuntis.

35 Et dixerunt, Terra ista desolata, fuit sicut hortus Eden: & ciuitates istæ de-  
sertæ & desolatæ & dirutæ, munitæ habitabantur.

36 Et scient Gentes quæ derelictæ fuerint in circuitibus vestris, quòd ego Iehouah  
ædificauì diruta, plantauì desolatam terram: ego Iehouah loquutus sum & feci.

37 Sic dixit Dominus Iehouah, Adhuc in hoc ero requisitus domui Israel, vt fa-  
ciam eis, multiplicabo eos hominibus, sicut gregibus.

38 Vt oues sanctæ, id est, vt pecudes Ierusalaim in solennitatibus eius, sic erunt  
ciuitates desertæ plenæ gregibus hominum: & scient quòd ego Iehouah.

Hæc



Æc verba cum præcedentibus cohærent. Pergit enim Propheta vaticinari de restitutione Israelis. Cæterum nemo cum Anabaptistis ita insanire debet, vt dicat, hæc quæ de redemptione veteris populi dicuntur, ad nouum populum, hoc est, Christianos nihil pertinere. Nam etsi hæc ad Israelem secundum carnem pertinere non negemus: tamen ad Israelitas secundum spiritum, hoc est, ad Ecclesiam Christi præcipue pertinent. Nam pleraque quæ hoc loco prædicuntur, eius sunt generis vt rectius ad Ecclesiam Christi, quam ad gentem Iudæorum è captiuitate Babylonica, in terram Israeliticam reducem, possint referri. Videamus primo loco ipsum vaticinium, deinde eius implementationem. Summa horum verborum hæc est, oppida & loca quæ nunc inculta iacent, ita reparanda fore, vt maxima hominum in illis frequentia, abundantura sit rebus necessariis.

*Die qua mundabo vos, &c.* Paulò antè bis dixit quòd omnes pollutiones eorum, absterfurus sit eis, idem nunc tertio repetit, vt certi simus pœnitentibus omnia peccata remitti: Vbi vos, inquit, ab omnibus sceleribus mundauero, efficiam vt vrbes in cineres redactæ, item arces, villæ, pagi, castella, quæ nunc vasta iacent, reædificentur & habitentur.

*Et terra illa erit culta, vice eius quòd fuit in desolationem in oculis omnis transeuntis.* Rura iterum excolentur, vineæ repurgabuntur, terra quæ antea propter intermissos labores rusticos, vepribus & sentibus plena erat, vti viderunt omnes transeuntibus, nouam faciem induet.

*Terra ista desolata fuit, & nunc est sicut hortus Eden.* Qui terram hanc antea visam, denuò videbunt, item alij quoque magna admiratione dicent: terra hæc est sicut Paradisus. Gen. 13. cap. Sodomæ & Gomorrhæ tractus, ob fertilitatem & amœnitatem Paradiso comparatur. Videt quantam Deus mutationem possit efficere. *Civitates istæ desertæ & desolatæ & dirutæ, munitæ habitabuntur.* Tres hic voces ponit idem ferè significantes, vt celeriter oppida hæc capta, & funditus euerfa declaret, quæ iterum muris munienda esse prædicit.

*Et scient gentes quæ derelictæ fuerint.* Qui ex inimicis illis gentibus supererunt (multi enim ab hostibus cæsi erant, & alias è viuis excesserant) vel inuiti cogentur agnoscere manum Domini. Quis enim putasset loca illa repurgari posse, vt idonea essent hominum habitationi? Homines quantumuis stupidi maximas & repentinas mutationes in Deum referunt. Nostro tempore multi vel inuiti confessi sunt, Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, Calvinum & alios, diuinitus excitatos contra pontificios, alioqu岸 fieri nequaquam potuisse, vt res tantas effecissent.

*Plantati desolata.* Plantandi metaph. significat Deum summa diligentia terram illam reparasse. Possumus his verbis etiam generaliter vti, Deum ædificare diruta, plantare desolata. Cùm res in summam desperationem abductæ videntur, Deus ex inopinato dexter nobis affulget, de quo postea.

*Ego Iehoua loquutus sum & feci.* Deus quod decreuit, effectum reddere potest: consilia eius sunt immutabilia. Deus dixit quòd per Christum Filium suum nobis propitius esse velit, non igitur est de hoc dubitandum, &c.

*Adhuc in hoc ero requisitus domui Israel vt faciam eis, &c.* Sensus est, Quærent me vel postulabunt à me Israelitæ, vt multiplicentur. Ad cùmulum, inquit, beneficiorum quæ in Israelitis conferam, etiam hoc accedet, quòd cùm postulabunt à me vt augeantur, eos exauditus sum. Hodie quoque Israelem, hoc est, Ecclesiam suam, exaudit: neque propter plurima quæ in nos confert beneficia à precibus abstinendum est, ne ipsi molesti simus: iubet enim passim in sacris Literis nos ab ipso, tam corporibus quam animabus necessaria postulare: gratissimumque ei est si ab ipso ea quibus indigemus, petamus.

*Multiplicabo eos hominibus sicut oves sanctæ, sicut oves Ierusalem in solemnitatibus eius, &c.* Similitudine ab ouibus sumpta ostendit quomodo multiplicandi sint. Ut oves fœcundæ sunt, & breui augentur: ita Israelitæ quoque multiplicabuntur. Deinde, ut in tribus solennioribus festis, oves sanctæ, hoc est, Deo consecratæ plurimæ Hierosolymam adducebantur, præsertim festo Paschæ, quo, ut ex Iosepho liquet, aliquando viceni, plerunque deni, simul agnum paschalem comederunt: sic tota terra Israelis hominibus implebitur. Fideles comparantur ouibus, propter fœcunditatem, simplicitatem, patientiam, & quod mactationi sunt destinati.

Ex hoc loco iterum videmus singulari dono Dei fieri, ut vrbes & regiones sint populosæ.

Impletio huius prophetiæ.

Videndum nunc quomodo hæc impleta sint. Secundum litteram, reduces ex Babylone valde aucti sunt, terramque suam repurgarunt & coluerunt. Secundum spiritum, gentes quæ quasi terra inculta & deserta fuerant, eò quòd Ministris carerent, qui eos ad fœcunditatem bonorum operum excolerent, post Christi aduentum per prædicationem Apostolorum, facti sunt fructiferi. In altero suo aduentu colliget Deus totam multitudinem credentium in vitam æternam. Ut in his terris pusillus sit grex, comparatione infidelium, tamen per se magnus est. In Apocalypsi quoque habetur numerosissimam esse fidelium turbam. Ex hac populi reductione, discimus hoc quoque, quòd Deus rebus quantumuis desperatis, publicè & priuatim possit consulere. Quis enim credidisset Israelitas captiuos posse restitui? Hoc Deo difficile non fuit. Similiter ex Ægypto suum populum eduxit. Hodie quoque oppressos bellis, fame, peste, si ad eum in mediis illis malis confugiamus, tam facillè potest erigere, quàm post ingentem tempestatem serenitatem reducere. Subitò magnæ & mirandæ mutationes eius prouidentia sunt. Priuatos quoque variis morbis, paupertate & aliis malis pressos, illos item qui cum desperatione luctantur, nullo negotio in integrum restituere potest & vult, si ipsis sit vrile. Si non in hac vita, tamen nouissimo die fideles suos ab omnibus malis & ærumnis liberatos consolabitur.



## Concio trigesimaquarta

EZECHIELIS.

HOMILIA CLIX.

*Vaticinatur de restitutione Israelis, proposita imagine vel parabola futura resurrectionis mortuorum.*



CAPVT XXXVII.

1 **H** *Vit super me manus Iehouæ, & eduxit me in Spiritu Iehouæ,*  
 2 *& quiescere fecit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.*  
 3 *Transire autem fecit me iuxta ea circumcirca: & en erant*  
*quàm plurima in superficie agri, & certè sicca valde.*  
*Et dixit ad me, Fili hominis, num viuent ossa ista? Et dixi,*  
*Domine Iehouah tu nosti.*

4 *Et dixit ad me, Vaticinare super ossibus istis, & dic eis, Ossa sicca audite verbum Iehouæ:*

5 *Sic dixit Dominus Iehouah ossibus istis, Ecce ego introire facio in vos spiritum, & viuetis.*

6 *Et ponam super vos neruos, & ascendere faciã super vos carnem, atque operiã vos pelle: ponam præterea in vobis spiritum, & viuetis: scietis que quòd ego Iehouah.*

7 *Prophetaui itaque sicut præceptum fuerat mihi: & fuit sonitus, me prophetante, & ecce commotio: & appropinquauerunt ossa, os ad os suum.*

8 *Et vidi, & ecce super ea erant nerui, & caro ascenderat, & obducta erat super illa pellis de super: spiritus verò non erat in eis.*

9 *Dixit præterea ad me, Vaticinare ad spiritũ, vaticinare inquam fili hominis, & dic ad spiritũ, Sic dixit Dominus Iehouah, A quatuor ventis veni o spiritus, & spira in interfectos istos, & viuent.*

10 *Prophetaui itaque sicut præceperat mihi, ingressusque est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis valde valde.*

**H** *Oc capite continetur CONCIO XXXIIII. Prophetæ, in qua idem* Summa capitulis.  
*ferè agit quod in superiore, & multis aliis, nempe liberandum esse populum Dei, ex diuturna captiuitate, & reducendum in patriam terram.*  
*Partes habet duas insigniores.*

In priore ostendit Deus Prophetæ typum resurrectionis mortuorum, vt Iudæos argumento inde sumpto consoletur. In posteriore, promittit se ex duobus regnis, nēpe regno Iuda & regno Israel vnicum facturum, id quod nequaquam futurum videbatur, nam perpetua inter eos bella fuerant: addit illud regnum vnicum Regem habiturum: vaticinans de Christo eiusque regno. Partes.

Occasio huius orationis hæc fuit. Dum starent Hierosolyma, Iudæi qui spõte cum Iechonia in exilium concesserant, fascinati à pseudoprophetis, sperabant urbem non euertendam, & se breui reducendos, quicquid Prophetæ dicerēt: postquam verò vrbs ab exercitibus Nabuchadonosoris euersa, & Templum quod pignus quoddã erat promissionum Dei, à Nabufardan principe rerum capitalium inflammatum fuit, animum tantum non desponderunt, putantes sibi in tristi & perpetua captiuitate versandum esse. Propheta itaq; Dei iussu, bono animo eos esse iubet, prædicens statuto tempore, ab exilio reducendos esse. Quia verò hoc impossibile esse videbatur, obiicit Deus Prophetæ visionem mortuorum, vt hoc argumento desperabundos erigeret: quasi dicat, Cur dubitatis de reductione vestri, cum Deus qui eam vobis promittit, arida ossa viuificare possit. Creditis resurrectura corpora, quod maius est: cur non creditis, vos restituendos in patriam, quod minus est, cum vtrunque Deus vobis promiserit? Creditam autem fuisse à Iudæis resurrectionem, hinc colligitur, quòd nunquam cum Christianis de hoc capite contenderunt, licet multas disputationes contra illos moueant. Occasio.

Vtilitas ca-  
pitis.

Martha Ioan. 11. cū Christus ei promitteret fratrem eius Lazarum excitādum esse, liberè respondit: Scio quòd resurget frater meus nouissimo die. Non autem solū restituendos dicit, sed in vnum regnū coalituros. Insigne est hoc caput & valde vtile. Ex eo enim primū discimus quæ sit carnis nostræ imbecillitas, si cōtra animi nostri sententiam magnis calamitatibus opprimimur: vel obliuiscimur promissionū Dei, vel parum eis credimus. Iudæi euerſa vrbe omnino actum de se putant. Eundē affectum videmus fuisse in discipulis illis Christi qui Emaunta die resurrectionis Dominicæ iter facientes, ad ipsū Christum dicunt, Nos sperabamus, eū esse illum qui redēpturus esset Israel. Atqui super hæc omnia tertius dies est hodie, quòd hæc facta sunt: ac si dicant, Falsi sumus nostra spe: ex euentu colligimus ipsū non fuisse Messīā. Rarò modum seruamus rebus secūdis & aduersis. Deinde discimus, quantūuis omnia deplorata videantur, potentiam Dei ob oculos ponere, & à maiore ad minus exemplo Prophetæ argumentari. In tentatione de victu necessario, cogitemus, nos virtute & volūtate Dei resurrecturos ad vitā æternam: non itaq; dubitandum esse, quin Deus, postulante necessitate, vitæ necessaria nobis daturus sit. Deus dedit Filium suū pro nobis, quis nō credat alia quoq; Deum nobis propter ipsius meritum daturū? Si orta persequutione omnia nobis interitū minētur, cogitatione resurrectionis non dubitemus Deū pacem & tranquillitatem reddere posse Ecclesiis: sin nobis corpore pereundum sit, iterum cogitatione resurrectionis, vt & alij martyres Dei, nos cōfirmemus contra omnia quæ nobis inferuntur mala. Adhæc in spe resurrectionis mortuorū ex hoc capite confirmamur. Plurimi sunt veteris & noui Testamenti loci qui de resurrectione testātur, vt Iobis 19. Iſa. 26. Dan. 12. Ioan. 5. 11. Mat. 22, 1. Cor. 15, 1. ad Theſ. 4. inter illos insignis est hic quoq;: nā quomodo corpora resurrectura sint, ostendit. Adde his, quòd Messīā ex hac cōcione rectè cognoscemus, & eius beneficia, de quibus Propheta cōcionatur. His præmissis, ad primā capitis partem aggredimur, in qua Propheta typus resurrectionis futuræ obiicitur, vt confirmet Israelitas dubitantes an fieri possit, vt ex captiuitate in patriam reducantur.

Primæ par-  
tis distribu-  
tio.

In prima hac parte, tria ordine indicātur: primo loco, Prophetam eductum in campum, mandatum accepisse, vt vaticinetur ad ossa & ad spiritum: secūdo loco obedientia ipsius: tertio, quid sequutum sit quando imperata fecit. *Fuit super manus Iehouæ, &c.* Propheta se spiritu deductum scribit in campum ossibus plenū vt quidam volunt, in illū ipsū in quo mysticam illam quadrigam viderat, de qua in principio libri audiuius. Ossa quæ vidit fuerūt multa & arida, in quibus nulla erat medulla, nihil viuidū, vt difficultas maior pristina vitæ recuperandæ exprimat. De cadaueribus integris, & succulentis maior esset spes, q̄ restitui in vitā possent, quā de ossibus nō cohærentibus & disiectis. Deduxit Prophetā circumquaq; vt oculis omnia notaret. Spiritu se actū dicit, partim quòd instinctu Dei, nō sensu, vel humano figmento ea vidit: partim quòd nō corpore, sed spiritu & mentis visione, illa ei ostensa fuerunt. Iudæorum aliqui, vt Oecolāpadius ad hunc locū annotat, affirmāt Ezechielē verè excitasse mortuos, quorū pleriq; in terram Israel reuerſi, ductis vxoribus, liberos sustulerint. Addūt vt sunt ingeniosi, Ephraemitas fuisse, qui liberationē anteuertentes, magno hominū numero in Chananæā profecti, à filiis Gad ad internecionem cæsi sint, quos post tot secula Ezechiel in vitam reuocarit. Coniecturā huius rei ex priore Paralip. petunt. Aliis huiusmodi fabulis referti sunt libri ipsorum: id quod propterea annoto, vt discamus quòd tandē delabātur homines, si Christum sibi non vnicū scopū proponāt. Christiani quoque auertentes aures à veritate, aniles fabulas sectati sunt. Nihil tam absurdū fuit & ineptum, quod Monachis & sacrificulis nō crediderint. Hanc visionem imaginariam fuisse, vt aliæ multæ, & huius & aliorum prophetarū, vel hinc colligitur, quòd ossa hominum tanta copia in illo campo tamdiu insepulta non iacuisent.

Et dixit

*Et dixit ad me, Fili hominis, num viuent ista ossa? Et dixi, Domine Iehoua, tu nosti.* Ad fidei illam tentationem, piè & prudenter respondet. Et si non dubitaret, quin in fine seculi resurrectura essent corpora (publica enim hæc fidei professio fuit) tamen non audacter affirmat, eò quòd incertus esset quid Deus de præsentibus ossibus facere constituisset: an ea hora excitare vellet necne: proinde rem ipsi committit. Exemplum nobis proponit, quod imitemur, si quis nobis de fidei capitibus scrupulus obiiciatur, nempe vt rem in Deum referentes dicamus, ipse nouit. Quin dicamus Deus hoc potest: est enim omnipotens. Propheta non dubitabat quin Deus corpora nouissimo die resuscitaturus esset. Si nos rerum naturæ consideratione occupati, illa de re dubitemus, oculos dirigamus in potentiam & veritatem Dei, vt securi de illa reddamur. Abrahamus vt dicit Apostolus Rom. 4. accepta promissione, præter spem sub spe credidit, se fore patrem multarum gentium. Ac non infirmatus fide, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cum centum ferè natus esset annos, nec emortuam vuluam Saræ: verum ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat idem potens esset & præstare, &c. In tentatione fidei ad omnipotentiam Dei, tanquam in arcem munitissimam confugiendum est. Hoc verò loco illi abutuntur, qui obtrudentes nobis dogmata pugnancia cum capitibus fidei, & tota sacra Scriptura, exigunt à nobis, ne de eis dubitemus. Vt qui dicunt, in Eucharistia transubstantiari panem & vinum, in corpus & sanguinem Christi, virtute verborum quæ à sacerdote pronuntiantur, clamant cum Sanctis dicendum esse: Et si hæc pugnent cum ratione humana, tamen quomodo fiat Domine tu nosti. Dominus verò scit & apertè dicit hæc nos fieri, quæ illi affirmant. Non igitur debemus loquenti in nobis Spiritui sancto contradicere. Si aliqua de re certi sumus, vt puniendos esse hostes Dei, sed de modo & tempore sumus incerti, & aliqui interrogant quando hoc vel illud futurum sit, aut nobis sponte talis cogitatio obrepit, dicamus, Deus nouit. Si dubitemus an euenturum sit, dicamus, Deus pœnam impijs comminatus est, ideo eos puniet, iustus enim est, verax & omnipotens.

Potentiam  
Dei nouit,  
voluntatem  
ignorauit.

*Vaticinare super ossibus istis.* Mox dicet, Ad spiritum quoque vaticinandum esse. Quare, dicis, Prophetæ præcipitur, vt vaticinetur & loquatur cum stupidis illis ossibus, quæ nihil vel audire vel intelligere potuerunt? Perinde fuit ac si quis parieti aliquid dicere velit. Respondemus, omnia quantumuis inaninata & sensus expertia Deo vocanti obedire. Christus Ioan. 5. cap. bis dicit, Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & prodibunt. In sepulchris sunt ossa & cineres defunctorum, qui ac si audiant vocem Christi resurgent. Ioan. 11. capite Lazarus ad vocem Christi surrexit. Ad vocem Archangeli & tubæ Dei surgent ossa quæ nihil audiunt nec sentiunt, 1. Corinthio. 11. Apostolus ad Rom. 4. dicit, Deum vitæ restituere mortuos, & vocare ea quæ non sunt, tanquam, vel, vt sint. Quid verò vaticinari ac loqui ossibus aridis debuit: de spiritu postea dicet.

*Ecce ego introire in vos facio spiritum & viuetis, &c.* Promittit eis quòd viuificanda, & singula suis locis reponenda sint. Resurrectionis ossium ordinem & dispositionem diligenter ostendit. Primùm ossa iungenda dicit ossibus: deinde quasi neruis inuicem colliganda esse: mox carne implenda, & partibus suis interioribus: tandem carnem ne fœda sit aspectu, cute obducendam esse.

*Prophetæ igitur sicut præceptum erat mihi, &c.* Secundo loco se audita loquutum esse dicit: mox repetet, se ad spiritum quoque sermonem direxisse. Potuisset dicere, quid loquerer ossibus aridis, quid spiritui? sed intuetur in auctoritatem præcipientis. Parere nos quoque Deo vocanti atque mandanti debemus: &

contra certum eius verbum nihil afferre. Quis herus ferat, si famuli diu de mandatis suis velint disceptare? Fecit autem omnia, sicut in mandatis habebat. Non fecit ut Saul, qui quædam secundum Dei verbum, quædam suo arbitrato fecit.

Tertio loco sequitur effectus. *Et fuit sonitus me prophetante, & ecce commotio & appropinquauerunt ossa, os ad os suum.* Dum loqueretur Propheta, ossa motus atque sensus expertia, sonitum edunt, & loco mouentur, *si scihend an rumplen vnd sich roden*, atque coalescunt, singulis ad suum in corpore debitum locum, iussu Dei redeuntibus: caput, brachia, pedes, costæ, spina dorfi, &c. Per vocem quæ audita est, quidam tonitrua intelligunt, per commotionem, terræ motum. Quia in præclaris Dei operibus, hæc edita esse non semel legimus. Cùm lex lata est, tonitrua & fulgura audita & visâ sunt, terrâq; tremuit. In morte & resurrectione Christi, terræ motum magnum factum esse, Euangelistæ testantur. Testatur his Dominus, se Dominum esse cœli & terræ: quæ obtemperatura sit repositi mortuos.

Qualis resurrectionis futura sit.

Colligimus ex his verbis, qualis resurrectio carnis futura sit vltimo die. Ad vocem & imperium Dei incunctanter ossa ossibus iungentur, colligabuntur suis vinculis, carnibus & cute vestientur: unicuique suum, non alienum corpus reddetur. Quid verò de illis corporibus fiet, inquis, quæ in fauillas & cinerem redacta, quæ à feris dilacerata, & mille in partes distracta sunt? Restituentur & illa virtute Dei. Apocalyp. 20. cap. in descriptione nouissimi iudicij, dicitur, Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt eos, qui in ipsis erant, &c. Deo non est difficile, nobis nostra corpora reddere. Ipse dixit, Fiat lux, & facta est, &c. Ut è nihilo cuncta creauit: sic in puluerem & propè nihilum redacta corpora, denuò recreare & reficere potest. Creaturus hominem, non dixit, Fiat homo, sed puluerem vel lutū accepit de terra, & ex eo hominis corpus formauit. Ille ipse Deus promittit nobis resurrectionem corporum nostrorum: potest igitur corpus quod in puluerem redactum est, tam facile nobis restituere, quàm facile primum hominem ex terra formare potuit. Habemus multas imagines resurrectionis. Verò tempore omnia videntur arida esse, vites, arbores, herbæ: perflantibus verò fauoniis, mox omnia reflorescunt. Migrantes ex hac vita oculos intendamus in potentiam Dei, & simulachrum hoc resurrectionis mortuorum à Propheta propositum.

Spiritus accipitur pro anima quæ corpora viuificat.

*Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dic ad spiritum.* Propheta primum audit à Domino quid ad spiritum loqui debeat, mox audita loquitur, tertio sequitur effectus. Corpora fuerunt integra, sed quia vita destituebantur, trunci instar iacuerunt: sequitur quomodo spiritu accedente, eo animata vixerint. Vox *רוּחַ* variè accipitur, pro Spiritu sancto, pro Angelis bonis & malis, pro anima, pro vita animali, pro vento, pro habitu, &c. Hinc fit ut non sit vna huius loci interpretatio. Per spiritum animam rationalem hoc loco accipiendam, orationis series ostendit. Theodoretus dicit, Propheta præcipit, ut iubeat omnes animas, vbicunque sint redire, & sua rursus corpora habitare. Animæ vtitata est illa in scholis definitio, quod sit spiritus intelligens, qui est altera pars substantiæ hominis, nec extinguitur cùm à corpore discessit, sed immortalis est, de quo iam dicā. Interpres annotat Prophetam hoc loco agere de sanctorum, non de impiorum resurrectione. Quia soletur venturo gaudio & requie afflictos, non terreat iudicio gehennæ improbos: deinde quod ossa viuificata dicantur esse domus Israel, pios autem verè esse domum Israel. Sed parum refert: nam si hoc loco non fit mentio resurrectionis impiorum, tamen alibi Sacri scriptores eius meminerunt. Acto. 24. Paulus coram Felice præfide disertè dicit, tam iniustos quàm iustos resurrecturos esse.

*A quatuor ventis veni o spiritus & spira in interfectos illos, & vident.* Per quatuor

tuor ventos, hoc est, Ortum, Occasum, Meridiem & Septentrionem, comprehendit omnia loca & itinera. Animæ piorum cum discesserunt à corpore, redeunt ad illum qui eas illis indidit. In resurrectione mortuorum, redeunt à supremis cœli sedibus per varia itinera ad sua corpora, eò quòd non in certo aliquo loco orbis terrarum congesta sint, sed per omnes eius plagas dispersa. Ad hunc locum Christus videtur alluisse; Matth. 24. Mittet Angelos suos cum tubæ voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum. Impiorum animæ ex tormentis inferni ad cadauera sua redibunt. Propheta ad illud quoque respicere videtur, quòd captiui ad quatuor orbis partes dispersi erant, ex quibus reducendos significat. Moyses quoque in Deuteronomio Iudæis resipiscens, restitutionem à quatuor orbis partibus promittit. Per interfectos non illos solum intelligit, qui hostili manu ceciderunt: sed qui mortificantes carnem suam, in fide Messia decefferant. Occisos vocat ut vehementius eos consoletur. Hodie quoque hic locus illos erigere debet, qui occiduntur propter veræ fidei professionem. *Suffla in illos ut vivant.* Iubet spiritum spirare in illos interfectos, hoc est, viuificare eos. Sufflandi verbo videtur alludere ad id quod Deus Adamo animam insufflauit.

Ex hoc loco Prophetæ tria colligimus quæ maximi sunt momenti. Primum est animas hominû illis nō innasce, sed de foris à Deo inspirari eis, & in resurrectione illas de foris ad eos remitti, quibus viuant, intelligant & moueantur. Propheta enim aduocat spiritum qui corpora agitet & moueat. Paulò ante dixit Dominus ad Prophetam, Ecce ego introire facio in vos spiritum & viuetis: mox, Ponam in vos spiritum & viuetis. Iam ex quatuor orbis partibus spiritus corporibus inditur: ut Deus Gene. 2. cap. legitur inspirasse in faciem Adami spiraculum vitæ: ita quibusque hominibus deinceps animas inspirat: quando verò afflet animam homini, & de aliis id genus quæstionibus, subtiliter in cœtu sacro disputare non est vile.

Anima foris afflatur homini à Deo

Alterum est, quòd anima res sit separabilis à corpore, & superstes cum ab eo discessit. Si anima in auras euanesceret, & cum corpore interiret, Propheta non eam vocaret, ut in corpus rediret. Mat. 10. dicit Seruator noster, Corpus occidit, animam verò occidere non possunt: anima igitur extincto homine viuunt. Lucæ 16. Lazarus deportatur in sinum Abrahamæ, Matth. 17. Christus cum Moysse loquutus est qui mortuus erat & sepultus. Matth. 22. in disputatione cum Sadducæis: Deus non est mortuorum sed viuentium: sancti igitur quorum Deum se esse profiterentur, viuunt. Licet corpora eorum sepulta sint, animæ tamen sunt in sinu Abrahamæ. Christus ad latronē dicit, Hodie mecum eris in Paradiso. Paulus, Cupio dissolui & esse cum Christo. D. Stephanus spiritum suum vel animam commendat Christo, ergo exhalans anima non dissipatur. Meliores etiam ex Ethnicis animas dixerunt superstitas esse. Hæc firmiter contra Epicuræos furores retinenda, & quæ de morte animarum dicuntur, metaphoricè accipienda sunt.

Anima sepa- rata à corpore non interit

Tertium est, quòd anima à quatuor plagis, hoc est, vbicunque fuerint, ad sua corpora vltimo iudicio reducturæ sint. Cum primùm à corpore discesserint, ad sua loca delatæ, vel lætitia vel dolore afficiuntur, sed vltimo die iterum coniunguntur corporibus, ut integer homo vel fidei suæ fructum percipiat, vel infidelitatis det pœnas. Discimus item quàm facilia sint omnia Diuinæ potestati si velit, omnia in manu eius sunt: in manu eius est anima omnium viuentium; Jobis 12. c. Diuino verbo & nutui, rerum obsequitur natura.

Animæ redibunt ad sua corpora

*Prophetam igitur sicut mihi præceperat.* Iterum exemplo Prophetæ monemur, ut Deo obediamus, generatim & in specie nobis officium nostrum præscribenti. Ministri verbi quæ iussi sunt verba proferant. *Ingressusque est in ea spiritus & vi- xerunt.* Cum primùm anima redit in corpus, homo mouetur. Sic Adami corpus

primùm formatum est, deinde in ipsum anima inspirata, vt moueri possit. *Stere-  
runtque super pedes suos exercitus grandis valde, valde.* Repetitio hæc rē amplificat. Et si  
vt quidam, hunc locum tantùm de sanctorum resurrectione ex mortuis intelliga-  
mus, magnus tamen ipsorum numerus existit. Apocalypsis 7. cap. per partes recē-  
sentur obfignati ex omni genere hominum. Deus bone quantus erit illorum sal-  
tem exercitus, qui ab illo tempore quo Euangelium reffloruit, hinc inde propter  
veræ doctrinæ confessionem, ab Antichristo interfecti sunt: vt nihil dicam de pri-  
scis illis martyribus. Si verò dicamus visionē oblatam Prophetæ vniuersalis etiam  
impiorum resurrectionis, quantus erit exercitus, si omnes ad Christi tribunal  
compareant: numerosissima erit turba, omnium illorum quotquot ab Adamo ad  
illum vsque diem, vel naturali vel violenta morte, extincti sunt. Superuacanea au-  
tem est illa quæstio, quo in loco congregandi sint homines, deinde quomodo tot  
myriades hominum, iudicem visuri sint. Qui in valle Iosaphati colligendos di-  
cunt, Joelis loco non rectè intellecto nituntur. Cur verò curiosè disputaremus  
quomodo Christus conspici possit, cum omnes etiam procul à nobis distit. So-  
lem, qui creatura tantùm est, nobiscum videant: Quid obstat quò minus Christus  
magna gloria rediens efficiat, vt omnes eum videant?

Ignotū per  
ignotius nō  
probanur.

Non desunt nostro tempore, qui negent hunc locum ad resurrectionem  
mortuorum pertinere, in hoc Iudæis cæciores, qui non diffitentur eam ex hoc  
loco colligi. Argumentum à maiori ad minus dicunt isti belli homines, non vale-  
re si quod accipitur vt maius, fuerit incertius, vel æquè dubium atque id, quod tã-  
quam minus infertur. Atqui resurrectionem mortuorum incertiolem vel æquè  
dubiam esse, atque restitutionem Iudæorum in suam terram. Sed sciendum est  
resurrectionem mortuorum fidelibus Iudæis, non quidem natura seu sensu, ve-  
rum fide certam fuisse, cuius lumine mentibus nostris clara fiunt, quæ sensui ac  
rationi humanæ sunt obscura. Deinde dicunt imaginariam tantùm esse visionem,  
quasi verò ideo non possit ex ea colligi argumentum futuræ resurrectionis: obii-  
ciunt D. Hieronymū hunc locum non exponere de resurrectione: respondemus,  
hunc patrem hoc tantùm dicere, quòd consilium Prophetæ non sit agere de re-  
surrectione, non tamen inficiatur quòd per illam probet reductionem Israelis in  
patriam terram. Theodoretus etiam dicit hæc non solum reuocationis in pristi-  
num statum Iudæorū, sed etiam resurrectionis omnium hominum figuram esse.  
Confutationem pleniorẽ illorum inuenies in commentariis Petri Martyris su-  
per 2. lib. Regum cap. 4. in tractatione loci cōmunis de resurrectione mortuorum.  
Nos hinc videmus, has esse artes sathanæ, vt locos manifestos de resurrectione  
mortuorum, diuinitate Christi, & aliis fidei capitibus, per Seruetanos, & alios, piis  
hominibus ex manibus extorqueat. Vigilandum itaque est contra hostis insidias.

## HOMILIA CLX.

*I* Israelitas quasi ex sepulchris educendos, &  
in patriam reducendos va-  
ticipatur.

11 Et dixit ad me, Fili hominis, ossa ista vniuersa, domus Israel sunt: en dicunt,  
Aruerunt ossa nostra & perit spes nostra, succisi sumus nobis.

12 Propterea vaticinare, & dic ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego ape-  
rio tumulos vestros & educam vos è tumulis vestris, populus mi, & adducam in ter-  
ram Israel.

13 Et scietis

13 Et scietis quòd ego Iehouah quum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos è tumulis vestris populus mi.

14 Ponámque Spiritum meum in vobis, & viuetis & requiescere faciam vos super terram vestram: & scietis quòd ego Iehouah loquutus sum, & feci: dixit Iehouah.



Habuimus visionem Prophetæ de resurrectione mortuorum, iam applicat eam suo proposito. Vel vt aliter dicam, habuimus *θεωριον*, subiicit nunc *ἀποδοσιν*. Summa est argumenti, Vidi quòd Deus mortuos resuscitat, cur ergo desperatis, quòd viuentes in patriam vos possit reducere? Videamus primùm explicationem verborum huius vaticinij, deinde quomodo impletum sit, postremo quis vsus sit horum verborum. Summa:

Ossa ista vniuersa domus Israel sunt, hoc est significant vel repræsentant. Theodoretus dicit, Figura sunt, nò enim ossa illa reuera erant domus Israel, sed eam referebant. Tales loquendi formulæ subinde recurrunt in sacris Literis, in quibus (est) idem valet atque significat. Ad hunc ordinem pertinent etiam verba Christi, Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, in quibus aliqui ex vetustis patribus verbum Est per Significat exposuerunt: quare qui Zuinglium hæc verba ita interpretantem, nouam expositionem & veteribus incognitam proferre dicunt, vel suam incitiam, vel malitiam produnt. D. Ambrosius 1. Corinthiorum 11. cap. Quia morte Domini liberati sumus, inquit, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinè quæ pro nobis oblata sunt, significamus. D. Aug. lib. Quæst. 3. in Leui. quæst. 57. Restat, inquit, vt illud appelleretur anima, quod significat animã, solet autè res quæ significat eius nomine quã significat, nuncupari. Sicut scriptũ est, Septè spicæ septè anni sunt, & multa huiusmodi. Hinc est quod dictũ est, Petra erat Christus. Non enim dixit, petra significat Christum, sed tanquã hoc esset, quod vtique per substantiã hoc non erat, sed per significationẽ. Sic & sanguis quoniã propter vitalem quãdam corpulentiam animam significat, in Sacramentis anima dictus est. Idem Pater contra Adimantum Manichæum 12. cap. Sic est sanguis anima, inquit, quomodo petra erat Christus. Et iterum, Possem etiam præceptum illud (nimirum de sanguine anima pecoris) interpretari in signo esse positum. Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui. Fulgerius scribit, Hic est calix nouum Testamentum, id est, vt hic calix quẽ vobis tradò, nouum Testamentum significat, &c. alij per signum vel figuram interpretantur. Hæc metonymiæ species, qua signum pro signato ponitur, vsitata est in omnibus linguis: imaginem Petri, Petrum appellamus: insignia Regis Franciæ, Regem Franciæ. Nemo tam crassus est, qui has loquutiones non intelligat. At nostri aduersarij dicunt, Christum cum ad supplicium duccendus esset, & res maximè seria ageretur, hoc Sacramentum vel Testamentum instituisse, ideoque non tropicè loquutum esse: homines quoque non tropicè loqui, cum hinc excedendum est, aut cum Testamentum est condendum. Quid audio? nunquã mne aliquis letali mórbo oppressus suis dixit, Afferte mihi fontem, aut quid simile? Non dicam quibus tropis Seruator noster in itinere ad montem oliueti, vsus sit, nihil de hoc dicam quod in seriis & ardentibus illis precibus dixit, aufer calicem hunc à me, tantum de illis verbis dicam, quæ in ipsa cruce protulit: Nonne Ioan. 19. dixit matri suæ, Mulier ecce filius tuus: deinde discipulo suo dixit, Ecce mater tua? Quis nisi Heluidiano errore imbutus, in his verbis tropum non agnoscit? Ad latronem dixit, Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, vt interpretamini, in loco quietis & gaudij, sumpta nimirum metaphora à terrestri Para-

Est idem va-  
let quod sig-  
nificat.

diso. Nouissima verba quæ in cruce pretulit, hæc fuerunt: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: in quibus nisi tropum admittas, in Antropomorphitarum fœdum errorem incidet. Sed hæc obiter. *Aruerunt ossa nostra*, hoc est perit robur nostrum, vel tristitia contabuimus. Spiritus tristis, Prouerb. 17. cap. siccat ossa. *Periit spes nostra, succisi sumus nobis*, hoc est, malo nostro. Voces sunt desperatium: Actum est de nobis, funditus periiimus. Quam diu stetit templum, sperabant se redituros in patriam, euerfo illo, desperabant de reditu, perinde ac si iam mortui ac sepulti essent.

*Ecce ego aperio tumulos vestros, & educam vos, &c.* Non hoc vult dicere, quod illi qui in captiuitate è viuis excesserant, resuscitati in terram Chanaan reducendi sint (vt Iudæi quidam literæ inhærentes, hunc locum intellexerunt de quo supra) sed sepulchra vocat captiuitatem Babylonicam, & duram sub tyrannis seruitutem: item summam illam ad quam redacti erant, desperationem de reditu suo in patriam. Promittit autem se educaturum illos de sepulchris illis, hoc est, de terra in qua velut in carcere erant (fortassis quidam nobiliores in carceribus detenti fuerunt) se calamitosam seruitutem relaxaturum, aperturum viam reditus ipsorum in terram patriam.

*Et scietis quod ego Iehouah cum aperuero sepulchra vestra.* Iterum repetit monumenta aperienda, vt eos confirmet: etsi & ipsimet & alij de reditu eorum desperarint, tamen contra omnium expectationem restituendos dicit. *Populus mi.* Obseruandum est, quod Iudæos, quibus hæcenus tot scelera exprobrauit, bis hoc loco populum suum vocat. Etsi enim plerique magnis vitiis laborarent, supererant tamen piorum reliquæ. D. Paulus Corinthios inter quos tot errores grassabantur, 1. Corinth. 1. Ecclesiam Dei, 9. cap. sigillum sui Apostolatus appellat: ita Galatas quoque Ecclesiam vocat, quibus interim vitio vertit, quod per pseudoapostolos seducti à veritatis tramite deflexerint. Non igitur populo Dei ob admixtos malos, hic titulus adimendus est. Alieni à Christo piis admixti specie tantum non reipsa sunt membra Ecclesiæ. Erunt semper zizania in bono agro: proinde non dubitemus nos illis cœtibus adiungere, in quibus rectè docetur, sacramenta rectè administrantur, & aliqua disciplina conseruatur. Optare quidem licet puram Ecclesiam, sed aliquid semper impuri admixtum erit. Anabaptistæ suos cœtus incorruptos esse somniant, cum aliis quorum consuetudinem fugiunt, sint multo peiores.

*Ponamque spiritum meum in vobis & viuetis, & requiescere faciam vos super terram, &c.* Nunc planè attoniti, & metu consternati estis, indam igitur vobis spiritum alium, vt viuatis & hilares sitis. Deus non solum dat homini spiritum vitalem, sed & spiritum adoptionis, &c. *Loquutus sum & feci.* Deus quæ promittit & minatur, reipsa præstat. Si id quod vobis multò difficilius videtur, dicit Theodoretus, admodum facile à me fieri posse ostendi, sanè perspicuum est, hoc item me facillimè & nullo negotio facturum, qui vos è captiuitatis vinculis veluti è quibusdam ergastulis eductos in propriam patriam reducam.

Quomodo impletum sit hoc vaticinium.

Videamus nunc quomodo hæc impleta sint. Aliquoties monuimus, promissiones de restitutione Israelis: partim historicè secundum literam: partim spiritualiter exponendas esse. Quando monarchia Babylonica ad Medos & Persas translata fuit, Deus Cyri regis Persarum cor permouit, vt Iudæis qui iure belli ad ipsum pertinebant, reditum in patriam concesserit. Christus missis suis Apostolis in orbem vniuersum, Israelitas, id est, electos ex sepulchris, hoc est diuersiis meretricum & idolis, omnique scelerum genere in lucem extraxit, Spiritu suo eos donauit, vt ipsi viuerent, vtque corda arida vegetaret. In ultimo demum iudicio, Israelitas, hoc est, omnes electos congregabit, mortuos excitabit, vt patriam æternam occupantes, tuti sint ab omni malorum metu.

Restat



Restat vt de vsu huius loci paucula quædam adiiciamus. Primùm colligimus Deum suos interdum in tantas angustias conuicere, vt nesciant quò se vertere debeant: vtque nihil nisi mors eorum oculis obuersetur: non quò odio eos habeat, sed vt fidem eorum exerceat, &c. Israelitæ hoc loco, suo ipsorù iudicio actû de se putant. Non igitur immerfî malis dicamus, Nemo vnquam tanta mala expertus est.

Vfus huius  
vaticiniij.

Deinde colligimus quæ sit nostra imbecillitas. Rebus florentibus præsentis status fœditati nimium fidentes, de rerum vicissitudine non cogitamus. E diuerso coniecti in magnas miseras, vix & ne vix quidem nos in integrum restituendos speramus. Iudæis rebus integris, Prophætæ frustra de vrbis & templi excidio concionabantur: euerfa vrbe, animum profus despondebât, obliui promissionis, potentia & veritatis diuinæ.

Adhæc discimus, Deum rebus afflictis, electis suis præstare quæ eis promissit, & si vtile sit eos quasi ex squallore carceris in iucundissimam lucem educere. Vtcunque desperata sint mala, Deus potest & vult si nobis vtile sit ea auferre, si minus, patientiã nobis concedere: non desunt ei infiniti modi. Innumeris exëplis hæc illustrari cùm possint, nos vnum & alterum attingemus. Deus populû suum in Ægypto priuilegiis suis spoliatum, grauique tyrannide oppressum, nonne in libertatem vindicauit? Discipulis suis qui in extremum vitæ periculû deuenerant, Matth. 14. subitò auxilium tulit: post crucis supplicium metu disperfos collegit. Iobum qui liberos, opes, bonam valetudinem amiserat, in integrum restituit. Dauidem in exilium pulsûm reduxit. Discamus itaque neque in publicis neque in priuatis malis, vel de nostra, vel de aliorum salute desperandum esse. Vexati diuturnis bellis, fame, peste, morbis, aliisque calamitatibus confecti & oppressi, non desperemus, sed animum erigamus promissionibus auxiliij Diuini, & liberationis exemplis. Imprimis mole peccatorum pressi, cogitemus, Deum his quoque malis finem daturum esse. Cùm piorum res in densas calamitatû tenebras adductæ sunt, tum cælestis auxiliij auroram ipsis subitò oriri, supra quoque diximus.

Priusquam hinc discedamus, causam adiiciam cur sanctus Vates à resurrectione mortuorum potius, quàm ab alia quapiam re, vt facere poterat, simile deduxerit. Nimirum vt oblique demonstraretur illam restitutionem è terrena captiuitate, non fore perfectam & absolutam eorum tranquillitatem, & beatitudinem, abque resurrectione interposita.

HOMILIA CLXI.

*¶ Prædicit in aduentu Christi duo ligna vel  
sceptra in vnum imperij corpus  
coniungenda esse.*

15 Rursus fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo,

16 Et tu fili hominis, cape tibi lignum vnum, & scribe in eo, Iehudæ, & filiis Israel sociis eius. Deinde tolle lignum alterum, & scribe in eo, ipsi Ioseph arbori Ephraim, & cunctæ domui Israel sociorum eius.

17 Et adunge ea alterum ad alterum, vt sint lignum vnum: eruntque vnum in manibus tuis.

18 Et quum dixerint tibi filij populi tui dicendo, An nõ indicabis nobis quid ista tibi?

19 Loquere ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego assumo lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israel socias eius, & ponam eas cum eo, cum ligno Iehudah, & faciam eas in lignum vnum, eruntque vnum in manu mea.

20 Sint autem ligna in quibus scribes, in manu tua in oculis eorum.

21 Et loquere ad eos, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego assumo filios Israel è gentibus ad quas abierunt, & congregabo vos vndique, venireque faciam eos in terram suam.

22 Et faciam eos in gentem vnā in terra, in montibus Israel: atque rex vnus erit vniuersis ipsis in Regem, nec erunt vltra duæ gentes, neque diudentur in duo regna amplius.



Hoc vaticinium de restitutione Israelis in terram Chanaan, duas habet partes, vt ab initio capituli annotaui, prima (quam hætenus audiimus) continet visionem Prophetæ de resurrectione mortuorum, qua mentes Iudæorum consternatas confirmat & erigit, ne de reductione sua desperent. Altera, quam nunc audiemus, ostendit duo regna deinceps vnienda esse, vt vnum regem habitura sint, quod profus incredibile videbatur, nam vt lupus ab agno diffidet, ita hæc duo regna inter se inuicem diffidebant. Ad meliorem huius partis intelligentiam, historia de diuisione regni Israelis paulò altius repetenda est. Populus Dei pertæsus formæ gubernationis à Deo constitutæ, regem postulauit: Deus illis assensus, mutauit Aristocratiam in Regnum, & onera regni eis prædixit. Primus rex quem eis dedit fuit Saul. secundus Dauid, tertius Salomon. Is ornatus à Deo excellenti sapientia, opes ingentes collegit, templum celeberrimum extruxit, tandem vxorum (quas contra Dei præceptum duxerat) blanditiis captus, ipsis templa extruxit, in quibus idola coluerunt. Hinc Scriptura ei exprobat, quòd idololatriam exercuerit. Hæc causa fuit dilacerationis regni, quæ postea sequuta est, i. Regum 11. capite. Iustum autem erat Dei iudicium, vt qui ab eo defecerat, subditos rebelles experiretur. Ipsi adhuc viuenti Deus cum alios, tum Ieroboamum, qui ædificio templi ex præfæctis operibus vnus fuit, hostem excitauit. Solomoni successit in regno Roboam filius, qui cum spretis seniorum consiliis, leuationem publicorum onerum admittere non vellet, decem tribus ab eo defecerunt, & Ieroboamum, recens ex Ægypto, in qua metu Solomonis latuerat, reuocatum, Regem cõstituerunt. Tribus vero Iuda & Benjamin, in fide domus Davidis perstiterunt. Regnum igitur, quod hætenus vnicum fuerat, in duo fuit distractum. Alterum regnum Iudæ, duarum tribuum, Hierusalem & Davidis appellatur. Alterum ex magna populi parte, antiquo nomine regnum Israelis, decem tribuum, Ephraim, Ioseph, Samariæ. Illa dilaceratio regni, ingentia mala peperit, fuerunt enim inter eos bella ciuilia assidua: & quanquam foedere aliquando coniungerentur, tamen non erant firma. Auxit odia religionis diuersitas, quæ hac occasione inuecta fuit. Hieroboam initio regni sui metuens, ne si populus ad solennia festa secundum legem Dei, Hierosolyma ascenderet, iterum domui Davidis coniungeretur cõtra Legis præscriptum, in suo regno duobus celebribus locis, nempe in Bethel ad Meridiem, & in Dan ad Sept. templa extruxit, in quibus vitulos aureos collocauit, & propositis edictis vetuit, ne quis porro Hierosolyma iret in templum, sacerdotes ex omnibus tribubus præmiis attrahens. Faciebat autem hæc omnia astuto consilio, vt regnum in sua familia retineret, sed hæc ipsam ob causam Deus posteritatem eius deleuit. Ab hoc rege acceptam idololatriam Reges qui eum sequuti sunt, mordicus retinuerunt, id quod seminarium quoddam fuit discordiæ vtriusque regni, & tandè causa excidij.

Propheta

De bipartito regno.

Propheta nunc vaticinatur, Israelitas non solum liberandos: sed & coalituros in vnum sceptrum, hoc est, regnum legitimum. Id quomodo impletum sit, postea dicam, Vt verò alius suum hoc vaticinium metibus infigat, Chriam mixta adhibet, quæ tam oratione quàm actione constat. Prophetæ enim iussu Dei, vt alibi quoque in his commentariis admonuimus, non tantum nudis & simplicibus verbis quid futurum esset indicarunt, sed etiam frequenter Chriis vsi sunt, eò quòd vtilissimæ sint (vnde & nomen apud Græcos inuenerunt,) ad docendum demonstrandum, permouendum & imprimendum res quas commendatas volumus. Hinc Horatius dixit,

Segnius irritant animos demissa per aures,  
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

1. Regum 11. cap. scribitur quòd Achias propheta incidit in Ieroboam venientem Hierosolymis, nouamque vestem sciderit in duodecim scissiones, iussitque illum sibi accipere decem, eò quòd Dominus dixisset, se laceraturum regnũ & ipsi daturum decem tribus, &c. Christus in nouo Testamento Chria vsus est. Nam Matth. 18. cap. & Ioan. 13. producendo in medium discipulorum altercantium de principatu, puerulum, & abluendo pedes discipulorum, humilitatem eis commendat. Gentiles quoque Chriis vsi sunt. Lucius Tarquinius apud Liuiũ, decussis summis papaueribus, Sexto Tarquinio filio suo significauit, quid apud Gabios faciendum esset. Alias Chrias in oratione, alias in factò, alias in vtroque versari, ideoque mixtas dici, notum est ex libris Rhetoricis. His explicatis descendamus ad verba Prophetæ, in quibus Chria vel paradigma illud primùm oculis subiicitur: deinde verbis explicatur. *Cape tibi signum vnum & scribe in eo, Iehudæ & filius Israel socius eius.* Iubet Prophetam duo ligna videtibus Israelitis, vt postea sequetur (quidam tabulas ligneas, quidam, vt Septuaginta interpretes, virgas vel scepra intelligunt) accipere, quæ in manu ipsius coalescant. Priori tabellæ iubet eum inscribere, quòd Iudæ sit, atque filiorum Israel, qui ipsi socij sunt, vel qui cum illo consentiunt. Per filios Israel intelligit tribum Benjamin, quæ in legitimi regis obedientia perseuerauit: deinde tribum Leuiticam ex qua multi Hierosolyma se contulerant, item alios viros pios qui ex decem tribubus Israelis, vel sua sponte ad tribum Iuda confugerant, vel compulsi à rege, quòd vitulos aureos nollēt adorare.

Deinde tolle lignum alterum, & scribe in eo, *Ipsi Ioseph lignum Ephraim, & vniuersa domui Israelis socius eius.* Præcipit ei vt alteram tabellam sumat, cui similiter inscribat, quòd Iosephi siue Ephraim sit, & reliquarũ tribuum Israelis, qui ipsi socij sint. Per Ioseph intelliguntur decem tribus, quæ lignum Ephraim dicuntur, eò quòd Hieroboamus, qui diuiso regno primus Israeli imperauit, ex tribu Ephraim filij Iosephi, oriundus fuerit.

Et adiunge ea alterum & alterum, vt sint lignum vnum: eruntque vnum in manibus tuis. Iubet duo illa ligna ita committere, vt vnum sint, vtque coniungantur in manu eius. Si de tabellis intelligas, fieri potest, vt alteram alteri conglutinare iusserit, si de scepris voluit vt vnita & cõiuncta in manu gestaret, quidã miraculo coaluisse voluit, quod nolo negare, cum Deus Israelitis persuasissimũ esse voluerit diuersa regna in vnum corpus coalitura. Quid cum virga Moïsi, quid cum Aaronis acciderit, notum est. Quanquam illos non probo, qui ad miracula confugiunt, vbi non est necessarium. *An non indicabis nobis quid ista tibi?* Deus mādāt Prophetæ, vt hanc Chriam si rogarent quid sibi vellet, eis explicaret: solet enim quæ obscura sunt, passim interpretari, vti alibi dictum est.

Parabolam  
vel Chriam  
explicat.

Ecce ego accipio lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribum Israel sociorum eius, & ponam eas ad illud, &c. nempe ad lignum Iuda, vt ex eis lignum vnum faciam. Significatur quòd regnum Israelis adducendum sit ad regnum Davidis, à quo diuisum erat, sublati simulatibus, quòdque duo populi coniungendi sint,

vt non vocentur Iuda & Israel, sed vno nomine Iudæ appellentur, & vnus regis imperio regantur, hoc est, vt omnes tribus ipsi Iuda communi consensu obediat. *Eruntque vnum in manu mea*, hoc est, Ego mea manu, mea potētia, efficiam, vt vnanimis vnum regem agnoscant. Deus efficere potest, vt homines quantumuis discordes, mutuò in gratiam redeant: id quod præcipuè fit, si animi in vera religione coniungantur, quanquam pauci sunt nostris temporibus qui pacem & concordiam inter homines propagatione veræ doctrinæ, conciliare conentur, alias vias & rationes quærunt, quibus tamen hoc quod volunt, non efficitur. *Sunt autem ligna in quibus scribes, in manu tua in oculis eorum.* Vult vt publicè omnibus cernentibus, in ligna inscribat & illa coniungat, vt populus efficacius commoueat.

Concordia  
duorum  
regnum.

*Ecce ego assumo filios Israel ex gentibus, &c.* Iam planius exponit, quid sibi velit coniunctione duorum lignorum, nempe duo illa regna coalitura, & deinceps non amplius distrahenda esse.

Videndum iam deinceps, quomodo & quando hæc prædictio completa fuerit. Si euoluas Historiam sacram, inuenies, anno à dilaceratione regni 263. (secundum Theodori Bibliandri præceptoris nostri calculum) Salmanasarem regem Assyrium capta Samaria & occiso rege Osca, qui vltimus fuit, maximam populi partem abductam in Mediam, Persiam & alias regiones dispersisse, & regnum hoc euertisse, 2. Regum 12. Deleto regno Samariæ regnarunt in Iuda octo reges, annis 133. vsque ad illud tempus quo Babylonij diruta vrbe & caesis proceribus, populi magnam partem vnà cum vasis sacris Babylonem transtulerunt, 2. Regum 25. Magna etiam populi pars cum Iechonia suasu Ieremiæ, annis vndecim antequam vrbs expugnaretur, sponte in Babylonem migrauerat. Euolutis annis 70. Cyrus decretum edidit, quo Iudæis dispersis per Chaldæam reditum in patriam concessit. Probabile est illis quoque qui per Mediam & Persiã dispersi erant, Cyri & Darij clementia, reditum fuisse permissum. Ex duabus illis tribubus, magna multitudo patriam repetiit, quanquam non defuerunt qui tædio itineris, & amore suorum quæ habebant bonorum, in Babylone remanerent: typum illorum gerentes, qui propter commoda temporaria æternæ patriæ desiderium abiiciunt. Ex decem tribubus non nisi pauci redierunt, reliqui ex nidis quoque suis diuelli non potuerunt, sed paulatim degenerarunt in Gentiles. Iudæi dicunt, eos adhuc montibus Caspijs inclusos detineri, & suo tempore erupturos. Populo reducto præfuit Zerobabel nepos regis Iechoniæ, post quē alij quoque ex stirpe Dauidis populo præfuerunt, non tamen vsurparunt sibi titulum regis, nimirum ne viderentur Monarchis ingrati esse, à quibus ingentia beneficia acceperant. Hos enim agnouerunt suos dominos, & tributa eis pependerunt, 1. Esdræ 9. cap. Si verò, inquis, ex duabus tribubus aliqui in exteris regionibus remanserunt, ex decem omnes (pauculis exceptis) & deinceps nullos reges habuerunt, sed tributarij fuerunt Persis, quomodo hæc propheta est impleta? Hebræi ex his locis triumphantes, dicunt se ex durissima seruitute liderandos per Messiam qui nōdum venerit, & hæc omnia quæ nondum impleta sunt, implenda. Respondemus bifariam impletam: primùm secundum literam vel historiam. Nam ex omnibus tribubus aliqui reducti sunt in patriam, quibus si non reges, tamen duces præfuerunt ex stirpe Dauidica, vsque ad tempora Machabæorum. Deinde spiritaliter per Christum filium Dauidis qui morte sua Iudæos & Israelitas ex captiuitate satanæ assertos, ad communionem regni sui, hoc est, in vnā Ecclesiam collegit, quæ regnum eius dicitur. Ioã. 10. Alias oues habeo quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, nam vocem meam audient, fietque vnum ouile & vnus pastor. Ephraim vel decem tribus gerunt typum Gentilium, ideo quidam paulò antè utrobique Israelitarum mentionem fieri putant.

Christus

Christus non solum duo illa regna, quæ mutuas inimicitias exercebant, sed & Gentiles, capitales hostes vtriusque regni, hoc est, omnes suos electos, qui veri sunt Israelitæ, ex toto terrarum orbe colligit in vnam Ecclesiam: ideoque in Scripturis lapis angularis dicitur, quod vtrunque murum coniungat, utque spiritualiter in vnam fidem, ita corporaliter etiam omnes in generali resurrectione colliget. Quomodo verò ex vtroque populo vnum fecerit Christus, ad Ephes. 2. cap. explicatur: Ipse, inquit, est pax nostra, qui fecit ex vtrisque populis vnum: ostendens quomodo hoc factum sit, Interstitium, inquit, macerix diruit: intelligit circumcisionem & alias ceremonias. Quemadmodum medius paries, domum à domo, sepes, pratum à prato. distinguit: ita lex Iudæos à gentibus discreuit. Si paries tollitur, ex duabus domibus fit vna, fit vnum pratum, ita Christus diruens legem fecit vnum populum. Subiungit, Simulatem sustulit. Deus selegerat ex omnibus gentibus Iudæos, neque solum vocatione, sed & externis signis eos ab aliis separauerat, hinc graue inter Iudæos & gentes ortum fuit dissidium (rarò enim populis diuersæ religionis, rectè inter se conuenit) quos Christus sublatis variis ritibus velut inimicitix signis reconciliauit.

*Legem mandatorum in decretis sui eum abrogans.* Quod antè metaphoricè dixit, iam apertè dicit, ostendens quid sit diruere maceriem simulatèmq; tollere, nēpe legem abrogare, non quamlibet, sed legem in decretis, per quam externarum rerum constitutiones intelligit, ad Coloss. 2. Lex moralis non discreuit, eos à Gentilibus, ideo illa non est abrogata, nisi aliqua ratione. Quomodo verò conciliauit nos & legem abrogauit? Per carnem dicit, mox per sanguinem. Ceremoniæ ad Christi vique tempora durare debuerunt, postquam Christus se in ara crucis obtulit, cessare debuerunt. In quem finem hæc facta sunt: vt duos cōderet in semetipso, in vnum nouum hominem, id est, vt per hostiam sui corporis, ex duobus populis vnum faceret, hoc est, vt Deo placati, pacatam conscientiam haberemus, & inuicem pacificè & sanctè viueremus. Omnes pij Christum Regem suum vnicū agnoscunt. Non quidem reges & gubernatores à summo Rege constitutos contemnunt & reiciunt, sed eos reuerentur: si verò illi aliquid eis mandent, quod pugnet cū summi regis voluntate, anteferunt mandata eius hominum mandatis. Non ferre possunt illos, qui se in Christi locum substituere volunt. Romani imperatores immanibus suppliciis efficere non potuerunt, quin subditi ipsorum se Christo subiicerent. Nostro quoque tempore multi parati sunt, mori potius, quàm papæ, qui se in Christi thronum collocauit, diuinos honores tribuere: nullis promissis, comminationibus, suppliciis, à suo rege se auelli patiuntur. Ex eo verò quod Deus Iudæos & Israelitas qui inter se, & gentes qui ab vtrisque dissidebant, in vnam Ecclesiam collegit, discimus dissidentes in fide, ab ipso facillè contra hominum expectationem in viam posse reuocari. Is orandus est vt in illis certaminibus de religione dissidentium animos suo Spiritu connectat.

HOMILIA CLXII.

*I Qualis futurus sit populus Christo regi subiectus.*

23 Neque polluent se vltra idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis præuaricationibus suis: saluosque faciam eos de vniuersis habitationibus suis, in quibus peccauerunt, & emundabo eos, eruntque mihi in populum, ego verò ero eis in Deum.


24 Et seruus meus Dauid, erit Rex super eos, & pastor vnus erit vniuersis ipsis: & in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient, facientque ea.

25 Et habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres vestri, habitabunt inquam super eam ipsi & filij eorum in seculum: & Dauid seruus meus erit princeps eis in seculum.

26 Percutiam in super cum eis fœdus pacis, fœdus perpetuum erit mihi cum eis, & ponam eos in terra mea, & multiplicabo eos, ponamque Sanctuarium meum in medio eorum in seculum.

27 Et erit mihi habitaculum meum in eis, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.

28 Et scient Gentes quòd ego Iehouah sanctifico Israel, quum fuerit Sanctuarium meum in medio eorum in perpetuum.



Ezechiel propheta non nudis tantum verbis, sed & signo visibili significauit quòd reducendi, & reducti porrò vnus populus futuri, vnumque regnum & regem habituri sint: id quod in Christo impletum diximus, qui gentes cum Iudæis vnum populum fecit. Sequitur iam quales futuri sint qui Christum regem suum agnoscunt. Discemus ex hoc loco, quibus rebus itudere, à quibus cauere debeamus, si nomini nostro volumus respondere.

*Non polluent se ultra idolis suis, abominationibus suis, & cunctis preuaricationibus suis.* Postquam regnum dilaceratum fuit, decem tribus statim cœperunt seruire idolis, quæ Scriptura subinde fordes vocat: hinc sequuta sunt alia tetra flagitia. Nam quando homines à puro cultu Dei deficiunt, labuntur paulatim in turpia scelera. Paulus ad Romanos i. cap. dicit Gentiles cum suo arbitrio Deum colere voluissent, traditos in reprobum sensum, vt nullius sceleris eos amplius puderet. Iudæi ex captiuitate Babylonica reducti, abhorruerunt ab idolis. Iosephus scribit quàm fortiter se Petronio opposuerint, qui iussu Caligulæ aquilam in templum inferre constituerat. Dion Cassius Roma. Histor. lib. 37. quoque scribit, illo tempore quo Hierusalem capta fuit à Pompeio, nullum ibi simulachrum extitisse, Iudæos enim suum Deum ineffabilem inuisibilemque existimasse. Ethnici ad Christum conuersi abiecerunt simulachra. Quantum Christiani melioribus temporibus à simulachris abhorruerint, alibi à me breuiter, ab alijs tam prolixè, & diligenter est explicatum, vt non immeritò miremur illorum cæcitatem, quos cum ea legerint, non tamen pudet idola quæ in templis prostant, defendere. *Ultra dicit, Non polluent.* Dolebit eis, quòd hactenus tam cæci fuerunt, vt putarint se expiari idolorum cultu à peccatorum sordibus. *Saluos faciam eos de vniuersis habitacionibus suis in quibus peccauerunt.* Ex regionibus, vrbibus & pagis, in quibus peccarunt eos recipiam: item ex sacellis, lucis & nemoribus in quibus Gentiles idololatriam exercuerunt. Auentinus diligens historicus Germanicam vocem *vvalfirt* peregrinationem religionis ergò à luco deductam putat, in quibus celebres ob religionem conuentus fuerint. Notandum est quod dicit, Ego eruam vel eripiã eos: nisi enim ipse nos educat ex peccatorum carceribus, perimus. Hodie quoque alij in cenopoliis defident, alij in lupanaribus, alij in alijs tanquam ergastulis, prout quenque sua cupiditas trahit, ex his in regnum lucis nos transfert. Quàm difficulter quidam auellantur ex suo porcili, experientia ostendit. Sine te extrahere, ne tam sis amens vt in sordibus perire libeat. *Emundabo eos.* Christus nos pollutos peccatis

peccatis, purgat suo sanguine: & quanquam reliquæ peccati omnibus inhæreant, tamē propter fidem in Christum nobis non imputatur, quin iustitia Christi nobis imputatur. Purificationis sacrum symbolum, est sacramentum Baptismi.

*Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Si princeps aliquis dicat, Ero tuis liberis patris loco, magnum est: quanti igitur faciendum, quod Deus nobis pollicetur se velle nostrum Deum esse? Principes enim, etsi paterno in nos, vel nostros sint animo, tamen non possunt, vel nobis, vel nostris liberis, imò ne suis quidem dare quæ vellent: Deus autem qui fœdere se nobis adstrinxit, est omnipotens.

*Seruus meus Dauid rex erit super eos.* Antè dixit vnum regem habituros, iam qui sit iste rex, ostēdit. Dauid, hoc est, Iesus Christus Seruator noster, qui ideo Dauid dicitur, quod ei peculiariter promissus fuit: ex eius enim stirpe nasci debuit. 1. Sam. 2. Actorum 2. cap. Dauid typus Christi fuit, quem multi filium Dauidis in Euangelio vocant: seruum suum appellat, quia formam serui assumpsit, & obediens factus est patri in crucem vsque, ad Philip. 2. Serui instar omnibus inferuit. Recurre ad caput 34. Idem ille pastor erit, de quo iam sequitur: *Et pastor vnus erit vniuersis ipsis.* Tantæ erit clementiæ, dicit ad hunc locum D. Hieronymus, vt non solum rex, sed & pastor appelletur: eò quod superbum nomen imperij, vocabulo pastoris mitiget. Quomodo boni pastores erga gregem affecti sint, quantos labores eius causa perferant, vulgò notum est. Christum bonum illum pastorem esse, qui per Prophetas promittitur, Ican. 10. ipsemet testatur: Ego, dicit, sum pastor ille bonus. Bonus pastor animã suã dat pro ouibus, &c. Mox, Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, vnus pastor. Per illas oues quæ non sunt ex hoc ouili intelligit gentes, quæ non sunt ex Iudæis, quorum pastorem reliquis omnibus præteritis, hæctenus egit.

Christus vñ  
catur Da-  
uid.

*Et in iudicijs meis ambulabunt, &c.* Fideles tam ex Iudæis quàm ex gentibus, iuxta legem meam vitam instituent. Sciunt quidem, se suis operibus vitam æternam non mereri, nihilominus tamen vt gratos se Christo præstent, cauent sibi à sceleribus, à quibus non nisi morte Christi expiati sumus, studentque eius sanctæ voluntati. Non dicunt, vt falso papista blateant, Christus satisfecit pro peccatis nostris, ergo quicquid libet faciam: nihil refert siue rectè siue malè me gesserò: si ex electis sum, nemo me ex manu Dei, &c. Impiorum non fidelium hæ voces sunt. Deus fidelibus suis Spiritum suum concedit, qui ad opera bona eos accendit, vt spòte iam faciant quod debent: nō quod per omnia Legi Dei possint satisfacere.

*Habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob, &c.* Et ipsi, & posteri ipsorum in terram Chanaan habitabunt, non ad breue tempus, sed in seculum. Historia testatur eos longo tempore eam incoluisse. nam à primo anno Cyri, & liberatione Israelis vsque ad Christum currunt anno 560. vt Hieronymus, Eusebius, Africanus & alij Ecclesiæ scriptores aliquoties annotant. Quia verò terra Chanaan typus uit patriæ cœlestis, dicendum est, omnes verè Israelitas, hoc est, electos Dei introducendos in terram viuentium, in qua patres eorum sunt, hoc est, animo & corpore habitabunt. Patres agnoscens se exules tantum esse in hac terra, quam Deus ipsis tradiderat, ad æternam patriam oculos suos conuerterunt. Hanc patriam nobis quoque Deus per Prophetam promittit: hoc est quod Christus Matt. 8. dicit: Multi ab Oriente & Occidēte venturi sunt, & accumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Ex illo quod Deus ipse Iacobum per Prophetam, suum seruū vocat, intelligimus quàm honorificè de sanctis sentiendū & loquendū sit. *Dauid seruus meus erit princeps eis in seculum.* In regno Iudæ & Israel, vnus rex alteri successit, sed Dauid in perpetuum rex erit. Hoc de Dauide filio Isaci, non potest intelligi, nec de alio ex semine ipsius: sed de solo Christo cuius regnum est æternum: atque ita explicat hanc prophetiam angelus Gabriel, Luc. 1. c. Dabit illi

Argumen-  
tum contra  
Iudæos.

Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, &c. Audiamus verba Theodoretici qui sic scribit: Dicant Iudæi quis sempiternus eorum rex sit, qui Dauid appelletur: nequaquã enim Zerobabeli huiusmodi appellationes cõuenire, ipsi quoque confitebuntur. Primum enim haud regnavit ille, sed populi ductor fuit: deinde etiã illud ipsum imperium morte finitum est: quòd si de genere Dauidico hunc sempiternũ intelligunt Dauid, ostendant Dauid genus regnare, quòd si præter regnum ipsum quoq; Dauid genus incertũ est: in præsentem duorum alterum necesse est, vel falsam prophetiam opinari, vel Domini Christi, ex Dauid secundum carnem nati regnũ adorare. Verum à mendacìo vacuam esse prophetiam, ipsi itidem fatebũtur: quòd si vera est, quẽadmodum igitur mendacij expers est, neq; videmus aliud Iudæorum regnũ; neque in super ipsum genus Dauid, clarũ est & perspicuum, & ipse regnat, vt ex Dauid secundum carnẽ, Filius autem Dei secundum diuinitatem, etiã sempiternũ obtinet imperium, perspicua & aperta est & illorum deliratio, perfidiãque, & nostra Dei cognitio. Si nunc cum his conferamus mores illorũ, qui Christiano nomine gloriãtur, videbimus quã parum suã professioni respondent. Si Christũ vnicum regem & pontificem suum agnoscunt, quare in eius locum Romanũ pontificem substituunt: quare idola in templa inferunt: quare à sceleribus sibi non cauent, quare non secundum Dei legem vitam suã instituunt: *Percutiam cum eis fœdus pacis.* Deus fœdus suum quod nobiscum pepigit, sanxit sanguine Filij sui: vocat autẽ fœdus pacis, quia Christi merito, pax inter Deum, & nos constituta est. Non quidẽ pax externa, sed interna. Ecclesiam enim cruce exercẽdam, multa Scripturã loca testantur, Ioan. 16. 2. Tim. 3. &c. De hac pace Io. 14. & ad Colos. 1. cap. agitur. Hanc pacem Apostolus in epistolarum exordiis Ecclesiis imprecatur. *Fœdus perpetuum erit mihi cum eis.* Fœdera panguntur ad certum annorũ numerũ: induciã ad aliquot dies vel menses, hoc verò fœdus, vel hæc pax sempiternis durabit temporibus. Id quod nos erigere debet, ne putemus tandem nobis gratiam Dei subtrahendam, &c. Hæc pax non est plena insidiarum, quales sunt pacificationes hominũ, &c. *Ponam eos & multiplicabo eos.* Hoc est, reducam eos in terram suam & multiplicabo eos. Obseruandum est iterum, multiplicationem eorum inter promissiones Dei referri. Cæterum non tam secundum carnẽ quã secundũ spiritũ, promittit augẽdum Israëlẽ, hoc est, magnũ prædicit fore credentium numerum. *Ponã Sanctuarium meũ in medio eorum in seculum.* *וַיִּבֶן מִקְדָּשׁ* sanctificationem & sanctuarium, hoc est, locũ in quo sacra peraguntur & reponũtur, ferẽ in Scripturis significat. Iuxta literam Templum reãdificatum fuit, quòd vocatur domus Dei. Nam vt alij ciues: ita Deus quoque domum suam in vrbe Hierosolymorũ habuit. Templum quidem hoc euersum fuit & inflammatum, sed Deus perpetuò habitare vult in Ecclesia, cuius typus templum fuit, sicut habitare solebat in domo sibi dedicata. Matt. vlt. promittit se nobiscũ fore vsq; ad consummationẽ seculi. Item, Vbicũq; duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c. Matth. 18. Addit, *Et erit, tabernaculum meũ in eis.* *וַיִּשְׁכַּן* *מִשְׁכַּנִּי* *בְּתוֹכְכֶם* cohabitaculum significat. quasi dicat, Etiam euerso templo versabor inter illos. *Et scient gentes.* Reuera enim per eos, dicit Theodoretus, qui ex Iudæis credidere, etiam gentes cognitionis Dei lumen acceperunt, &c. *Quòd ego sanctifico Israel.* Omnes homines natura sunt immundi, sed sanctificantur per Spiritum Dei. *Cum fuerit sanctuarium meum in medio eorum.* Cum videbũt me illos nunquã destituere meo auxilio, sed perpetuò cum ipsis versari, eorum preces audire, eosque defendere. Deus in Christo præsens est, Filium suum misit in hunc mundum, & stupendis operibus excitauit homines, vt viderent Deum inter ipsos versari. Quoniam verò Deus nobiscum habitare vult, quin per Spiritum suum in cordibus nostris versari, non est quòd religionis causa peregrinationes ad hunc vel illum diuum suscipiamus, &c.



# Concio trigesimaquinta

## EZECHIELIS.

HOMILIA CXLIII.

*De Gog principis Magog & aliarum gentium,  
hoc est, de Antichristi & Antichristia-  
norum viribus, conatibus, at-  
que excidio.*

CAPVT XXXVIII.

- 1 **T** fuit verbum Iehouæ ad me, dicendo:  
2 Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, & super ter-  
ram Magog, principem capitis Mesech, & Thubal, & va-  
3 ticinare super eum.  
Et dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego ad te, Gog  
principem capitis Mesech, & Thubal.  
4 Et cõteram te, ponamque hamos in maxillis tuis, & exire faciam te, & vnuer-  
sum exercitum tuum, equos & equites, indutos omni armorum genere omnes, multitu-  
dinem magnam cum clypeis & scutis: tenentes gladios omnes erunt.  
5 Paras, Chus & Puth cum eis: omnes erunt cum scutis & galeis.  
6 Gomer & vniversa agmina eius: domus Thogarmah incolens latera Aquilonis,  
& omnia agmina eius, populi multi tecum.  
7 Præpara te ipsum, & præpara tibi omnem multitudinem tuam quæ congrega-  
uerunt se ad te, & sis eis in custodiam.  
8 Post dies multos visitaberis: in nouissimo annorum venies ad terram attritam  
gladio, congregatam è populis multis, ad montes Israel, qui fuerunt in desolationem  
semper: ipsa autem è populis educta est, & habitabunt confidenter omnes ipsi.  
9 Et ascendes, tanquam multitudo aquarum venies, & vt nubes, vt operias terram  
eris tu & omnia agmina tua, & populi multi tecum.

**I**N hoc 38. & sequenti 39. c. CONCIO xxxv. Prophetæ describitur, quæ Summa ca-  
continet celeberrimum vaticinium de Gog & Magog, cuius hæc est pitis 38. & 39  
summa: Venturas esse illas gentes illustrissimis copiis vt Iudæos in pa-  
triam terram reduces, funditus deleant, & postquã eos multis malis af-  
fecturi sint, à Deo peste, igne, & mutuis vulneribus perdendos esse: repurgãdam  
esse terram ab reliquiis hostium, qui partim sepeliãdi, partim à bestiis & alitibus  
lacerandi sint. Hanc prophetiam Iudæi implendam putant in aduentu sui ficti-  
tij Messia, quem miseræ & infelices adhuc expectant. In eadem sententia sunt

Mahumedici, à Iudæis in errorem abducti. Quam ob causam uidere non possunt Messiam filium Dei & Mariæ, venisse in has terras, & peracto sacrificio pro peccatis nostris in ara crucis, ascendisse in cælos, vnde venturus sit ad iudicandum viuos & mortuos: Antichristum quoque iam aliquot seculis contra pios grassatum esse in mundo, & etiamnum grassari: sed adhuc expectant Gog & Magog, vel Antichristum, antequam veniat vltimus dies. Christiani etiam quidam (de quibus supra dictum est) perperam intellecto vaticinio in Apocalypsi de Gog & Magog, constituerunt *χίλιον τετράκις*, hoc est, mille annorum tempus, quo Christum post resurrectionem mortuorum fideiū, in hisce terris cum populo suo regnaturus sit: quæ falsâ opinio magnas turbas peperit, & adhuc parit in Ecclesia. Operæ precium igitur fuerit, genuinam sententiam istorum vaticiniorum perceptam habere.

Gog & Magog.

Quod etymō attinet, Gog auctore Hieronymo, Græco sermone *δὸμα*, Latino tectum vocatur: Magog, de tecto. De his verò variæ sunt & discrepantes sententiæ. Iudæi, quos sequitur Mahumed in suo Alcorano, per Gog & Magog intelligit decem tribus Israelis ab Alexandro magnō intra Taurum vel Caspios montes in Septentrionali plaga reclusas, quæ sub finem mundi erupturæ, Antichristum pro Messia recepturæ, terrā sanctam & populum Dei infestaturæ, inq; obsidione vrbis Hierosolymorum vincendæ sint per regem Messiam. De hac sententiâ Iudæorum vide Hiero. in Ezech. & Pet. Gal. De arcanis veritatis Catholicæ lib. 5. c. 12. Methodius eadem ferè prædixit, nempe gētem vltra Caucaſum & Caspios montes conclusam, quā Iudæos rufos appellant (nimirum quod sanguinis & cædis auidi sint) nouissimis temporibus duce vulpecula egressuram & vastaturam totū terrarum orbem. Per hanc vulpeculam nonnulli Mahumedem intelligunt, qui dolis suis multas gentes attraxerit, magnasq; vires nactus sit. De opinione Iudæorum qui plura velit, consulat Hier. in hoc caput & Petrum Gala. Quidam per Gog & Magog certam gentem intelligunt, nempe Scythas, id est, Turcas, & Saracenos, qui olim in plaustris circumferebant tecta vel tuguria, vt facilius alia subinde loca occuparent; neque certas sedes habebant. Illi à Caucaſi rupibus progressi, in Asia vagati sunt ac paulatim Galatiam & Ponti oram occuparūt: vastarunt certè florentissimas Orientis Ecclesias, &c. Quidam alias quoque gentes Scythicas, veluti Hunos Gothos vel Getas intellexerūt, & Gog esse nomen proprium Antichristi. D. Ambrosius de Fide, lib. 2. 4. cap. Gog iste Gothus est, quem iam videmus exiisse, de quo promittitur futura victoria, &c. Quidam omnes gentes populo Dei infestas & inimicas intelligunt, quæ arma contra Ecclesiam portant. Quidam Christiani veteres, vt est apud Hieronymum, historicam intelligētiam relinquentes, finxerunt bella diaboli in cœlesti Hierusalem describi. D. Hieronym. in Ezech. & Augustinus lib. 20. De ciuitate Dei c. 11. & plerique alij orthodoxi Christiani, nominibus Gog & Magog generaliter hæreticos & tyrannos, omnēsque hostes Ecclesiam toto in orbe diffusam oppugnantes, hoc est, Antichristum intellexerunt. Antichristum Gog à tecto dici quidam volunt, quod sit ostentator & hypochrita, quod palam sua opera venditet, &c. Galatinus etiam colligit ex Hebræis, Gog & Magog esse impios quoscunque, qui Ecclesiam Dei persequuntur, illos dicit esse diaboli tectum & habitaculum. Sententiam veterum sequuntur etiam Theodorus Bibliander in sua Chronologia, & Henricus Bulling. in comment. in Apocalypsim: sic tamen vt historica veritas, veluti basis altiore & spiritualem intelligentiam sustineat. Intelligunt itaque secundum historiam & literam, hanc prophetiam de Alexandro & eius successoribus Ptolomæis in Ægypto, & Seleucis atque Antiöchis in Syria & Asia. Maximè verò de Antiocho Epiphane Syriæ rege, qui capta vrbe Hierosolymorum magis afflixit Israelitas, quam vlli hostes antea fecerunt, qui etiam typum prætulit Antichristo eique prælucet egregiè. Confirmant hanc sententiam primum ex rebus eorum gestis, quæ narrantur in libris Macha-

Machabæorum.

Deinde testimonio Sibyllæ vetustissimæ (quam Bibliander vxorem Noe fuisse scribit) ex 3. sermo. Sibyllini codicis, quæ nomine Gog & Magog aliarumque gentium quas Ezechiel recenset, Macedonicam potentiã significarit. His addunt non deesse vestigia populorum vetustissimorum in Phrygia, & aliis regionibus Tauro & Caucaſo adiectis, vbi etiam Ptolomæus Macedonas collocet, qui in Europam migrantes, vicinas sedes ad Græciam occuparint. Deinde intelligunt Antichristum cum membris suis. D. Ioannes in 1. Epi. 2. cap. Filioli, dicit, nouissimum tempus est, & sicut audiuitis quod Antichristus venturus est: etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse. Inter illos omnes excellunt pontifices & Turcæ, quos pontifices euocarunt. Nam cum decretum de trãsubstantiatione factum est, Innocentio tertio pontifice anno 1215, quo horribilis idololatria confirmata est, statim cœpit crescere potentia Othomanica. Pontificibus quoque authoribus bellum sacrum susceptum est & gestum, quod multis annis durauit: sæpe fœdera pacis rupta sunt. Pontifices domi quoque bella gerunt, nullum fuit multis annis bellum, quod non mouerint, aut cuius non pars aliqua fuerint pontifices Romani.

Partes:

Partes hæc concio duas habet. In priore prædicit Propheta, reduces in patriã, ab hostibus crudeliter affligendos esse. In posteriore, hostium magnam stragem fore, populumque Dei ope ipsius liberandum.

Eloquutio:

Prophetia hæc valde obſcura & difficilis. Propheta omnia eloquitur magnificis verbis per hyperbolas, vt excitet homines: quod quia Iudæi nõ obseruant, sed omnia secundum literam accipiunt, inuoluunt se maximis erroribus. Apertissime hæc superioribus cohæret. Postquam enim multis de Christi regno egit: subiicit de tyrannide Antichristi, & membrorum eius, qui Christi regnum atrociter oppugnant. Vfus huius vaticinii est multiplex. Primùm enim discimus populum Israelis, hoc est, Christianos, licet pacem expetant cum omnibus: tamen duriter affligendos esse ab Antichristo. Sunt autem præcipuæ causæ quod Deus hostes finit contra suum populum grassari, quod vitam suam secundum verbum ipsius non instituunt, vtq; in vera fide eos exercent, & inuocationem in eis accendat. Discimus etiam quod Deus non sinat deleri totam Ecclesiam, sed reprimat ferocientes hostes, suumque pusillum gregem clementer asserat. Ne itaque fracti ingentibus successibus & victoriis hostium populi Dei, fortunam sequamur. Ad hæc videmus necessarium esse, vt sæpe multumque in Ecclesia Dei de negotio Antichristi tractetur. Nisi enim necessariũ esset, Deus per Prophetas, Apostolos, & in primis Filium suum vnigenitum, non tam diligenter de eo egisset. Præcipuè autem durissimis difficilissimisque & periculossimis illis nostris temporibus, hæc tractatio valde est necessaria, quando experimur Antichristum illis qui se passim Ecclesiis reformatis adiungunt, relictis ipsius erroribus, crudele bellum inferre.

Ordo.

Fructus huius vaticinii

*Pone faciem tuam contra Gog terram Magog.* Pone faciem, id est, constanter & fortiter vaticinare, ad, super vel contra regem siue principem terræ gentis Magog, qui regnat vel habitat in regione cui nomen Magog: vt Gog, sit nomen regis, Magog gentis. Hanc expositionem videtur Oecolampadius sequi. Alij Gog & Magog idem esse dicunt. Magog nomen est secundi filii Iaphet Genes. 10. qui sedes habuit ad Taurum vel Caucasum montem & in minore Asia, Iosephus Scythiam olim Magogam vult dictam esse. Funccius dicit à Magog filio Iapheti ortos esse qui in tentoriis habitant, vt sint Tartari in Asia maiore versus Septentrionem à Mœotide palude habitantes, olim Scythæ Asiaticæ dicti: ab his ortos Turcæ qui late vastarint Asiam & Europam, atque regnum Christi magnis conatibus euertere conati sint, &c.

*Principem capitis Meseh & Tubal.* Rosch caput interpretatus est Aquila, quem

sequutus est D. Hier. Principem capitis, id est, summum principē Mesech & Thubal. Mesech Cappadocas: Thubal, Iberos, & Hispanos Iosephus, appellat. Iudæi Ita los teste Hiero. Philippus Melächthon in suis Chronicis, Mesech ab extendēdis arcibus dictos putat, aut procul extensos atque positos: congruere dicit cū Mo- scouia appellatione quæ adhuc manet, quam insignis fuisse feritatis colligitur ex psalmo, Hei mihi quòd exulo in Mesech, &c. Ioannes Funccius in sua Chronologia lib. 1. putat Magog ideo principem & caput Mesech dici, quòd Magogim, id est, Turcæ, terram Mesech, quæ postea Cappadocia dicta sit, primam Romani imperij occuparint & potentia suæ sedem constituerint. Antea enim Persidem cum maioris Asia dominio aliquot annis occupasse, sed ab Armeniis inde pulsos in Cappadociam ad Solymannum cōcessisse: vnde magnā orbis terrarum partem imperio suo hæctenus subiecerit. Postea hoc problema doctis proponit, quare hoc in loco Propheta addat Tubal, ita vt Magog vocet principem & caput Mesech & Tubal? an quòd indicare voluerit fore, vt postremis temporibus terra Tubal sponte sua, ad persequendum Christum & Ecclesiam eius, ipsi Gog & Magog, id est Saracenis & Turcis, sese adiungat: & sic occasione hac, tyrannum illum Turcicum eliciat, vt ipse magnis suorum copiis Ecclesie terras inuadat, &c. & sic tandē diuinitus victus intereat, vt Dominus comminatus sit: aut, an illa tota posteritas Tubal, Itali, Gallique & Hispani, nec non & reliquæ gentes ad Septentrionem aduersus Ortum habitantes, quorum Ezechiel meminit, omnes cum Turcis vnanimi consensu ad delendam Christi Ecclesiam properaturi sint? quum aliàs ad conseruandas suas superstitiones & idolomanias, & blasphemias & libidines nul lum viderint remedium.

Hispanica  
inquisitio.

Per Gog & reliquos subditos vel fæderatos populos, secundum Literam gentes, quæ populum reducem ex captiuitate affligerint, quales Macedones & Asiani fuerunt: per altiore sensum, hostes occultos & manifestos intelligi, qui Ecclesiam ex captiuitate satanæ liberatam, affligunt, hoc est, Antichristum: nimirum pontificiam & Turcicam tyrannidem, paulò antè annotauimus. Phrasis Hebræa ponere faciem, ostendit fortitudinem & constantiam postulari ab illis, qui in certamen cum Antichristo descendere volunt. Etenim non solùm Antichristiani indignè ferunt, si sermones contra Antichristum instituantur: sed sæpenu- mero aliqui etiam ex illis qui Euangelici videri volunt, non considerātes, quàm utile sit, vt fraudes Antichristi detegantur, quòd agnoscamus immensum Dei beneficium, quòd nos eripuit ex eius tyrannide, & vt ardentius oremus, vt alios quoque eripiat.

*Ecce ego ad te.* Quia omnibus formidabilis es propter potentiā, ego ad te, s. venturus sum, vt te perdā. *Conterā te ponā in maxillis tuis* *וַיִּשְׁחַף* *schofef* reducere, auertete, seducere. Oecolāpadius annotat hoc verbum ad cor pertinere, vt auertete idem sit, quod seducere & velut perdere cor, vt cū quis amentia fertur. Dominū autem conuertete, quando mouet & impellit iuxta ingenium prauarū cogitationum. Quemadmodum Pharaonem & Cananæorum reges indurauerat, de quibus loquutionibus alibi. Equites etiam retro agunt equos, cū fræna iniicere eis conantur, de qua auersione hæc accipi possunt: vel significat, Reducam vel adducam te. *חַבַּח* *chach* fibulam vel hamum, quo pisces extrahuntur, vel vncum significat. Germanicum vocabulum *hath* alludit ad Hebræum. Hieron. hoc loco, & 2. Regum 19. frænū interpretatur: metaphora ab equisonibus sumpta, qui equos quantumuis feroces frænis coercent, & agunt quolibet. Hinc elucet immensā Dei potentia, qui ferocissimos & potentissimos tyrannos suo nutu impellit quocunque vult, de quo paulò post.

*Indutos omni armorum genere.* Vniuersitate, id est, omni ornatuum, vel omni armorum genere: quidam cataphractus armis vndique munitos intelligunt.

Paros,

*Paros, Chus & Puth.* Persæ, Æthiopes & Aphri vel Lybies auxiliares copiarum similiter instructæ sunt. Oecolompadius ad hunc locum dicit: Vide exercitum ab omnibus angulis, ab Oriente Persas, à Meridie Æthiopes, ab Occidente Mauros, à Septentrione Gomer vel Phrygas, cum maximis tuis: contradicit enim totus mundus, & obseruat suum Antichristum. *Gomer & uniuersa agmina eius, domus Thogarma.* Agmina, vel alas militares, aut exercitus. Philippus Melächthō in suis Chronicis, à Gomer filio Iaphet ortos dicit Cim merios, qui postea Cimbri dicti sunt: fuisse autē Cimmerios ultra Thraciam, circa Mæotidem paludem, appellationem Cimmerii Bosphori & oppidi Cim merii ostendere. Theodoretus per Gomer, Galatas intelligit. Alii per Thogorma filium Gomer latera Aquilonis tenentem, Phrygas accipiunt. *Præpara te ipsum.* D. Hierony. putat ironiam esse in his verbis, sed per imperaturos enunciant Prophetæ quæ certò euentura prædicunt. Sensus est, Necessaria ad bellum comparabis.

*Et sis eis in custodiam.* hoc est, Magna cura eis præeris. Vigilantia enim ducis est salus exercitus. Gogitarum, hoc est, Macedonum exercitus ex variis gentibus collecti, secundum literam urbem Hierusalem afflixerunt. Deinde Gogitæ, hoc est, Antichristus, Pontificii & Turcæ vel Saraceni, continenter bella gerunt contra ciuitatem Dei.

Colligimus ex hoc loco, Antichristum ingentibus & optimè instructis stipatum esse copiis, quæ ipsum defendant. Pontifex Roma. habet Cardinales, ordines monachorum, Theologiæ doctores, magistros, baculaureos, qui regnum ipsius armis spiritualibus tuentur, deinde imperatores, reges, principes, viros politicos, qui armis corporalibus eum defendunt. Ducuntur autem variis rationibus, quidam putant se rectè in hoc facere, quidam contra conscientiam propter temporaria commoda defensionem eius suscipiunt. Turcarum quoque imperator multas habet gêtes sibi subiectas & fœderatas, quæ auxiliares ei copias mittunt. Licet autem totus ferè orbis illos sequatur, non tamen inde colligendum quòd causa eorum sit bona. Deinde colligimus quòd Antichristus vrvt ardeat odio Ecclesiæ Dei, tamen eam antè infestare non possit, nec vltius progredi, quàm Deus voluerit: hamo enim in maxillas eius immisso, eum attrahit & retrahit: non quòd inuitos ad Ecclesiæ persequutionem impellat: volentes enim & magna lætitia contra eam grassantur. Impii in manu Dei sunt veluti securis aut baculus, quæ instrumenta per se nihil efficere possunt, nisi ab artifice moueantur. Ne diabolus quidem, qui impiorum caput est, facere potest, nisi quod Deus iusto iudicio ei permiserit, & Ecclesiæ suæ, singulisque membris expedire nouerit. Moderatur & ipsum, & omnes impios arcano freno vel capistro prouidentia suæ. Ego, inquit, educam eum: pergere eum compellit quo non vult. De Senacheribo Isaia 37. & 2. Regum 19. dicit Deus per Prophetam; Quandoquidem furis contra me, & rumultuatio tua ascēdit ad aures meas, ob id iniiciam circulum naribus tuis, & lupatum meum in labia tua, & retroagam te, ea via qua venisti. Cùm Tyranni freti multitudine & astutia sua, minantur se omnia euersuros, non despondeamus animos, sed oculos conuertamus ad Dei potētiam, qui nullo negotio eos domare potest, cuius rei plurima vetera & recentia exēpla proferri possunt. *Post dies multos visitaberis.* Visitandi verbum in bonam & malam partem accipitur. In bonam, Gen. 21. Deus Saram, 1. Sam. 2. Annam visitasse dicitur. In malā, vt hoc loco, Visitaberis, host est, animaduertetur in te, non statim quidem, sed post multos dies Inferere autem hoc ideo videtur, ne pii videntes magnum Antichristi apparatus & successum, animis concidant, sed sciant quid Antichristianos quātumuis feroces maneat. Quod Macedonas attinet,

longo tempore vexarunt populum Dei, antequam pœnas dederunt: quam interea quidam tyranni vt Antiochus, & alii, horribiles exitus habuerunt. Quoad posteriores Gogitas, hoc est, Turcas & pontificios, etiam diu tractarunt pelsima cõsilia. Paulus in 2. ad Theff. 2. cõmemorat antichristum iam tum mylterium iniquitatis operatum esse: tãdem erupturum. Potuisset Deus statim vt merebantur pœnas eis infligere, sed eas distulit: hinc cognoscenda erat eius μακροθυμία longanimitas, sed impii hinc scelerum suorum impunitatem sperãtes, pergunt in ipsis, ideo Deus tarditatem pœnæ supplicii grauitate cõpensat. In altero demum seculo Deus contra hostes suos, iustæ iræ debitam seueritatem exercebit. *In nouissimis annis venies ad terrã attritam gladio.* Veteris & noui populi hostes non statim exercuerunt suam malitiam, sed tãdem oblata occasione venerunt ad terram Israelis quam periphrafi describit: vocat terram attritam gladio, hoc est, quam Deus gladio vastauerat: vel à gladio reductam aut reuerlam, hoc est, quæ licet gladio vastata fuerit, tamen à seruitute in libertatem vindicata, iterumque exculsa fuit. *syist dese vviderkommen. Congregatam à populis multis.* Terra Israelitica, hoc est, Israelitæ, ex variis gentibus in quas dispersi fuerant, collecti sunt: ex omnibus enim aliqui redierunt. Sic de omnibus gentibus aliqui crediderunt in Christum. *Ad montes Israel quib fuerunt ad desolationem semper.* Israelitæ in montibus qui longo tempore deserti fuerant, rursus sua habuerunt domicilia. In monte fuit Ierusalem, quæ typus est Ecclesiæ sanctorum. *Ipsa autem educta est,* scilicet, terra, vt annotat Hierony. vel Hic de gentibus eductus est, vt intelligatur credetium populus. Macedones, si historiam consideres, ab initio se non opposuerunt populo Dei, sic postea Mahumet & Pontifices, nunc verò quo propius accedit nouissimus dies, eò potentius vires suas exerunt. *Habitabunt illi omnes confidenter.* Pace altissima videntur abusi esse: dixerunt indubiè, se multò antè multas ærumnas pertulisse, ideo non expectãdas nouas clades, sic enim homines ratiocinantur. Deinde non maturè de propulsandis hostibus curarunt, sperantes se semper paco fruituros. Exemplum naufragi Pauli & infinita alia docent, ne instrumeta salutis contemnamus, licet habeamus Dei promissiones. *Et ascendes, tanquam tempestas venies, & vt nubes ad operiendam terram.* Quomodo venturus sit, duplici similitudine ostendit: primùm, Venies inquit, veluti magna tempestas: deinde, vt nubes. *וַיָּבֹאוּ שְׂחֹחַ* tumultus, tempestas, quæ cum strepitu & fragore venit. Alii quoque sacri scriptores his similitudinibus vtuntur. Prouerb. 1. Cùm venerit velut tempestas metus vester, &c. Isa. 1. 10. Quãdo tempestas è lōginquo veniet. Nimbis subitò & deimprovisò augentur torrentes, tantòque impetu feruntur, vt saxa, pontes & domos secum trahant, homines & pecora perdant, agros & vineas ita vastent, vt vix & ne vix quidem, repurgari possint. Nubes atræ homines terrent, præsertim in eluuiõibus. Prophani quoque scriptores similitudinibus à ventis & torrentibus sumptis variè vtuntur, Verg. Æneid. 2.

Similitudo  
tempestatis

Excutor somno, & summi fastigia tecti  
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.  
In segetem veluti cùm flamma furentibus austris  
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens  
Sternit agros, sternit sata læta, boùmque labores,  
Præcipitèsq; trahit syluas, stupec̃ in scius alto  
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Lucretius lib. 1. dicit ventos arbores sternere, maria turbare, & concitare, non aliter,

Quàm

Quàm cùm mollis aquæ fertur natura repente  
 Flumine abundanti quod largis imbribus auget,  
 Montibus ex altis magnus decursus aquai,  
 Fragmina coniiciens siluarum, arbuſtáque tota:  
 Nec validi poſſunt pontes venientis aquai  
 Vim ſubitam tolerare: ita magno turbidus imbri  
 Molibus incurrit validis cùm viribus amnis:  
 Dat ſonitu magno ſtragem, voluitque ſub vndis  
 Grandia laxa: ruit, quâ quicquam fluctibus obſtat.

Horatius carminum lib. 3. ode 29.

-- cætera fluminis

Ritu feruntur, nunc medio aluco  
 Cum pace delabentis Etrus-  
 cum in mare, nunc lapides aefos,  
 Stirpésque raptas, & pecus & domos  
 Voluentis vnâ, non ſine montium  
 Clamore vicinæque ſilvæ,  
 Cùm fera diluuiés quietos  
 Irritat amnes &c.

Homerus Aiacem, item Diomedem, in prælio viros equoſque ſternentes cum fluuio torrente comparat: vide diligentis commentarios Dionyſ. Lambini in Horatium. Noſter Propheta ſimilitudine tempeſtatis indicare vult, I. Antichriſtum ſubitò copias ſuas ingentes adducturum. Nam cùm minimè putatur, expeditionem ſuſcipit, & incautos inuadit. Magis autem homines conſternantur, cùm de improviſo obruuntur ab hoſtibus. II. Deinde magno fragore & terrore antichriſtum venturum: audiuntur enim minæ quòd omnia funditus excindere velit: auditur armorum ſonitus & fragor, utque rapidus fluuius, multos ſecum trahit, qui mallent paci ſtudere. III. Antichriſtum perrupturum. Fluuii enim rapidi & violenti curſum, nemo poteſt moderari. Leuiora ſunt incendii pericula. IIII. Illaturum populo Dei ingentia mala: direptionibus, incendiis, cæde vaſtaturũ omnia. Eluuiões enim non ſunt abſque maximo hominum detrimento: magni exercitus per terram aliquam nõ abſque incolarum inſigni iactura tranſire poſſunt, inſtar tempeſtatis & nubis eam operiunt. Ex his colligimus de religione non iudicandum ex bellorum euentis. Antichriſtum clades illaturum populo Dei, hoc loco & alibi prædicatur: quis inde colligat, fidem & religionem Antichriſti eſſe veram?

HOMILIA CLXIII.

*Gogum populo Dei ex inſperato bellum illaturum, & copias auxiliares iſtigaturas illum ad eum ſpoliandum.*

10 Sic dixit Dominus Iehouah, Et erit in die illa, aſcendent verba ſuper cor tuum, cogitabiſque cogitationem malam.

11 Et dices, Aſcendam contra terram villarum, veniã ad quieſcentes, & habitantes confidenter: omnes habitant abſque muro, & veſtes, & portæ non ſunt eis.

12 Vt spolies spolia, & præderis prædam, vt reducas manum tuam super desolata habitabilia facta, & super populum collectum è gentibus, facientem pecudes & opes, habitantes in umbilico terræ.

13 Seba & Dedan, & negociatores Tharsis, & omnes leuunculi eius dicent tibi, An non ad spoliandum spolia venis? an non ad prædandum prædam congregasti multitudinem tuam, vt auferas argentum, & aurum, vt tollas pecudes & opes, vt spolies spolia magna?

14 Propterea vaticinare fili hominis, & dic ad Gog, Sic dixit Dominus Iehouah, An non in die illa, quum habitauerit populus meus Israel confidenter, scies?

15 Et venies è loco tuo, nempe è lateribus Aquilonis, tu & populi multi tecum? equitabunt e quos vniuersi, cœtus magnus & exercitus multus.

16 Et ascendes contra populum meum Israel sicut nubes, vt operias terram ipsam: in nouissimo dierum eris, & adducam te super terram meam: vt cognoscant gentes me, quum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, ô Gog.

17 Sic dixit Dominus Iehouah, Num tu es ille de quo loquutus sum in diebus antiquis per manum seruatorum meorum Prophetarum Israel, qui prophetauerunt in diebus illorum annorum, quòd adducerem te super eos?



Vdiuimus quòd Magog equestribus & pedestribus copiis optimè instructis, ex improuiso expeditionem suscepturus sit contra populum Dei: iam sequitur de conatibus eius, quos postea dicit omnes irritos fore. Ideò autem hæc omnia tam perspicuè prædicat, vt videamus non temere, sed Dei prouidentia hæc euenire: deinde vt fortiores simus cum illa ipsa fiunt, quæ Deus per Vates suos nobis patefecit. Erunt semper qui omnia cõtemnent, pii verò rectè his vtũtur. Nos qui videmus euentus respondisse, non dubitare debemus quin euentura sint alia quoque quæ Deus prædixit. Videndum autem quid prædicat, deinde quando & quomodo hæc impleta sint in primo & secundo Gogo.

Cogitationes Gogi.

Et erit in die illa, ascendent verba super cor tuum. Sermone ad Gogum conuerso dicit, Tunc temporis, ascendet super cor tuum דברים defarim verba, hoc est, variæ res tibi in mentem venient: seipsum explicat mox sequentibus verbis.

Cogitabis cogitationem malam. Tibi animo propones res malas nimirum de perdendo populo Dei. Macedones & postea pontifices & Turci, non temerè adorti sunt populum Dei, sed antequam eum adorirentur, varia iniecerunt consilia. Maturè mala cogitarunt, tandem oblata occasione animum suum hostilem prodiderunt: hodie quoque res in omnes partes versant. Quodnam eorum fuerit consilium, explicat: nempe vt inuaderent & spoliarent populum Dei.

Securitas damnosa.

Dices, Ascendam contra terram villarum, veniam ad quiescentes & habitantes confidenter, &c. Dicere pro constituere & decernere sæpe ponitur. Quando homines liberi sunt à metu hostili, non agunt excubias, non muniunt vrbes, non claudunt portas, at noctu cuiuis eas aperiunt, non ædificant arces quibus hostes arceant. Israelitæ ex Babylone reduces, pace constituta cum vicinis gentibus, securi fuerunt, vrbes non circumdederunt mœnibus, non explorarunt hostium consilia, quæ securitas eos in maxima pericula cõiecit. Quod enim Macedonas attinet, simulabant se Iudæorum bonos vicinos esse, blandiebantur



diebantur illis, vt illos inopinatò opprimerēt. Antiochus sabbathis cùm quieti essent, urbem oppugnabat. Secundus Gog etiam securis insidiatur. Turcæ Christianis stertentibus multas prouincias ademerunt. Pontifices Romani vt historię testātur, sæpe fœdera pacis pepigerunt cum principibus, vt incautos & nihil hostile metuentes facilius opprimerent. Quoniam autem audiuius Antichristum securis insidiari, abiicienda est securitas. Fidere quidem aliis oportet, vt Germanico prouerbio dicimus, etsi quotidie latrocinia committantur: interim pii nō debent impios ex se metiri, sed cauti esse, præsertim si non obscurè sibi insidias parari videant. Contemnendo periculum non vincitur. Israelitas hoc loco sua securitate hostes attraxisse legimus: si vigilassēt & rebus ad bellum necessariis fuissent instructi, fortè hostis bellum ipsis non intulisset. Non quidem spes ponenda est in armis, & locorum munitionibus, tamē hæc præsidia non prorsus sunt contemnenda. Argumentum protectionis diuinæ hinc peti potest, quòd fideles, qui simplices sunt & aperti, & plerunque humanis præidiis, consiliis, & aliis id genus, destituuntur, quibus filii huius seculi excellunt, nihilominus tamen ab impiis non prorsus extinguuntur, Deo mirabiliter eos conseruante. *Vt spoliis spolia, & præderis prædam vt reducas manum tuā super ruinas inhabitatas &c.* Consilium hostium est, spoliare populum Dei, & reducere manum, hoc est, repetitis vicibus iniicere manum in loca quæ ruinosafuerūt, sed restituta sunt ab eductis ex captiuitate. *Faciendē pecudes & opes*, hoc est qui rei pecuariæ dant operam. Israelitæ ex pecore nō solùm necessaria habuerūt, sed & opes collegerunt. In lib. Machab. narratur quomodo Antiochus ingressus templum Hierosolymitanum sacrilegè spoliarit: hodie quoque inhiant Antichristiani piorum opibus. Quia fumum, bullas, plumbum, magna pecunia redimere amplius nolunt: Antichristus totis viribus eos oppugnat, & armis in priores tenebras detrudere conatur: vt omnia eis denuò precio vendere, eòsque expilare possit: interim prætexit alia impiis conatibus suis, nēpe quòd ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, velit reducere hæreticos &c. Non autem bona tantùm mobilia, piis auferunt, sed & terram ipsorū & domicilia aliis tradunt. De hoc nihil dicam, quomodo Antichristus opes Ecclesiæ ad se rapuerit, & in malos vsus eas conuertat. *Seba & Dedan & negociatores Tharsis, & omnes leunculi eius dicent tibi &c.* Quidam intelligunt istas gentes hosti reluctaturas, & exprobraturas ei sæuitiam: sed hæc potius dicit, has gētes se coniuncturas hostilibus copiis, siue sua sponte siue coactas. Per Tharsis quidam Carthaginem, alii mare mediterraneum intelligunt: per leunculos, reges & principes: Saba natio est Æthiopica & Indica: Dedan Idumææ finitima Theodoretò teste. De Sabæis scribit Strabo lib. 16. Sabæi fœlicem Arabiam incolūt, homines propter maximam fructuum copiam ociosi segnēsque viuunt: sub rege sunt: tum ipse tum etiam sui in deliciis muliebribus viuunt. Suppellectilem ex auro & argento multam habent: vasa, lectos, tripodas, crateras cum operculis, domosque sumptuosas. Nam & portæ & parietes & tecta, ex ebore, auro & argento, lapidibusque incrustatis sunt distincta. Propter tantam rerum copiam, & hos mores, Vergilius lib. 1. *Georgicorum* eos molles, hoc est, segnes, ociosos & voluptuarios vocat. Priori Gogo Arabes vicinos se coniunxisse, est verisimile. Mahomet ex Arabibus prodiit. Pontificibus Romanis adiungunt se reges, principes, mercatores, homines auari, molles & viuentes in deliciis, qui nolunt voluptates suas propter Christum amittere, aut crucē ferre, Apocalypsis capite 18. Hi vel instigant Antichristum sua sponte crudelem contra pios, & oleum camino addunt: vel nefariis eius conatibus non obstant.

*An non in die illa, cùm habitauerit populus meus Israel confidenter, scies?*

Securitas  
duplex.

Eadem ferè repetit quæ antea dixit: non enim satis hæc possunt hominibus inculcari. Gog omnes res populi Dei cognitæ & exploratas habebit. Quod Macedonas attinet, res Israelitarum notissimas habuerunt. Idem de posteriore Gog, hoc est, de papistis & Turcis potest dici. Daniel cap. 7. paruo cornu, per quod Antichristi regnum significatur, oculos hominum tribuit, hoc est, prouidentiam, astutiam & calliditatem. Romani pontifices in principum aulis, in comitiis, suos oratores siue coricæos habent, in singulis ferè oppidis suos præsidarios milites, monachos. confessione item auriculari veluti adulterinis clauibus secreta hominum aperiunt: per suos cursores, qui per equos dispositos magna celeritate itinera cõficiunt, singulis ferè diebus de rebus omnibus ex diuersis partibus, certiores redduntur: si videant Christianos securos esse, statim de bello eis inferendo cogitant. Duplex autem est securitas. Vna quæ ex Euangelio per fidem in Christum concipitur, altera quæ nascitur ex incredulitate & contemptu verbi Dei, vel ex imbecillitate fidei & vana persuasione. de vtraque hic locus potest intelligi. Antichristus si videt pios fiducia sua in Christum posita, de sua salute securos esse, non redimere merces papales, aut cum negligentes esse intelligit, arma ipsis infert.

*Et venies è loco tuo, è lateribus Aquilonis, tu & populi multi tecum.* Gogum venturum dicit maximo cum exercitu, qui præcipuè equitatu constet. Vnde venturus sit, prædicit, è lateribus Aquilonis, hoc est, ab extremis regionibus quæ sitæ sunt ad Septentrionem, nimirum ex Babylone. Quomodo venturus sit, similitudine explicat sumpta à nubibus. Nubes atræ minantur grandines & tempestates, sed sæpe ventis dispelluntur: ita Antichristus Ecclesiam videtur oppressurus, sed etsi eam grauissimè affligat, tamen conatus eius votis non respondent. Quando hæc fient nouissimis temporibus. Quanto magis appropinquat dies nouissima, tanto rabiosius Antichristus furit. Christus de nouissimi temporis periculis loquutus, Matth. 24. Hæc, inquit, initia sunt dolorum, non igitur est quòd tempora meliora expectemus. Accendere hæc in nobis debent desiderium vitæ æternæ. Obseruandum est quòd Deus quantumuis afflictos propter peccata, adhuc populum suum vocare dignatur. Licet ab hostibus nostris miserè tractemur propter nostra peccata, idque permittente Deo, non tamen nos abiicit, sed adhuc nos, populum suum & filios suos agnoscit. Si adhibeas historiam, constat Antiochum & alios hostes populi Dei exercitus ingentes contra ipsum eduxisse. Nostro tempore Turci contra Christianos innumerabiles copias adducunt. Pontifices multos armarunt contra fideles, contra Bohemos commouerunt totam Germaniam, imperatorem Henricum 4. bis & sexagies signis collatis pugnare coegerunt. A Babylone, hoc est, è Roma omne malum in Ecclesiam Dei, tanquam tempestas effunditur.

*Et educam te super terram meam.* Ne putemus Gogum suo arbitrio omnia facere, Deus dicit, se educturum ipsum super terram suam, quod emphasim habet: ipsum quoque reducit, cum ei visum fuerit.

*Vt cognoscant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis meis.* Deus dicit se illum Gogum adducturum, non in bonum hostis, sed in gloriã suam. Quæque ætas suos Antichristos habuit, in quorum interitu gloria Dei illustrata fuit. Ostendit enim Deus suam potentiam perdendo impios, bonitatem asserendo suos fideles.

*Nam tu es ille de quo loquutus sum diebus antiquis per manum Prophetarum &c.* Deus vetustis temporibus Gog, hoc est, Antichristum venturum prædixit. Appellat Prophetas seruos suos, id passim inuenies in sacris Literis: discamus igitur nos honorificè de Dei Prophetis loqui. Numer. 11. capite, scribitur

Vaticinia  
vetusta de  
Gogo.

bitur septuaginta seniores, inter quos Eldad & Medad fuerunt, Spiritu Dei ornatos res futuras prædixisse : vbi quidam ex Heb. annotant, eos maximè de bello futuro tempore Mesiæ contra Gog & Magog vaticinatos esse: quod an verum sit non possumus statuere. Alios Prophetas de Antichristo prædixisse certum est. Nam quæ de tyrannis illis scribunt, qui populum Dei afflixerunt, ad Antichristum aliquo modo pertinent, nam typus eius fuerunt. Isaias 11. cap. negocium Christi describens, inter alia dicit, quod Spiritu labiorum suorum impium perditurus sit, vbi non de quouis impio loquitur, sed per antonomasiam de Antichristo. Daniel 11. cap. & Zacharias 14. apertè scripserunt de Antichristo, de quibus tamen hæc Ezechielis verba cōmodè non possunt accipi: loquitur enim de vetustioribus. Vel fortassis dicere possumus, eum loqui de illis quorum libri perierunt. In epistola Iudæ extat fragmentum Enochii de perdendo Antichristo & omnibus impiis. Theodoretus huc accōmodat loca Osee 2. Joelis. 3. Micheæ 4. & Zach. 4. caput. Quicquid sit, certum est Deum per Prophetas suos de Gogo vetustis temporibus prædixisse, idque in bonum fidelium suorum, ne scilicet offensi multitudine adhærentium Antichristo, & eius in his terris fœlicitate, malisque ingentibus quæ fidelibus inferunt, è Christi castris ad castra Antichristi transfugiant. Valde mouentur homines fortuna in vtranque partem: cùm autem sint præclaræ victoriæ regni Turcici & Pontificii, Ecclesiæ verò tam latè vastatæ sint, multi sequuntur victricia arma, quidam expetunt amicitiam cum eis, quidam impiam ipsorum doctrinam amplectuntur & defendunt. Quoniam verò Deus vetustissimis temporibus de Antichristo per suos seruos vaticinatus est, cur non hodie quando in Ecclesiâ dominatur, contra ipsum liberæ essent voces?

HOMILIA CLXV.

*J De interitu Antichristi & membrorum eius.*

18 Et erit in die illa die qua venerit Gog contra terram Israel, dixit Dominus Iehouah, ascendet ira mea in furore meo.

19 Et in zelomeo, in igne iræ meæ loquutus sum, Si non in die illa fuerit commotio magna super terram Israel.

20 Et contremiscent à facie mea pisces maris, & volucres cæli & bestia agrorum, & omne reptile quod reptat super terram, & omnes homines, qui sunt in superficie terræ: diruenturque montes, & corruent gradus, & omnis murus in terram corruet.

21 Et aduocabo aduersus eum in cunctis montibus meis gladium, dixit Dominus Iehouah: gladius cuiusque in fratrem suum erit.

22 Et iudicio contendam cum eo peste & sanguine: & imbrem inundantem, & lapides grandinis, ignem & sulphur pluerem faciam super eum, & super exercitus eius, & super populos multos qui erunt cum eo.

23 Et magnificabor & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium: & scient quòd ego Iehouah.



Deus per os Prophetæ prædixit Gogum ingentes copias educturum contra Israel, idque hoc consilio, ut eum funditus excindat. Prædixit adhæc pugnaturum ex insidiis, cumque minimè expectarint, tanquam ingentem tempestatem venturum: sequitur iam deinceps de eius pœna & interitu & primò quidem de tempore, quando interiturus sit, deinde quomodo, tertio quid ex interitu ipsius sequuturum sit, quæ ideo diligenter annotanda sunt, quòd statim successibus impiorum, & ærumnis piorum offendimur, non cogitantes vices aliquando fore. *Erit in die illa, die qua venerit Gog contra terram Israel, &c.* Non hoc vult dicere, Gogum in primo conatu, si contra populum Israel expeditionem suscipiat, opprimendum esse, sed suo tempore, cum mensuram peccatorum impleuerit. Daniel enim & ipse Christus prædixerunt, quòd Deus Antichristo multum contra populum suum permissurus sit, idque propter eorum peccata. Si Macedonum res consideres, urbem ceperunt eamque diripuerunt, populum captiuum abduxerunt, multisque malis presserunt. Si posterioris Gog, hoc est Turcarum & pontificum res expendas, & illi diu afflixerunt Ecclesiam Dei, & multa grauia bella magno successu contra eam gesserunt. Deus irascitur Antichristo & Antichristianis, cum vel cogitant inferre arma Christianis, nedum cum arma eis inferunt: sed non statim eos opprimit, multæ enim sunt causæ ob quas conducit Ecclesiam cruce exerceri, quæ alibi recitatæ sunt.

*Ascendet ira mea in furore meo*, hoc est, Si terram ingreditur, vehementer irascar. Luth. per iram intelligit Gogum, qui ascensurus sit, eò quòd sit vas iræ diuinæ, per quod iram suam effundat contra populum. Isaïæ 30. describitur ira Dei contra suos hostes.

*Si non in die illa fuerit commotio magna.* Particula est iurandi, ut sit sensus: Certè erit magnus tremor vel terræmotus. Descripsit ingētes copias Antichristi, & dixit quòd tempestatis instar venturæ sint: per antithesin nunc describit potentiam Dei, quam terræmotu declarat. Contremiscent, inquit, omnia animalia à facie mea, hoc est, à mea præsentia, vel à meo aduentu. Dicit se magna gloria venturum, sicut descendit in montem Sina ut legem promulgaret.

*Diruentur montes.* Quæ terræ motum sequutura sint ostendit. A conspectu meo omnia commouebuntur. Hyperbole est in his verbis. Per montes arces intelligo quæ montibus imponuntur quanquam terræ motu montes etiam findantur. Perruptis terræmotu montibus, in Thessalia effusas prius stagnantes aquas, nudatosque spaciosissimos campos, legimus. *Et corruent gradus*, Scalæ vel cochleæ, per quas in altas arces & sumptuosa ædificia ascenditur. Hier. sepem vertit, sed in comment. munitiones significare dicit. Tigurina versio habet, aggeres. *Et omnis murus in terram corruet*, hoc est, munitiones, turres, domus. Deo pro populo suo expeditionem suscipiente, nulla potentia humana eum potest impedire: omnia vel solo flatu prostermit. Alii intelligunt de commotione & consternatione piorum. Certum enim est vincente Antichristo, omnia terroribus impleri. Homines quantumuis pii de periculis præsentibus secundum humanam rationem iudicantes, tantum non desperant. Nouissimo die, etiam pii animis percellentur, mox tamen se iterum erigent.

*Aduocabo aduersus eum in singulis montibus meis gladium, &c.* Hoc est, cum exultabunt impii, & pii miserè affligentur, commouebo contra Gogum milites, qui arrepto gladio, nefarios eius conatus reprimant.

Vox vocandi ostendit nullo negotio adducendos, ut cum quis vocat suos famulos ut aliquid expediat. Deus copiis suis eum conficit. Antiochum, Turcos, Pontificios, multas clades à fidelibus accepisse, historiæ testantur. Quam fortiter se gesserint Bohemi contra exequutores concilii Constantiensis, quam fortiter Galli contra hostiles papæ exercitus, nulla ætas conticescet. Deinde ipsius Gogi milites inter se committit, ut mutuis vulneribus cadant, & ita Antichristi vires minuantur. In lib. Iudicum cap. 7. & Isaïæ 10. de Madianitis & Assyriis legimus, quod mutuis vulneribus se ipsos confecerint. Nostra ætate non semel ipsi pontificii inter se commissi, Ecclesiæ Dei inducias vel inuiti concesserunt. *Et iudicio contendam cum eo peste & sanguine, &c.* Non solum mutuis vulneribus cadet, sed ego etiam animaduertam in eum peste & sanguine, id est, varia cæde. Iustum enim est, ut qui aquæ instar sanguinæ picorum fuderunt, ipsorum quoque sanguis fundatur. *Ignem & sulphurem pluuere faciam super eum.* Iustum est ut Antichristus qui multos cremavit, vicissim igne crucietur. Alludit ad supplicium Sodomorum, Gen. 19. Psalmo 11. dicitur, *Laqueis igne & sulphure pluam super impios.* Iosue 10. capite, *Lapidibus pluit super hostes.* Non absimilis historia in rebus Theodosii legitur. *Super eum & super exercitus eius, &c.* Notandum est non Gogum tantum, sed & eius auxiliares copias pœnas daturas. Nemo igitur tutum existimet se coniungere multitudini hostium Dei. Quæ de pœnis Antichristi dicuntur, partim in hac vita implentur, turbat enim Deus eorum fœlicitatem, neque finit eis omnia ex animi sententia succedere: partim implebuntur ultimo die, quando Deus Antichristum & omnes quotquot eum colunt & observant, æterno exitio destinabit. De qua re plura in Apocalypsi. *Et magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis gentium multarum, & scient quod ego Iehouah.* Finis indicatur, ut se magnum & sanctum ostendat, utque multis gentibus innotescat. Deus enim cum perdit impios, & pios asserit, nomen suum celeberrimum reddit. Cum populum suum ex Ægypto eduxisset per mare Erythræum, & Pharoonem eiusque copias perdidisset, Chananæos consternatos fuisse, & prædicasse potentiam Dei Israelis, Rahaba testatur. Tandem omnibus nota erit Christi potestas, cum omnes alios principatus sustulerit. Hæc in ultimo illo Antichristi conatu, nos reficere & recreare debent, quod audimus Deum Ecclesiæ suæ non defuturum. Daniel 12. cap. disertè inquit, *Stabit Michael, id est, Christus, dux magnus pro filiis populi.* Quid moliat Antichristus, quæ mala piis inferat, Deus videt & intelligit, ei irascitur, erga sponsam suam Ecclesiam zelo afficitur, eamque liberabit ex omnibus periculis & ærumnis. Breui enim illucescet lætissimus ille dies, quo Filius Dei resuscitabit mortuos, & sponsæ suæ dilectæ gloriâ æternâ tribuet, ac impios omnes in æternos cruciatus abiiciet.

HOMILIA CLXVI.

*De Antichristi & copiarum eius interitu  
atque sepultura.*

CAPVT. XXXVI.

1 **V** autem fili hominis vaticinare contra Gog, & dic, Sic dixit Dominus Iehouah, Ecce ego ad te, & Gog princeps capitis Mesech & Thubal.  
2 **Et contera te & sextam partem relinqua ex te, ascenderéque facia te,**

è lateribus Aquilonis, & adducam te super montes Israel.

3 Et excutiam arcum tuum de manu tua sinistra, & sagittas tuas de manu dextera tua deiciam.

4 Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi qui fuerunt tecum: volucris, volatilibus, omni alato, & bestiis agri dedi te ad deuorandum.

5 Super faciem agri cades: quia ego loquutus sum, dixit Dominus Iehouah.

6 Et mittam ignem in Magog, atque in eos qui habitant in insulis confidenter: & scient quod ego Iehouah.

7 Et nomen sanctum meum notum efficiam in medio populi mei Israel, & non sinam polluere nomen sanctum meum ultra: scientque gentes quod ego Iehouah sanctus in Israel.

8 Ecce venit & factum est, dixit Dominus Iehouah: hic est dies de quo loquutus sum.

**P**ropheta hoc capite vterius loquitur de interitu Gogi, hoc est, Antichristi & membrorum eius: causam addit cur domus Israel vexata & vastata sit ab Antichristo, quodque in tranquillum statum olim restituenda sit, pollicetur. Hanc prophetiam Iudæi secundum literam exponunt, & quia hæc quæ prædicuntur nondum euenerunt, nefas esse ducunt in Iesum Christum credere. Sunt autem quædam, ut videbimus quæ secundum literam nequaquam possunt intelligi. Quo ad veterem populum, Deus magnas victorias ei contra gentes largitus est, de quare testantur libri Machabæorum. Quo ad nouum populum, qui in locum Iudæorum successit, & ille præclaras aliquot victorias contra Gogum posteriorem, Turcas & Pontificios adeptus est, atque fieri potest, ut ante Christi aduentum vincant & in montibus Israel, id est, vel in locis in quibus Euangelium prædicatur, vel à populis verè inuocantibus Deum in fide filii eius Iesu Christi. In hac sententia sunt Melanchthon in suis comment. in Daniele in fine 7. capitis, & Pellicanus in hoc capite. Quam enim stupenda & inexpectata acciderint nostris temporibus nemo ignorat: de hoc tamen nihil certi possumus pronunciare, id verò certissimum est quod ultimo Christi aduentu Antichristus cum suis exercitibus penitus delebitur. Omnia ferè supra habuimus, propterea textum breuiter percurram.

*Ego conteram te. Vel conuertam te, in superioris capitis versu 3. hoc quoque verbo Propheta vsus fuit. Sextam partem relinquam ex te. Ad verbum est, si ita liceret dicere, Sextabo te, hoc est, Sex plagis te afficiam, de quibus in calce præcedentis capitis: nempe: peste, sanguine, sulphure, igne, grandine, tempestate: vel, Ad sextam partem te redigam.*

*Adducam te super montes.* Deus Gogum ducit & reducit nihil enim facere potest nisi quod ipse ei permiserit. Si hostes Ecclesiæ plenam haberent potestatem, actum esset de nobis.

*Excutiam arcum tuum de manu sinistra, & sagittas de manu dextera tua deiciam.* Quod olim magnus arcuum vsus in bellis fuerit, historici & poetæ, passim testantur. Hodie Angli, Scoti, Poloni arcubus vtuntur, magno hostium suorum malo. Arcus sinistra tenetur, telum dextra imponitur. Deus minatur irritos fore omnes eorum conatus: potentiam & vires eorum infringendam. Deo quoque tribuendum est si in præliis quæ

Anti-

Antichristus contra pios committit, bombardæ crudelibus votis ipsius non respondeant. *Omni alato & bestiis agri dedit ad vorandum.* Apud gentiles sepulturam in maximo pretio fuisse, sæpe diximus. Honorificum fuit, funus deduci magna pompa: Propheta autem minatur ad tempus aliqua saltem cadauera inhumata relinquenda, & à coruis atque vulturibus, item à lupis, vulpibus, canibus dilaceranda fore, id quod leue esset, nisi etiam infernalibus canibus & coruis, hoc est, dæmonibus proiicerentur. *Super faciem agri cades, quia ego loquutus sum.* Sæpe cogitandum hoc vel illud omnino fiet, quia Deus prædixit non homo. *Mittam ignem in Magog, atque in eos qui habitant in insulis confidenter, &c.* Vel ignem materiale intelligit, vel afflictiones. Populus Gogi, eiusque socii, tametsi putent se præsidio illius tutos fore, tamen non impunè ferent, quòd Ecclesiam oppugnant. Subditi enim & socii atque fœderati, non debent suis principibus & fœderatis suis adesse in rebus malis, de quo alibi. Suprà audiimus negociatores Tharsis dixisse: An nõ ad agendas prædas collegisti copias tuas? Per insulares & maritimos qui Antichristo iunguntur, puto significari auaros, inconstantes & crudeles. In insulis enim multi sunt mercatores, qui Antichristo sese accõmodant, ne subire opum discrimen cogantur. Erasmi, in prouerbio Saluginosa vicinia, scribit homines littorales cæteris ferè inhumaniores esse, tanquam immanitatis aliquid, ex inhumanissimo elemento contrahant. Strabo dicit: Mare attingentes deteriores effecti latrocinari cœperunt, & hospites mactare, &c. Hinc factum vt maritimi mores per prouerbiũ pro pessimis & inconstantibus, marisque quod nunquam quiescit, ingenium referentibus, celebrentur. Isaias mari impios comparat. Quod de maritimis dicunt, nõ minus ad insulares pertinere videtur: non quòd omnes illis moribus esse existimem, scio enim in insulis passim multos esse qui mediterraneos humanitate & pietate si nõ præcedant, tamen æquent præsertim in illis insulis qua Euangeliũ amplexæ sunt. *Et nomen sanctum meum notum efficiam.* Quemadmodum imperatores belli vnã & alteram præclaram victoriam consequuti, sibi magnum nomen cõparant: ita Deus Gogum & membra ipsius conficiens, nomen suũ illustre & celebre reddet. *Non sinam polluere nomen sanctũ meum ultra.* Si calamitates Israelis, cui Deus tanta bona toties promisit, subinde cõtinuantur, malè audiret, quasi stare promissis nõ posset, proinde suis quoque cultoribus interdum victorias vel inducias largitur, nouissimo verò die splendidissimam de omnibus suis hostibus victoriam repottabit. *Scient quòd ego Iehouah sanctus in Israel.* Nunc suis diis victoriam ascribunt, eosque magnis sumptibus venerantur, meam imbecillitatem accusantes: tunc verò intelligent, Deum Israelis verum esse Deum, & pugnare pro suo populo. *Ecce venit & factum est.* Præterita loco futurorum ponuntur, vt sæpe aliàs. Venit, nimirum tempus salutis piorum & excidii impiorum, vel hæc propheta. Nam quod ad veterem populum, statim in ædificio templi & mœniorum vrbis occupatum, hostes vexarunt, quorum conatus Deus impediuit. Quo ad nouũ populum, Antichristus subinde eum excindere frustra molitur, Deo conatibus ipsius obsistente. Nos ex his colligimus, illos qui religionis veritatem ex victoriis metiuntur, toto cœlo errare, item illos qui vel Turcarum vel Pontificum potentia, crudelitate, astutia Ecclesiam subuertendam putant: Christus enim & Antichristum & eius membra, licet nunc triumphent, funditus tãdem euertet. Nemo itaque captus admiratione potentiæ & victoriæ, aut fractus nostris ærumnis, ad impios deficiat, & arma sua cum illis coniungat: sed potius Moyse exẽplo varia mala vnã cum aliis populi Dei membris sustineat, donec Deus omnibus malis perfunctos in æternam patriam transferat.

Insulares  
homines  
mali.

**I** Israelitas ex urbibus effusos, arma hostilia combusturos, & cadauera terra mandatu- ros prædicit.

9 Et egredientur habitatores urbium Israel, & succident, atque comburent arma, & scuta & clypeos, arcus & sagittas, & baculos manus, & lanceas, & succident ea igni septem annis.

10 Et non portabunt ligna de agro, nec succident de syluis, quoniam arma succendent igni, & spoliabunt spoliatores suos, & prædabuntur prædatores suos, dixit Dominus Iehouah.

11 Et erit in die illo, dabo ipsi Gog locum sepulchri ibi, nempe in Israel, vallem transeuntium ad Orientem maris, hæc que obturare faciet transeuntes nares: & sepelient ibi Gog, & vniuersam multitudinem eius: & vocabunt eam Vallem Hamon Gog.

12 Et sepelient eos domus Israel, vt mundent terram septem mensibus.

13 Sepelient inquam eos cunctus populus terræ: eritque eis in nomen, die quo glorificatus fuero, dixit Dominus Iehouah.

14 Et viros quotidianos segregabunt, qui transeunt per terram, sepelientes, cum iter facientibus, remanentes in superficie terræ, vt emundent eam: in fine septem mensium inquirent.

15 Transibunt autem transeuntes, & quum quis viderit ossa hominis, ædificabit iuxta illa signum, donec sepeliant ea sepultores illi Gog, in valle Hamon Gog.

16 Et etiam nomen ciuitatis erit Hamonah: mundabuntque terram.



Equitur iam deinceps de spoliatione & sepultura cadauerum hostilium. *Egredientur habitatores urbium Israel, &c.* Ciues ex oppidis visendi & spoliandi gratia procedent, arma & instrumenta quæ ex ligno constant, comportabunt, ignemque ex illis incendent septem annis. Tanta enim omnis generis instrumetorum bellicorum erit copia, vt neque ex agris, neque ex siluis toto illo tempore ligna comportanda sint ad fouendum ignem, sed septem annis ad hunc vsum illis suppetent. Armorum species aliquot recenset, sub quibus alias quoque comprehendit. *Clypeos & scuta.* Tigurina & Munsteri versio habet, Clypeos & hastas, sept. Scuta & contos. *Baculos manuum*, hoc est, scipiones qui manu gestantur. In castris multi variis morbis afficiuntur, vel vulnerantur, qui scipionibus vtuntur. Fustes habet Tigurina versio, Lutherus *fuststangen*. Vox Hebræa *hpn makel* à leuando deducitur, nimirum quòd corpus sustineat & alleuet. Iudæi secundum literam hæc intelligunt, & quia tam insignem victoriam nunquam ex hostibus suis reportarint, negant Melsiam venisse, in cuius aduentu hæc certò euentura sint.



At hyperbolica est oratio, quales multæ sunt in Scripturis sacris, & quotidiano sermone. Ge. 22. Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas <sup>Hyperbole:</sup> cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Iudicum 7. Cameli autem innumerabiles erunt, sicut arena quæ iacet in littore maris. Iosue 11. ca. Egressi sunt ipsi & omnia castra eorum cum eis, populus multus tanquam arenam quæ est iuxta littus maris, & c. 2. Sam. 1. David in Epicedio Saulis & Ionathani, eos velocius aquilis & leonibus fortiores fuisse dicit. Manasses urbem Hierosolymorum ad pinnas murorum sanguine impleuisse scribitur. Nos aliquem sagitta celerius concurrisse dicimus, toto anno à nobis visum non esse, quem ante aliquot septimanas vidimus, & c. Propheta nihil aliud indicare vult, quàm Deum maximam hostium stragem editurum: nam cum committuntur magna prælia, passim iacent arma. An Christus insignem aliquam suorum hostium stragem ante diem nouissimum editurus sit, affirmare non possum, certum tamen esse antea quoque dixi, quòd Deus ultimo die omnes suos hostes perditurus sit, id quod hac allegoria maximæ stragis significatur. Hanc sententiam confirmat locus Isa. ultimo capite: Egre-  
dientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: quoniam vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur, & erunt opprobrium omni carni: ubi Deus per Prophetam manifestè de ultimo iudicio loquitur, de præmiis piorum & suppliciis impiorum, allegoria à bello sumpta. Hostes enim urbem aliquam longa obsidione prementes, si à sociis obsessorum fundantur, effunduntur ciues extra portas ad spectandam stragem suorum hostium, volentes hostilia cadauera, & c. Significatur etiam deinceps summam pacem fore, cum arma non conseruentur ad usum aliquem belli sed cremantur. *Spoliabunt spoliatores suos, & c.* Iustum hoc est Dei iudicium, vt qui alios spoliant, vicissim spolientur. Isa. 33. Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Exemplo nobis sunt tot regna & vrbes, Niniue, Roma, item alia, in quas spolia totius orbis congesta fuerunt. Idem iudicium expectent qui domi in pace alios dolis & fraudibus expilant. *Dabo ipsi Gog locum sepulchri ibi in Israel vallem transeuntium, & c.* Impiorum cadauera semilacera humanda esse dicit. *Ad Orientem maris.* Versus mare mortuum, id est, Sodomiticum, quod est in parte Orientali. Iustum autem est vt ibi pereat & sepeliatur Antichristus.

*Hæc obturare faciet transeuntibus nares.* Hæc vallis obturabit nares prætereuntium propter odorem foetidum illic ex cadaueribus excitandum. Describit <sup>Tophet ty-  
pus inferna-  
lis carceris.</sup> per periphrasim Tophet vel Gehennam: in qua Ierem. quoq; Iudæos minatur sepeliendos 7. & 19. cap. & loco se immutaturum nomen, vt dicatur mox Polyandron, vt Cynosarges Græcis. Porro Antichristum coniiciendum in stagnum ignis ardens sulphure, Apoc. 19. 20. & 21. manifestè dicitur. *Vocabunt eam vallem Hamon Gog* hoc est, vallem multitudinis Gog: quia ingens multitudo Gogitarum ibi occumbet atque sepelietur: non itaque semper tutum est multitudinis exemplum sequi.

*Et sepelient eos domus Israel, vt mudent terram septem mensibus.* Quòd per septem menses occupati fuerunt tumulandis hostibus, ostendit maximum cæforum fuisse numerum. Sepelient autem eos non honoris causa, sed vt terram suam à fordibus repurgent. *Erit eis in nomen dies quo glorificatus fuero.* Tigurina versio habet, *Isque dies ille quo glorificatus fuero, celebris erit eis*, hoc est, Dies ille quo gloriam meam asserui, illis nunquam excidet: in fastos suos diem illum referent, candido calculo eum notabunt. Nō facillè dierum quibus vel bona vel mala nobis euenerunt, obliuiscimur. Alij sic exponunt, Pariet illis nomen celebre, quòd hostes suos honore sepulchri dignati sint: gentes prædicabunt hanc eorum misericordiam. David missa legatione laudat ciues Iabes Galaad qui cadauer Saulis ab hostibus ludibrio affectum terræ mandarant, 1. Sam. 31. & 2. Sam. 2. cap. & c.

*Et viros quotidianos segregabunt qui transeant per terram sepelientes, cum iter facientibus remanentes in superficie terræ, &c.* Viros separabunt, hoc est, quosdam eligent, quos vocat quotidianos, id est, assiduos: qui assidue circumeant, & cadauera inquirent. Lutherus in suis Bibliis Germanicis hunc locum planius vertisse videtur: Et segregabunt viros qui terram subinde pertranseant, & cum illis polinctores, qui sepeliant relictos super terram, vt mundetur. In fuga vulnerati hinc inde diffugiunt, latibula quærunt, & quia nemo eos curat moriuntur: Deligentur itaque dicit, certi homines, qui cadauera passim quærant, illis additi pollinctores inuenta sepeliant.

*In fine septem mensium inquirent.* Munsterus reddit, *A fine septem mensium finient explorationem:* Tigurini, *Ab extremitate inquirent, idque septem mensibus:* vt sit sensus, Euolutis septem mensibus finem inquirendi facient. Hac hyperbole iterum indicatur magnitudo cladis, quam Gogitæ accepturi sint, & quam numerosas adducturi sint copias.

*Et videbit os hominis, & edificabit iuxta illud signum.* Si quis ex illis qui ad hoc constituti sunt vt terram lustrent & cadauera hostilia inquirent, incidit in ossa hominis, signabit locum vt pollinctores postea collecta in valle multitudinis Gog terra obruant. Ossium fit mentio, quia quæ diutius insepulta iacent, vorantur à bestiis, vt vix ossa relinquuntur. *מַצְבֵּי* significat signum, titulum, ex vno lapide vel pluribus coaceruatis, vt cognoscatur locus in quo iacebāt ossa humana. Signare etiam baculis potuerunt loca illa in quibus reliquiæ hostium ab eis repertæ fuerunt.

*Etiam nomen ciuitatis erit Hamonah.* Ciuitas ab euentu nomen accipiet, *Hamonah*, multitudo eius, vel tumultus eius, à multitudine hominum ibi sepulcorum. *Polyandriion*. Septuaginta reddiderunt *πολυάνδριον*, quam vocem Oecolompadius à Canonibus Ecclesiasticis hinc vsurpatam esse dicit. *Polyandriion* locum significat vbi multa sunt sepulchra, cœmeterium. Legimus pios sepe numero locis noua nomina indidisse ad retinendam & refricandam beneficiorum Dei memoriam. Gen. 28. cap. Iacob patriarcha locum in quo viderat scalam pertingentem in cœlos, Bethel appellauit, qui prius Lusa vocabatur, 32. cap. locum in quo obuiam ei facti sunt Angeli, *Mahanaim* castra vocauit. In eodem cap. dicitur quòd cum luctatus esset cum Angelo illi loco nomen imposuerit *Phanuel*, &c. Filiis quoque suis nomina imposuerunt, quibus eos de variis rebus admonerent. Moses Exodi 2. capite filium suum quem ex Sipora filia Iethronis in exilio sustulerat, *Gersom* vocauit. In hunc finem festi quoque dies instituti sunt, ne nobis memoria excidant beneficia Diuina. conseruanda est beneficiorum Dei memoria, & transmittenda ad posteros. Propheta diligenti illa narratione de cadaueribus sepultis, indicare videtur, fideles Dei aliquando immunes fore ab omni hostium terrore: non enim ab illis metuimus, quos nostris manibus sepeliuimus: item terram uiuentium repurgatam esse ab omnibus sordibus. In Apocalypsi vigesimoprimo capite, de Ciuitate Dei dicit, Non intrabit in eam aliquid quod inquinat, aut abominationem facit aut mendacium: nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni: vltimo capite, Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ & idololatræ, & omnis qui amat & facit mendacium.

Septem mensibus cadauera ab omni populo sepelienda dicit, quo significari puto totum vitæ nostræ tempus consumendum in sepeliendis & expurgandis veteris Adami reliquiis. Per viros designatos vt indicent cadauera, eorumque reliquias, & per illos qui obruant, significari puto diuersas in Ecclesia functiones, quidam notare debent foeditatem, alij indicatam prorsus obruere & eliminare.

Ex hoc quòd omnia arma exusserunt, quidam colligunt quòd cum Antichristus

christus profligatur, funditus omnia tollenda esse, quibus nocuit piis, ut altaria, idola, monasteria, ut quidam nostro tempore fecerunt, quo etiam spes recuperandi amissa eis penitus auferatur. ne iuxta Christi verbum nouissima fiant deteriora primis. D. Hieronymum & Lyranum consulant qui allegoriis delectantur, illæ quas hoc loco afferunt, mihi quod pace illorum dixerim, parum concinnæ & venustæ videntur. In numero septenario & aliis, latere mysteria non diffiteor, quæ peritioribus eruenda relinquo.

HOMILIA CLXVIII.

*Quod Propheta iussus sit conuocare aues & bestias  
carniuoras, ut carnibus & sanguine Gogitarum  
saturentur: item de fructu victoriae con-  
tra Gogum eiusque exer-  
citurum.*

17 Et tu fili hominis, Sic dixit Dominus Iehouah, Dic volucribus, omni alato, & omni bestiaë agri, congregamini, & venite: colligite vos undique ad sacrificium meum quod sacrificabo vobis, sacrificium grande super montes Israel, & comedetis carnem & bibetis sanguinem.

18 Carnem, inquam, fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis, arietum, agnorum & hircorum, bouum, bubalorum qui in Basan omnes saginati sunt.

19 Et comedetis adipem ad saturitatem, & bibetis sanguinem ad ebrietatem vsque, de sacrificio meo quo sacrificavi vobis.

20 Et saturabimini super mensam meam, equis, & curribus fortibus, & omnibus viris bellatoribus, dixit Dominus Iehouah.

21 Et dabo gloriam meam in Gentibus, videbuntque omnes gentes illæ iudicium meum quod feci, & manum meam quam posui eis.

22 Et scient domus Israel quod ego Iehouah Deus eorum à die illa & deinceps.

23 Scient quoque Gentes quod propter iniquitatem suam captiui ducti sunt domus Israel, propterea, inquam, quod præuaricati sunt in me: & abscondi faciem meam ab eis, tradidique eos in manum hostium suorum, & ceciderunt gladio omnes.

24 Secundum immunditiam eorum, & secundum præuaricationes eorum feci cum eis, & abscondi faciem meam ab eis.

**P**er prosopeiam quandam, inuitat alites & bestias *προφάγουσ* ad cadauerum hostilium lacerationem. At iam, inquis, de sepultura cadauerum & ossium egit. Verum est, sed quod supra versu 4. paucis verbis dixit, iam plenius declarat. Non autem ut ratione præditis ipsis hoc imperat, sed ut rationis participibus, dicit Theodore. Y. ij.

tus, hæc se permittente fieri persuadeat. *Colligite vos undique ad sacrificium meum, &c.* נבשׁ *sebach* victimam vel mactationem suam vocat, eò quòd illorum cædes sua voluntate facta est. Conuocat bestias & aues carniuoras, vt saturentur carnibus & sanguine Antichristianorum. *Arietum, agnorum, hircorum, bubalorum, qui omnes saginati sunt in Basan.* Intelligit opibus, viribus, & ingenio præstantes. Multi enim egregiis donis ornati, se Antichristo adiungunt. Basan fuit regio tranfiordanina Og regis, quæ pascuis & nemoribus abundans, obuenit dimidiæ tribui Manassis, Numeri 32. capite, quòd pecorosa esset. Amos 4. cap. regni proceres vaccas Basan vocat, eò quòd molles & ociosi deliciis vacarent, Reipub. & religionis nullam rationem habentes. Per agnos subiectos populos significauit.

*Saturabimini super mensam meam, equis & curribus, &c.* hoc est, In conuiuio quod vobis parauit, apponam vobis equites fortésque viros, quibus tanquam pinguis bestias saturabimini, &c. Explicat quid antè per arietes, hircos & tauros intellexerit, nempe reges, principes, & optimates. Res enim ipsa declarat hæc secundum literam non esse intelligenda: quis enim dicat aues & bestias mensæ alicubi adhibendas? Alludit ad mactantes, & instruètes conuiuium, ad quod vocant vicinos & cognatos, & inuitatis dicunt, vt est Matth. 22. Prandium meum parauit, tauri mei & altitia parata sunt, venite, &c. Hæc allegoria ostendit Antichristum omnésque impios, variis suppliciis extinguendos, magnamque stragem edendam, ex qua aues & bestia saturentur. Conuocat enim omnes aues omnésque bestias undique: mactationem vocat magnam: semel & iterum saturandos dicit, & bibituros vsque ad ebrietatem. Alibi quoque Prophetæ minantur impiis, quòd corpora eorum obiicienda sint feris & alitibus, vt Iere. 7. 19. & 22. Ioachimium dicit habiturum sepulturam asini, hoc est, abiiciendum inhumatum. Isaias 14. regi Babylonis minatur, quòd de sepulchro suo extrahendus sit. Ieremias 8. idem regum, principum, sacerdotum, & prophetarum ossibus, effractis sepulchris, euenturum dicit. Magna fuit in populo Dei & apud Gentiles sepulturæ ratio, sed non eadem ob causas. Tertul. scribit de anima Gentiles credidisse animas diu errare in terris, nisi corpora fuissent humata. Ideo Hectorem apud Homerum rogasse Achillem, vt cadauer suum Priamo mitteret sepeliendum, &c. Apud Athenienses tanta fuit sepulturæ cura, vt si quis dux illos qui bello occubuissent, sepulchro honestare neglexisset, capite plecteretur. Horribile fuit insepultum abiici. Pij sepulturam semper magnificerunt, & adhuc magnificiunt propter spem resurrectionis. Fit tamen non rarò vt ipsi quoque sepulchro careant: vtque opes, sanitatem, honores amittunt, ita hoc quoque bonum. Rectè autem dicit Chrysosto. vt impiis nihil proficit magnifica sepultura, ita piis nihil obesse si cadauera eorù obiiciantur bestiis. In Psalmo queritur Propheta: Effuderunt sanguinem seruorum tuorum circumquaque instar aquæ, nec est qui curet aut sepeliat eos. De Antichristo prædicitur Apocalyp. 11. cap. quòd cadauera fidelium insepulta proiecturus sit. Euseb. Ecclesiastic. Hist. lib. 8. scribit quòd Gentiles in Diocletianica persecutione Viennæ in Gallia cineres sanctorum in Rhodanum proiecerint. S. Ioannis Hussij cineres in Rhenum sparsi sunt, à sanctis patribus scilicet, ne à Boemis colligerentur. Hodie Antichristus cadauera sanctorum non solum inhumata abiicit, sed etiam violatis sepulchris eruta, flammis adiudicat. Verùm nos illos quibus hæc euenerunt, ob id non putare debemus à Deo neglectos fuisse. D. August. de Ciuitate Dei 1. lib. 12. & 13. cap. disputat Christianorum corporibus nihil officere, quòd insepulta abiiciantur. Nos si conceditur, corpora fidelium sepelire debemus, eòsque vltimo hoc honore dignari: sin verò vi tyrannorum prohibiti non possumus, sciamus mortem sanctorum semper preciosam esse in conspectu Dei, & corpora eorum resuscitanda extremo die ad æternam gloriam inuito Antichristo. Quando verò hæc impleta vel implenda sunt diximus aliàs. Tempore

Machabæo-

Magna Antichristi strages.

Sepulturæ religio apud veteres.

Machabæorum aliquid huiusmodi accidisse, non est dubitandum. Interea Antichristiani non rarò sepultura caruerunt : & potest fieri vt deinceps aliquoties victi ingentibus præliis, bestiis præda fiant. Ultimo die Christus ingentem stragem hostium edet, hoc est, omnes tam visibiles quàm inuisibiles hostes suæ Ecclesiæ vincet, & bestiis lanandos tradet. Nam Apocalyp. 19. capite, postquam iudicem & iudicium vltimum descripsit, Vidi, inquit, Angelum stantem in Sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus volantibus per medium cœli, Venite & congregamini ad cœnam magni Dei, vt edatis carnes regum, & carnes tribunorum, &c. Lege locum qui hunc præsentem pulchrè explanat. Etsi non lanientur à vulturibus & aliis auibus atque bestiis, secundum literam: tamen spiritualiter hæc fient. Nam sub temporariis, illis æterna adumbrantur. Magnorum virorum præcipuè fit mentio, ne putent se impunè laturos suam tyrannidem.

*Et dabo gloriam meam in gentibus.* Postquam Propheta ostendit Gogum eiusque copias, multiplicibus & horribilibus, cum in hoc tùm in futuro seculo, pœnis afficiendas esse: iam loquitur de effectu illarum pœnarum in populo suo, & aliis gentibus. In persona Dei dicit, se gloriam suam illustraturum inter gentes apud quas malè audiuerit quòd imbecillis esset, & promissionum suarum immemor. *Videbunt iudicium meum.* Cum videbunt me vindictam sumere de hostibus meis, populùmque meum asserere, meque manum meam exerere, celebrabunt mea iudicia. Certùm est ipsos quoque tyrannos interdum cum Deus pœnas eis infligit virtutes ipsius prædicare.

*Et scient domus Israel quòd ego Iehouah Deus ipsorum.* Quod Israelitas attinet, qui putarunt Deum, ipsorum vel oblitum esse, vel tardè eos liberare, re ipsa intelligent Deum esse defensorem ipsorum. *A die illa & deinceps.* Deum in posterum ipsis non defuturum credunt. Dauid ex præteritis beneficiis colligit Deum deinceps sibi affuturum. Idem ex beneficiis, quibus Deus alios & nos ipsos affecit, nos quoque colligere debemus.

*Scient quoque gentes quòd propter iniquitatem suam captiui ducti sunt domus Israel.* Hactenus putarunt tam multiplices ærumnas populo meo vel temere accidisse, vel me prohibere eas non potuisse, vel falsam religionem professos esse: iam intelligent quòd, vt Prophetæ eis sæpe comminati sunt, propter peccata ipsorum hæc eis euenerint.

*Et ob id quòd præuaricati sunt in me, ego faciem meam ab eis absconderim.* Faciem abscondere & auertere per antropopathian Dominus dicitur, quãdo nobis propter peccata irascitur: quando nos suo auxilio destituit, & clamãtes exaudit. Psal. 27. De te dixit cor meum quærite faciem meam: faciem tuã Iehoua quæram. Ne abscondas faciem tuam à me, neque declinare sinas in iram seruum tuum: auxilium meum fuisti, ne derelinquas me neque deferas me, &c. Psal. 80. Faciem tuam ostende & salui erimus, id est, prosequere nos solito fauore. Psal. 143. Ne abscondas faciem tuam à me, alioqui similis ero descendentibus in sepulchrum. Iob 13. Quare faciem tuam abscondis, & reputas me quasi inimicum tuum? Isaias 8. cap. dicit, Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, sed expectabo eum, hoc est, etsi videatur irasci Ecclesiæ quam cruce exercet, sperare tamen non desinam, nihil enim præscribam, &c. Isaias 64. Vultum tuum auertisti à nobis, &c. Contrarium eius est, vultum alicui ostendere. Psal. 8. Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam & seruabimur. Iudicium est beneuolentiæ, faciem hilarem alicui ostendere.

*Secundum immunditiam eorum & secundum præuaricationes eorum egi cum eis, &c.* Non est quòd de me querantur, secundum opera ipsorum tractaui eos, non tyrannicè cum ipsis egi.

Propter pec-  
cata Israel,  
pœnis affe-  
ctus est.

Vtitur congerie verborum, qua peccatorum magnitudinem ostendit. *וַיִּזְכֹּר* vitiosum & prauum incessum proprie significat, per metaphoram actionem quæ à recto itinere & præscripto legis Diuinæ defleat, iniquitatem, *אֲוִמָיוֹן*: *לְיָד מַאֵל* etiam reddunt per præuaricari: *חִמּוּת* *thumeah* contaminationem, immunditiam: *וַיִּזְכֹּר פֶּסַח* rebellionem & defectionem significat. Populum Israelis propter varia scelera, & imprimis contemptum verbi Dei, pœnas dedisse tempore captiuitatis Babylonicæ, Daniel 9. cap. in oratione sua multis verbis ostendit. Postea easdẽ ob causas à Deo castigati sunt. Hinc primũ colligimus Turcas & Pontificios propter peccata nostra vires acquirere, & victoriis potiri. Deus enim punit homines quod pro patefacto eius verbo tam sunt ingrati. Sunt etiam aliæ causæ crucis: corrigit enim suos Deus ne cum incredulo mundo pereant. Item fidem eorum vt aurum igne probat, quò fiat illustrior. Si hodie grauius nos puniat Deus, quis dicere audebit, nos non mereri? Circumfer oculos per omnes hominum ordines & ætates, atque videbis quanta sit corruptio. Deinde obseruanda est consolatio illa, quòd tamen si Deus suos propter peccata castiget, tamen suo tempore de hostibus quoque veritatis pœnas sumit.

HOMILIA CLXIX.

### *Reductio à captiuitate, & Spiritus sanctus Israelitis promittitur.*

25 Propterea sic dixit Dominus Iehouah, Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor totius domus Israel, & zelabo pro nomine sancto meo.

26 Posteaquam portauerint ignominiam suam, & omnem præuaricationem suam, qua præuaricati sunt in me, quum habitarent in terra sua confidenter, & non esset qui exterreret.

27 Quum reduxero eos è populis, & congregaero eos è terris inimicorum suorum, & sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum.

28 Sciẽtque quòd ego Iehouah Deus eorum, quum transmigrare fecero eos in Gentes, & congregaero eos super terram suam, nec relinquam ultra ex eis ibi.

29 Neque abscondam ultra faciem meam ab eis, quia effudi Spiritum meum super domum Israel, dixit Dominus Iehouah.



N calce huius capitis, promittit Deus per seruum suum Israelitis reductionem ex captiuitate, & donum Spiritus sancti. Amplissima hæc promissio, non ad illos solum spectat, qui quoad carnem ex Israele descendunt, sed ad illos quoque qui per fidem filij sunt Israelis. Quin & hæc & aliæ promissiones sanctis patribus factæ, ad solos credentes pertinent non ad illos qui fide vacui, de carnali progenie Israelis frustra gloriantur. Hæc promissio partim in veteri populo, partim in nouo impleta est, adhuc quotidie impletur, & perfectissimè nouissimo die implebitur. Pleraque alibi quoque huiusmodi, quare leui brachio textum percutremus. *Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor totius domus Israel.* Nunc, quidam exponunt breui tempore, vel quando hæc fient quæ prædixi. Quod attinet veterem populum, à Babyloniis, Assyriis, tandem à Macedonibus oppressos liberauit. Quoad nouum populum, Gentiles ex densissimis & infinitis erroribus, in veram libertatem asseruit.

Totum

Totum suum populum ex Iudæis & gentibus collectum, ex multis grauibufque persequutionibus eripuit, & tandem ex Antichristi miserabili captiuitate, Multi ex sine cap. II. epist. ad Roma. colligunt, sub finem orbis, detectis fraudibus Antichristi, Iudæos maxima copia conuertendos esse ad Christum. Rectè enim hoc loco annotat Pellicanus noster: Quis Iudæorum & Turcarum potuit non enormiter scandalizari in Ecclesia, etiam Latina? videns tot idola, imagines diuorum in Ecclesiis, tot inuocationes sanctorum, in quorum cultum Ecclesiæ extruuntur, & in mōtibz & vallibus excelsa, hīc iactantur miracula, illic elemosynæ conferuntur, incuruationes & prostrationes fiunt, denique cū sciunt nouitium cultum istum Eucharistiæ sacræ, redactum in abominandum ritum multis nimium modis, & cætera nimis multa & enormia, contra Scripturam sacram quam vnà nobiscum suscipiunt, & admirantur nos eas falsò exponere, vel friuolè transgredi. Hæc ille.

Quæ Turcas & Iudæos remouentur, ne Christianā religionem amplectantur.

*Et zelabo pro nomine sancto meo.* Reducam populum, non propter eius merita, sed vt nomen meum glorificetur: suprā quoque cap. 26. dixit: non proptervos ego faciam: sed propter nomen sanctum meum, efficiam item ne posthac nomen meum malè audiat.

*Posteaquam portauerint ignominiam suam, & omnem præuarcationem suam qua præuarcati sunt in me, cū habitarent in terra sua confidenter, & non esset qui exterreret.* Iſraelitæ diuturnæ pacis bono elatiores, facti, monita Prophetarum cōtempserunt, & dissolutè vixerunt. Deus itaque passus est eos ignominia à gentibus affici, apud quas exularunt. Est hoc hominum ingenium, vt pace aliisq; bonis abutantur. Pindarus dicit, nihil esse concoctu difficilius, quàm fœlicitatem. Bestiæ quoque lætis pascuis ferociore redduntur. Solomon prouer. cap. I. dicit, Pax vel quies stultorum perdet eos, per stultum suo more impium intelligens. Res secundas piis quoq; læpenumero exitio esse, experientia docet. Si opibus, honoribus, bona valetudine, victoriis floreat, conuertunt se ad varias voluptates. Dauid cū variis malis iactaretur, ardentè orabat, cū verò ocio indulgeret, infano amore vxoris Vriæ captus, adulterium commisit, &c. In Ecclesiastica historia legimus varia certamina rebus florentibus, inter ecclesiarum Ministros fuisse exorta, quæ tyrannorum crudelitate fuerint sublata. Deus itaque sublatis illis, propter quæ officium nostrum negligimus, variis ærumnis nos exercet, vt nos in viam salutis reuocet. Non itaque putemus afflictionibus deleri Ecclesiam. Legitur de Scipione Nasica quòd Carthaginem seruandam consulerit, ne vrbis æmulæ metu sublato, luxurari Romana fœlicitas inciperet. Cū Lacedemonij vrbem quandam hostilem expugnassent, Ephori non, vt ferè fit, elati sunt victoria, sed dixerunt, *δίχται τὸ πάλαισμά των νέων*, hoc est, periit luctatio iuuentutis. Rursus promittente rege quòd vrbem quandam funditus euerfurus esset, non permiserunt illi, dicentes nequaquam subuertendam *τὰν ἀδὸναν τῶν νέων*, hoc est, iuuentutis cotem. Nisi Deus nos assiduis certaminibus exerceret, virtus nostra languesceret. Infirmis animis, vt ille dicit, hostis est securitas. Munsterus reddit: *Ipsi portabunt ignominiam suam, & omnem præuarcationem suam, cū habitauerint super terram suam confidenter, & non fuerit qui exterreat:* vt sit sensus, Postquā restituti fuerint, pudebit eos peccatorum propter quæ hostibus suis eos tradidi. Ingenium enim hoc est piorum, vt repententes memoria peccata præterita, sibi ipsis displiceant, & vix in cœlum suspicere ausing.

Crucis vtilitas.

*Quum reduxero eos, &c.* In pristinum locum restituti, intelligent me illum esse qui in exilium relegatos reuocarim. Non enim potuissent reduci ab exilio, tam erant dispersi, nisi Deus eos sua manu reduxisset.

*Nec relinqua vltra ex eis ibi.* Omnes reducā ex captiuitate. Hunc locum, sicut & alios aliquot, Iudæi Christianis perpetuò obiciunt, vt ostendant se in vltissima

& durissima captiuitate nunc versari, ideoque se expectare suum Messiam, qui eos iterum in vnum congreget, nodum enim illam prophetiam impletam esse. Nam ex Babylonica captiuitate non omnes rediisse, multos enim periisse in itinere, multos commodis huius vitæ illectos, mansisse in Babylone: tempore itaque Messia implendam fore quando ne vnus relinquendus sit. Ad quod respondemus hanc prophetiam partim literaliter, partim spiritualiter accipiendam esse. Esdræ 3. cap. legitur: Et habitauerunt omnes Israelitæ (nimirum post reductionem ex Babylone) in ciuitatibus suis, congregatusque est populus quasi vir vnus in Hierusalem. Deinde perfecte implebitur nouissimo die, quo Dominus omnes resuscitabit, & veros Israelitas, hoc est, quotquot sunt ex prædestinatis, ad se colliget. *Non abscondam vltra faciem meam.* Deinceps me benignum & clementem sentient, non iratum vt hætenus me sæpenumero senserunt. *Quia effudi Spiritum meum super domum Israel.* Promittens Spiritum sanctum suo populo, suo more præteritis pro futuris vititur. Similis prædictio extat Ioelis 2. cap. quam D. Petrus Acto. 2. cap. cum Apostoli accusarentur die Pentecostes, quod ebrij variis linguis loquerentur, ad eorum defensionem adducit, ostendens quomodo hæc sint impleta.

# QVINTA PARS LI

## BRI EZECHIELIS.

### LECTORI S.



Vltimam partem huius operis prophetici, quæ est de extruptione Templi & vrbis Hierosolymorum, multi præstantes viri ex veteribus & recentioribus exposuerunt: an verò sensum Prophetæ foeliciter assequuti sint, aliorum esto iudicium: conatus certè eorum est laudandus: In magnis enim, vt prouerbio dicitur, & voluisse sat est. Inter recentiores, Sebastianus Castellio, in sua versione Bibliorum, picturis, sine quibus hæc ædificia non intelliguntur, omnia illustrare conatus est. Mihi, saluo aliorum iudicio, picturæ quæ Bibliis Lugduni apud Antonium Vincentium anno Domini 1566. excusis in calce adiiciuntur, cuiuscunque sint, viri, vt apparet eruditi, maximè probantur, ideoque eas vt omnia melius percipi queant, meis his Cõmentariis addendas curauit. Fortassis aliquis orietur, qui rebus ad hæc ædificia intelligendum necessariis instructus, aliorumque studio & diligentia adiutus atque excitatus, exactiorem descriptionem adferet, itémque mysteria quæ plurima in his latent, foeliciter eruet, quàm hætenus alij fecerunt. Omnia enim eruere, nemini in hac mortali vita tributum esse existimo, in futura vita quæ nunc inuoluta sunt tenebris, exactè cognoscemus. Quod me attinet, libenter fateor non tantam in me linguæ Hebrææ & architectonicæ esse peritiam, vt hæc capita pro dignitate possim exponere: tamè ne profus essem ἀόμβολος ordinem horum capitum vtcunque adumbrare volui, eorumque præcipuum vsum atque fructum ostendere.

Vale.



Argu-





*Argumentum octo sequentium  
capitulum.*

**I**N octo postremis capitibus continetur ultima **C O N C I O** siue propheta Ezechielis, in qua describit instaurationem urbis Hierosolymorum, templi & pristinae politiae: terrae Iudaicae distributionem in duodecim tribus Israelis, ritusque peragendos sempiternis temporibus. A capite 34. captiuus in Babylone, nomine Dei reditum in patriam promisit, idque facit ad finem vsque. Voluit autem Deus hanc multo ante à suo Propheta describi, ut abducti in exilium animum erigerent. Vix autem alius est Scripturae locus difficilius & obscurior: utitur enim Propheta verbis ad architectonicen pertinentibus, quae ex pictura melius possent intelligi. Iudaei quoties cum Christianis in certamen descendunt, hunc locum virgere dicuntur, affirmantes templum illud & urbem de quibus Propheta ultima huius libri parte agat, non ante extruendam, quam Messias venerit. Ponunt tria templa primum Solomonicum, alterum quod post captiuitatem Babylonicam instauratum vel extructum, ad Christum Seruatorem nostrum durarit, tertium quod sub Messia, cuius aduentum adhuc expectant, extruendum somniant. Vocant hoc templum Iacob, eò quod Iacob in somnis illud viderit, quando Angeli in scala descendebant, Gen. 28. Huc accommodat locum Isaiae, Venite & ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob, &c. De tertij huius Templi gloria & dignitate, multa nugantur. Caterum hanc quae de Templo & vrbe dicuntur, non praecipue de materiali aliquo nouo aedificio, sed de Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa, deque beatitudine credentium Christi intelligenda esse, omnescircumstantias diligenter expendenti, videre non est difficile. Sapientes quoque Hebraeorum hanc capita non de terrestri aedificio secundum literam, sed de caelesti mystice intellexisse, annotat Petrus Galatinus lib. 5. cap. 12. Alij quoque Prophetarum de regni Christi, id est, Ecclesiae amplitudine, splendore, & magnificentia tropice loquuntur: & per res externas, spirituales & caelestes significant: quae cum Iudaei secundum literam intelligant, in magno errore versentur necesse est.

*ultima capi  
ta obscura.*

*Aedificium  
caeleste.*

C A P V T X L.

**P**ropheta sequenti visioni *παρομοιωθη*, vel praefationem praemittit, ut lectores rebus narrandis idonei reddantur. Complectitur autem hanc praefatio tempus, locum & modum vel formam huius visionis, item quid propheta viderit. Quo ad circumstantiam temporis, hanc visio oblata est Prophetarum, anno captiuitatis Iechoniae 25. qui 14. fuit expugnatae urbis Hierosolymorum mense 10. Hunc annum Hebraei volunt Iubilaeum fuisse, de cuius priuilegiis multa leguntur in libris Moysi, de eius significatione Luc. 4. Factam dicit super se manum Domini, per quam virtutem & gratiam diuinam significari, saepe dictum est. Imaginaria fuit hanc visio, non enim corporaliter ex Babylone abductus est, sed corpore in eodem loco manente, sibi visus est in terram Israeliticam deduci, & in altissimo monte collocari, dicit enim in monte quasi aedificium fuisse, non reuera. Christus per montem & petram aliquando significatur: super ipsum aedificata est Ecclesia. Ut autem oppida in montibus, non facile possunt capi, ita etiam Ecclesia expugnari nequit. Ipsa quoque Ecclesia propter firmitatem monti comparatur: item quod quaecunque facit, in conspectu sint, &c. Suprà 8. 9. 10. 11. 12. c. Propheta spiritu raptus in Templum, omnes eius partes vidit

Christi species æri similis.

pollutas, & Domino suam domum urbemque; deferente, hostis libidini omnia permilla fuisse: nunc per visionem cœlestem ostenditur, urbem cum Templo iterum instaurandam, Dominumque; ad ipsos rediturum, & veluti domicilium inter ipsos denuò habiturum esse. Apparuit autem Prophetæ vir quidam, hoc est, Angelus Domini: vel, ut nonnulli volunt, Christus ipse specie humana, qui instar architecti funiculum lineum, & calamus mensurarium manibus gestabat. Speciem illius, æri similem fuisse dicit. Si per hunc virum, Christum intelligas, illa quæ de æris natura veteres prodiderunt, pulchrè ei congruunt. Æs enim ut est apud Cælum lect. antiquarum. lib. 19. & cap. 10, & 29. 6. cap. vim quandam habet medicam: vulnera quæ æreis armis infliguntur, facilius dicunt curari: item putredinem arcet, ære veteres in purificationibus utebatur, eius sono dæmones abigi crediderunt, ut hodie quoque multi nolis æreis multum tribuunt: tametsi verò quædam ex illis superstitiosa fuerint, tamen Christo Seruatori congruunt. Ipse enim peccatorum vulnera & morbos curauit, & etiamnum curat: putredinem arcet, est enim nostra resurrectio: omnes pollutiones sanguine suo abstergit & abluit. Sonus Evangelij de Christo, cacodæmonem pellit. Nam ad prædicationem Apostolorum, omnia oracula gentilium conticuerunt, &c. Æs purum est, neque ut chalybs & ferrum, rubigine obducitur. Christus ab omni peccati labe immunis est. æs firmum & solidum existit, neque vetustate vel vsu facile atteritur: Authores æreum appellant quicquid firmum, & quasi inuictum est. Christum est solidum & inexpugnabile munimentum suorum fidelium. Hinc intelligitur quare serpens, qui Christi typum prætulit, æneus fuerit, Numer. 21. Hic vir excitat Prophetam ad diligentiam, ostendens multum referre, ut omnia ordine cognoscat: quæ adhortatio ad omnes quoque Christianos pertinet, Deo per suos nuncios æternum suum Templum & urbem ipsis monstrante, non alia cogitanda sunt: in primis verò à ministris Ecclesiarum, qui illa quæ viderunt domui Israel patefacere debent, cura & diligentia requiritur.

Similis ferè visio, apud Zachar. & ultimo capite Apocalypseos extat. A versu huius capituli quinto, vsque ad 46. caput, describit Templum cum his quæ ad ipsum attinent, & primùm quidem atria, postea Templum ipsum, item altare magnum holocaustorum, & leges offerentium. In hoc capite describit murum qui totum montem in quo Templum collocari debet, complexus est, deinde portas, postes vel limina, vestibula vel porticus, atria, cubicula in illis, item fenestras eorum, de quibus omnibus interpretes varias & discrepantes sententias afferunt, nos totum illud ædificium in altera vita videbimus. Hoc Templum, est figura corporis Christi, hoc est, Ecclesiæ ipsius, 1. Timoth. 2. cap. 2. Corinth. 6. Hebr. 3. &c. Vir ille metitur longitudinem, latitudinem & altitudinem murorum atriorum, vestibuli Templi. Deus enim, ut Sapientiæ 11. capite habetur, omnia ordinavit in mensura, numero, & pondere. Christus Spiritu suo ordinat longitudinem, latitudinem & altitudinem spiritualis suæ domus. Cur Ecclesia nunc angustior, nunc latior existat, Deus nouit. Quod singulis etiam membris sua dona secundum mensuram largiatur, & quæ spiritualis sit longitudo, latitudo, altitudo & profunditas, scribit Paulus ad Romano. 12. cap. 2. Corinth. 10. cap. Ephes. 3. 4. cap. Deus nihil temerè facit. Murus quadratus qui tam crassus quàm altus fuit, complexus est totam aream Templi. In hoc muro fuerunt portæ firmæ & munitæ, quibus significatur, Deum qui custos est & protector suæ Ecclesiæ, eam suo auxilio munitam reddere. Variæ domunculæ sunt in atrijs, in quas contra æstum & imbres se homines potuerunt recipere. Ecclesia cogitatione domiciliorum quæ Christus suis parauit, Ioan. 14. in omnibus tempestatibus sese erigit. Ab exterioribus atrijs, in interiora, & in ipsum Templum ascenditur multis gradibus: significari putant à primis fidei elementis progressum fieri ad altiora mysteria.

Item

Item vni plus in cogitatione myſteriorum tributum eſſe, quàm alteri. Ad portæ Aquilonaris latus, fuerunt menſæ in quibus lauari & mactari hoſtiæ poſſent. Quibus ſignificatum eſſe volunt, affectus noſtros iugulandos eſſe, ideóque à Septentrione poni, quòd ab illa parte venti flent aſperi. Durum enim eſt homini, ſeipſum ſpiritualiter iugulare, vel poſtulate neceſſitate, corpus ſuum iugulandum tradere.

CAPVT XLII. & XLIII.

**D**ostquam Angelus Ezechieli portas, vestibula, atria, ordine in viſione mōſtrauit: iam, vt in fine ſuperioris capitis habetur, deducit eum per vestibulum ( in quo duæ columnæ ſtabant ) in ipſam domū Dei vel templum, quod duabus præcipuè partibus conſtat, nempe Sancto, & Sancto ſanctorum. In ſanctum Templi Solomonici, & illius quod poſt reditum ex Babylone Iudæi extruxerunt, quotidie ingreſſi fuerant ſacerdotes: in Sanctum ſanctorum, in quo Arca poſita fuit, quotannis ſummus Pontifex ſemel: hæ duæ partes magno velo dirimebantur, quod Chriſto in cruce expirante, dilaceratum fuit. Angelus menſus eſt vtriuſque illius partis longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Mox oſtendit ei iuncta ædificia, cubicula, tabulata, cochleas, fenestras quoque foris latas, intus anguſtas, item parietes, oſtiæque, cherubinis floribus & palmis ornatas. Quid fuerit intus, non exprimit, niſi quòd dicit ligneum altare, nimirum thymiamatis, ibi ſtetiſſe. Ex aliis enim locis habetur, in Sancto, inter candelabrum & menſam panum propoſitionis, altare thymiamatis ſtetiſſe, quod fuit obductū aureis laminis: in quo thyama quotidie offerebatur Domino. Ara hæ typus fuit Chriſti, thymiamata ſignificauit orationes fidelium de quo alibi, &c. Quid præterea in Templi partibus fuerit, ex historia tabernaculi & templi Solomonici eſt repetendum. Quo ad hunc locum, diuerſæ illæ Templi, & adiunctorum atriorum partes, oſtendunt Deum vnicuique membro Eccleſiæ ſuam ſtationem aſſignari, hoc eſt, ſuum cuique dediſſe munus, quod bona fide obeundum eſt: viri mulieres, magiſtratus, ſacerdotes, plebs, &c. ſuam ſtationem non deſerant, quiſque Spartam quam naſtus eſt, exornet. Hac de re vide Apoſtolorum Epistoſas, cuique ætati, ſexui & ordini ſuum officium præſcribentes. Hoc Templum, Cherubim, palmis & floribus ornatum erat, ita nos qui templum Dei ſumus, Angelicam vitam & virtutibus ſplendidam ducere, ærumniſque preſſi palmæ in morem inuicti eſſe debemus. Petrus & Paulus mulieres hortantur vt internis potius quàm externis ornamentis ſtudeant. Quibus ornamentis viri, & in primis Episcopi exculți eſſe debeant, etiam docent, auro, argento, gemmis non ornatur eorum miniſterium, ſed doctrinæ pietate atque conſtantia, vitæ integritate, patientia in laboribus & periculis, &c. Quod verò attinet templorum ornamenta, paſiſtæ non rectè hinc colligunt, auro, argento, gemmis, ebore, omnia radiare debere. Hæc enim in viua Dei templa, hoc eſt, in pauperes potius conferri debent, de qua re nolo hoc loco pluribus agere.

CAPVT XLIII.

**H**oc caput duabus conſtat partibus: in prima oſtenditur Deum cum populo ſuo rediſſe in gratiam, ideóque rediſſe in vetus ſuum domicilium, quod eum propter Iudæorum ſcelera reliquiſſe diximus: in altera deſcribitur magnum altare quod ſuprà in interiore atrio ſibi oſtenſum eſſe dixit. Per portam Orientalem, per quam Propheta gloriam Domini ſuprà egreſſam vidit, & per quam rectà ad Templum iter erat, cum

pompa redeuntem videt. Vocem eius fuisse dicit tanquam vocem vel strepitum aquarum multarum, qua phrasi potentia Dei significatur, vel magnus comitatus. Apocalyp. 14. cap. D. Ioannes etiam audit vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, vt ostendat copiosam fore Ecclesiam, & vocalem, quæ Christum liberè confiteatur, nihilque dissimulet: aquæ enim in Scripturis populos significant. Hanc visionem dicit instar illius fuisse, quæ ipsi initio prædicationis suæ oblata fuit de perdenda vrbe à Chaldæis, vt eam suis popularibus edissereret. Propheta conspecta maiestate Dei, cecidit in faciem suam: Sancti enim, quo maiorem Dei notitiam consequuti fuerint, tanto magis sese deiiciunt. Deus verò erigit eum per ventum vel spiritum: humilibus enim auget sua dona. Neque solum erexit eum, sed & alloquutus est, viro (nimirum Angelo qui circumduxit eum) ei astante. Hunc dicit esse locum habitationis suæ, quem occupaturus sit in æternum, & deinceps non polluum, neque fornicatione, neque regum cadaveribus: quæ non possunt de domo aliqua externa accipi, sed de spiritali ædificio Ecclesiæ collectæ ex Iudæis & gentibus, in qua Deus manet in secula, Matt. 28. Omnes domus manibus factæ diruuntur. Vera Dei Ecclesia abhorret ab idololatria, & omni superstitione. Reges verò & populus Israel nomen Dei idololatria, quæ perpetuò scortationi conferunt Prophetæ) & excelsis, & cadaveribus polluerant. Quidam dicunt Prophetam alludere ad id, quod Amon & Manasses in hortis suis prope Templum tumulati fuerunt. Loca autem sacra polluebantur cadaveribus. Probabile autem videtur, reges & alios, iuxta excelsa monumenta sibi delegisse. Sub Antichristo omnes qui alicuius fuerunt nominis, in tēplis sepulti fuerunt: tādē eò vesaniæ homines processerūt, vt in cuculla Frāciscaua sepeliri voluerint, quasi illa diabolis esset formidabilis. Licet Iudæi palatia sua iuxta Templum Dei cōstruxerint, non tamen dicit absterritos esse religione loci à sceleribus. Fortassis simulabant se amore Templi proxima loca occupare, interim cultus Dei, ipsumque Deum contemnebant: vt si quis hodie se domum empturum dicat non longè à Tēplo distanti, quò possit audire verbum Dei, interim cōciones nūquam audiat sed omnes res sacras contemnat. Odit hypocrisin Deus. Non simpliciter iubet eos sibi cauere ab idololatria, sed eam procul à se repellere. Prophetæ quoque præcipit, vt populum ad pœnitentiam reuocet, subiciendo eorum oculis formam Templi. Versu 13 & mox sequentibus, de forma magni altaris agit, deque eius expiatione atque initiatione. Altaris illius dimensionem indicat, atque partes, quæ sunt, basis, crepido minor & maior, ariel, hoc est, suprema pars cui sacrificia imponebantur. Ariel significat leonem Dei, ideo hanc partem sic dictam volunt, quòd victima instar famelici leonis quæ offerebantur, absumeret. Ariel marginem habuit in cuius angulis fuerunt quatuor cornua. Exodi 27. c. describitur altare æneū holocaustorum, quod in atrio sacerdotum positum, per cancellos conspici potuit à populo. Vnicum fuisse ibidem ostenditur. In Iosuea habemus, quòd cum decem tribus fama cognouissent, tribum Ruben, Gad, & dimidiam Manassis, altare extruxisse trans Iordanem, missa legatione, grauitè cum eis expostularint, & hanc rebellionem armis vindicandam decreuerint, existimantes quòd contra Dei legem in ea sacrificare constituisent. Per hoc altare, Christum adumbratum fuisse Epist. ad Heb. 13. disertè testatur. In aliis altaribus, quæ Dei iussu aut permissione erecta non erant, non licebat sacrificia offerre. Nulla enim sacrificia, quantumuis hominū iudicio splendida, Deo patri probantur, nisi per Christum ei offerantur. Quanquam verò sacrificia externa abolita sint, per vnicam Christi Seruatoris victimam, habent tamen & Christiani sacrificia sua, quæ Deo offerant: de quibus alibi dictum est. A versu 15. vsque ad finem capitis, agit de expiatione & initiatione huius altaris.

Significatio  
& vsus.

## CAPVT. XLIIII.



Equitur iam de Ministris, qui iuxta altare, quod superiore capite descripsit, cultus diuinos exercere debēt. Ostendit autē, quinam sacerdotes Deo displiceāt, & quinam ei probentur, quōtque postulet. Omnes quidem Christiani sunt sacerdotes, vt D. Petrus in priore epistola testatur, ideoque hæc ad eos pertinent, præcipuè verò ad illos, quos peculiariter Deus ad hoc ordinauit, vt ministrent in sua Ecclesia. Principiò portam Oriētalem Sanctuarii exterioris (hoc est, sancti, vel vt quidam intelligunt, Sancti sanctorum) perpetuò clausam, aperiendam esse dicit, principi, hoc est, Christo seruatori, qui summus est pōtifex, & rex Ecclesiæ suæ. Ad Hebræos 9. cap. dicitur, priore tabernaculo consistente nondū manifestatam fuisse sanctorum viam: postquam verò Christus in carnem venit, patefactam esse viam ad Patrem. Ioa. 10. dicit, Ego sum ostium. Per portam Oriētalem venit maiestas Dei in templum: hæc clausa manet, ne quis per eam ingrediatur præter principem. Nemo venit ad patrem, nisi per me, Ioa. 14. Alia quoque ratione Christo peruia est porta gloriæ Dei, nempe quòd nemo Patrē nouit, nisi Filius, & cui ille voluerit reuelare. Et nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis qui est in cœlo. Princeps in porta comedet panē, Christus enim mensam suam in conspectu Patris collocauit: per mēsam cœlestia gaudia significantur, Matth. 8. cap. Vetus patres per typum portæ Sanctuarii, perpetuam virginitatem beatæ Mariæ virginis significatam volunt. Maria enim est porta illa quæ clausa manet, & per quam nemo transibit, quæque semper principi clausa manebit. Hac de re 5. Proclus Cycenus episcopus in synodo illa veteri Ephesina hæc verba protulit, Emanuel naturæ quidē portas aperuit, vt homo: virginitatis autem claustra non fregit, vt Deus. Sic nascitur vt est conceptus. Impassibiliter introiit, ineffabiliter exiuit, secūdum quod Propheta Ezechiel dixit, Conuertit me Dominus ad viam portæ Sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientē, & ea erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Fili hominis, porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir nō transibit per eā, sed Dominus Deus Israel, ipse ingredietur & egredietur, & erit porta clausa. Ecce demonstratio euidēs sanctæ Dei gēitricis Mariæ. Hæc Procli sunt. Et Hieron. in cōment. suis ad hæc Prophetæ verba, Pulchrè quidā portam, ait, clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & dux cui porta clausa est, Mariā virginem intelligunt, quæ & ante partum & post partum virgo mansit. &c. Angelus reduxit Prophetam in viam Aquilonarem, vbi gloriā Domini vidit, iterūque pronus in terram cecidit. Dominus versu 5. iterum Prophetam ad attentionē excitat: iubens eum in cor demittere, oculis intueri, auribus percipere omnia &c. Vnde discimus maximo studio verbo Dei auscultandum, animo non peregrinandum, non quædam tantū, sed omnia auidè accipiēda esse. &c. Præcipuè verò ab episcopis, qui aliis tradere puram doctrinā debent, attentio exigitur. Quid domui rebeli dicere debeat, exponit: nempe ne in posterum illa committant, ob quæ Deus eos in exilium egit, eos plus satis peccasse. Reprehendit eos, quòd indignos admiserint ad ministerium templi. In Leuitico & alibi prolixè explicatur, qui & quales sint admittēdi, ipsi his legibus neglectis deligebant illos qui eorum affectibus accommodati essent. Queritur Deus alienigenas & corde & carne incircumcisos, ascitos esse, qui domū suā polluerint: siue hoc munus illis cōmiserint interueniente pecunia, qui prorsus peregrini erant, siue quod probabilius est, qui moribus eos referebant. Multum refert, quales ad ministerium deligantur. Paulus ad Titum & Timotheum, multis hac de re agit. Quales Pontifex præficiat Ecclesiis lucri causa, quis ignorat?

Virginitas  
Mariæ.

Repellendos à sacerdotio dicit incircumcisos carne, hoc est, indulgentes libidinibus, & incircumcisos corde, hoc est, imbutos prauis opinionibus. Collige quanta cura & diligentia requiratur à sacerdotibus: conferuntur enim custodiibus: pœnam minatur Deus negligentibus. Leuitas propter peccata sua, dicit adhibendos ad opera seruilia, qualia erant pauimentum verrere, iugulare, lauare hostias &c. non ad sacrificandum. Apparet etiam ex hoc loco, quæ mala ex malis ministris oriantur: pollunt domum Dei, pactum Domini violât, & homines errare faciunt & idola sectari &c. Postquam dixit de illis quos repellit, sequitur de illis quos probat, & quos admittere vult in Sãctuarium suũ, simulque officium eorum præscribit. Sunt hæc ceremonialia, tamen omnes homines & præcipuè verbi ministros sui officii cõmonefaciunt. Ministros sibi deligit filios Zadoci. i. Regum 3, Solomon iussu Dauidis deposito Abiatharo Sadocum pontificem creauit. Heli enim (ex cuius stirpe Abiathar fuit) filii, se malè gesserant, & ipse correctionem eorum neglexerat, deinde ipse Abiathar dederat operam, vt Dauidi superstiti contra Dei verbũ Adonias in regno succederet: causam adiicit, cur probet nepotes Zadoci, nempe quòd suo officio strenuè functi sint, cùm Israelitæ Deũ relinquentes idola sequerentur. Discimus ex hoc loco, Dẽum probare illos qui tempore persecutionis aliis deficientibus, in vera religione persistunt. Plerique multitudinis exẽplum sequuntur. Iosueo & Calebo benè celsit, quòd se aliis omnibus opposuerunt. Deus Zadoci posteros vult ministros habere, quod multis verbis eloquitur: dicit eos accessuros ad mensam, scilicet in qua panes propositionis collocabantur, vel ad aram suffimenti, de qua suprã &c. Leges iam præscribit quomodo se gerere debeant, cùm atrium sacerdotum & Sãctuarium ingrediuntur. Repetit eas ferè ex Leuitico 21. capite. I. Agit de vestitu eorum. Iubet eos vestimentis, vittis, subligaculis lineis, nõ laneis vti. Significatum esse arbitror quòd qui sacra tractare volunt, non brutis animalibus similes esse debeant, ex quorũ lana vestes contexuntur. Alba vestis, innocentia & victoria significationem habet: per vittas vel frontalia linea, quòd Deo subiici debeãt: per femoralia, coercendas esse libidines, ostenditur. Quod in illis vestibus, quibus ministrarũt, non egredi ad populum, neque eum sanctificare (quod non vna ratione factũ est) sed pares suis fratribus esse debuerunt, fortè significauit Christũ serui formam assumpturũ, similmque fore fratribus suis, ad Phil. 2. capite. Hodie quoque non parum refert quales ministri verbi vestes gestent, peccatur enim in defectu & excessu. Clerici habent vestitum theatricum: alii nimis sunt leues. II. Præcipit ne caput radant, ne capillum promittant, sed artondant. Gẽtilium sacerdotes, à quibus Deus suos voluit differre, nunc caput raserunt, nunc comam nutrierunt, vt mulieres apud nos. Diuersorum idolorũ cultus vari, aliquando contrarii fuerunt: Venerem enim nudi, Martem armati colebant. Ælius Lampridius & Spartianus de Commodò Antonino scribunt, quòd adeò deditus fuerit sacris Isis, vt caput raderet, & Amobim portaret &c. Quod pilos non radendos, neque alendos præcipit, significare videtur, mediocritatem esse seruandã. De rasura clericali apud Pontificios, multa leguntur: varias reddunt causas ob quas verticem rasum habeant. Apud veteres videtur vitio hominibus datum fuisse. Cicero de Fannio Chærea, in oratione pro Roscio Comædo, dicit: Nõnne ipsum caput & supercilia illa penitus abrafa, olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? Nõnne ab imis vnguibus vsque ad verticem summum (si quam coniecturam affert homini tacita hominis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne pilum vllum viri boni habere dicatur. III. Præcipit, ne quis sacerdotum vinum bibat. Constat enim ebrietatẽ impedire

pia studia, preces, & alia exercitia. Aarōni quoque vinū interdicitur cū ministerio fungi debet, Leuit. 10, cap. Plato scribit Carthaginēses magistratibus vino interdixisse. Ebrietas cū aliis tum gubernatoribus est indecora. 3. Paulus 1. ad Timoth. 3. & ad Titū 1. cap. vult ne Episcopus sit vinosus. Quā multa dicant & faciāt ebrii, quæ minimè cōuenit, nemini est obscurum. Vltus vini moderatus non prohibetur, sed ebrietas. Deus bone quot hodie sunt ministri Ecclesiarū, qui in cœnopolis sedentes, strenuè se vino ingurgitāt? Seruator noster Matt. 24. cap. de huiuscemodi doctoribus dicit: Dissipabit eū, & eius partē ponet cum hypocritis. III. Prohibet ne viduā vel repudiatā ducat. Multū refert quales vxores ministri Ecclesiæ habeāt. Pia, est decus viri: impia, infamiam ei cōciliat. Viduā non debuerūt ducere, nimirū quòd eius mores non ita formari possunt, vt virginis. Repudiatam non debuit ducere, quia probabile est propter improbos mores, & pertinaciā à priore marito dimissam esse. Viduā sacerdotis ducere licitū erat: nā ille eā rectè instituere potuit, eiusque mores formare, ne offenderet populū. Paulus quoque ministrorū verbi vxoribus suū officium præscribit. V. Docere debent populū discrimen inter sanctū & prophanū, inter mundū & immundū. Sacerdotū est officiū, populo indicare quid placeat Deo, quid displiceat, quid sit rectū, quid sit prauum. VI. Componere debent cōtrouersias ex legibus Dei. Leuitæ & alii, qui ipsis addebātur, præerant iudiciis: debuerunt itaque non ex affectibus agere, sed ex legum præscripto: res difficiliore referri debuerūt ad summū pontificē, Deut. 17. Iudices nō debent homines inter se cōmittere, causas protrahere lucri causā, aut ex affectibus pronūciare. VII. Præcipit, vt leges suas & ritus in festis diebus obseruēt, atque sabbata colant: quæ non sine emphasi sua vocat. VIII. Ne ingrediantur domum in qua est cadauer hominis mortui: excipiuntur parentes, fratres, sorores, liberi. Ex se tangere cadauer hominis non est malum, sepelire enim hominē inter opera misericordiæ numeratur. Sed hac ceremonia significat Deo, piis hominibus cum illis qui in peccatis mortui sunt, non habendā esse cōsuetudinem. Ad parentes, fratres, liberos, ire licuit, vt testarentur se non ἀσέβητους esse. Immunditia illa quam contrahebant ciuilis fuit, ideo potuit aqua expiationis, & sacrificiis iterum expiari, Numeri 19. Sub his omnia cōtinentur, quæ de ratione viuendi in lege extant. In fine capitis agitur de sustentatione sacerdotum & Leuitarum. Neque Moyses neque Iosue sacerdotibus & Leuitis partem terræ assignauerant, vt reliquis tribubus, idque vtili consilio. Nam officiū sacerdotum & Leuitarū fuit, non solum seruire altari, sed docere alios tam verbis quam vitæ exēplo, iudicia exercere, excubare pro populo ne falsa religio aut scelera grassarentur. Suo autem officio fungi nō potuissent, si in vno loco habitassent, quis audire ex eis legem, quis consolationem petere, quos nā ipsi docere & consolari potuissent? Vtilis itaque fuit eorum dispersio per singulas tribus. Patri eorum hæc pœna imposita fuerat, propter crudelitatem, quam contra datam fidē in Sichemitas exercuerat, sed dispersio loco ignominie in maximam dignitatem conuersa fuit, vt tanquā excubitores in singulis tribubus dispositi, puritatem sacrorum custodirent. Interim Deus noluit vt sui ministri sub diuo agerent, & ostiatim cibum emendicaret: sed rebus ad vitam sustentandam necessariis eis prospexit. Nam vt legitur Num. 35, Iosue 21, vrbes 48. eis ad inhabitandum tradidit, quæ Leuiticæ appellantur, quanquam non solum Leuitæ in eis agerent, deinde dedit eis agros quoque in quibus pecora alerēt: non tamen suffecisset illa terra ipsis alendis: habuerūt igitur annuos suos redditus & vectigalia: de qua re multa extant Deut. 14. 18. 26. Leuit. 27. Num. 5. 18. Deus dicit, Ego ero hæreditas eorum: quæ ipsi cedebant, dabat Leuitis. Ideo autē sibi decimas, primitias, & alia dari voluit, ne propter inuidiā hæc omnia

Redditus  
sacerdotum  
& Leuitarū.

malignè Ministris suis darent. Hoc loco recensentur omnia ferè quæ ad sacerdotes & Leuitas spectabant. I. *Minha* oblatio, immolatio, seu libatio, quæ non vnus erat generis. II. *Chatabah* sacrificiū pro peccato quod etiā nō fuit vnus generis, nam aliquando non licebat cuiquam vesci, ne sacerdoti quidē, in aliis sua portio ei cedebat. III. *Ascham* sacrificium pro delicto: expiabantur hoc sacrificio delicta deliberato animo cōmissa. IIII. Anathema, hoc est, quicquid consecratum fuit Domino. V. *Reschit* primitiæ frugum, fructuum, vini, olei, pecorum &c. VI. *Bechor* primogenitus de hominibus & pecoribus dicitur. Deut. 15. Omne primogenitum quod nascetur in armēto tuo, & in grege tuo masculinum, sanctificabis ipsi Iehouah Deo tuo &c. VII. *Therumah* quidam à *Rom.* deducentes, hoc est, eleuando & exaltando, eleuationē exponunt, quòd sursum leuaretur: alii separationem, hoc est, oblationē separatā, quod magis placet, nam Ezech. 45. partem terræ Deo dedicatā hoc nomine vocat. VIII. Primitiæ pastarum, vel cōsersionum, hoc est, panum. Voluit Deus ipsos admonere quòd vitā, fruges, fructus, pecora, aliāsque res necessarias, ab ipso haberent, quòdque ipsi gratias de immensis illis beneficiis agere deberēt. Bona fide cōferētibz quæ ad sustentationē ministrorū verbi, magistratus, pauperū pertinet, benedictio diuina promittitur: è diuerso, vel non, vel malignè persoluentibus quod debent, maledictio denunciatur. Prohibet ne sacerdotes morticinum, & raptum, vel discerptum ab aue, vel animali, comedāt. Hoc Leuit. 22. omnibus, nō solum Leuitis prohibetur: sed præcipuè Leuitis. Sic Paulus omnes ab ebrietate, adulterio, & aliis sceleribus, imprimis verò Episcopos reuocat. Exodi 22. etiā dicitur, Sancti eritis mihi, & laceratum è feris nō comedetis. Admonet Deus hac ceremonia, à rapina & pauperum oppressione esse abstinendū. Antichristus ex mortuis magnū vectigal colligit: mortui culinas monachorum instruūt suis anniuersariis &c. Ex hoc verò, quòd Deus liberaliter suis ministris in veteri Testamento prospexit, D. Paulus in 1. ad Corin. 9. cap. ostendit, quòd ministri Ecclesiæ possint vitæ necessaria accipere, quod hodie Anabaptistæ negant & pernegant. Pro locorum & tēporum cōditione, nō vna est ratio alendi ministros, quidam decimas, quidam alios redditus annuos habent, quibusdā Ecclesiæ ministris, propter Antichristi tyrannidē, auditores res necessarias cōtribuunt. Quoniam verò omnes Christiani sacerdotes appellantur, hæc quæ de Leuitis dicuntur, illis quoque possunt aptari: quòd vt sacerdotes, & vt Leuitæ, nullā partem terræ habebāt, quæ ad victum ipsoꝝ sufficeret, ita Christiani dispergendi, suisque sedibus pellendi sint, nihil verò eis defuturum, quia Deum fontem bonorum habeant propitium. Terrenis rebus non debent animum adiacere, ne illarum rerum occupationibus à cura celestium abstrahantur.

## CAPVT. XLV.

**D**ropheta hoc capite, terræ promissæ distributionem per visionē sibi oblatā describit, & quædam immiscet, quæ ad tēplum pertinent. Quæ distributio plurimū ab illa differt, quam Iosue & alii ad hoc designati constituerunt. Etenim ad Aquilonē sunt septem tribus, ad Austrum quatuor, in medio cōstituitur tēplum, sacerdotes quoque & Leuitæ suam habent partē. Princeps ad Ortū & Occasum iuxta locum sacrum suam habet portionem. Aduenis quoque pars assignatur, omniumque tribuum portio est æqualis. Hæc omnia non carent mysterio. Quod peregrini, qui antea per omnes tribus dispersi erant, suam nunc portionē habent, significare videtur, quòd gētiles quoque (quos Iudæi vt peregrinos auersabantur) in terram promissam, hoc est, in vitam æternam & patriam

triam



triam cœlestem peruenturi sint. Fuerant alieni à populo Dei, nunc facti sunt dilectus Dei populus. Galat. 3. Omnes enim filii Dei estis, eò quòd credidistis Christo Iesu. Nam quicumque baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber: non est masculus, ac fœmina &c. Singularum tribuum æqualitas, ostendit summam æquitatem. In his terris pii suis sedibus pelluntur, veri ciues regni cœlorum hæretici & scismatici dicuntur, nullus ferè iustitiæ locus est: at in terra illa promissa, omnia rectè erunt constituta: nō pellent nos cœlo, qui patriis sedibus nos eiiciunt. Qui de æqualitate & varietate præmiorum in cœlesti patria aliquid volunt cognoscere, legant comment. Petri Martyris in cap. 15. prioris epist. ad Corinth. Quod principis portio cum loco sancto iungitur, ostendit curam religionis ad principes spectare, qui custodes esse debent primæ & secundæ tabulæ Decalogi. Quòd reges populi Dei religionis curam non alienam à se esse putarint, res Davidis, Solomonis, Iosifæ & aliorum ostendunt. Christianos quoque principes tractasse negotia religionis, conuocasse concilia, edicta proposuisse contra hæreses, episcopos nō facientes officium suum, deposuisse, & alia id genus fecisse, locupletes testes sunt historiæ ecclesiasticæ. Tandem res eò deductæ sunt, vt pontifices ad se solos hanc curam vi transfulerint: quid Romani pontifices cum Henricis & aliis imperatoribus, vt inuestituras quas vocant, ad se raperent, egerint, notum qui vel de limine historiæ salutarum. Principem exactiones auferre iubet. Exactiones imperare quidem suis possunt principes, interim cauere debent ne modum in his excedant: Cauere debent, ne vel ipsi pauperes opprimant, vel aliis hoc permittant, quales sunt propolæ, monopolæ, fœneratores, & alii &c. Iustitiam exercere principem iubet, rationemque habere ponderum, mensurarum, rei monetariæ. De ponderibus & mensuris, quibus multæ fraudes committuntur, multa legis in Scripturis sacris, Prouerb. 11. Micheæ 6. cap. &c. triplicem habebant libram, pro qua vnâ esse debere dicit. Postea agitur de festo paschali, & festo tabernaculorum: Quomodo vtrunque peragendum fuerit, quæ sacrificia in eo offerenda, describit. Princeps offerre holocausta, & alia sacrificia debuit, per quod significatur Christum principem & pontificem nostrum suo vnico sacrificio nobis Patrem conciliare. Omnia sacrificia Christum representasse, deinde alios quoque fines habuisse, sæpe annotauimus.

## CAPVT. XLVI.



Q uoquitur de feriis noui populi, & quæ sacrificia in eis à principe & aliis offerenda sint. Primum portam interioris atrii, quæ singulari privilegio principi semper patet, aperiri iubet die Sabbathi & nouilunio, vt populus inspicere per ostium possit & coram Domino orare. Significat nos in his terris nondum reuelata facie Dominum cõtemplari posse: sed feriantes ab operibus mundi, & quando ex his tenebris in lucem producemur, omnia nobis fore cõspicua. Patet ad vespèram ianua: tunc ingresso spõso claudetur, Matt. 25. Princeps die Sabbathi offert holocaustum: adduntur & alia sacrificiorum species. Christus rex & pōtifex noster, corporis sui holocaustum obtulit in ara crucis, vt nobis Patrem suum placaret: ideo autem non vnus generis mentionem facere videtur, quòd hostia illa sit perfecta. Princeps pro arbitrio ire potest quòd vult: alii verò per illam portam per quam ingressi erant, exitum nō debebant, sed per oppositam. Nimirum vt significetur, multa nos à cõtemplatione Dei abstrahere. Vitam item nostram esse quasi transitum quendam. Forte etiam significat, nō reflectendum iter, sed ad illa pergendum quæ ante nos sunt. Princeps debuit esse in medio eorum. Christus princeps noster, nobiscum est rebus lætis & tristibus: Vobiscum, inquit, ero vsque ad consummationem seculi, quod mirificè nos consolatur.

De spontaneo principis holocausto versu 12. agitur. 13. de iugi sacrificio: quotidie manè & vesperi agnus immaculatus offerri debuit: adubratur Christus qui sine labe peccati fuit, qui que pacièter tulit mortis suppliciū. Ipsi sacrificiū efficax est ad expiandū peccata illorū, qui ante & post eius aduentum fuerunt, & futuri sunt ad finē mūdi. Matutinis horis alia quoque sacrificia offerēda dicit, vt significet diē à Dei cultu ordiēdū: regnūq; Dei primū querēdū, antequā alia opera aggrediamur. Subiungit de liberalitate & munificentia principis: quæ cōfert filiis, perpetuò retinēt, quæ seruis, tantū ad Iubilæū vsque sūt in eorū potestate. Principes liberales esse decet, vt subditos suos ad res præclaras excitēt, cum vidēt virtuti præmia esse proposita. Dona hæc dat de suo: nō vni eripit quod alteri largiatur. Dat fidelibus & infidelibus sua dona, his ad tempus, illis verò non, Ioan. 8. cap. In calce capitis de sacerdotum & vulgi culinīs, quædam subnectit.

## CAPVT. XLVII.



**H**OC caput duas habet partes, prima est visio aquarū de tēplo extra atriū versū Austrū, mox versū Oriētē ex currentiū. Altera est de diuisione terræ Israeliticæ, quā 45. cap. inchoatā, nūc & sequēti capite perficit. Per hunc fluuiū significatur prædicatio Euāgelii, per quā gratia & remissio peccatorū in Christo nobis ostenditur. Ideo autem fluuiū cōfertur, q̄ vt aqua nos purgat & reficit, ita verbo & gratia Dei purgamur & reficimur. Ioan. 13. Iā vos mūdi estis, p̄pter sermonē meū, quē ego loquutus sum vobis &c. Huius gratiæ quæ per Euāgelium nobis prædicatur, symbolum est Baptismus, qui significat Christū interius nos abluere. Deinde q̄ cursum eius nemo possit impedire. Nā vt fluuii nullis molibus possunt cohiberi, ita prædicatio Euāgelii. Itē vt venti nō possunt coerceri, quominus perflēt quō velint. Aquæ illæ scaturiunt in Sancto sanctorū vbi Deus sedē sibi delegerat. Euāgelium exit à Deo, nō ab hominibus est inuentū & excogitatum. Fluuius ille vergebat ad latus dextrū, versū altare per atriū: dextræ fit mentio quōd dextra sua Deus Euāgelium defendit. Ad meridiem fertur, quia Euāgelium æstus tentationē mitigat. Riuus ille exile habet principiū, sed subinde auctior fit, & lōgè latēque diffunditur, primū ad talos, deinde ad genua, mox ad femora Prophetæ pertingit, tandem vado trāsiri amplius nō potest. Progressus prædicationis Euāgelicæ indicatur: principiū fuit cōtemptum, pauculi enim discipuli, in Iudæa primū, postea in Samaria, & per totum terrarū orbē Euāgelium docuerunt, frustra multis reclamātibus. Vnus Paulus multa regna & oppida Euāgelio impleuit. Suo tēpore Euāgelium per totum terrarū orbem prædicatū fuisse ad Colossēses scribit. Nostro quoque tēpore, incredibilis fuit multis in locis Euāgelii progressus. Etiā hoc videtur innui, quōd quo quis diligētius audit Euāgeliiū, tāta maior gratia ei obtingit. Matth. 25. Habēti dabitur &c. Aquæ altitudinē mēsus est, vt ostēdat nō temere Euāgeliiū prædicari, & vnō in loco plures esse, q̄ in alio, qui ipsum recipiūt. Mox ostēdit fluuiū illū in duo capita, vnū in mare Oriētale, alterū in Occidētale delatū esse, sic Zach. 14. legitur. Hebræi ad mare Sodomiticum, & ad ipsum tandē Oceanū decurrissē scribunt: aquæ autē salæ, dulces & potabiles redditæ dicuntur. Significatur nō solum Iudæis & Israelitis, sed pessimis quoque hominibus, atque ad eō Ethnicis supersticiosissimis, gratiā Euāgelii offerendā: vt per mare mortuū intelligas homines mortuos in peccatis, & de quibus nulla spes erat: acerbiter maris, hoc est, mundi cōdulcorat, Quocunque labentur hi duo fluuii, omnia viuunt, pleni erunt omnis generis piscibus. Lætus successus Euāgelii ostenditur, quasi ex morte omnes educētur, multi diuites, pauperes, vtriusque sexus, Euāgelium ambabus, vt dicunt, manibus amplectentur.

Sanati


Sanati sunt animo omnes quotquot Euangelium amplexi sunt, multi corpore quoque. Piscatores ibi fore dicit, hoc est, Apostolos Christo interprete, qui dicebat, Venite faciã vos piscatores hominũ. Omnis generis pisces erũt in torrentibus illis, vt in Oceano: nisi idẽ sit in specie sua, quod nos dicimus, *in iracht*. Cœnosa eius & paludes, dicit nõ sanãdas, hoc est, Semper erũt, qui malũt in cœno & fordibus peccatorũ hære & volutari, quã saluari Euãgelio locũ dare. Quod dicit, In salinas dabũtur, sensum esse volunt, Hi loco salis erũt, hoc est, Exẽplo ipso alii admoniti cautiore erũt, discẽt quã scẽdum sit in peccatorũ fordibus versari. Prodest electis si reproborũ mores obseruẽt, vt sibi caueãt, & Deo gratias agãt, qui eos liberauit ex his. Ego simplicẽ esse sensum puto, loca hæc fore sterilia, & in solitudinẽ redigẽda. Ab vtraque ripa torrentiũ erũt fructiferæ arbores, semper virẽtes, ex quibus singulis mẽsibus fructus recentes decerpi poterãt: folia quoque illarũ arborũ, suũ habebãt in medicina vsum. Sunt plerũque ad ripas fluuioũ steriles arbores, vt salices, populi, vmi, hæ frugiferæ sunt. Euãgelii effectus ostẽditur, qui verẽ illud recipiũt sũt bonæ arbores, hoc est, fideles, per bona opera fidẽ suã exerẽtes, Psal. i. Hũc locũ Ioa. in sua Apocal. vltim. cap. imitatus videtur. Altera capitis pars cum sequente cohæret.

## CAPVT. XLVIII.

**Q**Vprã 45. orsus est diuisionẽ terræ, cũmque partẽ principi assignatã descripsisset, per digressionẽ de eius officio & nouo cultu differuit: postea versu 13. capitis præcedentis, rediit ad distributionẽ terræ, & in genere descripsit limites terræ ad quatuor cardines mũdi. nõc vltimo hoc capite quæ tribus in singulis terræ partibus habitaturæ sint, ostẽdit. Differt hæc diuisio ab illa quæ Numeri 35. & in Iosue cõtinetur, nõ solum quo ad ordinẽ: sed etiã quo ad nomina locorum. Primũm quod nõ quisque inuasit terræ partẽ, sed certũ locũ diuina sentẽtia cõstitutũ accepit, ostẽdit gradus in Ecclesia non malis artibus cõparandos, sed diuinã vocationẽ expectandã esse. Alii quoque nõ debẽt in alienas opes manus iniicere, vel soli omnia velle occupare: sed cogitare alios quoque indigere habitationibus, agris & aliis. Terra diuisa fuit in partes æquales: omnia enim nobis ex gratia cõferuntur. Peregrinis qui inter ipsos erãt, nõ minus partẽ terræ dari præcipit, quã aliis: Gentiles enim qui antea alieni erãt à regno Dei, iã etiã sunt in eo ciues. Siquis rẽ diligẽter cõsideret, angusta in terra, multa millia hominũ se aluerũt: quod confirmare nos debet cõtra tentationẽ de victu. Deus omnibus rebus destitutos, si pii sint, nõ minus potest alere, quã olim populũ suum in deserto, per annos quadraginta aluit. In medio terræ, urbẽ describit, eius sitũ, magnitudinẽ, portas, victum ostẽdens. Vrbs fuit quadrata: quo significatur firmitudo Ecclesiæ, quæ non possit euerti, vt vt oppugnetur, semper assurgit contra omnes insultus. In singulis vrbis oris, ternæ portæ fuerunt, indicat omnibus terræ nationibus ostium patere ad Dominum. Hunc quoque locũ Ioan. in Apocalypsi imitatus est. In fine libri nomen vrbis ponitur: Iehouah illic: ex hac vrbe Dominus non migrabit: non eam deseret vt synagogam sed omnibus seculis ibi erit, secundum illud, Matth. 28. Vobiscum ero vsque ad consummationem seculi.


F J N J S.

Schema restorationis Templi ad finem libri Ezechielis collocandum.



# HIC SCHEMA TOTIVS STRV

*cturæ Templi (quod domus vocatur) cum his quæ ad ipsum attinent, quam Ezechiel à quadagesimo capite vsque ad decimumtertium versum quadagesimiseptimi capitis persequitur, tuis oculis subiicimus.*



Significatio notarum literarumque præcedentis schematis.

## *Quadragesimo capite Ezechielis versu.*

5. *Et ecce murus, &c.* Murus de quo loquitur Propheta, ille est quem stella notauimus, qui Templum atriaque omnia claudebat. *Et mensus est latitudinem ædificij calamo vno, &c.* Id est, muri crassitudinem. A B, latitudinis sex cubitorum. Calamus enim sex habebat cubitos, quos etiam murus explebat. Murus ille quingentis cubitis vndique, hoc est, per quadraturas, constabat: quod ex fine quadragesimisecondi capitis colligi potest, nimirum ad Orientem quinquaginta C H. ad Aquilonem tantundem H I. ad Meridiem tantundem C K. atque etiam tantundem ad Occidentem. Illud conscriptum constitutum erat, vt Templum ab vrbe seiungeret.

6. *Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem.* Illa est porta quæ litera D. notatur, ad quam per septem gradus ascendebatur E. postea intra porticum seu vestibulum, in quo sex cubicula siue domunculæ, ingrediebatur F. Illudque vestibulum muro septum erat G. Sed quoniam hoc schema breuius est quàm possit omnes dimensiones illius vestibuli exprimere, atrium quod seorsim pinximus accipiendum erit, vt omnia facilius explanentur. *Et mensus est limen portæ calamo vno, latitudinem, id est, limen vnũ calamo vno in latitudine.* Hæc porta A. illam maximi schematis exhibet D. *Et mensus est, &c.* hoc est, ab A. vsque ad B. nam murus calamum vnum latus erat, vt iam diximus. Itaque limen peræquè latum fuisse oportuit. Quantum autem ad alterum limen, in extremitate vestibuli collocatur C D.

7. *Et thalamum vno calamo in longum E F. & vno calamo in latum E O.* Altitudinem non exprimit. *Et inter thalamos quinque cubitos.* Hoc declarat Pro-

pheta: nempe quòd inter thalamos vel cubicula quæ quadrata erant, mensuram quinque cubitorum vacuum intus spacium in longum & latum obtinebat G. Notandum est simile spacium quinque cubitorum fuisse à fine liminis primæ portæ A vsque ad primum cubiculum: itidémque à tertio cubiculo vsque ad murum vestibuli G *Et limen portæ, &c.* Id est, quòd sex cubiti à principio liminis A vsque ad vestibulum seu porticum portæ B intercederent. Nam portici vestibulum tantummodo à litera B incipit, & in litera C. terminatur. Quod dicit octauo versu, exponitur de altero limine portæ interioris vestibuli C D.

9 *Et mensus est vestibulum portæ, &c.* Hoc est, latitudinem portici portæ H I. Quando de vestibulo portæ intrinsecus fit mentio, de vestibulo portæ inter duo limina intelligendum B C. *Et frontem, &c.* Hi frontes, genus sunt umbraculi, siue (vt aptius loquamur) appendices quæ summitati cubiculorum, & portarum portici supponebantur K. in duos cubitos prominentes. Versu septimo de numero, & ordine cubiculorum portici mentionem non fecit, sed tantum de longitudine, & latitudine loquutus est. Verùm in hoc versu bifariam disposita fuisse dicit: tria ex vno latere, & tria ex altero, vt ex schemate liquet.

11 *Et mensus est latitudinem liminis portæ, decem cubitorum L M & longitudinem portæ tredecim cubitorum.* A N Altitudinem, suo more, pro longitudine accipit.

12 *Et marginem ante thalamos cubiti vnus.* Hoc spatium vnus cubiti, O ante cubiculum quodque liberum erat.

13 *Et mensus est portam à tecto, &c.* Declarat porticum illam latam fuisse vigintiquinque cubitos P Q. Nam vestibuli portæ latitudo octo cubitorum erat H I. postea interuallum vnus cubiti vtrinque inter vestibulum portæ, & cubicula, decem sunt cubiti: item sex E F quibus vnumquodque cubiculum vtrinque constabat, duodecim sunt cubiti, qui connexi decem illis præcedentibus, vigintiduo erunt. Defunt tres cubiti, qui inter cubicula, & murum sepimenti censentur: cubitus cum dimidio ex parte vna P (cubicula enim muro non adhærent) & totidem ex altera Q. En illi vigintiquinque cubiti latitudinis portici. Quando dicit, *Ostium contra ostium*, de ostiis cubiculorum accipiendum est, quòd inter se sint opposita. Quum decimoquarto versu frontium sexaginta cubitorum mentionem facit, de omnibus frontibus in porticu locatis censendum, vt ex fine huius versus apparet. Verùm vt numerus horum sexaginta cubitorum peruestigetur, ea quæ supra tractauimus in memoriam reducenda sunt: nimirum appendices cubiculis portisque portici superpositas esse. At sex cubicula esse constat, tria ex vno latere, & tria ex altero, longa sex cubitos, vt patuit: triginta sex sunt cubiti. nam appendices æquè longæ sunt ac cubicula. item appendices duarum portarum portici A C. quæ singulæ decem cubitos patebant L M. vt ostendimus, viginti sunt: sed portarum appendices vtrinque cubito prolatiores sunt quàm patefactio portæ, quemadmodum hîc depictum videre est K S. Itaque appendices portarum vnicuique portæ cubitos duodecim constituunt, vigintiquatuor sunt: qui si cæteris adiiciantur, sexaginta illos cubitos explebunt. Illæ appendices palmis adornatæ erant: atque in cubiculis fenestræ foris larius apertæ, quàm intus collocabantur

15. *Et ante faciem portæ, &c.* Ab A vsque ad D quinquaginta cubiti: nam ab A ad B quod est limen primæ portæ, sex sunt cubiti: & ab A. ad C. triginta octo. postea à C. ad D. quod est limen secundæ portæ, sex cubiti: qui omnes ad vnam summam relati quinquaginta cubitos constituent. Nunc verò vt triginta octo illos cubitos, spacij interiecti ab vno limine B. vsque ad alterum C. teneamus: primum notandum tria extare cubicula longa sex

sex cubitos, octodecim sunt cubiti deinde quatuor loca vacua G. singula quinque cubitorum, ut dictum est, viginti sunt cubiti: qui coadditi illis octodecim trium cubiculorum, & duodecim duorum liminum portarum, quinquaginta cubitos illos efficient.

17. *Et eduxit me ad atrium exterius, &c.* Postquam dimensiones portici huius, ut vidimus, elegantissime Propheta descripsit, ingreditur atrium R. porta D. Quod autem hoc Atrium exterius appellet, id facit ob illud quod in maximo schemate Templo proximum videtis, notatum litera N. quod posthac Atrium interius nominabit. *Et ecce gazophylacia S.* Illa latius quadagesimo secundo capite explanabimus. Quando decimooctavo versu dicit, *Et parauimus in fronte portarum, secundum longitudinem portarum, erat inferius*, declarat fuisse gradus quibus ad portas ascendebatur, ut ex ipso schemate cognosci potest. Portarum dicit, quoniam duæ erant 6. portæ mediæ vel maximæ lateribus velut adhærentes T.

19. *Et mensus est latitudinem, &c.* hoc est, à prima porta Orientis A. quam inferiorem vocat, quoniam illa atrij interioris T. hac altior erat: nam octo gradibus ad eam ascendebatur. Hoc igitur annuit, centum cubitos fuisse à prima porta A. vsque ad portam atrij interioris T. totidemque ad Orientem & Aquilonem, versus V X. Ostendit atria illa quadrata esse: nimirum centum cubit. per quadraturas.

20. *Portam quoque quæ respiciebat viam Aquilonis.* Nunc maximum schema adeamus. Hoc atrium M. illud est quod iam descripsimus, à Propheta longè latèque explanatum. Modò portam Aquilonis R. describit, incipitque à porticu S. atrij exterioris T. eiusdem mensuræ cum illo Orientis: sex videlicet cubicula intra porticum a. cuius longitudo quinquaginta cubitorum V X. & latitudo viginti quinque Y z. Notandum mensuras portici & atrij huius æquales illis atrij Orientalis, de quo præfati sumus.

23. *Et porta atrij interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem.* Sic portæ dispositæ erant, ut ostium portæ atrij inferioris b. cuiusvis plagæ, exterioribus portis plagæ eiusdem è regione obiceretur R c. ita ut in extremæ portæ ostio constitutus, fores Templi per ostia interiacentium portarum quisque peruideret. *Et mensus est à porta vsque ad portam centum cubitos*, hoc est, à porta atrij exterioris b. quod idem dixit cum describeret atrium Orientale, versu decimonono. *Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem.* versu 24. Nunc Propheta ad latus Meridianum perducitur, in quo porta d. quæ ut reliquæ (Orientales scilicet, & Aquilonares) septem gradibus constabat. Postea sic describit atrium exterius e. ut si interius esset. Memoria enim nobis semper tenendum, in omnibus atrijs eadem mensura atque structura continuari.

27. *Et porta atrij interioris in via Australi.* Id ipsum declarat quod dixit de porta Aquilonis vigesimotertio versu: nimirum quod porta atrij interioris f. atrio exteriori obiciebatur d.

28. *Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem.* Nunc Propheta atrium à Meridie ingreditur g. quod etiam si illo exteriori Orientali adhæreat, tamen Atrium interius, causa illius exterioris meridiani e. nominatur, Octo gradibus ad illud atrium ascendebatur h. sed impedit reliqua pictura quominus appareant quam obrem Orientales animaduertendi erunt Q. Nam sicut ibi sunt dispositi, sic & alibi, scilicet in latere Meridiei & Aquilonis. Postquam Propheta hoc atrium interius ingressus est, breuiter illud explicat, quoniam ad formam aliorum omnino accedebat. quod etiam notandum est in omnibus atrijs tam interioribus quàm exterioribus, ut supra versu vigesimotertio

patuit. Eandem quoque descriptionem atrij interioris ab Oriente, & atrij interioris ab Aquilone persequitur: Nunc verò superest vt hanc atriorum dispositionem qua vltus est Propheta in illis describendis expendamus: nimirum posteaquam atrium exterius Orientale M. descripsit, ad exterius Aquilonare T. pergit: postea ab Aquilonari ad Meridianum e. Illinc ex ordine interius Meridianum ingreditur g. postea interius Orientale N. itémque interius Aquilonare i. Ex his igitur tantum sex atria absque Templo extasse facile deprehenditur: eosque qui ad Occidentem duo collocarunt, hoc adinuentos, cum non exprimat Scriptura: vt posthac quadragesimosexto capite iterum demonstrabimus.

38. *Et per singula gazophylacia ostium, &c.* Loquitur de sex cubiculis quæ extant in porticu atrij interioris, Aquilonem versus i. Atque declarat quòd aditus cubiculorum, hoc est, ianua subter appendicibus (quæ summitatem cubiculorum pertingebant, vt aliàs diximus quando de porticu Orientis agebamus) situs erat. Ac etiam quòd in porticu atrij interioris i. quatuor mensæ, sicut in exteriori S. locabantur, longitudinis latitudinisque cubiti & semis, & altitudinis cubiti. Quando quadragesimotertio versu dicit, *Et labia earum palma vnus*, videte schema panum propositionis, Exo. 25. cap. Eadem res est.

44. *Et extra portam internam gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem, &c.* Hic agitur de cubiculis vel cellulis l. in atrio interiori portæ Aquilonis i. in quibus cantores, qui laudes canebant Domino inter mactandum & offerendum. Quod verò præter sententiam non appareat, id pictori tribues, qui ne imperitiæ artis suæ damnetur, hinc optiæ seruire voluit, quamobrè illa Orientis G. animaduertitote. Hæc enim ad illarum exemplum sunt. Cætera etiam in atrio interiori à Meridie g. cantorum esse ait m. *vna ex latere portæ Orientalis quæ respiciebat ad viam Aquilonis.* Nunc tenendum Prophetam constitutum in atrio interiori ad Orientem N.

45. *Et dixit ad me, &c.* Loquitur de duobus illis ordinibus cubiculorum in atrio interiori N. quod respicit viam Orientalem n o. atque dicit ea quæ ad Meridiem constituuntur n. sacerdotum esse, quæque ad Aquilonem o. illorum qui altaris custodias habebant. Ac quamuis cubacula illa sita sint in atrio Orientali, tamen in Meridiem & Aquilonem vergebant. Hic igitur ordo cubiculorum n. Orientalis Meridianus est: ille verò o. Orientalis, Septentrionalis.

47. *Et mensus est, &c.* Hoc idem est quod supra diximus: omnia scilicet atria centum cubitos vndique continere. *Et altare ante faciem Templi p.* Ex his quæ supra tractauimus liquet Prophetam in atrium interius ab Oriente perductum fuisse N. Nam si constitutus fuisset in atrio Aquilonari, cerne non potuisset atrium quod Templi faciei obiciebatur. Qua in re quidam hallucinati sunt, cum inquam Prophetam in atrio Aquilonari egisse existimarent: quod effecit vt in illis partibus viam Templi collocarint, res equidem absurda, & Templo Salomonis, huicque à Propheta descripto, ad illud quam maximè accedenti, aliena. Ad hæc versus secundus & quartus quadragesimotertij capituli satis indicat viam patuisse ab Oriente. Nam ibi dicit Dominum ingressum fuisse Templum via Orientali: quod ei licitum non fuisset, si via ab Aquilone patuisset. Vt enim suum atrium collocarunt, via Aquilonis Templum ingredi non licebat. Insuper etiam hoc verbis Prophetæ repugnat. Nam postquam dixit, *Altare ante faciem Templi, &c.* addit,


48. *Et introduxit me in vestibulum Templi, &c.* Si igitur, vt illis placet, via ab Aquilone patuisset, longum Propheta circuitum egisset ad Templum ad eundem.

*Et introdu-*



*Et introduxit, &c.* Ingreditur hac porta q. vt ad Templi vestibulum pertineat T. Ingressus illud, describit, ac etiam Templum: sed quoniam hoc schema omnia hæc simul, ob eius breuitatem, complecti nequit, tuis oculis Templum seorsum pictum subiecimus.

## S C H E M A T E M P L I .



Propheta his ascendit gradibus 9, vt ad vestibulum Templi perueniat 7.

48. *Et introduxit me in vestibulum Templi: & mensus est vestibulum quinque cubitis, &c.* Hic mentionem vestibuli pro mentione muri vestibulum claudens accipit. Ille murus crassus erat vtrinque quinque cubitos 12. *Et latitudinem portæ trium cubitorum.* Illa sunt ostiola quæ patent in vestibuli conspecto, latitudinis trium cubitorum 12. Hæc ostiola viam cubiculorum Templo annexorum aperiebant A B.

49. *Longitudinem autem vestibuli, viginti cubitorum 5. 6. & latitudinem undecim cubitorum 7. 8.* Quantum ad columnas, illarum formam non exprimit: propterea illam columnarum Templi Salomonis, vt probabiliorem sequuti sumus.

### *Cap. quadragesimoprimo.*

*Et introduxit me in Templum, & mensus est frontes, &c.* Posteaquam dimensiones vestibuli descripsit, pergit ad Templum. Appendices siue frontes, cubacula Templum cingentia vocat A B. quod medium cubiculum prolatius sit primo, tertiumque secundo A. Et quantum prominent à fronte, tantum etiam à latere Templi, vt depictum videtis, murum eò in contractionem desinere, quò cubiculum latius patescit. Hæ appendices, seu cubicula extrema, sex cu-  
&c. iij.

bitos lata erant A B. hoc est supernè. Quà de causa hanc latitudinem tecti fuisse addit. infernè enim tantùm quatuor cubitos lata erant L R. vt infra declarabit. Porta Templi, latitudinem portarum atriorum habet: nimirum decem cubitos C D. A patefactione portæ vsque ad murum Templi, vtrinque erant quinque cubiti E. C. D F. *Et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum*, hoc est, à porta Templi 8. vsque ad Sanctum sanctorum 1. Latitudo Templi viginti erat cubitorum E F. vel G P. Nam porta lata est decem cubitos C D. vt diximus. postea quinque cubiti quos latera portæ vtrinque continēt E C. D E. viginti sunt illi cubiti latitudinis Templi: de cuius altitudine mentionem non agitat. Quamobrem illius Salomonis alti triginta cubitos in hoc casu vestigia tenuimus.

3. *Et ingressus intrinsecus, &c.* Nunc ad Sanctum sanctorum accedit. *mensus est in fronte, &c.* hoc est, limen portæ Sancti sanctorum, longitudinis duorum cubitorum H I. siue (vt ad verum propius accedamus) murum, Sanctum sanctorum à Templo distinguentem, duorum cubitorum crassitudinis. *Et portam, sex cubitorum R L. Et latitudinē portæ, septē cubitorum*, hoc est, latera M K. & L N. Bis enim septem faciunt quatuordecim: postea sex cubiti patefactionis portæ K L. viginti sunt.

4. *Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum G O. Et latitudinem viginti cubitorum, ante faciem Templi G P.* Hic Templum vndique viginti cubitis constantem ostendit.

5. *Et mensus est parietem domus, sex cubitorum, &c. Q. 6.* Infimum cubiculum quatuor cubitos tantùm habebat Q R. medium quinque S T. supremum sex A B. Tres ordines cubiculorum, siue tria tabulata extabant R S A. Quando dicit de eminentiis ingredientibus per parietem domus, schema fatis illud planum facit. Quantum ad cochleā, illam ideo nō expressit pictor, ne reliquæ picturæ officeret. Huiusmodi hodie in plurimis monasteriis extāt.

8. *Et vidi in domo altitudinem, &c.* Denotat fundamenta cubiculorum sex habuisse cubitos. Verùm suprā diximus quatuor tantùm obtinuisse. Idcirco tenendum Prophetam altitudini cubiculorum superstare, quòd etiam annuit. At supremo cubiculo sex cubiti deputantur, vt commemorimus. Si igitur à summo cubiculorum in imum despicias, æquè lata suprā ac infra tibi videbuntur, quoniam contractio cubiculorum inferiorum non apparet. Exempli gratia, Si funiculum infra demiseris, extremum eius ad imum cubiculi inferioris non feretur V. sed ad perpendicularum respondebit Z. Eaque de causa dicit fundamentum cubiculorum sex habere cubitos, respectu illorum supremorum.

9. *Et latitudinem per parietem, &c.* Declarat murum à supremo cubiculo (quod forinsecus nominat B X.) quinque cubitos obtinuisse X Y. Nam infra sex cubitos complectebatur Q. 6. vt diximus. At quum ita sit murum suprā cubito vno tantùm retrocedere, & in crassitudine imminui, cubiculumque supremum sex habere cubitos A B. infimumque quatuor tantummodo Q R. vt patuit, facilè deprehenditur cubicula tantum à fronte prominere quantum à tergo. Nam si solum latere muri cubicula latius potuissent, & non à tergo, cubiculo supremo quinque cubiti tantùm fuissent, quoniam murus cubito vno tantùm gracilior fit à Q. vsque ad B. vt trabium termini super extantiam illam muri locarentur. Quod dicit decimo versu de cubitis inter cubicula, de latitudine Templi viginti cubitorum E F intelligendum. Nam cubicula Templum ambiunt. Tamen trigintadu cubiti inuenientur, si murum capiamus: quia hinc illincque latus erat sex cubitos. Sed Propheta interiorē partem

partem Templi viginri cubitorum tantum explicat E F.

11. *Et ostium lateris &c.* Ostia cubiculorum patuisse ab Aquilone & Meridie dicit. Cubicula, quæ ad Aquilonem locabantur V. sua ostia illinc habebant:& quæ ad Meridiem R. sua etiam ostia ad Meridiem: quæ ne artis imperitiæ damnarentur, nobis illicita fuerunt exprimere. Addit quoque spacium liberum latitudinis quinque cubitorum ante ostia collocatum fuisse V Z. quod templum cingebat. itémque murus integer à tergo, qui id conspicebat 11. Quantum ad illos septuaginta cubitos, quibus templum ab Occidente constabat, commodè non potuimus inuestigare: tamen pro viribus explanare conabimur. Centum cubiti ab a. vsque ad b. vt infra patebit. Verùm tantum sexaginta commodè inuenio, nimirum viginti patefactionis Templi c d postea quinque à d vsque ad e. crassitudinis muri:& totidem ab altera parte c f. decem sunt. Item quinque ab e vsque ad g. latitudini medij cubiculi deputati, ac quinque à g vsque ad h. latitudini spacii vacui ante cubicula: & quinque ab h vsque ad i. crassitudini muri spacium vacuum conspicientis: quindecim sunt: & quindecim à parte altera ab f ad m. triginta sunt: qui adiecti illis alteris triginta, summam sexaginta illorum cubitorum referent ab i vsque ad m. Amplius non reperiuntur. Nisi ita dicamus, Ab A vsque ad g. vel à B vsque ad l. septuaginta sunt cubiti. nam ab l ad f. quinque cubiti vt diximus: & totidem ab f ad c. item à c ad d. triginta & quinque à d ad e. trigintaquinque: & quinque ab e ad g. quadraginta: & quinque à g ad h. quadragintaquinque: & quinque ab h ad i. quinquaginta: & quindecim ab i ad k. quod est separati latitudo, sexagintaquinque: postea quinque crassitudinis muri k b. septuaginta, quos alio modo inuestigare non potuimus. *Et longitudo eius nonaginta cubitorum.* Templum sexaginta cubitos inter duos muros complectitur, hoc est, latitudo eius intrinsecus, nempe à g vsque ad l. quadraginta cubiti: item viginti à G vsque ad O. postea quinque, qui crassitudini muri à fronte 8 12. & totidem à tergo Orientem versus deputantur, septuaginta sunt, & quatuor, quos postea Templi cubicula obtinent, ac quinque latitudinis spacij vacui, nouem sunt: & vndecim latitudinis vestibuli 7. 8. viginti sunt. En nonaginta illi cubiti longitudinis Templi. Adicite bis quinque crassitudinis muri a o. & κ b. centum erunt cubiti, quibus atrium templi sicut cætera constabat. Quod postea addit R. versu decimotertio, de atrio Templi centum cubitos vndique implente intelligendum: centum cubiti à p vsque ad r. centum à b vsque ad t. & ab a vsque ad b. totidemque ab f vsque ad t. & centum ab a vsque ad f. Decimosexto versu declarat cubicula Templo adhærentia, à summo ad imum vsque asseribus tabulara fuisse, ita vt murus non appareret. Quod autem superest, satis liquet, ostendit enim parietes, ostiâque Templi Cherubinis & palmis ornatas fuisse. Vigesimo secundo versu altaris dimensiones exprimit u. altitudinis trium cubitorum y x. longitudinisque duorum y z. Nunc verò maximum schema consulite.

### *Capite quadragesimo secundo.*

*Et eduxit me in atrium exterius, &c.* Posteaquam Propheta dimensiones Templi expressit, ad atrium exterius Aquilonem versus conducitur T. *Et introduxit in gazophylacium, &c.* De ordine illo cubiculorum f agit, qui, vt patuit, reliquæ picturæ causa non apparet. *Quod erat contra separatam.* Notatum litera t. & .iiij.

declarat igitur hæc cubicula f. separatim spectare t. Nam altera u. non ita proxima separati ut hæc erant f.

2 *In facie longitudinis, centum cubitos ostij Aquilonis.* Hoc est, centum cubiti ab x usque ad y. *Et latitudinis, quinquaginta cubitos, &c.* A b usque ad X. *Contra viginti cubitos atrij interioris.* Singuli ordines cubiculorum, longitudinem viginti cubiculorum capiebant (ut dicemus.) Sic cubiculorum auersa pars viginti cubitos alij interioris i spectat. Hæc omnia in atrio exteriori T locata erant, eaque ratione pavimento hærebant. Ante cubicula deambulatio, ubique designata hoc numero 12. lata decem cubitos: quod infra quarto versu ostendemus. Circum has deambulationes brevis erat via latitudinis cubiti, ut ex schemate patet. Quando ostia Aquilonem versus collocat, hoc ut habitum cubiculorum demonstrat, facit: nam quemadmodum videtis ostia cubiculorum atriorum Orientalium Orientem spectare, consimiliter ostia cubiculorum atriorum Aquilonarium Aquilonem spectant, illaque Meridionalium, Meridiem. Cæterum hæc cubicula ad formam illorum Templi non accedebant, quod superna angustiora extarent infernis, versu quinto, sicque (ut architecti solent fastigia ædificiorum in angustum contrahere, ne structura pondere dissiliat) in contractionem desinebant, at è contrario inferna Templi angustiora superius extabant. Versu decimosextimo quadagesimi capituli, ubi obiter istorum cubiculorum mentio habetur, triginta extasse dicit: hinc verò tristega esse ait, quãobrem singulo ordini quinque deputauimus, ut videre est, nimirum ter quinque vniciue lateri.

7 *Et peribolus, &c.* Quemadmodum sex cubicula V quæ extant in porticu atrij exterioris Aquilonis T. conscripta sunt muro longitudinis quinquaginta cubitorum V X. consimiliter hi duo ordines cubiculorum u. s. totidem cubitos capiebant, quod clarius schemate solius atrij exprimitur. Itaque hoc atrium, vnum illorum Aquilonis esse fingamus, duosque hos ordines cubiculorum s. eos atrij exterioris Aquilonis T. notatos his literis u. s. in maximo schemate. Diximus singulum ordinem cubiculorum longitudinem viginti cubitorum obtinere: hoc est, ab Y usque ad I. quod est vnus ordo cubiculorum, & à 2. usque ad 3. viginti, quod est alter ordo cubiculorum, quadraginta sunt cubiti: & decem ab 1 ad 2. quod est portæ patefactio, quinquaginta sunt, qui eo modo ab Y. ad 3. inuestigantur: ut etiam in porticu atrij exterioris T. latere Aquilonis V X. in quo sex cubicula X. de quo supra exquisitè egimus. Diximus quoque deambulacra ante cubicula decem cubitos obtinuisse, hoc est ab Y ad 2. Quod enim videtis in hoc schemate solius atrij notatum numero 4. deambulacris maximo schematis 12. deputatur. Ad quod redeamus.

8 *Et longitudo ante faciem Templi centum cubitorum.* Id est, à latere Templi centum cubiti 1. 2.

9 *Et erat subter gazophylacia, &c.* Hic lateribus cubiculorum ostiola constituit, quæ ubique hac litera z designauimus, quibus ostioli patebat aditus ab atrio Orientali ad reliqua Meridiana & Aquilonaria. Decimo & vndecimo versu declarat cubicula P. atrij Orientis M. consimilia esse illis Aquilonis, quorum hætenus subinde commemorat, atque versu duodecimo Meridiana h alteris adæquari cum suis ostioli, quibus aditus ab Oriente, sicut aliis omnibus huius ordinis patuit.

13. *Et dixit ad me, &c.* Loquitur de cubiculis Templum ambientibus 3. Dicit *gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Austri*: quoniam vna Aquilonem spectant, altera verò Meridiem. Addit quoque illa ante ædificium constitui: quod de duobus locis vacuis 4 ante cubicula intelligendum. Ea sancta nominat, quod Templo adhæreant. Postea dicit sacerdotes atrium exterius cum suis vestimentis

mentis sanctis non ingressuros: quod latius versu 17.18.19. quadagesimi capitis de clarat, ubi eos ab atrio interiori N cum sacrosancto illo vestitu non egressuros, inquit, sed alienis vestimentis, id est, vulgaribus amictuos, ingressuri atrium exterius M ad populum: suaque quibus induti erant in cubiculis templum cingentibus reposituros. Quod sequitur, initio quadagesimi capitis tractauimus: nimirum murum totum ædificium conspicientem, quingentos cubitos vndique continere.


### Capite quadagesimotertio.

*Et duxit me ad portam, &c.* Propheta ad portam Orientalem ducitur D ubi videt Dominum illac Templum intrantem: inde ad atrium interius reuocatur, in quo onus suscipit annuntiandi omnes dimensiones altaris holocausti, quæ sunt eiusmodi.

13 *In sinu eius erat cubitus* A. Basis vnus cubiti altitudinis AB. totidemque latitudinis P Q. Huic basi labium vnum palmi vnus supra constituebatur, vt depictum vides.

14 *Et de sinu terre.* Duo sunt cubiti ab C vsque ad D. Quando de crepidine nouissima, id est, inferiore, mentionem facit, hoc quod sit inferior maiore dicitur. *Et latitudo cubiti vnus.* D E. *Et à crepidine minore, &c.* Hoc est, à E & F. quatuor cubiti. Cùm decimoquinto versu repetit, Altare, siue Ariel, quatuor cubitos capere, id à E vsque ad F. tantum complectitur, quod maiorem crepidem supra nominauit. Supra crepidinem illam maiorem quatuor extabant cornua in quatuor angulis G. Quando dicit illud duodecim cubitos longum & latum esse: hoc est, duodecim cubiti per quadraturas: duodecim ab G ad H. duodecim ab G ad K. totidemque ab K ad L. & duodecim à L ad H. Quod decimosextimo versu dicit, quatuordecim cubitorum, de priore crepidine accipiendum est: nam quum ita sit illam secundam cubito vno proliorem extare, necessarium etiam eam longam quatuordecim cubitos oportet M N. & ita de latitudine asserendum N O.

### SCHEMA ALTARIS,



Notandum huic altari septem cubitos deputari, nimirum cubitus vnus ba-

fi A B & duo priori crepidini, ab O ad N. postea quatuor maiori crepidini à M ad H. Sed hæc hæctenus.

### *Capite quadragesimosexto.*


*Hæc dicit Dominus Deus, &c.* Ad maximum schema redeamus. Porta est illa atrij interioris Q. ad quam octo gradibus ascendebatur: quod manifestè schemate comperitur. Nono versû declarat, quòd ingressurus porta Aquilonis R. porta Meridiei d. egrediebatur: ingressurusq; porta Meridiei d. porta Aquilonis R. egrediebatur, atque in transcurfû in atrio exteriori Orientis M. adorabant. Quæ cum ita se habeant, multum ad ea quæ suprâ allegauimus referunt: eos, scilicet, multis modis hallucinatos fuisse, qui suum atrium è regione atrij Templi collocarunt. Nam eo modo constitutum, is qui ingressus fuisset Aquilone, non potuisset exire Meridie: nec contrâ qui ingressus fuisset Meridie: exire Aquilone, quoniam Templum fuisset impedimento. Qua de causâ primùm atria in prima fronte muri ad Oriëtem locauimus: deinde vt atrium interius ab Oriente N. proximum Templo cæteris esset sicut ex contextu prophetici sermonis videtur. Nam addit, portam atrij interioris Orientem spectans Q. Sabbathis, & Neomeniis tantùm apertam.

9 *Et introduxit me, &c.* Accedit ad cubicula Templo annexa ab Aquilone: postea ducitur ad maximum illud atrium Orientem versû 5. quod atrium interius vocat: quòd sit à tergo Templi. Ibi constitutus, circumducitur per quatuor angulos illius maximi atrij: in cuius singulis angulis paruulum atrium longitudinis quadraginta cubitorum. 7. 8. latitudinisque triginta, 8. 9. & 7. 9. In longitudine consepti domus coquorum 10. locabantur. Hæc paruula quatuor atria veluti erant coquinæ in quibus elixabantur, lauabanturque sacrificia.

### *Capite quadragesimosextimo.*

Propheta ad ianuam Templi, cuius fores gloria Dei semel introgressa, semper clausæ erunt, ab atrio exteriori per atrium interius deducitur, atque defubtus limine Templi exilientes aquæ in modum riuuli sibi demonstrantur 11. profluentes ad Meridiem versû, & cursû ad Orientem reflectentes, vbi valde augetur incipiebant: sicut ex verbis contextus colligitur. Videri potest allusum ad hunc locum Esa. 8. Propterea quòd renuit populus ille aquas Siloe fluentes silenter. Igitur illis aquas has altas & profundas fore ostendit.

Schema hoc partitiones Tribuum continens, ad caput XL VIII. huius  
 Prophetæ referendum est.







INDEX EORUM QUAE IN HIS D. LV  
DOVICI LAVATERI IN EZECHIE-

lem Commentariis, præter cætera, explicantur  
atque annotantur.

*Numerus folium indicat: b. paginam alteram denotat.*

A					
<b>A</b> bbas Vspurgensis citatus	81. b.	Aetas, infignetempus numerandi ex-		animæ piorum saluantur, impiorum	
Abundantia omnium rerum est		ordium	1. b.	damnantur	217. b. 219. b.
quasi ancilla Dei, quâ quî primùm		Aetates certis metallorum generibus		animalia quatuor quid significant	4. b.
vocat, præsto est.	76. b.	distinctæ	151	& 6. b.	
Abyssus & aquæ	182	afflictionum variæ causæ	35. 52	annus iubilæus	1. b.
Adamantem Græci vocant ab indomi-		afflictis Deus adest	59. b.	in anno iubilæo redibant possessiones	
to robore	11. b.	afflicto addere afflictioné est magnû		ad venditores	39
Admonitiones & poenæ leuiore non		peccatum	168	anni pro diebus	19. b.
contemnendæ	150. b.	agger quid	141. b.	anni a diuisione regni ad excidiû Hie-	
Admonitiones affiduè inculcandæ	15	ahola & aholiba	155. b. 156. 157. 162.	rufalem	19. b.
admonitionis finis	15. b.	alæ terræ	37. b.	anni peccati regni iudæ vnde nume-	
Adonidis sacra	46. b.	alexander magnus vicit persas	143	randi	19. b. 20. b.
Adorare quid sit apud Hebræos & La-		alexandri monarchia in multa regna		antichristus suos etiam habet signatos	
tinios	45. b.	diuifa	143	50. b.	
Adrianus imperator		alexand. ab alex. citatus	97. b.	antichristi truculentia	153
templa in omni-		allegoria ollæ	165. 166. b.	antichristi vires, conatus & excidium	
bis ciuitatibus siue simulachris ius-		altaria ex lapidibus politis fieri cur		257. 258. & seq.	
fit fieri	45. b.	Deus vetuerit	132. b.	anubis, qui & cynocephalus	47
Aduersi casus patiéter ferendi	20	ambrosii locus	122. 252. 257. b.	apostoli Hierosolymis profecti, totum	
Aduersis rebus cur nos excitet Deus.	35	ambrosius quanta libertate in Theo-		orbem Euangelio compleuerunt	112
Adulatio abesse debet à ministris Dei	15.	dosium inuectus sit	227.	appiani locus	117. b.
Adulterium apud Gétiles capitale sce-		amicis abundant fœlices	220. b.	aqua crebrò afflictiones significat	
lulus	35. b. 100. b.	ammiani marcellini locus	46. b. 141. b.	165. b.	
Adulterium cauendum	114. b.	ammonitæ quales fuerint	172. eo-	aquæ populos significant in scriptura	
Adulterii poena	160. 164	rum origo ibid.		7. b.	
Adulterarum impudentia & hypocri-		odiu contra Iu-		aquæ penuria in obsidionibus	22
sis	162. b.	dæos 172. b. fœdus cum Iudæis cõ-		aquila multis virtutibus prædita	108. b.
Aegyptiorû idololatriâ	45. 98. 201. 205	tra nabuchadonosorém ibid.		aquilæ alæ, pennæ & plumæ, quid signi-	
Aegyptus fertilissima, populosa & pe-		ritus	171	ficent	109
corosa fuit	169. b. 200	ammonitis, qui de Iudæorum interitu		arbores quid significant in scripturis	
Aegyptiacum regnû vetustissimû	197	gaudebant, poena denuntiatur.		112	
Aegypti reges Pharaones dicti	167	143. b. 144		aries machina bellica	141. b.
Aegypti rex comparatur ceto magno		amurathes turcarum imperator	141. b.	arnobii locus	27. 47
197. b.		anabaptistæ monasterienfes	43. b. 196. b.	astrologia diuinatrix damnanda	65. b.
Aegyptiorum rex à Nabuchadonosore		andabatarum more Deus non pugnat		affur niuiuem condidit	208. b.
re deuictus	109. b.	26. b.		assyriorum reges 209. quorum quidam	
Aegypti desolatio & ægyptiorum di-		angelorum munus	12. b.	miserè perierunt	ibid. & 210. b.
spersio prædicitur	197. 198. 199. 203.	angelorum opera Deus vtitur ad de-		assyrii regis potentia describitur sub	
205. 214. b. 215. b.		fensionem & vindictam hominum		figura cedri 208. b. eius interitus	210
Aegyptus merces Nabuchadonosoris		53		quo omnes commoti sunt	211.
ob laborem quem subiit aduersus		angelos vt præfecit Deus vrbibus &		auaritia quanta pestis	80. b. 81. 152. b.
Tyrum	201	gentibus qui eas custodiant: ita etiâ		154	
Aegyptio regi interitus, Babylonico		destinat angelos qui eas prodant	49	auari pauperibus molesti	115
victoria prædicitur	206. b. 211	angelus lineis vestibus amictus fuit ty-		auaritia pleudoprophetarum	70
Aegyptiorum sepultura	198	pus Christi	53	augustini locus	4. b. 44. b. 45. 47. 97. 112.
Aegyptiorum restitutio 200. eorû con-		angeli è vestigio faciunt quod Deus iu-		b. 140. b. 148. 252	
ditio post restitutionem	200. b. libe-	bet	53. b.	auicennæ locus	93. b.
ratio spiritalis	201	angeli omnes adeoque omnes creatu-		auspicari quid	141
Aelii Lampridii locus	45	ræ Deo subiiciuntur	53		
Aenigma vel parabola de aquilis	108. b.	angelorum lapsus	193		
Aerumnis exercentur pii	168. b.	animas venari	69. b.		
Aerumnis aliorum lætari, ingens pec-		animas vocare	152. b.		
catum est	173. b.	animarum origo & immortalitas	113. b.		
Aeschimis locus	194. b.	animæ separatæ a corporibus non in-			
		tereunt, sed redibunt ad sua corpo-			
		ra	217. a. b. 251		

# I N D E X.

euerterant, poena denūtiatur	144. b	cium	14 b	226. b	
baculum panis frangere	22	chammanim, quid	34	concionatorum officium	9. b
Baiazetes captus à tameclane	124. b	chanaan. terra chanaan typus patriæ	256	conditio hominis non renati	60. b
bella Deus facillè excitat	88. b	coelestis	4. & 6. b. & 8	conditio israelis vel ecclesiæ	242
bella non necessaria non mouēda	198. b	cherubin quatuor	196. 243. b	coniugia non inturbantur prophetarum munus & spiritus sancti dona	168. b
belli causæ & effecta. 89. cur immittantur à Deo, & quomodo nos in eo gerere debeamus	ibid.	chore, datlian & abiron	134	coniuratio pseudoprophetarum	152. b
bella à Deo immittuntur	137. b. 138. b	chretim	178	consensum communem in vera religione expectare, stultum est	66. b
beneficia à Deo in gentem iudæorum collata,	93. 134	christi sæpe à prophetis adhibentur	18	consilia bona ex verbo dei petita non impunè repudiantur	80. b
beneficiorum suorum memoriâ Deus refricat per afflictiones	35	christi regnum	111. b. officium	consilia humana contra dei voluntatē suscepta malum exitum fortiuntur	110
beneficia messiæ	235	christus quando natus	143	consilium seniorum & populi quale	133. b
beneficia quæ nabuchadonosor in zedechiam contulit	109. b	christus magni consilii angelus	50	constantia sanctorum	120. b
berosi locus	183. b	christus princeps	234. b	consuetudo cum bonis & malis multū potest	9. b
bestias malas Deus armat contra homines	26	christus magnus pastor	231	consulendus deus in rebus dubiis	126.
bestias malas immittit Deus, quæ terrâ incolis priuent, & desolatam reddant	88	christus vnicus pastor, 233. b. vocatur seruus, & dauid, ibidem & 256. est in medio suorum	234	b. viæ consulendi deum	127
bibliandri locus	258	christus redemptor & intercessor vnicus	50	conuersio vera quæ	120
bombardæ inuentor	18. b	christo regi subiectus populus qualis futurus	255	cor lapideum & carneum	60. b. & 247
bonfinii locus	141. b	christus populi sui æternus rex & pontifex	143. b	cornelii taciti locus	100. b. 117. b. 194. b
bonis omnibus priuantur, qui è populo dei exciduntur	73. b	Christiani orant ad orientem	47. b	cornu quid	202. b
bonæ intentiones	97. b	christianos nulla in suis templis simulachra habuisse testatur lampridius	45. b	corona	142. b
brachium excelsum quid	133. b	christophorum vel alios diuos contra subitam mortem inuocare, impium est	58. b	coronarum vsus in conuiuuiis	163. b
<b>C</b>		chrysofomus arcadii coniugem eudoxiam comparauit herodiadi	223	corpus resoluitur in sua elementa	217. b
CAEdes fortuitæ	89	chrysofomi locus	116 b	correctio necessaria	146
Cælibatus sacerdotum	168. b	chub	204	corruptio hominum cuiuscunque ordinis,	29
cælius rhodig. citatus	93. b	cibi immundi	21. b	corruptionis nostræ agnitio primus gradus est ad salutem	220
cælum locus dei dicitur	12. b	cibi in quem vsus à deo conditi	76	cosroes perfarum rex	47. b
calamitates cur deus immittat	173. b	ciceronis locus	10. 36. 46. 97. 117. b. 197. b	creatorum omnes deo parent	49. b
calamitatibus proximorum condolendum	177. b	cidaris	142. b	cristæ	157. b
calamitatum causas demetrianus christianis imputabat, quòd deos gentilium non colerent	64. b	cithim	183. b. 184	crudelitas in fundendo piorum sanguine	146. b
calix pro ærumnis	161	ciues regni dei, qui	68	cultus noui non fingendi, sed retinendi quos deus verbo suo præscripsit	96. b
caluinus citatus	20. b. 24. b. 37. 54. b. 68. 72. 73. 91. b. 95. b. 96. 112. 132. b. 133	clade accepta quale remedium adhibendum	207. b	curam suorum deus non abiicit	50
caluini locus	123	clamor montium	38	curruum visio	6
cambysis crudelitas	238. b	claudiani locus	211	cypriani locus	29. 50. 64. b
canes muti	146	claves inferorum	215. b	cyrillus tempore famis vt succurreret egenis, preciosafava dilastraxit	84. b
capadoces seruili ingenio	185. b	clementia dei	59	<b>D</b>	
captiuitates multæ	60	coenæ dominicæ verba tropicè accipienda	24	Damnare aut absoluere aliquem suo iudicio homines non possunt	15. b
captiuitas lxx. annorum	56. b	cogitationes nostras deus videt	56. b	Danielis prophetia	145
captiuorum restitutio promittitur	242. b	cognitio dei. ad eam certis gradibus venit	6	danielis sapientia	190
caritas & fames quomodo differat	75	cognitio sui ipsius	189. b	darius medus & cyrus babylonem ceperunt	145
carmen lugubre vel lamentatio	123	columnæ & statuæ	180. b	dauid typus christi	256
carneadis dictum	193	commune & sanctum	148	decalogus constat duabus tabulis	48
carolus caluus imperator raptus in spiritu	43. b	conciliationes in causis civilibus locū habent, non in causa religionis	126. b	decalogum cur deus tradiderit	63
carolus molinæus citatus	117. b	conciliorum decreta, patrum placita, visiones hominum, pro verbo dei ecclesiæ non obtrudenda	15	decalogus plena bonorum operum forma	116
casparis peuceri locus	43. b. 140. b	concionandi munus non illotis manibus suscipiendum	17	desiderium oculorum	168
caspiis montibus iudæi inclusi	254. b	concionones sacræ quomodo audiendæ		deus zebaoth	49. b
catenas iudæis iniiciendas prædicit ezechiel	41			deus an sit author mali	74
catonis locus	117			deum aliqua ex parte colere an satius sit, quam prorsus idololatriæ additum esse	135
cedri quid significant	109			deus	
chabriæ atheniensium imperatoris dictum	215				
chalcographia singulare dei benefi-					

# I N D E X.

deus speciatim præscribit nobis quid facere debeamus	116	dum externam pompam	59. b	ezechiel explicat parabolam de vxore sua mortua	169
deus non vult vt partim se, partim idola colamus 13. quomodo iubet eos idola colere, qui legi suæ nolunt parere	ibid.	Ecclesia monti comparatur	135. b	ezechielis concio vltima	201. b
deus nunquam & nusquã suis deest	2	ecclesia deo curæ est	242		
deus semper conseruat sibi populum	23. b	ecclesiam deus sibi seruat			
deus omnibus temporibus suos habet signatos	50. b	ecclesiæ conditio	242		
deo subiecta omnia	6	ecclesia etsi in angustum contrahatur, non tamen penitus extinguitur	35	<b>F</b> aciem obfirmare	137
deus humanis affectibus nõ obnoxius	25. b	ectasis vel raptus quid	43	Faciem ponere contra aliquem	172. b
deus rectè vocantes audit	42	edere vel vorare volumen quid significet	10	Falli deus non potest	72. b
deus est deus omnium gentium	172	edere carnem cum sanguine	224	fames prædicitur	21
deum sibi iratum sentire, quantum tormentum	212. b	elam	217	famis sagittæ, quid	26
deus quomodo dicatur homines decipere, excæcare, tradere in reprobũ sensum, &c.	74.	electi an excidant	121	famem prædixerũt iosephus, helisæus, & agabus	75. b
deus habitat inter cherubim	53. b	electos christus ex toto terrarum orbe colligit in vnam ecclesiam	255	famem deus immittit	75
deus recedit à iudæis	49. b	electi à deo exaudiuntur	48. b	fames quàm variis modis oriatur	77. b
deus quomodo recedere ab aliquo dicitur	44. b	eleemosyna quomodo facienda	84	fames publica & priuata	75
deum memorem fore foederis sui	107	eleemosyna cui danda	115	famis & caritatis annonæ pœna quàm sit horrenda	78
deum se facere quid	190	eleemosyna quomodo colligeretur tempore hieronymi	115. b	fames vt reperit bonas artes, ita stimulat interdum homines ad imposturas, mendacia furta	78. b
deus omnia gubernat	5. b	eleemosyna spiritualis	115. b	fames non immittitur propter euangelicam doctrinam, sed propter idololatricam & alia scelera	79. 80
deus nõ est accusandus morositatis aut crudelitatis, quando homines seuerè castigat	42	empedocles vocat dæmones <i>δυναστεύεις</i>	193. b	famem & annonæ caritatem cur deus piis pariter atque impiis immittat	79. 82. 83
deum qui non audit, multò minus audiet homines	11	epheMERIDES ex quibus festa, motus lunæ & alia huius generis petuntur,	76	fames sub claudio maximino, lothario & henrico imp.	81. b
dii gentilium	78	ephraim vel decem tribus gerunt typũ gentilium	254. b	famis tempore quo pacto se tam diuites quàm pauperes gerere debeant	83. b. 84. b. 85
dii tutelares	204	epiphanius velum pictum in templo pendens discidit	45	fera quædam crudelis & miræ celeritatis in bituricensium finibus	26
dies domini	203. b	episcoporum & presbyterorũ gradus an fuerint initio distincti	13. b	festi locus	78. 182
diodori siculi locus	47. 96. b. 160	equi optimi ex epiro	186	fides hosti seruanda	110. b. 141. b
dion citatus	81. b	equi troiani fabula vnde nata	141. b	fides non statim adhibenda illis qui de vera religione magnificè loquuntur	72. b
dionis locus	255. b	erasmus roterodamus citatus	22	propter fidei infirmitatem non reiciuntur à deo	30. b
diuinationum tria genera	140. b	errores & scelera non excusantur diuinitate temporis	20	fide vera præditi non erubescunt cam publice confiteri	50
diuinationes damnatæ legibus	141	esau qui & seir	176. a & b	fiducia collocanda in christo	120
diuites morituri sæpe opes iniuste collectas detestantur	40	est pro significat	252	filius hominis cur vocetur ezechiel 8. b	
diuitiæ non eripiunt à morte	40	ethnici orabant versus orientalem plagam	47. b	filius bonus non imitatus facta patris mali, recipiet præmium suæ iustitiæ	117. b. 118. & 119.
docendi munus neophytis non comitendum	1. b	euagrius citatus	32	filius malus non imitatus facta patris boni pœna afficietur	116
doctorum ecclesiæ nomina varia	13. b	euripidis locus	143. b. 169. 230	filius quomodo portet patris iniquitatem	119
doctorum ecclesiasticorum scripta à falsis literis distinguenda	2	eusebius citatus	32. 79. 81. b. 84. 98	filiis plerunque similes sunt parentum	102. b
doctores se falsis prophetis opponere debent	66	exaudiuntur à deo electi, non autem impii	48. b	filiis israelis carnales & spirituales	236. b
doctores veri quomodo à falsis discernendi	70	excella, quid	34. 133	firmamentum, & thronus dei	6
doctoribus falsis nihil magis pestiferum	67. b	excidium iudæorum prædicitur	151. 152. 159. 160. b	flagella dei bellum, famas, & pestis	36. 225
doctores & auditores peccantes puniuntur	16. b	exprobratio malitiæ iudæorum	93. 94. 95. 96.	flagellantium secta	33
domus quid significet in sacris literis	14	expugnatio vrbis	222. b	flagitia suis nominibus appellanda	15
donata sua cur deus isti & non illi largiatur, non quærendum	122. b	externorum scelera an reprehendenda	172	flere aliquando non possumus	169. b
donis dei rectè vtendum	94	exules quomodo tractandi	35	fletus leuat dolores	168. b
donatus citatus	24. b	exulum conditio	35	foedus dei cum hominibus	107
<b>E</b>		ezechias pestilentia laborauit	28	foederis diuini conditiones	247
de Ecclesia dei non iudicandum secundum		ezechiel quo tempore ad munus propheticum vocatus, & qua visione confirmatus	1. b. visionis expositio		
		ezechiel cur obiecta visione in faciem ceciderit	8. b		
		ezechiel iubetur abradere pilos capitis atque barbæ	22. b		
		ezechielis vxor repente extincta	168		

# I N D E X.

foederum duo genera	99	hierusalem sita in medio iudææ	24	idolomania israelitarum & christiano-	rum	36.b
foelices amicis abundant	200.b	hierusalem est olla, iudæi carnes	56.b	idumæorum peccata & interitus		175.
foenerator peior fore	117.b	hiob in grauisimum morbum conie-	ctus.	b 175.237.238. & seq.		
foeneratores quibus artibus pauperes		decipiant	117.b	ignis in scripturis quid significet		23.
foeneratorum publica erat execratio		historiæ ecclesiasticæ locus	64.b	ignis passim in scripturis iram dei de-		
& punitio apud antiquos romanos	117	homeri locus	7.36.125.150.163.169.b	notat		43
fortiter citatus	166.178	homicidii varia genera	244.b	ignorum non excusat impium		15.b
fortitudinem suis confert deus	11.b	homicidii poena	164	ignotum per ignotius non probatur		251.b
fortuna non dominatur in bellis	139	hominis non renati conditio	60.b	imagines & picturas vocant papistæ li-		
franciscanorum cucullo sepeliri	34.b	hominum scelera quibus flagellis deus		bros laicorum		45.b
fuga duplex	36.b	punit	26.27	impiorum non vnum genus		46
fulgentii locus	252	hominum multitudo dei benedictio est		impiorum securitas		65.91.b
functus citatus	19.b	205. & 243.		impium non credunt poenas imminere i-		
funebres epulæ	168.b	hominum malitia	21	psis		37.b
furorem complere in aliquo	36.b	horatii locus	13.b.112.b.151.156.b.254.	de impiorum salute non statim despe-		
furorem effundere	51	260		randum		15.b
		hospites lauabant & vngebant antiqui		ab impiis discedendum morum dissi-		
		163		mitudine		16.b
		hostium dei interitum quomodo sancti		impium non exaudiuntur		48.b.87.b
		lætitia, interdum lachrymis profe-		impium mentem non mutant		90
		quantur	213.b	impium acriter taxandi		103
		humanae victimæ	96.b.97	impio qui ad deum conuertitur, remit-		
		humiles deus attollit, superbos deiicit		tuntur peccata		119.b.120
		112.b		impium qui in hac vita puniuntur, an in		
		hypocrita quid	127	altero seculo denuò plectendi		216.b
		hypocritarum & impiorum ingenium		impium dabunt poenas scelerum		145.b
		quale	9	impiorum memoria perit		145
		hypocritæ quo loco habendi, & quo-		impietas crevit nisi statim in viam re-		
		modo eis respondendum	72.73.	deamus		45
		127.b		impossibilia cur deus nobis præcepit		114
		hypocritis graues poenas deus com-		incestus		149
		minatur	73	infantis quare non parsum		51
		hypocritæ & in hoc & in futuro secu-		infantes recens nati, Deo iudicâte, nõ		
		lo poenas dabunt	73.b	sunt innocentes		51
				infernus an & vbi sit, eiusque nomina		
				212. qui in infernum deturbentur &		
				qualia ibi tormenta		212.b
				inferni clauæ		215.b
				ingratitude nostram detestamur,		
				beneficiorumque dei recordamur,		
				dum rebus aduersis premimur		35
				ingratitude causa perditionis iudæo-		
				rum		125.126.127.128.129.130
				iniuriarum veterum memoria abolen-		
				da		176.b
				innocentiam suorum deus asserit		170.b
				inobedientia iudæorum		128.129.130
				inquisitio hispanica		115.258.b
				intellectum & voluntatem nostrâ deus		
				renouat		60.b
				intercessioni sanctorum frustra confi-		
				dunt homines		87.89.b
				intercessor vnicus		87
				interim ex euangelio & papati com-		
				positum		135
				ioachimus rex vriam prophetam ex		
				ægypto retractum occidit		41.b
				ioachimus qualis fuerit		124
				iosaphati vallis		251 b
				iosephi locus		25.35.b.60.78.84.155.
				179.185.b.231		
						iræ

I N D E X.

ira dei signum est si monitores cessant 117	byl. persis, alexandro magno, & inde ad christum natum 143	lædendus nemo 115
ira diuinæ ignis quando accendatur 15	iudæi in captiuitate memoria repetierunt multa quæ rebus saluis parum curauerant 63.b	lambinus citatus 36
in ira punire aliquem 37.b	iudæorum senatus quem sanhedrin vocant 143.	leonis rugitus 124
iracundia dei 150	iudæorum somnium de aduentu messisæ sui, & mille annorum regno 106.b	leonum nomina 124.b
irenei locus 4	iudæi negant christum esse messiam 235	lex an possit à nobis præstari 114
iris quid significet 6	iudæi corruptiores sodomitibus. 103. 104. & israelitis 104. b. 105	legem suam deus dedit israelitis 130
isidis sacra 47	iudæi cõferuntur cum amorrhæis, decem tribubus, & sodomitis 102. b. 103. 104. 105	legem feruantibus vita promissa 130
israelitæ quales fuerint tempore ezechielis 8.b	iudæos non magis restituendos in pristinum statum quam sodomam & samariam 105. b. 106	leges dei contra foeneratores 116. b
israelitæ ethnicis peiores 11	iudæorum liberatio promittitur 195	leges contra homicidium 100. b
israelitæ vnde sic dicti 156	iudæos populum suum vocat deus 152. b	leges sumptuariæ 83. b
israelitæ cur tandiu in ægypto vexati 129	iudæi reuersi in patriam omnia idola sustulerunt 60	leges contra adulteria 100. b
israelitis deus vetuerat ne solem, lunam, & stellas colerent 47. b	iudicum officium 115. b	liber vitæ 68
israelitas cur deus in captiuitate traxerit, 244. eosque reducerit 245. b	iudicare quid 232. 146	libri vetustis temporibus, quales 10
israelis liberatio vel restitutio temporalis & spiritualis 195. 196. 202. 231. 241. 242. & seq.	iudicia dei ferè semper accusamus 52	liberi sunt ipsius dei 162. b
israelis restitutio quando & quomodo facta 60. b	iudicia dei iusta, hominum peruersa sunt 121. b. 221. b	liberatio israelis duplex 195. 196. 241. 242. & sequent.
iubileus annus 1. b	iudiciorum dei causas qui intelligunt, sunt pacato animo 90. b	liberatio ex captiuitate babylonis typus est liberationis veræ per christum 61
iudæi vnde sic dicti 156	iudicia sua deus non temere exercet, sed terminum præscribit impiis & ipsi diabolo 50	libertas loquendi 222. b
iudæorum prima conditio 125. dignitas & excellentia 125. b	iudicium incipit à domo dei 171. b	libertatem dicendi qui amittant 223. b
iudæorum conditio in ægypto 93. b	iudicium & iustitiã facere, quid 114.	locus deum non comprehendit 12. b
iudæi non natura sua vel à seipsis excellent, sed gratuito dei dono 91	iulii capitolini locus 124. b	locutis comparantur monachi 76. b
iudæi iudicia & statuta dei reiecerunt 24	iulii materni firmici locus 46. b. 47	longanimitas dei 20. b
iudæorum idololatria & crudelitas 99. 146. 147. b	iuramentum qui contemnit, illum despiciat per quem iurauit 111	loquendi libertas 222. b
iudæorum perfidia & defectio 93. 94. 95. 96.	iuramenta præstanda 111	luciani locus 46. b. 147. b
iudæos cur deus non deleuerit in deserto, 129. b. 130. 131	iurandum per deum 220	lucetii locus 259. b
iudæos omnes ad internecionem cædendos prædicit ezechiel 51	iurandum dei 111.	luctus symbola 170. 18
iudæi propter ingratitude perden di 125	iurandi formulæ 220. a. b	ludi scenici quare instituti 33
iudæi propter eorum impoenitentiam è terra eiiciendi 222	iurandum à zedechia violatum 110. b	lugentium habitus apud hebr. 168
iudæos poenas adulterii & parricidii duros deus minatur 100	iustificare aliquem 105	lugere defunctos humanum 169. b
iudæorum scelera 147. b. 148. 149. 150	iustini locus 97. 125. b. 193. b	luporum inaudita multitudo in agro mediolanensi 26
iudæorum foedus cum ægyptiis 158. b	iustum esse, quid 114	lutherus citatus 175
iudæi fidebant templo 51	iusti descriptio constans quindecim notis 114. b	lux & tenebræ quid 214
iudæis tam fidelibus quam infidelibus vtile fuit diligenter inculcari, deum templum & urbem hierosolymorum deseruisse 55	iusti an excidant à iustitia sua 15. b. 121	luxuria & auaritia taxatur 232. b
iudæi reprehensi quod dicerent se patrum suorum delicta immerito luere 113	iusti opinione hominum 15. b	
iudæi reprehenduntur quod deum iniustitiæ insimularent 121	iustus quis 71	
iudæi omnium probrii expositi 100	iusti non peccant vt impius 16	
iudæorum nomen, quod per se honorificum existit hodie quoque sortet 147	iustus non perseverans in iustitia sua, poena afficietur 120. b	
iudæorum brevis historia sub regibus ba	iustitiæ prioris nulla vtilitas non perseverantibus 15. b	
	iuuenalis locus 124. b	
	<b>L</b>	
	<b>L</b> Abium profundum, id est, lingua peregrina 11	
	Lactantii locus 43. 47. 96. b. 97. 98. 135. 140. b	
		<b>M</b>
		<b>M</b> Achabæi & asmonei 143
		Machina iaculatoria basileæ 18. b
		Magæ an possint grandinem producere 77
		magistratus officium 9. b. 229
		magog 257. 258. & seq.
		mahumetes vnde ortum habuerit 175
		mahumetes propheta sarracenorum comitali morbo laboravit 43. b
		maiestatem dei describit ezechiel à solii ipsius magnificentia 7. b
		malorum opera deus vitur ad puniendos suos rebelles 41. b
		mala non sinit deus grassari vltra modum 50
		mali author quis 74
		malis bona sunt admixta 90. b
		malis alienis non gaudendum 171. b.
		manasses crudeliter sequit contra prophetas dei 57. b
		mandata dei per traditiones hominum abolita 15
		manus domini quid 68
		manuum complosio 36. 139. b. 150
		manus leuatio 128
		marcus euangelista vbi scripserit euang. Aa. iiii.



# I N D E X.

parabolæ & prouerbia	102. b	pelusium	205. b	poenæ non vnius sunt generis	119. b
parabola de filua incensa	136. b. 137.	perfidia Christianorum poena	141	poenas deus prædicat	19
de gladio	137. b. 138. b	pericula imminencia impii propulsare	57. b	poenas cur immittat deus	36. b. 63. b
parabola duarum mulierum	155	volunt illicitis viis	110	poena iudæis denuntiata	101. 149. b. 150
parabola de vite	125	periurium zedechiæ	110	poena de regno iuda sumenda	159
paradisus	191. b	permissio quid	74	160. b. 165	
parentum contemptus	148	perfa adorant solem	47. b	poena diuinæ cognitionis magistra, &	
parentum peccata cur deus dicatur punire in filiis	119	persecutiones seminarium sunt euangelicæ doctrinæ	63 b	poenitentię mater	34. b
Parentum plerunque similes sunt filii	102. b	perseuerantia & constantia sanctorum	120. b	poenam de zedechia deus se sumpturum	110
Parentalia quid	168. b	perseuerandum, alioqui iustitiæ prioris nulla utilitas	15. b	minatur propter iusiurandum violatum	110
parochus quid	13. b	pestis non temerè & fortuito grassatur, sed à deo immittitur	26. b	poenis grauioribus digni sunt illi quibus verbum dei prædicatum est, si nihilominus pergant in sceleribus	24
parrhesia quid & quibus necessaria	222	pestem cur Deus immittat	27 29	poena hostium dei	194. b
b. ea quomodo vtendum	223	peste mudi peccata atque scelera deus vlciscitur	27	poena prophetę & populi seducti eadem	74
pascere quid	233. b	pestis causas indicant veteres historiae	28	poenitentia vera quæ	122
pastorum negligentia	228. b. 229	pestis an contagiosa sit	27	poenitentia dei donum	122. b
pastor stultus	234. b	peste correpti se deo commendantes patienter mortem expectent	29. b	poenitentiã vera animæ medicina	207. b
pastorum malorum reprehensio necessaria	228	pestis causa non est vera in christum fides	27	poenitentia semper utilis	159. b
pastorum malorum poena	229. b. 230	pestis causæ & effecta	27. 89	poenitentia veræ signum	73
pastoris officium	123. b. 227. b	peste cur pii etiam homines consumuntur	28	poenitentiam agere debemus	32. b
patrum maiorumque nostrorum vestigiis non semper insistendum	118	peste mori non est turpe	30. b	poenitentiã agentibus quomodo deus parcat	167. b
patrum exemplum non rectè adducitur ad defensionem errorum	9	pestis tempore quo pacto singuli & vniuersi se gerere debeant	29. b	pontificum ambitio & crudelitas	153
patres quatenus imitandi	9. 131	pestis tempore proximi nostri non deferendi	31. b	populus dei	68
patrum scripta non pro oraculis habenda	196. b	cum peste correptis quid agendum	31	populi dei conditio	194. b
patris iustitia filio iniusto nihil prodest	116	peste grassante quomodo veteres christiani se gesserint		populo suo deus maturè consulit	62. b
patris iniustitia filio iusto nihil obest	117. b. 119	petri martyris locus	74. 100. b. 178	populo suo cur deus opem ferat	245. b
pater iniustus poenas daturus est scelerum suorum	118. b	pharaonis & ægyptiorum interitus	197. 198. 199. & seq.	populus dei confertur vineæ	154. b
patrum familias officium	9. b	pharaonis interitum plangere iubetur ezechiel	212. b	populum dei nemo impunè laesit	176. b
patientia dei	130. b	pherecydes de lapsu dæmonum	293. b	populus cum malis doctoribus peribit	74. b
paulus burgensis citatus est	178	phiditia quid	167	populi israelitici restitutio	111. b
pauli diaconi locus	5. 33	philippi comminæi locus	151. b	populus christo regi subiectus, qualis sit futurus	255
paulus eberus citatus	143	philippi melanchthonis locus	119. b.	portentum quid	62
pauperum oppressio, fraudes & doli	81	185. b		potentes & foelices non debent cõtemnere alios quantũuis inferiores	211
pauperum preces deus exaudit	115	pietius valerianus citatus	108. b. 128. b	præcepta dei quædam affirmantia, quædam negantia	116. b
paufania citatus	13. b. 69. b	142. b		præcepta dei quàm malè feruntur etiam ab iis qui euangelicorum nomen sibi vendicant	28. b
pax extra christum nulla	231	pignora reddenda debitori	115	præda & spolia quid	202
pacem etiam prophetæ annunciat, sed longè aliter ac pseudoprophetæ	68	pii & impii permixti seruantur	87. b	præmia bonorum & supplicia malorum speculatorum	16
peccata non sunt paria	42. 105	pii si affligantur in primis est condolendum	177. b	præsidia humana sunt infirma	145. b
peccata ac scelera mundi quibus flagellis deus vlciscatur	26. 27	pii & innocentes non carent suis auxiliis	119. b	præterita pro futuris posita.	155
peccata omnia sanguine christi abluuntur	120. 221. 246. b	pii quum vident signa iræ Dei præuenire debent malum instans	67	preces fidelium non sunt irritæ	22
peccata quantumuis magna deus nobis remittit, nec propter fidei infirmitatem nos reicit	30. b. 221	pii cur fame plus affligantur quàm impii	82. 83	preces in peste aliquando profunt, aliquando non	89
peccata filiorum non nocent parentibus, nec peccata patrum filiis	113	pii exercentur ærumnis	168. b	preces prophetarum pro populo cur sæpenumero sint irritæ	52
peccatores poenitentiam agentes exaudiuntur	87. b	platonis locus	43. b	preces sanctorum pro impiis irritæ	87. 88. 89. 90
peccatoris mortem quomodo Deus nõ velit	122. b	plinii locus	24. 76. b. 88. 97. 141. b. 179. 214	pretiosarum rerum vsus	192
peccata quomodo remittantur à ministris ecclesiæ	215. b	plutarchi locus	18. 76. b. 97. 109. 184	primogenitos suos iudæi per ignem traduxerunt in honorè moloch	131. b
pecudes in duo genera distinguuntur	232	193. b		principis cor in manu dei	7. b
pelethim	178	pluuia quid	152	principum officium	83. b
pellex quid & vnde dicatur	158. b	pluuia doctrinæ symbolum	235. b	principes leonibus comparantur	123. b

# INDEX

154.b	punitur ne aliqui aliorum causa	respicicetia vera à iudæis exigitur	122.b
principes ni officium suum rite faciāt, à prophetis reprehendendi sunt ex verbo dei	119.b	restitutio israelis	231
14.b.56	purgationis ritus	resurrectio mortuorum	249.250
principes admonendi ne modum ex- cedant in exactionibus	246.b	resurrectio. de resurrectione quæstio- nes quædam superuacaneæ	251.b
154	matum	reuelationes nouæ non expectandæ	2
principum vitia dum taxant ministri, an peccent contra legem illam, prin- cipi populi tui ne maledixeris.	43.b	rex. reges iuda & israel	20
142	purificationis mariæ festum cur inti- tutum	regibus quoque moriendum	211
principes quales fuerint sub zedechia	33	regis mores & vitia imitatur subditi	43
154	pygmæi	reges & regna quando floreat	193
probrum gentium	184.b	roma peribit	145.b
236.b	pyrrhus cur aquila cognomentum for- titus sit	romani cur deum israelis non colue- rint, quom omnes omnium gentium deos venerati sint	44.b
procres populi si contemptores ora- culorum diuinorum fuerint, mox po- pulum quoque inficient	109	rotæ quatuor, earumque motus	5.b
56		S	
procres populi quomodo se gerant multum refert		Abbathi significatio	130
51		Sabbathi pollutio	148
prognostici libelli		Saccos induere	40
76		sacerdotes ægyptii & babylonii quo- tidie radebant caput	22.b.8
promissiones de victu		hoc imitantur sacerdotes papistici	23
85.b		sacerdotes legem dei violarunt	153
promissio de liberatione iudæorū		sacramentales locutiones	24
195		facræ literæ distinguendæ à scriptis d. ambrosii, augustini, & aliorum	2
promissio de reducendis israelitis in patriam necessaria fuit exulibus		facræ literæ non aliter audiendæ quàm si deus nobiscū loqueretur de cœlis	2
60		facræ literæ magnâ auiditate legendæ	10.b
162.b		facræ literæ ostendunt quid bonum, quid malum sit	15
propertii locus		facris literis omnia illa quæ ad salutem nostrâ pertinent, abudè cōtinētur	15
13.b		sacrificia & oblationes	132.b
propheta dicuntur à prædicendo		sacrificia christianorum	135.b
13.b.14.b.145.b		sagum quid	188.b
219		sale cur aspergantur corpora	193
propheta munus periculosum		salmanasar regnū israelis vastauit	19.b
16		salus nostra dei opus est non virium nostrarum	60.b
propheta vox in bonam & malam par- tem accipitur		salus per christum	235
66.b		ad salutem nostram quæcunque perti- nent, literis sacris abundè continen- tur	15
propheta anxii pro populo orarunt.		de salute impiorum non statim despe- randum	15.b
51		samaria deuastata	156.b
propheta spiritu dei aguntur		samariæ regnum quâ diu durauerit	157
12		samaritanorum mixta religio	135
propheta vxores proprias habuerunt		sancti etiam aliquando dubitant de ve- ritate promissionum dei	58.b
168.b		sanctorum intercessionem vnde colligant papistæ	87
propheta miscet tristibus lata		sancti non sunt <i>απαθείς</i>	169
35		sanguis quid	238.b
propheta & populi seducti eadem pœ- na		sanguis pro vltione	16
74		sanguines pro flagitiis atrocibus & san- guine piandis	41.b.52
propheticæ doctrinæ veritas		sanguinum vrbs	146.b
145		sanguinis humani effusio etiam genti- bus horrore fuit	116.b
prophetia de christo		santes citatus	167
111.b		sardanapalus regum bab. corruptissi- mus	208.b
protopopœia in scripturis		sarurni statua qualis	97
33.b		faulis	
prouerbia quibus significamus aliquem sibi ipsi authorem esse malorum			
48.b			
prouerbia quibus significamus aliqûe pro alio pœnas dare			
113.b			
psammenitis rex ægypti			
169.b			
pseudopropheta qui			
66.b			
pseudopropheta iudæorum furorem confirmabant			
65.b			
pseudopropheta vulpibus comparan- tur			
66.b			
pseudopropheta gloriantur se esse ec- clesiæ capita, colūnas, candelabra			
68			
pseudoprophetarum coniuratio			
152.b			
pseudoprophetarum audacia.			
67			
pseudopropheta resistendum			
66			
pseudopropheta piorum animos mœ- rore afficiunt			
71			
pseudopropheta interitum minantur piis, & salutem impiis promittunt			
70.71			
pseudoprophetarum exitus tragicus			
67.b			
pueri sunt dei quantum ad fœdus			
97.b			
pulsinar quid			
163			
punitur nemo nisi pro scelere meri- to			
113			
	Q		
	Q Vaternarius numerus		4
	Quatuor animalium capita, alæ, manus, crura, pedes, & motus		4.b
	Querela populi de peccatorum suorū grauitate		220
	R		
	R Amum ad nasum mittere, quid		48.b
	Rapina		115
	rebeldes ex babylone educendi, sed ter- ram israel non ingressuri		134
	reductionem in patriam iudæi sperare non potuissent, nisi deus eam promi- sisset		60
	regina cœli, luna		46.b
	regna deus stabilit & euertit		207.b
	regnum christi		111.b
	regnum babylonicum & asyriacum in duo diuinctum		208.b
	regnum iudaicum quâ diu diuisum		156. 293.b
	regnum iuda superauit malitia regnū samariæ, spem posuit in assyriis eo- rumque idololatriam assumpsit		157. b.158
	regnum iuda & israelis in vnum im- perii corpus cōiuncta aduentu christi		254.255
	regna cur euertantur		172
	republicæ forma apud hebræos		153.b
	religio non ex nostro cerebro, sed ex verbo dei constituenda		99.b.126.b
	religionum mixturas deus abominatur		135
	religio ab omnibus corruptelis purgā- da		60.b
	religionis veritas ex victoriis non me- tenda		41.b
	religio papistarum, samaritanorum, turcarum		135
	remedia, ne in morbos incidamus, non sunt contemnenda		31
	remissionis peccatorum promissio		220
	repetitiones in sacris literis non sunt frustraneæ		11.b
	reprehendi debent non tantum plebeii homines, sed & reges, principes, no- biles, sacerdotes		14.b
	in reprehendis vitiis certus mo- dus obseruandus		146.b
	res eadem sæpe inculcatur		25.b



I N D E X.

faulis inobedientia	51	50.b	teraphim quid	140.b	
scelera hominum quibus flagellis puniuntur à deo	26.27	flicernium quid	tergum non obuertendum domino	47.b	
scelerum catalogus quibus iudæi ultionem diuinam accelerarunt	147.b	simulachra abominatur deus	terra quam deus perdere decreuit, nullis sanctorum intercessionibus liberari potest à feris bestiis quas im-	88	
scelerum omnium fons est obliuio dei,	149.b	45	mittit	242	
scelera reprehendenda	162	simulachra loquuta	140.b	terra fluens lacte ac melle	128.b
scelerati occidendi	146.b	finopis	157.b	terra uiuentium	182.b.217
sceptrum quid	125	fracidis locus	57.149.b	terræ non complutæ comparantur iudæi	151.b
scipio arundineus	198.b	fitis, quantum fit malum	64.b	terræ reparatio promittitur	242.b
scoriæ comparantur iudæi	151	sodomorum peccata	104	terræ omnes non ferunt omnia	186.b
scortatio spiritualis	35.b	solem adorant persæ	47.b	terra chanaan typus patriæ cœlestis	256
scortationis duo genera	95.b	fomnia non afferenda, sed verbum dei	1.5.11	terrorum deus immittit	39.205.b
scriptura tandiu nobis est incognita, donec spiritus eam aperiat	10	fophoclis locus	137	tertulliani locus	65.b.97
in scripturis si occurrat obscuritas, quid faciendum	2.b	forte sua non esse contentum pernitio sum est	110	testamentum vetus & nouum	107.b
scripturæ loci inter se diligenter conferendi	54	speculatorum bonorum præmia, & malorum supplicia	16	thamuz, quem hieronymus adonidem interpretatur	46.b
scripturæ quomodo exponendæ	166	speculatorum officium	218.b	tharsis	185.b
scripturæ quomodo interpretandæ	131 b.166	spiritus prophetiæ per interualla affluit prophetas	43	theodoretus citatus	18.b.21.b.34.b.41 b.43.b.45.60.88.93.b.246. b.251.b.256.b
secta flagellantium	33	spolium & præda quid	202	theodori bibliandri locus	19.b
seculum nostrum simile seculo Ezechielis	52.b	statera vel trutina, quid	23	thomas erastus citatus	65.b
securitas damnosa	260.b	stellarum concursus ac positus nõ sunt calamitatum causæ	207.b	thronus dei	6
securitas impiorum	65.91.b	stercus humanum loco carbonum	21.b	thymiama quid	163
securitas iudæorum	141.b	stercore bouillo quædam regiones vtuntur, propter ligni penuriam	21.b	tibulli locus	199.b
securitas duplex	182.b	supra in prophetis fuerunt	169	timor dei	118
sedechias quibus uinctus catenis in chaldæam abductus	41	stibium quid	162.b	t. liuii locus	33.88.184
seditionosi, proditores & hæretici appellantur qui hominum scelera corripiunt	9	stobæi locus	159.169.b.238.b	tolerantia dei	38.b
semen uerbi dei coniectum in corda nostra suo tempore fructum profert	64	strabonis locus	204	tophet	97
senacherib in templo occisus	34.144.b	suetonius citatus	81.b.112	tormenta bellica	180.b
senecæ locus	169.214	suida locus	45.b	traditionum duo genera	131
senum officium	45.b	superbia israel	38.b	trophonii antrum	69.b
seniorum qui ad ezechielem tanquam consulturi accefferant, peruersum consilium	133.b	superbiæ poena	190.b	tubal	185.b.217
sepeliendi mos apud Aegyptios	198	superbi deprimuntur	142.b	turcarum religio ex multis cõflata	135
sepultura circa altaria	34.b	supplicia malorum speculatorum	16	turcarum somnium de paradiso	196.b
sergius monachus	43.b	T			
seruii locus	179	Aciti locus	24	turres ligneæ	18
seruos suos deus & uerbis & uisionibus erigit	3	Taf apud Hebræos significat lignum & ultimam literam alpha	50	tutelares dii	204
serui Dei non debent abiicere clauum, quum uident sibi negotium esse cum perditis hominibus	11.b	beti	50	tyrannis in persecutione Deus non laxat habenas, ut quæ in animo habet, omnia efficiant	59
sestertis Aegyptiorum regis historia	5	tamerlanes scytharum rex	124.b	tyrannorum exitus	124.b
sidonis origo, idola, interitus	193.b.194	tanim quid	197.b	tyri origo, idola, excidium	179.180.&c
signa pro signato	252	templum locus dei dicitur	12.b	tyri rex cherub uocatur	192
signa nominibus rerum signatarum appellantur	24	templum in tres præcipuas partes distinctum	41	tyri rex propter superbiam perdendus	189.191
signati qui in urbis expugnatione seruandierant 50. qua parte signati, quali signo, & quomodo,	ibid.	templis non inferenda simulachra	45	tyri potentia & gloria in ædificiis, in apparatu nautico & bellico	182.183.184
signatos suos Deus habet etiam in peste	50	templo iudæi fidebant	51	tyriorum negotiatio in omni genere mercaturæ	185.186
signatos suos etiam antichristus habet		templi hierosolymitani usus	55	V	
		templum solomonis ædificium splendidissimum & pulcherrimum	59.170	Vadianus citatus	24
		templi periphraſis, ibid. & 170.b		Vallis iofaphati	251.b
		templo abusi sunt iudæi	55.b	Vasa gloriæ	101.b
		templi uolatio	25.b	uatabli locus	184
		templum hierosolymitanum typus ecclesiæ	23.b	vegetius citatus	141.b
		tempus quo ierusalem obsidione cinctæ fuit	165	uermum dei afferendum, nõ autem infomnia	1. & 11. & 15
		temporis diuturnitate errores & scelera non excusantur	20		

# I N D E X.

verbum dei contemnere, magnum est scelus	9	vir iustus recipiet præmiũ iustitiæ suæ	114	vocatio dei legitima duplex	1
verbum dei qui dicantur concu'care	232. b	viribus & cõsiliis nostris nihil tribuendum	150	volumen edere iubetur ezechiel	10
verbum dei non absque fructu prædicatur	9	virgilli locus	6. b. 7. 24. 58. 97. 100. b. 125. 140. b. 141. b. 149. 157. b. 158. 159. b. 187. 197. b. 228. b. 259. b	vox dei ab omnibus creaturis exauditur	54
verbi sui contemptum deus non fert	26	visionibus cur homines confirmentur		vrbs sanguinum	146. b. 166
verba dei omnia perpendenda	11. b	hodie	3	vrbs perituræ signum est, si viri boni non amplius in ea locum habeant	51
verbum dei vbi semel homines defecerunt multa partim inepta stultaque, partim abominandæ foeditatis committunt	47	visionibus & verbis feruos suos deus erigit	3	vrbs captæ imago	194. b
veritatem qui nolunt amplecti, mendacia audiunt	70. b	visionis ezechiel obiectæ expositio	2. b	vrbs propheta à ioachimo rege occisus	41. b
veritatẽ audire non meretur, qui fraudulenter interrogat	72. b	vita fructus bonorum operum	115	vrbs & thummim	127
victimæ humanæ	96. b. 97. 131	vita humanæ fragilitas	190. b	vsuræ definitio	116. b
victores non semper boni sunt, aut meliorẽ causam ipsi victis	41. b	vita nomine quid significetur	cap. 33	vxores habuerunt apostoli	168. b
vigilum officium	218. b	verf. 11. Ezechielis	220	Z	
vim vi repellere licet	146. b	vitis propter fructum aliis lignis præfertur	91	Zedechias à nabuchodonosore deditur ad regem ægyptiũ	108. b
vincentii bellouacensis locus	43. b	viti comparatur populus iudaicus	115	Zedechias periurus	110
vindictæ cupiditas	224	vitia corrigenda non tantum plebis, sed etiam principum	14. b. 142	zedechiæ oculi eruti	23
vindictam dei nemo potest effugere	92	vitruuius citatus	141. b	zeli idolum	44
vineæ cur dei populus comparetur	91	vitulum constabilem cur israelitæ fecerint	205. b	zelotypia deus tangitur si aliis diis feruiamus	129
vir iustus multis notis depictus	114	viuendum secundum verbum dei	131. b	zorobabel populum ex babylone in patriam reduxit	111. b
		viui pro se inuicem orare debent	87	zorobabel nepos iechoniæ cur regium titulum sibi non vsurpauerit	142. b
		vladislai hungariæ regis historia	141. b	zorobabel & iefus pontifex typus christi	196

F I N I S.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE  
 cùm veteris tum noui Testamenti, quæ in his Commentariis D. Ludouici La-  
 uateri in Ezechielem aut citantur, aut aptè ad institutum accommodantur.

Priores numeri capita & versus citatorum locorum indicant: posterior numerus folium deno-  
 tat, addito b. propter paginam.

Exod.

- xxv. xxvi Si audiendo audiueris vocem Domini  
 Dei tui, &c. omnem languorem quem posui in  
 Aegypto non ponam super te 27. b  
 xx. v Ego sum Dominus Deus tuus zelotes,  
 &c. 44. b  
 xxi. xij Percutiens hominem unde moritur,  
 morte interficiatur. Et qui non est insidiatus, sed  
 Deus tradidit illum in manu eius, ponam tibi lo-  
 cum quò confugiat 89  
 xxii. xxv Si pecuniam mutuò dederis populo meo  
 pauperi, &c. 116. b  
 xxvi Si in pignus acceperis vestimentum  
 proximi tui, &c. 115

Leuit.

- xxviii. viii Turpitudinem uxoris patris tui non dis-  
 cooperies: &c. 148. b  
 xxv. xxv Quum autem attenuatus fuerit frater  
 tuus, & mutuauerit munus eius apud te, &c. ne  
 accipias usuram &c. 116. b  
 xxv Si attenuatus fuerit frater tuus, &c.  
 sustentabis eum, tam peregrinum quàm indige-  
 nam, &c. 85  
 xxvi. xiiii Si non audieritis me, &c. seretis fru-  
 stra semen vestrum, comedent illud inimici ve-  
 stri, &c. dabo cælum vestrum sicut ferrum, &c.  
 frangam vobis baculum panis, &c. 75. 79. b  
 xxi Et si ambulaueritis aduersum me, &c.  
 addam super vos plagas vsque in septuplum, &c.  
 27. b

Numer.

- xiiii. xxvii Vsque quò prouocat me populus iste,  
 &c. Percutiam eum peste, & delebo eum. 27. b  
 xxiii. xix Non est Deus ut homo, ut mentiatur  
 ut filius hominis &c. 145  
 xxxv. xxxi Ne accipiatis precium redèptionis pro  
 vita homicide 110. b

Deuter.

- xi. xiiii Si obediendo obedieris preceptis meis,  
 &c. dabo pluiam terra vestra in tempore suo,  
 &c. ne colatis Deos alienos, &c. unde irasca-  
 tur furor Iehouæ in vos, & claudat cælus, &c.  
 79. b  
 xix. v Si duo in siluam ierint ad cedendum  
 ligna, & securis è manu alterius elabatur, &c.  
 5. b  
 xxiii. xix Non fænerabis fratri tuo fænus pecu-  
 nia, fænus cibi, &c. 116. b  
 xxiiii. vi Non accipies pro pignore inferiorem, &  
 superiorem molarem, &c. 115  
 xxviii. xv Si non obedieris voci Iehouæ Dei tui,  
 &c. Maledictus eris in vrbe ipsa, & maledictus  
 in agro, &c. 75. 79. b  
 xxxii. i Audite cælum & terra, &c. 33. b  
 xxi Ipsi me ad zelum prouocarunt in eo qui  
 non erat Deus, &c. 44. b

I. Samuel.

- ii. vi Dominus mortificat, & viuificat, &c.  
 8. b. 26. b  
 viii. vj Non te, sed me contempserunt. 11. b

I. Reg.

- viii. xxvii Cali calorum non capiunt te 12. b  
 xvii. i Viuit Iehoua, si erit ros & pluuia,  
 220  
 xviii. xxi Quousque tandem claudicatis in duas  
 cogitationes: &c. 135

Iob.

- iiii. xviii Et in angelis suis reperit prauitatem  
 193. b  
 xxii. xiiii Deus circa cardines cali obambulat, nec  
 nostra considerat. 46

Pfalm.

- ii. vi Ego constitui regem meum super Sion  
 montem sanctum meum 112



SACRÆ SCRIPTURÆ.

xviii	Si peccata vestra fuerint ut coccus, sicut mix alba erunt	220.b	iiii.iiii	Adhasit lingua lactantis palato eius præfati, &c. Manus mulierum natura mittum coxerunt natos suos, &c.	7.b 22
v.vi	Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem	152	ix	Melius habuerant interfecti gladio, quàm qui fame perierunt	78.b
viii.	Va illis qui domum domui, agrum agro copulant	239.b	xix	Velocires fuerunt persecutores nostri aquilis cæli, &c.	6.b
xviii	Va eis qui trahunt peccata sua quasi fuculo longo, &c.	41			
xi.vi	Habitabit lupus cum agno, &c.	236			
xiii.vii	Omnes manus dissoluentur	150			
xxxv	Protegam civitatem hanc propter me & Davidem seruum meum	233.b	vii.x	millena millia ministrabant ei, &c.	4
xl.xvii	Omnes gentes sunt quasi nihilum coram eo, &c.	5.b	xiii	Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebas	7.b

Ieremi.

v.i	Circuite per vicus Hierusalem, &c. si inuenire possitis virum, &c.	154.b	iii.iiii	Quoniam diebus multis sedebunt filij Israel sine rege, &c.	140.b
ix.	An non de gente quæ est sicut hæc, vltionem sumam?	92	v.	Reuertentur filij Israel & inquirent Dominum Deum suum & David regem suum, &c.	234
vi.xxiiii	Audiuimus rumorem eius, dissoluta sunt manus nostræ, &c.	150	iii.i	Audite verbum Iehouæ filij Israel, quia disceptatio ipsi Iehouæ cum habitatoribus huius terræ, &c.	80.b
vii.xvi	Et tu ne oraueris pro populo isto, &c.	87.b	vi.vii	Misericordiam requiro, non sacrificium	116
xiii.xxii	Nunquid sunt in vanitatibus gentium qui pluere faciunt? &c.	78	ix.i	Ne lateris Israel ad exultationem sicut alij populi, quia fornicatus es à Deo tuo, &c.	80.b
xv.i	Si Moses & Samuel coram me starent, non esset animus meus ad populum istum, &c.	87	xii.vii	Chananao in manu statera dolosa	103
xxii.iii	Facite iudicium & iustitiam.	116			
xxiii.xxi	Currebant & non mittebam eos.	154.b			
xxvii.ix	Nolite audire prophetas vestros, diuinos vestros, somniatores vestros &c.	144.b	ii.vi	Vendiderunt iustum pro pecunia	149.b
xxix.xvii	Ecce mitto in eos gladium, famem & pestem, &c.	28	iii.vi	Ego dedi vobis munditiam dentium in cunctis urbibus vestris, &c. & non estis reuersi vsque ad me, dicit Iehoua, &c.	75.b
xxx.ix	Seruient Domino suo, & David regi suo	234			
xxxix.xviii	Conuerte me & conuertar: quoniam tu es Deus meus	60.b	iii.xi	Et ego non miserebor Ninivæ civitatis magnæ, &c.	28.b
xxxix	Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel sedes nouum, &c.	107.b			
xxxix.xviii	Qui facis misericordiam in millibus, qui reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum	119	ii.i	Va cogitantibus vanitatem &c.	148.b

Thren.

i.xi	Omnis populus eius cum gemitu cibum quarebat	22	iii.iiii	Tunc clamabunt ad Dominum, & non respondebit eis	48.b
ii.xix	Leua ad Dominum manus tuas, propter animas paruulorum tuorum, qui fame exarimati sunt, &c.	22	iii.xi	Principes eius pro munere iudicarunt	149.b
iii.xxxviii	Ex ore Altissimi non egrèdiètur nec		iiii.i	In nouissimis diebus erit manifestus mons Domini in vertice montium	135.b
			ii	De Sion exibit lex, & verbum Iehouæ de Hierusalem	112
			vi.viii	Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, &c.	

Daniel.

Oleæ.

Amos.

Ionæ.

Mich.

INDEX LOCORVM

quid petat a te Dominus, &c.	116	plices sicut columba	72.b
x Sūntne adhuc in domo thesauri impietate congregati, &c. Tu comedes & non saturaberis, &c.	81	xxii. & xxiiii. xiii Qui perseverauerit ad finem usque hic saluus erit	15.b
xiiii Comedes, & non saturaberis	22	xxviii Ne metuatīs ab his qui occidunt corpus, animam autem, non possunt occidere	113.b
vii. viii Etsi in tenebris sedeam, Dominus mihi lux est	214	xxix Nōne duo passerēs asse ueneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre uestro? &c.	5.b, & 26.b
Nahum.			
i. ix Non consurget duplex tribulatio	216.b	xi. xxi Va tibi Chorazin, va tibi Bethsaida:	11
iii. v Retegam fimbrias tuas super faciem tuam, &c.	100	xxii Tyro & Sidoni remissus erit in die iudicij	43
Sophon.			
ii. viii Audiui opprobrium Moab, & blaspemiam Ammonitarum, &c.	144	xxix Inuenietis requiem animabus uestris	43
iii. iii Principes in medio eius leones rugientes, &c.	153.b	xiii. xxxi Simile est regnum cælorum grano sinapis	112.b
Agg.			
i. v Ponite cor uestrum super uias uestras. Seminabitis multa, & inferetis parum: comedetis, & non saturabimini, &c.	8.b	xv. xiii Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur	34.b
vi Edetis, sed non ad saturitatem, &c.	22	xxiiii Non sum missus nisi ad oues perditas Israel	231
Zach.			
vii. x Viduas, pupillos & aduenas clamantes non audierunt, clamabunt & ipsi: sed non exaudiam eos	87.b	xviii. vii Oportet uenire scandala: sed uae illi homini per quem ueniunt	70.b
Matth.			
i. xxi Vocabis nomen eius Iesum, is enim saluum faciet populum suum a peccatis suis	247	xx. xxviii Filius hominis non uenit ut sibi ministretur	233.b
iiii. i Iesus subductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo	12.b	xxiiii. vi Audituri estis bella & rumores bellorum: &c.	30
v. xiii Vos estis sal terra, &c.	92.b	xxi Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi &c.	24.b
xl. iii Audistis quod dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, &c.	173.b	xxxi Mittet angelos suos cum tubæ uoce magna &c.	251
vi. ii Qua mensura mensi fueritis aliis, &c.	145	xlvi Beatus seruus ille, quem, quum uenerit dominus, inuenerit sic facientem	16
iiii Quomodo dicis fratri tuo, Sine eximam festucam ex oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo?	73	xxv. xxxi Quum autem uenerit Filius hominis in gloria sua, &c.	232.b
xxi Nōne per nomen tuum prophetauimus?	154.b	xxxiiii Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, &c. Esuriui enim, &c.	85
viii. ix Domine, sub me milites habeo, & dico huic, ueni, & uenit:	29.b	xxxvii Domine quando esuriisti, sitiisti, & non dedimus tibi cibum & potum? &c.	9
ix. xiii. Non ueni uocare iustos	137.b	xxvi. xxxix Si possibile est, transeat iste calix a me	161
x. xv Tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij	43	xxviii. xx Docentes eos seruare quacunque ego mandauero uobis	11
xvi Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum	9	Marci.	
xvi Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae	10	ix. xxiiii Credo Domine, succurre incredulitati mea	30.b
Lucæ.			
vi. xxxi Omnia quacunque uultis ut faciant uobis homines, &c.	117	xvi. xvi Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit	220.b
xxxiiii Simultuum dederitis his a quibus speratis uos			

vos recepturos, quæ gratia est vobis &c. 117  
 x.xviii Videbam satanam fulguris instar de  
 cælo cadentem. 193.b  
 xx Gaudete, vestræ nomina scripta sunt in  
 cælis. 68  
 xii.xlvii Seruus qui nouit voluntatem domini,  
 & eam non facit, grauius vapulabit. 43.92  
 xiii.iii Nisi penitentiam egeritis, simul peri-  
 bitis. 144  
 xiiii.xi Omnis qui se extollit deijcietur: & qui  
 se deijcit, extolletur. 142.b  
 xvi.xxxi Qui Moysen & prophetas nõ audiunt,  
 neque credent si quis ex mortuis resurrexerit. 2  
 xvii.v Domine, adauge nobis fidem 30.b  
 xxvi Sicut accidit in diebus Noe, ita erit, et  
 in diebus Filij hominis, &c. 56.b  
 xvii.xxxii Mementote vxoris Loth, &c. 120.b  
 xxi.xxviii His fieri incipientibus, suspicite & at-  
 tollite capita vestra, &c. 196

Ioannis.

iii.xvi Sic Deus dilexit mundum, vt Filium  
 suum vnigenitum dederit, &c. 50.b  
 xviii Qui credit in me non condemnatur. 70  
 iii.xxi Venit hora quando neque in hoc mon-  
 te Garizim, neque Hierosolymis adorabitis Pa-  
 trem. 47.b  
 v.xxviii Veniet hora in qua omnes qui in monu-  
 mentis sunt, &c. 250  
 vi.xl Hæc est voluntas Patris, vt omnis qui  
 credit in Filium habeat vitam æternam. 50.b  
 xli Ego sum panis viuus qui de cælo de-  
 scendi 115.b  
 xliiii Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit  
 eum 60.b  
 viii.li Si quis sermonem meum seruauerit,  
 mortem non videbit in æternum 113.b  
 x.xvi Ego alias oues habeo. 196  
 xxvii Oues meæ vocem meam audiunt, &c.  
 non peribunt in æternum, &c. 121  
 xi.li Hoc autem à semet ipso non dixit, &c.  
 quod Iesus moriturus esset pro gente, &c. 196  
 xiii.x Qui lotus est, non opus habet nisi vt la-  
 uet pedes, &c. 120  
 xv.vi Nisi quis in me manserit, eiectus est fo-  
 ras, tanquam palme, &c. 92  
 xx Non est seruus maior Domino suo: Si  
 me persecuti sunt, & vos persequentur 11.b  
 xvi.xxxiii In mundo afflictionem habebitis 236  
 xx.xxiii Quorumcunque remiseritis peccata, re-  
 mittuntur eis 215.b

Rom.

i.xxiii. Mutaueruntque gloriam immortalis  
 Dei, &c. 45  
 ii.vi Qui redditurus est unicuique secun-  
 dum opera sua 120.b  
 xiiii Gentes quæ legem non habent, natura  
 quæ legis sunt faciunt, &c. 24.b  
 iii.iii Si quidam fuerunt increduli, num in-  
 credulitas eorum fidem Dei faciet irritam? 107.b  
 xxii Iustitia Dei in omnes & super omnes  
 qui credunt 220.b  
 viii.xxxix Quis nos separabit a dilectione Dei,  
 &c. 121  
 ix.xvi Non est volentis neque currentis, sed  
 misærentis Dei 60.b  
 xi.xxi Si Deus naturalibus ramis non peper-  
 cit, &c. 101  
 xiii.vii Reddite omnibus quod debetur: cui tri-  
 butum, tributum, &c. 154  
 xiiii.i Infirmos suscipite 228.b

I. Cor.

vi.ix Neque scortatores, neque idololatra, &c.  
 regni Dei hereditatem accipient 15  
 vii.ii Ad vitandam scortationem, habeat  
 vnusquisque vxorem suam 168.b  
 x.xiii Fidelis est Deus, qui non sinet vos ten-  
 tari supra id quod possumus 232.b  
 xxi Non potestis poculum Domini bibere  
 & poculum demoniorum 134.b  
 xi.xxiii Accepi a Domino quod & tradidi vo-  
 bis. 11  
 xxx Propter hoc imbecilles multi sunt inter  
 vos, & inualidi, & dormiunt multi, &c. 28  
 xv.xxiiii Quum tradiderit regnum Deo patri  
 196

II. Cor.

vi.xi Os nostrum apertum est erga vos 223  
 xv Quæ conuentio Christi ad Belial? 135

Galat.

vi.vii Nolite errare, Deus non irridetur 117

Ephes.

iii.xi Et idem dedit alios quidem Apostolos,  
 alios verò Prophetas, &c. 219

INDEX LOCORVM

	Philipp.		Deum.	
ii.xiii.	<i>Ipse est qui operatur in nobis velle &amp; perficere</i>	60.b		I. Petri.
	Coloff.		ii.xxv	<i>Eratis velut oves errantes, &amp;c.</i> 231
i.xvi.	<i>Omnia per illum &amp; in illum creata sunt</i>	234.b	v.v	<i>Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam.</i> 52. & 142.b
iii.i	<i>Christus est in dextera Dei sedens</i>	6	iii.xvi	II. Petri.
	I. Theff.			<i>In epistolis Pauli quadam sunt difficulta intellectu</i> 2.b
iiii.iiii	<i>Vt nouerit vnusquisque possidere vas suum in sanctitate &amp; pudicitia.</i>	115		I. Ioan.
	I. Timot.		i.vii.	<i>Sanguis Iesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato.</i> 120
ii.v.	<i>Vnus Deus, vnus etiam mediator Dei &amp; hominum, Christus Iesus.</i>	87	ii.i	<i>Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum &amp;c.</i> 87.
viii.	<i>Volo viros orare in omni loco, sustentantes puras manus, absque ira &amp; disceptatione.</i>	47.b	ii.	<i>Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.</i>
vi.ix	<i>Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, &amp; in laqueum diaboli.</i>	110		II. Ioan.
xvi.	<i>Deus lucem inaccessam habitat.</i>	6	ix.	<i>Omnis qui transgreditur &amp; non manet in doctrina Christi, Deum non habet</i> 120.b
	II. Timot.			Apocal.
ii.v	<i>Nemo certans coronatur nisi legitime certauerit</i>	120.b	ii.x	<i>Esto fidelis vsque ad mortem</i> 120.b
	Hebr.		iii.v	<i>Qui vicerit, huius nomen non delebo de libro vite.</i> 68
ii.xvii.	<i>Christus per omnia similis fratribus redditus est, &amp;c.</i>	59	v.xi	<i>Et erat numerus eorum millia millium</i> 4.
vi.viii.	<i>Terra qua produxerit spinas &amp; tribulos reproba est.</i>	152	vi.vi.	<i>Chænix tritici denario, &amp; tres chænces hordei denario.</i> 22
	Iacobi.		x.ix	<i>Accipe librum, &amp; deuora illum</i> 10.b
v.xvi.	<i>Multum valet deprecatio iusti apud</i>		xvii.xvi	<i>Amatores eius odio persequentur eam</i> 100.b

ANIMADVERTENDA ET CORRIGENDA.

1. fol. 15. lin. Ex hac, pro (dicimus) leg. discimus. 2. lin. lymis, pro (frænum) leg. frænum. 19. b. lin. dem, pro (163) vide num legendum sit 25. 20. lin. scripturis, pro (constratio) leg. contraditio. 21. b. lin. gnum, pro (impia) leg. incipit. 22. b. lin. paruulorum, pro (examinati) leg. examinati. 23. lin. bile, pro (cessisse) leg. cecidisse. 26. lin. vos, pro (tractarentur) leg. tractaremini. 28. b. lin. rit, pro (eos) leg. nos. 34. lin. veniunt, pro (Napta) leg. Napta. & lin. la, pro (appellant) leg. appellantur. & lin. memoria, pro (oratore) leg. aratro. 35. lin. bis, pro (veterum) leg. veterum. 36. lin. vxorem, pro (sint) leg. sit. 41. lin. quam, pro (Chalzar) leg. Chalzar. 44. lin. lus, pro (Theoogi) leg. Theologi, & lin. sequente pro (culum) leg. cultum. 45. lin. Myftagogus, pro (templo) leg. templum. Ibid. b. lin. nendas, pro (multi) leg. muri. 63. lin. tante, pro (idem) leg. item. 59. lin. qui, pro (sub ipsis) leg. sibi ipsis. 80. b. lin. hac, pro (exaltationem) leg. exultationem. 87. lin. loco, pro (populi) leg. papales. 88. lin. nisi, dele Cæterum. Ibid. b. lin. neminem, pro (id facile) leg. ipse. 95. lin. D. Hieron. pro (sub lius) leg. subtilibus. 96. b. lin. bares, pro (adulteram) leg. adulteris. 99. b. lin. quitatui, pro (confidentes) leg. confidentes. & lin. potentia, pro (ille) leg. quos. 121. lin. Reprehendit, pro (Deus) leg. Deum. 131. lin. dem pro (quo) leg. quibus. 132. b. lin. gellis, post (rudibus) adde lapidibus. 155. b. lin. & pep. pro (peperunt) leg. pepererunt. 203. lin. Aegypti, pro (Aegypti) leg. Aegyptios.





# CHRONOLOGIA AB ANNO PRIMO REGNI JO-

SIAE REGIS IUDA, VSQVE AD PRIMVM

annum Cyri regis Persarum, continens in vniuersum annos 112, vtilis ad intelligendum vaticinia Ieremiæ, Ezechielis, Danielis, & partem lib. Regum & Paralipomenon.

ANNI Iubilei:	Regum Iuda.	Babylonis.	Ægypti.
33	1. IOSIAS rex iusti & equi obseruantissimus, regnavit annis 31. fuit annorum 8. cum regnare cœpit. 4. Regum 22. 2. Paralip. 34.	1. NABUCHADONOSOR primus regnavit annis 35. Metasth. 55. ei tribuit.	
34.	2.	2.	
35.	3.	3.	
36.	4.	4.	
37.	5.	5.	
38.	6.	6.	
39.	7.	7.	
40.	8. Hoc anno regni sui, qui aetatis 16. erat, cœpit querere Dominum. 2. Para. 4. Eodem anno natus est filius eius Ioachim. nam cum regnare cœpit, fuit annorum 25. 4. Regum 23.	8.	
41.	9.	9.	
42.	10. Nascitur Ioachas: nam cum regnare cœpit, fuit annorum 23.	10.	
43.	11.	11.	
44.	12.	12.	
45.	13. Ieremias hoc anno cœpit vaticinari Hierosolymis, Ier. 25. cap. & 2. Par. 34. Fuit igitur in ministerio supra annos 41. Hinc numerandi sunt anni iniquitatis Iudæ vsq; ad extremam vastationem, notati ab Ezechiele 4. capite. qui insinuare voluit iudicia quæ per Ieremiã prolata sunt contra Iudam, certò exequenda: alij numerant illos ab anno 18. Iosia.	13.	
46.	14.	14.	
47.	15.	15.	
48.	16.	16.	
49.	17. Sophonias prophetat. Euseb. in Chron.	17.	

IVBILEVS. XVII.	18. Hoc anno Helcias pontifex Legem Dei reperit in Templo, quam cum Rex legisset, Huldam prophetidē cōsuluit quid factō opus esset. Accepto responso, concilium totius regni celebrat, in quo curat Legem recitari, deinde fœdus mutuō ineunt, item Pascha magna solennitate celebrant. Hebræi volunt Ezechielem eodem anno, patre Helcia Legis repertore natum, eundemque Iubileum fuisse: item ab hoc anno numerandos esse annos 30. à quibus Ezechiel prophetiam suam exorsus est. Clemens Alex. Stromat. lib. 1. Helciam illū Ieremie patrem facit.	18.	
2.	19.	19.	
3.	20.	20.	
4.	21.	21.	
5.	22.	22.	
6.	23. Nascitur Zedechias. nam cum regnare cœpisset, fuit annorum 21.	23.	
7.	24.	24.	
8.	25.	25.	
9.	26.	26.	
10.	27. Nascitur Iechonias: nam fuit 18. annorū cum regnare cœpisset. quod in libr. Paral. dicitur 8. annorum, id Græci interpretes habent ὀκτωκίδεκα.	27.	
11.	28.	28.	
12.	29.	29.	
13.	30.	30.	
14.	31. Iosias transitu prohibeturus Nechaonem regem Ægypti proficiscentem in Syriam contra Nabuchadonorem, in pralio occiditur. Herodot. libr. 2. etiam mentionem facit huius pralii scribens regem Ægyptium Syros vicisse in Magdalo. Ierem. 46. hunc locum eodem nomine appellat: author historia Regū 4. li. cap. 23. Magedo. Ieremias regi scripsit E-picedion 2. Paral. 35.	31.	NECHAO secundus, rex Ægypti quem Euseb. ad hūc annū Iosie accommodat, regnavit annis 6. Herodot. 17. ei tribuit. In nominibus & annis horū Regū tanta est discrepātia ut nihil certi de illis possit cōstitui.
15.	1. Patre occiso populus IOACHAZ fil-	32.	2.

lium eius impium hominem regem constituit, quem cum tribus mensibus imperasset, rex Ægyptius è Syria victor reuersus, vincitum in Ægyptum abduxit, ubi mortuus est, 4. Regum 23. & 2. Paral. 36. Hunc multi Jerem. 22. Sellum putant appellari, quod videtur pugnare cū illo quod 1. Paral. cap. 3. Sellum postremus natus dicitur: post Ioachasum enim Sedechiam natum esse constat. Quidam igitur per Ioachaz intelligunt Ioannam, qui primogenitus in lib. Paral. dicatur nō natiuitate, sed dignitate. Loco fratris, IOACHIMVM, qui & Eliacim dictus est, Nechao regem constituit, regnavitque annis 11. 4. Regum 23. 2. Paral. 36. Hic rex impius fuit nam Vriam prophetam ex Ægypto retractū occidit, Jerem. 26.

16. | 2. In principio regni illius, Jeremias concionē habuit in atrio templi, qua Regem exasperauit. Jer. 26, & 27. | 33. | 3.

17. | 3. | 34. | 4.

18. | 4. Hic annus Ioachimi, concurrit cum primo Nabuchadonosoris, Jer. 25. Eodem anno mandauit Deus Jerem. ut scriberet omnes suas conciones, quas hæcenus habuerat: dictauit itaque eas Barucho, eumque in templo eas recitare iussit in die Ieiunij, audiente toto populo, Jer. 36. Jeremias Baruchum suum notarium anxium & perplexum consolatur, cap. 45. & cap. 25. ab anno 13. Iosia ad hunc vsque, numerat annos 23. prædicatque captiuitatem 70. annorum. | 35. | 5.

19. | 5. Nabuchadonosor anno sui regni primo, prælio superauit regem Nechao in xta Euphratē flu. ad Carchemis. Mox superato Euphrate totā Syriam Pelusium vsque subegit, sola excepta Iudæa. Jer. 46. 4. Regum 24. Ioseph. antiq. li. 1. ca. 8. Mense 9. Baruchus cum indictum esset ieiunium, audiente populo, recitauit conciones Jerem. quod cum Micheas principibus retulisset, vocatum iusserunt easdem sibi quoque recitari, librum Regi obtulerūt, qui cum pagellas aliquot legisset, cultello discissas in ignem coniecit. Sed Deus iussit Prophetā denuo & has & alias suas conciones scripto complecti, Jerem. 36. | I. NABUCHADONOSOR MAGNVS regnavit annis 43. ut annotat Iosephus lib. antiq. 10. ca. 11. item ex Be- roso lib. 1. contra Apionem: ibidem ex Megasthene refert, hūc regem maximam Africa partem & Hispaniam subiugasse. Megasthenes (si numeri non sunt corrupti) 45. annos ei tribuit. | 6.

20. | 6. | 2. | PsAMMITES qui & Psammiticus annis 12. Eusebio

21. | 7. | 3. | 2.

22. | 8. Quarto anno Nabuchadonosoris, Ioachimi verò 8. Babylonij bellum ei intulerunt, eumque | 4. | 3.

	tributarium fecerunt, ille integro triennio im- perata tributa persoluit. Ioseph lib. 10. cap. 10. 4. Regum 24.		
23.	9.	5.	4.
24.	10.	6.	5.
25.	11. Ioachim anno 3. (nimirum postquam tri- butarius factus est Nabuchadonosori, ut Lyranus & quidam Hebraeorum exponunt) cum spe expeditionis Ægyptiorum contra Babylonem tributum ei negaret, abductus fuit in Babyl. & cum eo Daniel & sodales eius, quos Rex disci- pulis atque literis Chaldaeorum instituendos cu- rauit. Ezechiel quoque hoc tempore abductus fuit: addunt eis Mardocheum. Annum hunc 8 fuisse Nabuch. 4. Regum cap. 24. ostenditur. Theodoretus dicit Nabuchadonosorem statim cum regnare cepisset, anno tertio Ioachimi ex- acto, & initio quarti anni, capta urbe multos ca- ptiuos abduxisse, & hanc Iuda primam, Israelis quartam captiuitatem fuisse. Ideo Danielelem di- cit 12. annis ante Ezechielem suam prophetiam exorsum esse, sed prior sententia est verior. Iose- phus scribit Antiq lib. 10. cap. 8 Regem receptum in urbem fidem Ioachimo non seruasse, sed florē iuuentutis Hierosolymitana una cum rege in- terfecisse, quem etiam in sepulchrum exiv. mœnia prœconi iusserit, nimirum iuxta vaticinium Ier. 22. & 36.	7. Iosephus scribit antiq. li. 10. cap. 11. & cō- tra Apionē li. 1. Nabuch. 7. an- no regni sui cœ- pisse obsidere Ty- rum sub rege Ty- riorum Ithoba- lo, eamque con- tinuasse per an- nos 13.	6.
26.	1. IOACHIM vel Ioachim differentia cau- sa, qui etiam Chonenias & Chonias Ierem. 22 dicitur, ab Euangel. Iechonias vocatur, lo- co patris constitutus est rex à rege Babylonio, qui post menses 3. dies 10. misso exercitu obsē- dit Hierusalem. Ille ne urbs per vim expu- gnata dirueretur, suasu Ieremia sese dedens, sponte migravit in exilium, 4. Reg. 24. 2. par. 36. Daniel 1. cap. Iosephus scribit lib. 10. an- tiq. cap. 9. pœnituisse Babylonium, quod re- gnum ei dedisset: veritum enim esse, ne me- mor patris per iniuriam occisi, regionem ad defectionem sollicitaret. Accusat autem Baby- lonium quod huic quoque fidem non serua- rit. Hinc incipit transmigratio Babylonica ut colligitur ex Ierem. 25. 29. Ezech. 33. 40. Idē fatetur Lyranus in Dan. 1. cap. & Ezech. 40. Duravit autem hæc captiuitas annis 70. Io-	8.	7.

TRANS-  
MIGRA-  
TIO Baby-  
lonica.

Iosephus

		<i>Iosephus deducit illos annos ab anno 11. Zedechia, quem imitati sunt Hebraei &amp; plerique aly. Theodoretus ab anno 18. Iosia ad primū Cyri 70. annos numerat: sed fallitur. ZEDECHIAS qui antea Mathanias dictus fuit, filius Iosia, patrus Iechonia, loco eius à Nabuch. rex declaratus est, regnavitq; annis 11. 4. Regum 24. 2. Paral. ult.</i>		
27.	2.		9.	8.
28.	3.	<i>Daniel cum suis sociis adducti sunt in conspectum Regis, Dan. 1. ca. per hos apud Chaldaeos Medos &amp; Persas propagata est vera religio.</i>	10.	9.
29.	4.	<i>Hoc anno, mense 5. disceptatio fuit inter Ierem. &amp; Ananiam pseudopphetam qui populum captivum post biennium reducendum dixit, Ieremia id negante, &amp; septimo mense post, illum moriturum predicente, id quod factum est, Ierem. 28. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. hunc Ananiam filium Iosia (nescio qua ratione ductus) appellat.</i>	11.	10.
30.	5.	<i>Quintus annus Zedechia vel captivitatis Ioachim, 30 fuit ab inuento libro legis, quo tempore ut Ionathan Chaldeus dicit EZECHIEL vocatus est ad munus propheticum &amp; primam visionem vidit ad Tobar fluvium de auferenda gloria Dei ab Israe, quarti mensis die prima, Ezech. 1 cap. Fuit hic annus etiam 30. à iubilco. Quanquam Theodoretus scribat se accuratè inuestigato tempore, comperisse 5. captivitatis Iechonia, non cum 30. Iubilei, sed cum 25. consentire.</i>	12.	11.
31.	6.	<i>Mense 6. die 5. Ezechiel sibi visus est deferri in templum Hierosolymitanū, &amp; ibi videre omnes partes eius idoblatia pollutas. cap. 8. 9. 10. 11. Conciones eius ab 8. cap. vsque ad 20. hoc anno dictæ sunt.</i>	13.	12.
32.	7.	<i>Mense 5. die 10. consulunt seniores Ezechielem de euentu belli: ridarguitur eorum hypocrisis. cap. 14.</i>	14.	<i>VAPHRES annis 30. Euseb. Herodoto Apries dicitur qui ipsum annis 25. regnasse tradit. Diodorus 22. Hophra. à Ierem. 44. di-</i>
33.	8.		15.	
34.	9.	<i>Iosephus antiq. lib. 10. cap. 9. Cum per octo, inquit, annos socius regis Babylonii fuisset, violato fœdere ad Aegyptios defecit, sperans</i>	16.	

ſi cum illis uiris coniungeret Babylonium ſuccubiturum. Hoc anno, menſis 10. die 10. Ezechiel in Babylone populo captiuo prædixit Nabuchodonoforem exercitum ſuum ad-mouiffe urbi Hieruſalem, eamque iam obſi-dere, Ezech. 24. Quod autem illo ipſo die eã obſederit,munitioneſque contra eam inſtru-xerit, teſtantur Ierem. 39. & 52. item 4. lib. Regum cap. 35. Durauit autem obſidio uſque ad 11. annum Zedechia, per menſes ut Iose-phus dicit 18. Idẽ ſcribit Ægyptium audito in quibus anguſtiis eſſet Zedechias ſocius, Iudæam cum exercitu petiſſe, volẽs obſidio-nẽ ſoluere. At Babylonios intermiſſa obſidio-ne, obuiam illi profectos, vno prælio victum tota Syria expulſiſſe. Mox autem ut obſidio ſoluta fuerit, pſeudoprophetas decepiſſe Sede-chiam, quaſi hoſtis reuerſurus non eſſet, Ier. 52.

citur. Is excepiſt  
Iudæos profugos.

35. | 10.

| 17.

| 4.

36. | 11. Menſe 1. die 7. prædicit Deus Pharaoni interitum, Ezech. 30. capite: menſe 3. die 1. exemplo Aſſyriæ prædicit perdendum eſſe Pharaonem. Nam ſi ille non potuerit reſiſtere Babylonio, multo minus illum poſſe, Eze-chiel 31. Quarti menſis die 9. ſ. m. dominante, urbs capta fuit, Zedechias, ducis eius & amici, qui per occultam viam euaserant, com-prehenſi in campis Hierichuntinis, ad regem Nabuch. Reblatham perducti ſunt, qui inſit ſpectante Zedechia, filios & amicos eius tru-cidari, Iere. 52. Menſe 5. die 10. (in lib. Reg. 7. dicitur) qui annus fuit 19. Nabuchod. ſimi-rum inchoans, (Ioseph. contra Apionem lib. 1. 18. vocat.) Nabuſardam præfectus rerum capitalium incendit templum, regiam illiãſ-que domos ſplendidas, & muros deſtruxit. Ier. 52. 4. Regum ult. Iosephus templũ incen-sum dicit ex quo conſtructum fuit, elapſis 470. annis, 6. menſibus, 10. diebus. Eusebius annis 442. Nabuſardam abduxit Seraium pontificẽ & Sophoniã ſacerdotem atq; alios, quos Nabuch etiã interfecit. Pauperculos & trãſugas aliquot reliquit in terra, præpoſito illis duce Godolia viro bono, cui Ieremiam cõ-mendauit, Iere. 52. Godoliam hunc nefariẽ occidit Iſmael menſe 7. Ierem. 41. Multos hinc numerare annos captiuitatis ſuprà dixi-mus. Vaſtata Iudæa Babyloni non, ut Aſſy-

18.

5.

ry alios in eorum regionem colonos miserūt, sed desertam reliquerunt, donec ipsi redirēt. Eodē anno die 1. mensis denunciat Ezechiel cap. 26. Tyro interitum, eò quod gauiſa sit Iudaorum cladibus.

37.

1.  
ANNI  
ab exci-  
dio Ieru-  
salem.

12. Mense 10. die 5. venit euasor qui captiuus in Babylone retulit euersam esse urbem Hieros. Ezech. 33. Mense 12. die 1. iubet Deus Ezechielem plangere interitum regis Pharaonis, cap. 32. paulò post dicit, eodem anno, die 15. mensis, Deum ipsi mandasse ut Ægyptum plangeret.

19. Hoc anno secundum Iosephi sententiam, Tyruse set capta Nam à 7. anno regni Nabuch. huc usque numeratur. 13. quibus obsessam dicit. ut supra habuimus.

6.

38

2.

13. Circa hoc tēpus Ioannes Caree & reliqua multitudo contemnens Dei consilium in Ægyptum abiit, abducto simul Ieremia & Baruch, ubi Deus significauit fore ut Nabuch. exercitum abducat in Ægyptum, &c. Ier. 43.

20.

7.

30

3.

14.

21.

8.

40.

4.

15.

22.

9.

41.

5.

16. Hoc anno Nabusardan omnes reliquias Israelis & Iuda, quaspe incolenda terra undique confluxerant, in Babylonem abduxit, Ierem. 52. Functi hoc anno finitos dicit 390. annos iniquitatis Israel qui per totidem dies Ezech. 4. indicati sunt. Deducit autem eos ab initio regni Ieroboam, qui idololatriam inuexit. Iosephus Antiquitatum lib. 10. capite 11. 5. dicit post excidium Hieros. anno qui fuit regni Nabuch. 23. inuasit Calen-Syriam, qua subacta bellum gessit contra Ammonitas & Moabitas, his domitis Ægyptum est ingressus, occisoque qui tunc regnabat, & alio rege constituto, repertos ibi Iudæos rursus captiuos Babylonem abduxit, Ier. 52. Ezech. cap. 29. 40. annis vastam fore Ægyptum dicit. Eodem anno recitauit Baruch lib. suum in Babylone. Lyra in 1. cap. Baruch Prophetæ.

23. Hoc anno rex Nabuchod. monarchiam constituisse Fuccius dicit.

10.

42.

6.

17.

24.

11.

43.	7.	18.	25.	12.
			<p><i>Exacto biennio post Aegypti populationem Nabuchod. mirandam habuit visionē vel somnium de serie regnorū mūdi, quod Daniel in memoriam ei reuocat, &amp; eius interpretationē subijcit Dan. 2. Ioseph. li. 10. ca. 11. anno 3. reg. Nab. Dan. nondū in Babylone fuit: igitur de monarchia oportet intelligi.</i></p>	
44.	8.	19.	26.	13.
45.	9.	20.	27.	14.
46.	10.	21.	28.	15.
47.	11.	22.	29.	16.
48.	12.	23.	30.	17.
49.	13.	24.	31.	18.
IV BI- LEVS XVIII.	14.	25.	32.	19.
		<p><i>Ezech. 40. cap. dicit hunc annum 25. esse transm'grationis &amp; 14. capta urbis, vidit autē hoc anno in Babylone futuram urbis &amp; Templi aeterni reparationem. Hebraei constanter asserunt, hunc annum Iubilaeum fuisse.</i></p>		
2.	15.	26.	33.	20.
3.	16.	27.	34.	21.
		<p><i>Ezech. cap. 29. mense i. die 1. (nimirum à captiuitate unde subinde annos numerauit) promittit Nabuch. eiusque militibus spolia Aegypti pro laboribus in obsidione Tyri susceptis. Heb. hos annos ab initio regni Nabuch. numerant, quādo iam destructa fuerit Tyrus. Theodoretus quoque à capta Tyro. Funccius à bello Aegyptiorum &amp; Babyloniorum.</i></p>		
4.	17.	28.	35.	22.
5.	18.	29.	36.	23.
6.	19.	30.	37.	24.
7.	20.	31.	38.	25.
8.	21.	32.	39.	26.
9.	22.	33.	40.	27.



10.	23.	34.		41.		28.	
11.	24.	35.		42.		29.	
12.	25.	36.		43.		30.	
13.	26.	37.	<p><i>Mense 12. die 12. EVILMERODACH rex Iechoniam, qui solus relictus erat de domo Davidis, è vinculis dimissum inter amicos habuit, Ierem. 34. 52. 4. Regum 25. 2. Par. vlt. Iosephus lib. 10. antiq. cap. 12. ideo factum scribit, quod pater eius fidem ei non seruauerit, qui se cum vxoribus, liberis totaq. cognatione sponte tradiderit. Philo scribit Iechoniã post liberationem dictum Neri, &amp; mox (de quo postea) ei natum filium Mesezebel cognomento Selathiel, cuius meminerunt Euangelista. Quod Ierem. 22. dicitur orbem fore. alij rectius abdicatum vel execrabilem reddiderunt: constat enim ex 1. Par. cap. 3. eum plures liberos habuisse. Ierem. vlt. cap. annu hunc captiuitatis 37, facit primum Euilmerodachi.</i></p>		<p>I. EVILMERODACH annis 30. Meta- sthenes. Hic ab Herodoto lib. 1. Labyrinthus dici- tur. vbi vxorem eius Nitrochin miranda in Ba- bylone opera ex- truxisse dicit, &amp; magna pruden- tia fuisse pradi- tam, id quod cū sacra Historia cō- gruit, Dan. 5. ca. Seder Olam. mi- nor tribuit ei an- nos 23.</p>		<p>AMASIS regna- uit an- nis 42. Euseb. Alii plures ei tri- buunt.</p>
14.	27.	38.		2.			
15.	28.	39.		3.			
16.	29.	40.		4.			
17.	30.	41.		5.			
18.	31.	42.		6.			
19.	32.	43.		7.			
20.	33.	44.		8.			
21.	34.	45.		9.			
22.	35.	46.		10.			
23.	36.	47.		11.			
24.	37.	48.		12.			
25.	38.	49.		13.			
26.	39.	50.		14.			
27.	40.	51.		15.			
28.	41.	52.		16.			
29.	42.	53.		17.			

30.	43.	54. Selathiel genuit Barachiam cognomento Zerobabel, 17. anno ante solutam captiuitatem qui anno 17. etatis suæ dux fuit populi, Philo.	18.	
31.	44.	55.	19.	
32.	45.	56.	20.	
33.	46.	57.	21.	
34.	47.	58.	22.	
35.	48.	59.	23.	
36.	49.	60.	24.	
37.	50.	61.	25.	
38.	51.	62.	26.	
39.	52.	63.	27.	
40.	53.	64.	28.	
41.	54.	65.	29.	
42.	55.	66.	30.	
43.	56.	67. Daniel visionem habuit de IIII. monarchiis, de Antichristo & ultimo Christi aduentu, Dan. 7. cap. Visionem habuit 8. cap. de monarchia Persica & Græca, & quid populus Dei in illis passurus sit. Balthasar filius Euilmerodachi, nepos Nabuch. qui more Scripturæ filius eius dicitur, conuiuium exhibēs suis principibus, in qua vasa sacra templi Hierosolymitani protulit, vidit prodigiosam manum scribentem in pariete, quam scripturam Daniel interpretatus est. Eadē nocte capta Babylone à Cyro Persarum & Dario Medorum rege, Balthasar interfectus est, Dan. 5. cap. 2. Par. 36. Ioseph. lib. 10. cap. 11. & 12. Post Euilmerodach Niglifar filium eius, & huius filiū Labosardochum ponit, quibus Balthasarum subiungit, cuius anno 17. vrbs capta sit. Libro tamen primo contra Apionem aliter ex Beroso de successoribus illis scribit. Diligentissimi Chronographi duos illos reges ideo præmittunt, quod Ieremias prædixit fore, vt Iudæi seruiant regi Nabuchad. eiusque filio atq; nepoti ex filio. Daniel permansit in gubernatione quoadiu durauit regnum Babylonici, Dan. ca. 1. postea sub Dario quoque in precio fuit, qui eū in Mediam duxit, Dan. 6. cap.	1. BALTHAZAR.	
44.	57.	68.	2.	
45.	58.	69.	3.	
46.	59.	70.	4.	

Finis Chronologiæ.

